Giry

# CENTVM
# HISTORIARVM
## EXAMEN

Cum Sententia definitiua in vtroque Iure, & pro vtroque Foro.

# CENTVM HISTORIARVM EXAMEN

Cum Sententia definitiua in vtroque Iure, & pro vtroque Foro.

SEV

# DECISIONES THEOLOGICO-LEGALES

## P. F. CASSIANI A' SANCTO ELIA

Carmelitæ Discalceati Mediolanensis.

IN QVIBVS


Pro Confessarijs, & Pœnitentibus, ac pro Iuris vtriusquè Doctoribus Dubia penè innumera non facilis resolutionis, copiosis Doctrinis expurgatis ab erroribus Propositionum à Pontificibus damnatarum, abundè resoluuntur.

*Addito triplici Indice: Primus, Decisionum. Secundus, Doctrinarum damnatarum. Tertius, Rerum & Verborum, cum Instructione ad Parochos, aliosque Confessarios pro casibus, quorum Absolutio, vel Dispensatio spectat ad S. Pœnitentiariam, seu ad Sedem Apostolicam.*

Admodum Reu. P. Nostro Obseruandiss.

## P. F. CAROLO FELICI A' S. THERESIA

Præposito Generali Carmelitarum Discalceatorum Congreg. S. Eliæ Ordinis Beatissimæ Virginis Mariæ de Monte Carmelo, ac eiusdem S. Montis Priori.



BONONIÆ, Ex Camerali Typographia Manolessiana. M. DC. LXXXII.

*SVPERIORVM LICENTIA.*

Admod. Reuerendo Patri Noſtro Obſeruandiſs.

# P. F. CAROLO FELICI
## A' S. THERESIA
## PRAEPOSITO GENERALI

*Carmelitarum Diſcalceatorum Congregationis Sancti Eliæ Ordinis Beatiſsimæ Virginis Mariæ de Monte Carmelo, ac eiuſdem Sancti Montis Priori.*

INVALVIT quidem apud Auctores conſuetudo proprios ingenij partus, dum renaſcuntur in folijs, vt tutò peregrinentur in libris alicui Tutelari Cuſtodi committere, cuius clientela, & patrocinio ad litteratorum manus volantia, vt vidit Zacharias efficiantur volumina. Cap. 5. n. 1. Quiſque ſuo genio Patronum quærat; Nemini inuideo, qui Tutelarem Angelum, & Nobiliſsimum Mecenatem in Patre habeo. Non illo ergo communi vſu, ſed ſingulari animi obſequio Tibi Admodum Reuerendo Patri noſtro inſcribuntur hæ qualeſcumque Centum Hiſtoriarum Theologicò-legales Deciſiones, vt Ampliſsimo Patri filiationis teſseram ſoluat Filius, vt Beneficentiſsimo Prælato reuerentiæ debitum teſtetur ſubditus. Proh meis hiſce laboribus quàm felices, quàm claros annuncio profectus tua Benignitate munitis, tua Auctoritate protectis, tuo Nomine decoratis! Ad lucem prodeunt, nec Cenſuræ tenebras pertimeſcunt, imò gloriantur hæ doctrinæ quaſi Virgines nullius nempè vitioſitatis corruptela infectæ, dum

cudun-

Apoc. 14. 1. cuduntur *habentes nomen eius, & nomen Patris eius scriptum in frontibus suis*, & benè Commentator addit *in hoc designatur firmitas conscientiæ*, nam ad Conscientiarum directionem, & errorum fugam omnia hæc ordinantur asserta, sicque vt ait Aretas *diuina luce diuini vultus obsignantur, per quod æmulis in hoc, & perniciosis Dæmonibus terrori sunt*. Ita planè Tartareis hostibus pauorem incutient Tuo Nomine obsignata, qui *Agnus es stans in monte Sion*, & in Discalceati Carmeli vertice Primas sedes decorem Illustrissimo Colli tribuens, honorificentiam Tereſiano Populo præstans; Experientia ipsa edocebit id, quod prophetico calamo exharauit Ioannes, si *Hi cum Agno pugnabunt, & Agnus vincet illos*, rationem verò nectit dicens *Quia Dominus Dominorum est*. Diabolum eneruabit, errores destruet, Censuras minuet qui se ipsum vincens gloriosiores sibi comparans triumphos Dominus supra Dominos est exaltatus. An non pulchra Tui victoria splendidissimis ortum Natalibus Reformati Carmeli, nempè humilitatis, & mortificationis palestram fuisse ingressum, vt ludenti mundo cæcus non viueres, sed sapiens ad pœnantis Christi amaram Crucem anhelares; In Imperialium Aquilarum augustissimo sinu enutritum ad Sacra Prophetarum Deserta auolasse malens *in domo Dei abiectum esse*, quàm apud Augustos Cæsares Principem commorari? Referant qui volunt Excellentissimę Tuæ Prosapiæ glorias, Martialem animum, Cęsareorum Exercituum Præfectos, in Perduellium viribus extirpandis inuincibiles, in Bellicis laboribus insuperabiles, Conspicua pro Deo, pro Austriaca Domo, pro Christiana Republica patrata facinora: dicant proprijs irrigatas sudoribus palmas, proprio acquisitas cruore coronas adeò vt in Aureo Stemmate purpurascenti Rosæ consonet SLAVATAE fas est repetere illud Virgilij *Pulchrum per vulnera nomen*: dicant magnanimas Tuæ Gentis virtutes in celsioribus Sacri Imperij Præfecturis, in Sanctioribus Germaniæ Consilijs, Aureo Vellere Torquatos Equites, Ecclesiastica Purpura ornatos Principes: Innumera alia dicant, quibus facundior etiam eloquentia non sufficit, retraho ego calamum, omnia prætereo ne videar degener filius illa commendare in Te, quæ Tu in Te sapienter pro Crucifixi amore contempsisti. Filialis animus totus ad Patrem it, de quo omnibus Discalceati Carmeli Incolis etiam Euangelista repeteret *Estote perfecti sicut pater vester est*. Ita

Margin notes: Moral. Gloss. 16. — Ad eumdem locum. — Apoc. 17. — Ps. 83. — Virgil. Aeneid. — Matth. 5. 48.

siqui-

siquidem Te ipsum præbuisti & per ardua experimenta omnium Virtutum exemplar, vt de Te dici possit *Pauci tenuere singulas, quomodo tu in te expleuisti vniuersas*. In monasticis exercitijs strenua obseruantia, in collatis Dignitatibus summa modestia, in Conuentuum Præfecturis constans Prudentia, in Theologicis Cathedris Angelica Sapientia, in Vaticanis Tribunalibus sedula attentio, & assiduus labor resplenduere semper. Nunc autem in Generali Religionis Præpositura, quam etiam ante Patrum suffragia compatauerant merita *mutasti quidem personam, animum non amisisti*. Peragratis ad visitationem Carmeli Prouincijs omnium in Te corda deuicisti neruosa semper ad Virtutes hortatione, ad Sāctitatis semitas feruido semper impulsu, & quod mirabile est, vultu numquam nubilo, obtutu numquam aspero, Serenitate dulci, Benignitate iucunda *Visitasti* Carmeliticam *terram, & inebriasti eam* musto sapidæ dilectionis Dei; Sine igitur vt filiorum minimus ad pedes tuos procumbens, sicut animum dedit, & labores suos inscribat, Tui vndequaquè esse debent, si Tibi totaliter seipsum deuouit Auctor; At nec Auctoris sunt, benè omninò Tui Morales Doctrinæ ad Virum omnibus numeris probum accurrunt, Theologicæ Veritates ad Candidatum Magistrum confugiunt, ad rectissimum Iudicem Iura, ad sanctissimarum Legum Achatem, & Protectorem Leges properant. Congenita qua soles Clementia suscipe non quod datur, sed quod redditur, non quod offertur, sed quod debetur, & concede, vt in paterni Amoris gremio conquiescat perpetuus.

*Emiss. de Max.*

*Em. de Epi.*

*Ps. 64.*

Reu. Vestræ Patris Nostri

In Collegio S. Mariæ Lacrymarum Bononiæ die 14. Augusti 1682.

Indignus Seruus, ac Filius
*F. Cassianus à S. Elia.*



AVCTOR

# AVTHOR LECTORI

IN *proprio erubeſcerem attramento*, Lector beneuole, *niſi tibi pergratum fore ſperarem, quod omnium vtilitati elaborare Opus, mea fuit intentio. Nec me temerè ſperare autumo: Si enim Amanti amatum placet obiectum, Tu ſiuè Hiſtoriarum, ſiuè Moralis Theologiæ, ſiuè Iuris Vtriuſque, ſiuè cognitionis Doctrinarum damnatarum ſis amator, omnia in præſenti Volumine tibi obiecta recognoſces. Naſcitur, non renaſcitur Opus iſtud, quia numquam nec ſimilitudinaliter natum, nouis nunc compactum partibus, Centum exhibet Hiſtorias penè innumeris plenas difficultatibus ſub Iudicij lima expolitis, quas nouiter in lucem editas, tibi vt quid placiturum aperio, inficiandum cùm non ſit proloquium:* Omnia noua placent. *Diſplicere timerem materiarum varietatem, aſt quia* in varietate pulchritudo, *pulchrum tuæ expono delectationi; imò varia, quaſi non varia, ordinata varietate vel in Indice Deciſionum, vel in eo Propoſitionum condemnatarum, vel in alio Rerum, & Verborum copiosè perleges recollecta. Vtinam in Dei gloriam, atquè in animarum ſalutem mei cedant labores, necnon in vtilitatem Eccleſiæ Catholicæ, cui me, meaque ſcripta humilimè ſubdo tam præſentia, tùm quæ, quibus titulus erit,* Theologia Moralis expurgata, *quamprimùm luci, tibique (Deo fauente) dabo. Vale.*

AP-

# APPROBATIONES.

✠

I. M.

MOrale Opus, in quo R. P. F. Caſſianus à S. Elia Centum Hiſtorias ad Examen vocat, & pro vtroque foro definit, vt nouo ſubiaceret examini, & diſcuſſioni à R. Adm. P. Noſtro F. Emmanuele à Ieſu Maria Congregationis noſtræ Præpoſito Generali, imbecillitati meæ commiſſum, diligenter percurri, nec aliquid leui fundamento ſtabilitum adiudicare potui. Noua quandoquè agitat, diſcutitque Author, at prudens ſemper, Selectiorum Theologorum, & Canoniſtarum doctrinis munitus ſententiam profert, exornat dum probat, ditat dum confirmat; patet ergo Sacris Concilijs, ac bonis moribus nullo modo diſsentanea à nullo exiſtimanda, ſi non ſemel, ſed pluries omnia conſonè habita. Prodeat igitur in publicam lucem dignum luce Opus, vt lucem rurſus Moralis Theologiæ Profeſſoribus plus afferat. *Centum* licèt *Hiſtoriarum* titulo præfiniat librum, ſingulas plurimarum quæſtionum feraces quiſquè conſpiciet, breui ſtylo, eruditoque calamo ad albam meſſem deductas, & pro abundanti collectione faciles. Sic cenſeo in hoc noſtro Carmelitarum Diſcalceatorum Bononienſi Collegio, die prima Februarij 1679.

*Fr. Laurentius à Sancto Abundio Carmelita Diſcalceatus, Definitor Prouincialis, & Sacræ Theologiæ Profeſſor.*

---

✠

I. M.

LIbrum inſcriptum *Centum Hiſtoriarum Examen, cum ſententia definitiua in Vtroque Iure, & pro vtroque Foro &c.* à R. P. F. Caſſiano à S. Elia Noſtro Carmelita Diſcalceato compoſitum, de mandato R. Adm. Patris Noſtri Emmanuelis à Ieſu Maria Præpoſiti Generalis ſumma voluptate, diligenti, & accurata diſcuſſione euolui, & egregiè conſcriptum, diligenterque elaboratum reperi; in ipſo enim viget in indaganda veritate ſtudioſitas, in euellendis aduerſantium rationibus ſubtilitas, in veritate manifeſtanda perſpicuitas, in verioribus ſententijs eligendis præſtantia, in illis comprobandis acumen adeo feliciter, vt tuto pede medio in tramite incedens, nec nimio timore correptus neget, quod rationes legitimè concludũt, nec nimia animoſitate elatus in hac morali materia laxet habenas, quod haud facilè apud alios Authores inuenitur. Vndè ingenuo animo fateor ad vtilitatem Doctorum hunc librum eſſe compoſitum; & ſicut hoc eſt Diuinæ Prouidentiæ peculiare ingenium, quòd creato hoc Mundo, Cœloque maiori, ſtatim minorem alium Mundum, Cœlumque minus, nempe hominem produxit, in quo breuiori forma, quæ in Mundo ma-

maiori erant hinc inde diffusa, mirabili nexu, velut in breui forma collegit; sic communicato nobis maiori Cœlo, aliorum inquam Authorum immensis penè dixerim voluminibus, quibus euoluendis vix vita sufficit, postmodum aliud Cœlum minus, nimirum hunc librum nobis communicauit, in quo quod erat in Cœlo illo maiori diffusum, velut in breui summa eleganti stylo, & profunda solidirate elucubratum reperitur. Igitur ad omnium vtilitatem luce perfruatur volumen istud, in quo non solùm omnia bonis moribus, & Sacrosanctæ Fidei Catholicæ consona inueniuntur, sed plurima & doctis Confessoribus, & pijs Pœnitentibus admodum necessaria, quæ omnia & in decus Authoris, & in ornamentum Discalceatæ Familiæ fore non despero. Sic censeo in nostro Collegio Sanctæ Mariæ Lacrymosæ Bononiæ, 2. Ianuarij 1679.

*F. Bonauentura à Sancto Ioseph Carmelita Discalceatus, Sacræ Theologiæ Lector.*

---

✠

IESVS MARIA.

*Fr. Emmanuel à Iesu Maria Præpositus Generalis Fratrum Carmelitarum Discalceatorum Congregationis Sancti Eliæ, Ordinis Beatissimæ Virginis Mariæ de Monte Carmelo, ac eiusdem Sancti Montis Prior.*

TEnore præsentium facultatem impertimur, quantùm ad nos attinet, P. F. Cassiano à Sancto Elia Congregationis nostræ Sacerdoti Professo, vt typis mandet librum, cui titulus *Centum Historiarum examen cum sententia definitiua in vtroque Iure, & pro vtroque Foro* &c. ab ipso compositum, & à duobus Theologis è nostris recognitum, & commendatum. Datum Bononiæ in Conuentu nostro Sanctæ Mariæ Lacrymosæ, die 4. Februarij 1679.

*Fr. Emmanuel à Iesu Maria Præpositus Generalis.*

Locus † Sigilli.

*Fr. Geruasius à Sancto Elia Secretarius.*

Vi-

Vidit D. Io. Chryſoſtomus Vicecomes Clericus Regularis Sancti Pauli in Metropolitana Bononienſis Eccleſiæ Pœnitentiarius, pro Eminentiſs. & Reuerendiſs. D. D. Hieronymo Boncompagno Archiepiſcopo Bononiæ, & Principe.

Vidit etiam D Michael de Collibus Pœnitentiarius, pro eodem Eminentiſs. D. D. Cardinali Archiepiſcopo, & Principe.

---

EX Commiſſione Reuerendiſs. P. Magiſtri Thomæ Mazza Inquiſitoris Bononiæ, aureum vidi ſanè Opus *Centum Hiſtorijs* Moralibus à R. P. F. Caſſiano à Sancto Elia Cramelita Diſcalceato, quaſi pratum contextum. In eo ità diſcurſus vireſcit vbertas, ingenij redolet copia, vt amenitate onuſtum, eruditione diuitem omnibus hilarem exponat campum: Roſeus hic totus eſt, floridus totus. Spina hìc nulla eſt, nihil contra Decreta Pontificia continens, quinimò immarceſcibilis, varietate mira fœcundus, ſubtili compoſitione grauidus, ſtyli venuſtate decoratus, deniquè ex omni parte iucundus totus. Propterea medijs typis quòd omnibus aperiatur iuſtum iudico. In hoc enim florum faſciculo, omnibus morbo ſcrupulorum laborantibus medicina tribuitur, & cæteris ſiuè Confeſſarijs, ſiuè Pœnitentibus ad dubia ſingulariſſima extricanda latiſſimus erudititiſſimè aperitur aditus. Sic cenſeo &c. in noſtro Conuentu Bononienſi Ordinis Prædicatorum die 31. Septembris 1680.

*Fr. Hieronymus Baßanus Sacræ Theologiæ Magiſter, & in Vniuerſitate Bononienſi eiuſdem pro Cathedra veſpertina Sancti Thomæ Publicus Moderator.*

---

*Imprimatur*

Fr. Thomas Mazza Inquiſitor Bononiæ.

# INDEX PRIMVS,

## QVI EST DECISIONVM.



Dec.

sta-

# FINIS.



CEN

# CENTVM HISTORIARVM EXAMEN

## Cum ſententia definitiua in vtroque Iure, & pro vtroque Foro,

## *SEV DECISIONES THEOLOGICO-LEGALES.*

## DECISIO I.

*Ad quid teneatur, qui vouit profiteri in Religione, quam poſtea nouit non obſeruare eſſentialia, & ideò vouit profiteri in obſeruantiori, ſed Nouitiatus tempore ſtudioſis vitijs curanit excludi.*

### Caſus, ſeu Hiſtoria I.

SVMMARIVM.

1 *Caſus proponitur.*
2 *De duplici voto eſt dubium.*
3. 4. 5 *Votum ingrediendi Religionem compertam in eſſentialibus inobſeruantem, quando teneat.*
6 *vſque ad* 14 *An teneat ſi fiat propoſitum ſeruandi omnia.*
15 *Votum inualidum ſi mutetur in aliud, hoc tenet.*
16 *vſque ad* 21 *Ad quid teneatur expulſus à Religione ob culpam ad hunc finem admiſſam.*
22 *Vouens Religionem quomodo votum impleat.*

1 VOuit N. ingredi Religionem, & in eadem profiteri; verùm vt ad ipſius aures peruenit in tali Religione eſſentialia non adimpleri, nouum fecit votum ingrediendi aliam obſeruantiorem, necnon & profitendi in iſta. Habuit in vtroquè voto veram intentionem ſe obligandi, nihilominus ſecundum votum cœpit adimplere per ingreſſum in Religionem, tamen tempore Nouitiatus ſtudioſè in pluribus delinquebat eo animo, vt ad profeſſionem emittendam non approbaretur, ſed à Religione expelleretur, ſicuti de facto expulſionem intentam obtinuit, atquè ad Matrimonium contrahendum peruenit. Iam ergo à multis annis matrimoniali conſtrictus vinculo, vrgentibus conſcientiæ demùm afflictus ſtimulis, petit num inculpabiliter Religionis ſtatum repudiauerit, & an validè matrimonium celebrauerit.

2 De duplici voto inquiri debet in præſenti caſu: Votum primum eſt illud ingrediendi Religionem compertam non obſeruare eſſentialia: Secundum votum eſt illud factum in
3 commutationem primi. Igitur ſtante prædicta inobſeruantia Religionis, quam primò vouerat, votum non obligabat, niſi per ipſius ingreſſum ſpes haberetur, quòd ad priſtinam obſeruantiam reſtituetur, vel niſi ipſe cognoſcat ſe fore adimpleturum, quod ab alijs non adim-
4 pletur. Ratio eſt, quia nemo nequè per votum poteſt ſe exponere periculo peruerſionis, vbi enim communiter delinquitur, etiam particularis communi lue inficitur: ergo N. in noſtro caſu liber erat à voto, adeoque ad alium ſalutis ſtatum liberè potuit euolare. Nauar. *conſ.* 12. *num.* 46. Maior *in* 4. *diſt.* 38. *quæſt.* 2. apud Leſſium *de iuſt. & iure lib.* 2. *cap.* 41. *dub.* 5. *num.* 44. Confirmatur, quia votum numquam eſt vinculum iniquitatis.

5 Imò hodie videtur damnatum affirmare contrarium, eò quia qui in Religionem intraret, in qua eius eſſentialia tranſgrediuntur, ſeu non obſeruantur, quærit occaſionem peccandi, & Innocentius Papa Vndecimus prohibuit, & damnauit propoſitionem illam, quæ eſt ſexageſima tertia inter alias à dicto Pontifice damnatas: Tenor dictæ propoſitionis eſt: *Licitum eſt quærere directè occaſionem proximam peccandi pro bono ſpirituali, vel temporali noſtro, vel* pro-

*proximi*. Sanè, vt iacet ista propositio pessimam tradit doctrinam, numquam enim sunt facienda mala, vt eueniant bona. Si diceretur, quòd pro bono, non vtcumquè, sed magno tum spirituali, tum temporali nostro, & proximi licitum est directè quærere id, quod ex se videtur occasio proxima peccandi, sed hìc, & nunc non est peccandi occasio, quia adhibentur cautelæ, seu concurrunt circumstantiæ, firmiora proposita, &c. vera esset sub hac limitatione propositio illa, quæ est nimiùm scandalosa sub illa generali significatione, & reduplicatione *occasionis proximæ peccandi*, quam Card. de Lug. *disput.* 14. *de pænit. cap.* 10. *num.* 149. definit sic: *Occasio proxima est, qua numquam, vel ferè numquam vtitur homo, consideratis circumstantijs, absque nouo peccato*; vndè occasio remota est illa, quæ non est eiusmodi. Hinc roboratum manet quod supra diximus, scilicet non teneri in Religionẽ intrare, qui illam nouit proximam occasionem delinquendi, nisi respectu sui non sit talis. Idem est dicendum circa propositionem 61. & 62. inter damnatas ab eodem Pontifice, & vtramquè vide in nostra decisione 18. *num* 39.

6 Dicet aliquis: Satis erit si firmiter proponat sequere omnia ab alijs non obseruata, ad hoc vt censeatur extra occasionem delinquendi: ergo votum tenet. Et hæc obligatio eò magis currit, quò propositum firmum de non
7 delinquendo liberat à periculo delinquendi illum, qui sinè tali proposito delinquere sole-
8 bat: Sic qui transeundo per viam aliquam expertus est se prolabi in concupiscentiam Bertæ, tenetur in posterùm aliam viam quærere,
9 quia *qui amat periculum peribit in illo*: Tamen si mutet voluntatem, quam ante habebat vt duo, & nunc est vt quatuor firma in exclusio-
10 one concupiscentiæ erga Bertam, cessat periculum, & poterit per eamdem viam transire, nescit enim quid sit facturus in noua circumstantia propositi firmioris. Ita Caram. *in Theolog. Regul. num.* 1057. *ad med.* & Tambur. *method. expedita confess. lib.* 3. *cap* 3. §. 3. *num.* 6. ergo N. in nostro casu tenetur vti firmiori proposito, & in Religionem inobseruantem intrare.

11 Sed ad paritatem respondetur, voluntatis mutationem per propositum non eumdem habere effectum in casu concupiscentis Bertam, & in casu ingredientis Religionem in es-
12 sentialibus inobseruantem: Ideò enim non est ampliùs in periculo, qui intensiùs, quàm ante, nunc non vult peccare, quia totaliter status rei mutatur; verùm status periculosus delinquendi in Religione, in qua ab omnibus essentialia transgrediuntur, non mutatur per propositum vnius nolentis delinquere, quia æstus communis consuetudinis facilè abripit mentem. Less.
13 *loco citato*. Excipe tamen, nisi ingrediens talem Religionem sentiret se adeò firmum, vt prudenter iudicet se probabiliter liberum à periculo. Idem *ibi*. Vide Nauarr. *cap.* 12. *num.* 46.

14 Ex dictis resoluitur, quòd ex vi voti ingrediendi Religionem determinatam, & in ea profitendi, non obligabatur vouens, data essentialium inobseruantia, vndè si in illam intrasset, ac in ea studiosas culpas commisisset ea intentione, vt expelleretur, post expulsionem ad nihil teneretur.

15 Votum secundum de perfectiori statu in mutationem primi emissum, fuit verum vo-
16 tum, quod, re integra, obligabat. Ita Doctores communiter. Votum istud adimpleuit ex parte per ingressum in secundam Religionem delectam, at quia data opera curauit expelli, obstringitur iterum procurare ingressum, quem si non obtineat, tentare debebit nouam receptionem in duobus, aut tribus alijs locis
17 eiusdem Religionis, dummodò spes adsit, quòd recipiatur, si enim nullam spem habebit, ad nihil vltra tenetur. Sic ex Lessio *vbi supra*, *num.* 43. notat Megal. *cons.* 35. *num.* 2.

18 Et quia N. asserebat se firmam spem habere admissionis extra Prouinciam, vel in Conuentibus valdè distantibus à Prouincia sua, nihilominus non obligabatur illò pergere. Ratio est, nam votum obligat solùm iuxta mentem,
19 & insolitum est, vt quis ita Religioni se velit obstringere, vt non admissus in Cõuentibus suę Prouinciæ, teneri se velit ad foris extra patriã
20 sollicitandum. Lessi. *lib.* 2. *cap.* 41. *dub.* 5. *num.* 43. etiamsi de hac intentione dubium extaret, cùm in dubio non præsumatur intentionem
21 habuisse. Idem *ibidem*, & à fortiori si in tali Religione statutum extet inuiolabile, vt semel expulsus, nullibi iterum admittatur, nam tunc corruit omnis spes, & cum spe etiam obligatio.

22. Hæc fuisset satis adimpleta, si facto voto profitendi, deprehenderit anno probationis Religionem illam non sibi congruere ob iustam causam. Sotus *de iust. lib.* 7. *quæst.* 2. *art.* 1. *ad* 3. Ioannes Pigna apud Lopium *cap.* 45. & alij. Igitur N. in casu votum impleuit, & validè, ac licitè nupsit, quamuis ob suam culpam ad effectum expulsionis admissam, fuerit expulsus, supposito quòd talis Religio ipsi

con-

A

conueniens non esset, poterat licitè sua spontè exire, seu satagere vt reijceretur.

In prænarrato hoc casu concurrentibus ijs, quæ hucusquè adduxi, deducitur, quòd N. in vtroque foro ad nihil tenetur, cùm saluis prædictis factus sit sui iuris, vt liberè quem vitæ statum maluerit, sibi deligere potuerit.

---

# DECISIO II.

*An Capitulum Generale declarans esse Prælaturam officium Rectoratus in Conuentu N. constituat illud Prælaturam de nouo, vel declaret id, quod antiquitus erat annexum tali officio?*

## Casus, seu Historia II.

### SVMMARIVM.

1 *Casus proponitur.*
2 *Antequam resoluatur, expedit generalem tradere doctrinam.*
3 *Declaratio nil noui confert.*
4 *Sed quod competit manifestat.*
5 *Quia verbum obscurum explicat.*
6 *Non tamen operatur antè sui editionem.*
7 *Et edita operatur etiam de præterito.*
8 *Et fingitur emanasse cum actu, aut re declarata.*
9 *Quia nihil de nouo disponit.*
10 *Cum solummodò implicitè dictum, explicitè dicat.*
11 *Quemadmodum abscondita in spicis grana si quis excutiat, non noua grana facit, sed iam facta detegit.*
12 *Ergò declaratio Prælaturæ annexa officio Rectoratus, est vera declaratio, si aliud non obstet, ac proindè erat Prælatura ab antiquo, non de nouo.*
13 *Maximè quia etsi fiat Declaratio per clausulam aptam condere legem, nihilominus non condit.*
14 *Triplicis generis est Declaratio: 1. Correctiua: 2. Modificatiua: 3. Verbi explicatiua.*
15 *Duo priora genera declarandi, sunt impropriè declaratio; & solum tertium est vera.*
16 *Duo priora genera, nouum quid astruant.*
17 *Non sic genus tertium.*
18 *Quia circa rem non dubiam prima duo genera sunt, ob id Ius nouum inducunt.*
19 *E contrà contingit in genere tertio, cum sit de re dubiosa, at per hoc solum declarat, non nouum ædificat.*
20 *Si enim declarat, substantiam nouam non tribuit.*
21 *Lex noua respicit imposterum, non verò præteritum.*
22 *Communis intellectus, quid operetur.*
23 *Ex quibus stabiliendum venit, quòd si Rectoratus erat Prælatura sub dubio, adueniens declaratio Capituli, nouam non fecit Prælaturam sed Prælaturam in Rectoratu absconditam traxit in palam. Sed contrarium omninò dicendum est, si sub dubio non erat an esset Prælatura.*
24 *Recollectio prædictorum pro resolutione quæsiti in parte.*
25 *Recollectio pro omnimoda solutione; vbi & quòd certum erat in Casu nostro, Rectoratum non esse antè Declarationem Prælaturam, &c.*

1 IN Capitulo Generali Religionis N. declaratum fuit officium Rectoratus in Conuentu N. esse Prælaturam, quamuis eiusdem Religionis Conuentus alij à Prioribus, non à Rectoribus gubernentur, scilicet quia Priores vocantur, non verò Rectores, cùm solus præfatus Conuentus N. fundatus sit Apostolico Diplomate, in quo Papa Rectorem nominat illum, qui aliàs Prior diceretur iuxta huius Religionis Constitutiones, per quas item decernitur, vt qui per sexennium continuum Prioratum obtinuit, ad idem officium reassumi non possit, nisi per annum vacauerit.

Nunc quæritur an facta prædicta declaratione possit reassumi ad officium Rectoratus ille, qui ante declarationem per sexennium in tali officio perdurauit, nec per annum vacauit.

2 Antequam huiusce quæsiti resolutoria adducatur responsio, generales quasdam tradam de Declaratione doctrinas.

3 Docent Iurisperiti, Declarationem à Principe factam non conferre aliquod Ius de nouo *l. adeo §. cum quis; A. de acquir. rer. domin.* Oldr. 4 *cons.* 224. *n.* 10. *ver. præterea non obstat*, sed solùm Ius quod competit manifestat. Old. *d. cons.* 224. *n.* 20. *vers. nec verbum declaramus*. Oldr. *cons.* 318. *in fin. vers. ad articulos*, vbi quòd 5 qui de nouo dat non declarat, quia effectus declarationis est verbum obscurum clariùs explicare.

6 Item declaratio nihil habet operari antequam sit, cùm id, quod non est nullam possit actionem præstare, nullumque effectum producere. Tusch. *lit. D. vers. Declaratio Conclus.* 86. *n.* 2. vbi subdit Declarationem tunc operari, quando suæ editionis adest tempus.

7 Et quamuis Declaratio ante sui editionem non operetur, tamen postquam fuit, operatur
8 etiam de præterito. Egi. Bellam. *cons. 33. n. 39. & 40.* Et ideò declaratio dicitur inesse actui declarato, scilicet rei declaratæ, & cum tali actu, aut cum tali re fingitur emanasse, & ad tempus talis rei, aut talis actus retrotrahitur. Auth. *de rapt. mulierum, quæ rapt. nubunt, propè finem*, & Authen. *de filijs antè dotal. instrum. natis* §. *Tertia verò constitutione*. Io. Andr. *in addit. Speculat. in tit. de teste* §. *nunc videndum, in additione in verbo similibus sub nu.* 18. Roman. *cons. 45. sub num. 1. & cons. 65. sub nu. 3. vers. retrò enim trahitur*. Afflict. *in constitut. Regni, in tit. de exception. dilatorijs rubr. 18. sub nu.* 8. Castrens. *in l. Haeredes palam 21.* §. *Si quid post, sub num. 3. versic. Idem nota ex hoc*. Et ibi etiam Aretin. *in primo notabili sub num. mihi 7. ff. de testam.* Gabr. *de regul. iur. concl. 3. nu. 9.* Magon. *decis. Florent. 50. n. 44. & 45.* Rimin. *iun. cons. 131. n. 9. & consil. 200. n. 13. & consil. 203. n. 68. & 69. & consil. 249. num. 51. cum seqq. & cons. n. 351. n. 76. 77. 78. & 79.* Decian. *cons. 8. n. 211. lib. 1.* Scharder. *cons. 1. sub n. 372. vers. Et declaratio etiam.* Surd. *decis. 29. n. 4.* Costa *in tract. de retrotract. cap. 8. casu 13. fol. 123.*

9 Eorum, quæ prædicta sunt sub hoc numero octauo ratio est, quia qui declarat, nihil de nouo disponit, sed iam dispositum explicat *l. Haeredes palam, 21.* §. *Si quid post*, ibi *Potueritne postea declarare, de quo senserit? & puto posse, nihil enim nunc dat. sed datum significat*, vbi, Imol. *n. mihi 5.* & Castr. *sub n. 3. ff. de testam.* Bart. *cons. 37. num. 2. vol 2.* vbi quòd qui declarat, nouum non dicit, sed implicitum dictum
10 explicat. Bellam. *cons. 33. n. 40. & decis. 723. nu. 5.* Mohedam. *dec. 7. in tit. vt lit. pendent. propè fin.* aliàs est *decis. 264* Ancharan. *cons. 65. sub n. 3.* Dec. *cons 423. n. 20.* Barbat. *inter cons. Alex. cons. 52. n. 26. vol. 4.* Socin. senior *cons. 73. nu. 10. vol. 4.* Natt. *cons. 420. n. 8.* Roland. *in cons. 52. num. 16. volum. 4.* & priùs idem dixit *cons. 15. num. 27. vol 3.* Surd. *decis. 70. nu. 1.* Scharder. *cons. 1. n. 372. vol. 1.* latè Coller. *de process. execut. part. 1. cap. 10. nu. 104. cum seqq.*

11 Explicatius demõstratur, quòd qui declarat nihil noui inducat, sed occultum aperiat, & exponat, exemplo illius, qui grana à spicis excutit, nam illa non facit de nouo *l. Adeo 7.* §. *Cum quis in fine*, ibi: *Cùm enim grana, quæ spicis continentur perfectam habeant suam speciem, qui excutit spicas, non nouam speciem facit, sed eam, quæ est detegit. ff. de acquir. rer. domin.* Fulgos. *cons. 147. propè finem.* Bald. *cons. 212. nu. 1. versic. Qui vero explicat, vol. 5.* Bellam. *decis. 745. col. 1. versic. Ideo talis dicitur propria declaratio.* Angel. Aretin. *cons. 102. num. 15. & 16.* Roland. *cons. 15. n. 27. vol. 3.*

12 A prænarratis manifestè intelligitur, qualiter in Iure Declaratio facta à Principe, seu ab habente facultatem declarandi, quale est Capitulum Generale Religionis vt in Casu nostro, si vera est Declaratio, nil noui constituat, sed antiquum, quod erat occultum solummodò aperit, exponit, & manifestat. Ergo videtur esse concludendum, quòd declaratio facta in præsenti casu, sit dicenda manifestatio Præla-
13 turæ, quæ inerat Rectoratui declarato habere annexam Prælaturam, & hoc maximè, quia declaratio etiamsi fiat verbo apto condere nouam legẽ, tamen nõ condit, vt voluerũt, & ampliarunt *glos. in verb. Censemus. in Clem. vnic. de concess. præbend.* Geminian. *post* Io. de Imol. *in d. cap. Deliberatione 4.* §. *Volentes, num. 2. vers. dicit Dominus.* Io. de Im. *de offic. leg in 6.* & idem Gemin. *in cons. 72. n. 1.* Tusch. *verb. Declaratio conclus. 87. n. 2.* cum alijs.

14 Igitur ad secernendum ab incertis certa in præsenti, adnotetur Declarationem tripliciter sumi: Primò pro omnimoda correctione; Secundò pro modificatione, quę in augendo, vel
15 minuendo cõsistit; Tertiò pro congrua verbi, vel rei declaratione. Declaratio si fiat primo, vel secundo modo, impropriè est declaratio, & semper nouam inducit dispositionem; tertia verò declaratio, est propria declaratio, quæ inest antiquæ dispositioni, idest nouum aliquid non inducit. Castr. *cons. 338. num. 2. & cons. 340. in princip. vol. 1.* Sola *ad Constitut. antiquas Sabaudiæ in tit. de clausularum mandatorum Principis significatione, in decreto Carolus, glos. 1. n. 10.* Et præcitatum Castrensem in dictis Consilijs passim sequuntur Doctores.

16 Quantùm attinet ad duos priores declarandi modos, certum est, quòd semper nouum aliquid astruant; attamen respectu tertij mem-
17 bri tradit communis schola Doctorum, veram declarationem consistere in explicatione ambiguæ dispositionis, quæ ex verbis dubijs ad plures sensus adaptari potest sine alteratione substantiæ. Castr. *in d. l. Haeredes palàm 21.* §. *si quid post nu. 4. versic. & hoc intellige de propria declaratione, quæ consistit circa aliquod verbum dubium. ff. de testam.* Dec. *in l. edita 3. n. 49. C. de edend.* Menoch. *cons. 260. num. 48. & cons. 191. nu. 49.* Velasc. *consult. 146. n. 14.* Honded. *cons.*

*conf.* 51. *n.* 75. *vol.* 2. Amat. *Dec. Marchia* 61. *num.* 68.

18 Et quòd duo illi primi modi semper nouum aliquid disponant, ideò est, quia circa rem non dubiam versantur. Vide fusè Cyriac. *contro.* 210. *n.* 20. *&* 21. vbi multos pro se meritò ci-
19 tat; sed hi non sunt vera Declaratio, etenim Declaratio non est, quando dispositio alteratur, vel mutatur, sed tantùm quando verba sunt ambigua, quæ possunt vno, vel altero modo intelligi. Menoch. *conf.* 331. *n.* 100. & idem repetit *conf.* 443. *n.* 71 D. Bardel. *conf.* 51. *n.* 2.
20 *vol.* 1. quòd declaratio non est, quæ nouam substantiam tribuit.

21 Imò vbi lex antiqua fuisset verè dubia, sed tamen habuisset communem intellectum, & obseruantiã, tunc declaratio superueniens habetur pro noua dispositione, & non trahitur ad præterita *glos. in cap.* 1. *in verbo de cætero*, ibi, *communi iudicio*, & ibi Geminian. *nu.* 12. Præposit. *in cap. fin. nu.* 3. Capr. *conclus.* 6. *nn.* 22. Felin. *in cap. final. n.* 6. *de constitutio.* Iason. *in l. non dubium* 5. *n.* 11. *C. de legibus.* Rot. *decis.* 158. *n.* 5. *part.* 2. *diuersor.* Alderan. Mascard. *de statut. concl.* 13. *n.* 44. Card. Tusch. *in verb. declaratio conclus.* 86. *n.* 11.

22 Hinc fit, vt vbi lex est noua respiciat futura, non autem præterita, quod omni nouo statuto competit. *l. leges* 7. *C. de legibus cap. final. de constitut.* cum alijs apud Alderan. Mascard. *de statut. conclus.* 13. *n.* 11. *cum seqq.*

23 Nunc pro resolutione quæsiti vt in casu proposito, facilè erit ex dictis deducere certã responsionem; quæ sit, quòd Declaratio facta à Capitulo Generali, vel spectat rem dubiam, vel non: si non spectat, est noua dispositio, & sic Rectoratus, qui antea non erat Prælatura, nunc Prælaturam debent de nouo omnes iudicare, & tenere; ac propterea ille, qui illo per sexennium fuerat potitus, poterit iterum ad illum assumi, non obstante lege in contrarium de non reassumendo ad eandem Prælaturam, si per sex annos eiusdem Prælaturæ officio aliquis functus fuerit. Si verò prædicta declaratio est de re dubia, id pro certo tenendum, quòd rectoratus erat Prælatura, proindeque ad eundem non posse reassumi, stante lege, vt prænarratur, &c.

24 Quòd si modò in dubium reuocetur, quare, & qua ratione possit reassumi, si non est Declaratio Capituli de re dubia, dico hoc esse propter prædicta *sub n.* 14. 15. 16. 18. 19. 20. 21. 22. nempè quia est noua dispositio, stante quòd sit declaratio impropria, hoc ipso quòd est declaratio de re non dubia, vt in mox dictis numeris probatur.

25 Quòd si etiam quæratur, cur non possit reassumi, si sit declaratio de re dubia, respondeo ideò non posse, quia erat iam Prælatura, & vera declaratio explicauit quod erat occultum, vt supra adducitur, *sub num.* 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 13. 15. 17. Quibus positis, puto satis superque fuisse responsum ad quæsitum, licet adhuc restet examinandum, an dubium extaret, vel non, si Rectoratus esset Prælatura? & dico certum esse quòd ab omnibus putabatur non prælatura, sicut & Rector qui eligebatur erat alia Prælatura insignitus, vndè cùm in tali Religione duplicem simul & semel nequeat quis habere Prælaturam, patet Rectoratum numquam Prælaturam fuisse iudicatum. Et hoc etiam probatur, quòd in Constitutionibus eiusdem Religionis nulla fit mentio alicuius Rectoratus, ac sic deducitur non esse connumerandum inter prædictæ Religionis Prælaturas, sed esse nouum officium erectum Pontificia authoritate, dum eadem authoritate erectum fuit nouum illud Monasterium subiectum Generali, itaut à particulari Rectore gubernaretur. Igitur Capitulum Generale censeo fecisse per suam Declarationem nouam dispositionem, quia est impropriè declaratio, & hoc dicitur noua lex, vt imposterum inter Prælaturas sit & Rectoratus, de quo certum erat, quòd de præterito Prælatura non erat.

---

# DECISIO III.

*Quid dicendum sit de Parocho vocato ad Matrimonium inter Fratrem, & Sororem, eiusdem Parochi Filios, quod ipsi tantum Parocho notum est.*

## Casus seu Historia III.

### SVMMARIVM.

1 *Casus proponitur.*
2 *Non benè resoluitur per casum de quo fuit requisitus D. Carolus.*
3 *Quia Casus D. Caroli est de Matrimonio facto tam cum Patre, & Filia.*
4 *Et multa facta tenent, quæ non sunt facienda, vndè non stat paritas.*
5 *Denunciatio est testificatio.*
6 *Sed vnus testis non sufficit.*
7 *Vnde regulariter duo testes probant quodcunq; delictum.*

8 *Ideo Parochus in casu nostro cum sit solus, non potest testificari.*
9 *Et sic resoluitur quòd Parochus sileat.*
10 *Quia vnus testis non sufficit ad impediendum Matrimonium, nec tenetur si est solus.*
11 *Idem confirmatur.*
12 *Et omnia verificantur in casu nostro.*
13 *Imò periculum mortis obligat ad non loquendum.*
14 *Sicut & non tenetur se infamare, si propalet, id enim est peccatum.*
15 *Et grauius est se ipsum, quam alium infamare.*
16 *Nullus est enim Dominus vitæ suæ.*
17 *Quid si dicatur non esse peccatum ex genere suo se infamare?*
18 *Nihilominus aliquando ratione circumstantiæ est mortiferum.*
19 *Circumstantia reddens graue peccatum se infamare, adest in casu nostro.*
20 *Et hæc est mors imminens ei.*
21 *Auget, debere Parochum tacere in nostro casu, quòd debet operari secundum allegata valentia impedire, vel non impedire matrimonium, & vnus testis non impedit.*
22 *Si loquatur, malum affert, & nil boni.*
23 *Affert malum, scilicet infamiam sibi, & Filijs.*
24 *Lethale namque est etiam alios infamare.*
25 *Consanguinitas in casu nostro deobligat à denunciatione.*
26 *Maximè quia non agitur de delicto Sancti Officij Inquisitionis.*
27 *Quamuis agatur de Matrimonio inter Fratrem, & Sororem contrà Ecclesiæ ritum.*
28 *Et debet tacere licèt nullus alius possit denunciare.*
29 *Quia est consanguineus, & consanguinei non possunt obligari.*
30 *Et hoc in criminalibus, ac etiam in ciuilibus.*
31. & 32. *Ideò concluditur in fauorem Parochi ante tempus, non tempore Innoc. XI.*

1 IN Oppido N. fungebatur officio Parochi quidam, qui cum Famula more mariti cohabitans, scilicet in eodem toro degẽtes, concubinariè peccabant. Peperit ancilla duos filios, fœminam vnam, masculum alterum, & mortua matre, processerunt in diebus suis vterque genitus, sed fœmina in vno rure, masculus verò in Ciuitate. Horum neuter sciebat se fratrem, & sororem simul esse, propterea ignoranter masculus curauit sibi in vxorem dari fœminam sororem suam, quæ & fratrem in sponsum acceptare decreuit, non tamen fratrem esse sciebat. Indicitur dies pro matrimoniali contractu celebrando, præmissis iam publicationibus requisitis; verũ nemo impedimentum aliquod denunciauit, cùm nemo (excepto Parocho, qui & matrimonio assistere debebat) sciret rem, prout realiter se habebat, at si propalabit imminet ei mors comminata à Filio, cui Parochus veritatem aperuit occasione publicationum.

2 Quæritur ergo, an Parochus teneatur impedimentum propalare? Se ipsum infamare? Ab assistentia coram contrahentibus se tollere? Quidue in hoc raro casu sit dicendum?

2 Respondeo, non benè casum istum resoluisse, qui iuxtà quandam decisionem consimilem in parte, sed valdè dissimilem in multis concurrentibus, prolatam à Diuo Carolo, putauerunt absolutè ad nihil singulare diuersum ab alijs matrimonium contrahentibus, teneri Parochum in casu nostro, etsi genitorem sponsi, ac sponsæ. Paritas, inquam, non subsistit, cùm
3 casus, de quo Sanctus Carolus fuit requisitus esset de Patre cum Filia bona Fide iam à longo tempore vxorato, de quibus adiudicauit melius esse, ipsos in sua simplicitate sinere permanere: at Casus noster est de Matrimonio nondum celebrato, atquè de obligatione inscientibus impedimentum notificandi illud, & proinde non est sic statim resoluendum, quòd possit Parochus permittere eorum simplicitati illos suos Filios, cùm ignorent, imò & cùm ab omnibus nesciatur, tum quorum sint nati, tum
4 se fratres esse. Insuper huius paritatis non subsistentiam comprobat proloquium: *Multa facta tenent, quæ fieri prohibentur*, sicut factum erat Matrimonium in Casu D. Caroli, sed est adhuc faciendum in Casu, de quo in præsenti est dubitatio.

5 Et cùm denunciatio sit tamquam testificatio, & pro plena probatione facienda, non sufficiat vnus testis iuxtà sententiam Christi Do-
6 mini: *In ore duorum, vel trium testium stat om-*
7 *ne verbum. Matth.* 18. vnde regulariter delictum quodlibet per duos testes plene probari clarissimum est: Sanctarell. *de hæres. c.* 39. *dub.* 2. *n.* 11. *& seqq.* ideò videtur non posse impe-
8 diri Matrimonium per testificationem Parochi, cùm sit tantùm vnus, nec aliter sciatur, nisi ab ipso, quòd prætendentes simul nubere sint Frater, & Soror filij eiusdem Parochi.

9 Et quidem discurrendo pro tempore antè emanationem propositionum damnatarum ab Innocentio XI. est resoluendum præsens dubium fauore Parochi, itaut non teneatur impedimentum consanguinitatis notificare, nempe se-

pè seipsum infamare; ac propterea poterit matrimonio vt Parochus assistere.

10 Probatur primò, quia est generalis doctrina tutò amplectenda, tunc aliquem non teneri propalare impedimentum, si soli ipsi est notum, quia quod vni soli constat, hic obligationem non habet propalandi illud, quod quisquè alter ignorat. Maior. *in 4. sent. dis. 21. qu. 2. art. 3.* Basilius Pontius *de Matrim. lib. 5. cap. 34. num. 5.* vbi longo calamo materiam istam luculenter tractat.

11 Id maximè confirmatur, ex eò quòd vnus testis non sufficit ad testificandum, itaut per ipsius vnicum testimonium possit Matrimonium impediri, ne contrahatur, si secundus testis non accedat: Idem Basil. Pont. *loc. cit. contra Sanchez, & omnes quoscumque graues doctores sententia contraria*, vt ipsemet loquitur, & hanc sententiam valde notandam, nouam, ac practicabilem vocat Diana *p. 3. tract. 4. res. 22.*

12 Quare cùm Parochus in currenti casu sit solus, nedum non tenetur, verum neque potest impedire dictum Matrimonium, etiamsi propalaret impedimentum, etenim nullum effectum operatur, nec operari potest vnius testimonium in re nostra: Basil. Mai. & Dian. dd. *vbi supra*, & nubere volentes, vnum testimonium non sunt audituri:

13 Facit etiam pro silentio Parochi, videlicet quòd reticere possit tuta conscientia id, quod solus nouit, periculum mortis sibi imminentis, cùm ipsum occidere iurauerit Filius, si Parochus dixerit ipsos, vel ipsorum alterum esse ipsius natum. Pro huius dicti probatione notentur duo incommoda, quæ sequerentur ex

14 propalatione Parochi. Primum incommodum est infamia sibi illata; secundum est mors: Ratione primi incommodi, non potest sinè peccato mortali se grauiter infamare, sicut se grauiter infamaret, si impedimentum aperiret, nemo enim est Dominus suæ famæ, & contrà iustitiam notabiliter peccat, qui seipsum grauiter infamat: Caiet. *qu. 73. art. 2. & in Summa*

15 *verb. detractio*. Imò, & grauiùs peccat qui seipsum, quam qui alium infamat: Idem ibidem, & videtur sic sentire D. August. *lib. 1. de ciuit. cap. 20.* Vndè cum à fortiori nullus sit Domi-

16 nus vitæ suæ, sequitur quòd illicitè quis faciat id, à quo vitæ amissio sequatur. Ergo & propter infamiam, & propter mortem non licet Parocho notum facere impedimentum.

17 Vrget pro Parocho etiam sententia contraria sententiæ Caietani, & contra istum est communis Doctorum opinio, quòd seipsum infamare ex genere suo non sit peccatum mortiferum, neque contra iustitiam, neque contra sui charitatem. Sotus *lib. 5. quæst. 10. artic. 2.* Nauar. *cap. 18. num. 27. & 61.* & alij passim;

18 nihilominus aliquando ratione circumstantiæ concurrentis potest esse mortiferum se infamare. Less. *de Iust. & Iur. lib. 2. cap. 11. dubit. 6. num. 31.* vbi apertè obseruat hanc esse communissimam opinionem DD. & talis circumstantia concurrit in casu nostro, si Parochus se infamat: ergo tacere tenetur.

19 Quòd de facto adsit in casu nostro circumstantia obligans sub peccato graui Parochum ad non se infamandum, clarè ostenditur ex doctrina Less. *loc. vbi sup.* dum postquam contra Caietanum posuit argumenta conuincentia non esse ex genere suo peccatum mortiferum se infamare, mox subdit: *Ratione alicuius circumstantiæ, nempè damni, quod nobis, vel alijs contingit ex nostra infamia, potest esse peccatum mortale se infamare:* & paulo infra se explicat, vnam adducens circumstantiam prohibentem

20 se infamare, & dicit: *Si inde mihi immineat periculum vitæ, &c.* quæ circumstantia cum insit casui nostro, optimè sequitur debere Parochum tacere, nec impedimentum omnibus ignotum, notum facere.

21 Addo, quòd Parochus assistit Matrimonio tamquam persona publica, vt sit testis, qui possit Ecclesiæ testimonium facere de Matrimonio ritè facto, ideò debet Parochus se gerere secundùm illa allegata, & probata, quæ possent, vel non possent Matrimonium impedire; quapropter cum vnius testimonium non sufficiat ad impediendũ, vt contrahatur Matrimonium, sicut supra traditum est *sub nu. 8. & 10.* non est cur ipse notificet ea, quæ à nemine sciũtur, frustraneè enim id præstaret, quin potiùs culpabiliter se infamaret, vt ex prędictis liquet.

22 Facit insuper in fauorem Parochi, quòd si propalet impedimentum, nihil boni, & multùm mali causaret, ideò omninò tacere debet. Nil boni quidem operaretur, cùm sua denunciatio vtpote vnius testis sinè adminiculo alterius non valeat ad probandum, sicut dixi superiùs.

23 Multùm mali afferret, quia & sibi, & Filijs grauem infamiæ notam inureret, & dum Filijs grauis infamia irrogatur, mortiferè delinquitur, quemadmodum & grauiter peccat, qui seipsum infamat, non enim sinè culpa lethali

24 quis se infamabit, si per suam infamiam deriuet infamia in alios, v. g. liberos. Less. *l. c. nu. 32.*

25 Item

25 Item probatur, quòd Parochus non teneatur denunciare contra Filios, ratione Consanguinitatis, Consanguinei enim vsque ad quartum gradum non tenentur testificari: Lopez *part.* 3. *tit.* 16. *lib.* 11. Stephan. Auila *part.* 2. *cap.* 5. *disp.* 5. *dub.* 2. *concl.* 1. Baunius *in Theol. moral. part.* 2. *d.* 4. *t.* 3.

26 Sed limitatur in delictis non solùm hæresis, verùm etiam in alijs ad Sacrum Inquisitionis Tribunal spectantibus, quia consanguinei in Sancto Officio cõtra consanguineos examinantur, cùm pro ipsis non stet textus *in cap. filij, de hæreticis in* 6. Farin. *de hæresi qu.* 188. *nu.* 149. *& de testibus q.* 54. *n.* 29. Castro Palao *in opere morali, disp.* 8. *punct.* 15. §. 1. *nu.* 6. & alij cum Carena *de offic. SS. Inquisit. part.* 3. *tit.* 5. *n.* 21. In casu autem nostro nihil est, quod delicti ad Sanctum Officium spectantis rationem habeat: ergo Pater contra Filios non debet denunciare. Vide *decis.* 63. *num.* 43.

27 Dicet aliquis, ad Sanctum Inquisitionis Tribunal spectare, si Frater, & Soror simul nubant, id namquè est contra Ecclesiæ ritum, atq; hæresim olet, & ideò Consanguineus, qualis est Parochus, obligationem habet denunciandi contra Filios suos. Fateor, & ego hæreticum illum esse, vel illos esse hæreticos, qui scienter nuberent dum Frater, & Soror simul sunt, at in prænarrato Matrimonio, quia vnus testis non est audiẽdus, & alter testis non datur, ideò ignorantia talis, & tanta intercedit inter contrahentes, vt nullatenus se consanguineos ad inuicem esse credant, quæ ignorantia est inuincibilis, ac per hoc inculpabilis, & sinè delicto, imò à fortiori sinè pertinacia in aliquo errore, quæ pertinacia exigitur, vt hæreticus quis dicatur, & hæc est communis Doctorum opinio: ergo in casu nostro nihil est attinens ad S. Officium, proinde Parochus consanguineus non tenetur Filios dènunciare, quia & denunciando seipsum haberet infamare, & filius non tenetur credere matri licèt in articulo mortis positæ iuret eum esse illegitimum, vt dicam infra in Decisione 40. ergo à fortiori non tenetur credere soli Patri.

28 Adeò verum est Parochũ nõ teneri denũciare Filios, vt in casu difficultatur, quòd hoc verificatur etiamsi non sint alij, qui valeant denunciare, vndè aliter veritas haberi non potest, nisi denunciet ille, qui solus habens scientiam
29 facti, solus potest testificari. Ratio est, quia contra ius commune non possunt Iudices inferiores aliquid statuere; ergo cum consanguinei habeant à iure communi, id est naturali, vt sanguine sibi vinctos denunciare non debeant, ad id ab Episcopo, aut à quolibet alio Iudice Ecclesiastico cogi nequeunt: Syluest. *in verbo Correctio, qu.* 7. quod quamuis in causis cri-
30 minalibus dumtaxat valere velit, etiam in ciuilibus admittitur à Baunio *vbi supra*, cum Nauarro *cap.* 25. *nu.* 27. & Auila *ante adducto, l. c.* Escobar. *tract. de Confess. sollicitant. c.* 2. *qu.* 2. §. 3. *n.* 40.

31 Ex dictis manifestum fit, debere Parochum reticere impedimentum in volentibus nubere, licèt sint Frater, & Soror; item constat non debere se infamare, nec mortem sibi promissam quærere, sed posse tuta conscientia permitte-
32 re, nisi prudenter valeret per aliqua media tale matrimonium impedire, nam ad hoc præstandum pro viribus suis ipsum teneri affirmo, si potest, & si non potest, sileat, assistat, & Deo omnia tum antè, tum post, ac demum semper commendet. Et ita resolui olim antequam Innocentius XI. sexaginta quinque propositiones prohiberet, ac damnaret.

33 Cæterum quia dictarum propositionum prima dicit: *Non est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiori, &c.* propterea nunc assero teneri Parochum in casu nostro reuelare impedimentum prætendentium nubere, nam sic eosdẽ nubere volentes ponit in statu probabilitatis, quòd eis nubere liceat, cùm sit tantùm probabile, quòd vnus testis non sufficiat, iuxtà prædicta. Eò ipso autem, quòd tantùm probabiliter possint validè sibi ipsis matrimonium conferre, supposita publicatione impedimenti dirimentis, nempe quia sunt Frater, & Soror, sequitur eos non posse matrimonium contrahere, nisi iuxta doctrinam damnatam; & quia Parochus, vt præfertur, valet impedire tale matrimonium, propterea tenetur denunciare, atquè non assistere. Hæc dixi, nam opinio tutior pro valore matrimonij est, quòd vni testi credatur, vndè & testis licèt sit solus nequit denunciationem omittere. Nec Parochus debet se infamare, publicando se patrem, sed satis erit testificari se scire eos nubentes esse inuicem consanguineos, adhibito, vel totali silentio, vel secreto, vt proprium delictum quoad fieri possit celet, & simul impedimentum sufficienter propalet, ne matrimoniũ fiat.

Hinc non obstante prædicta Innocentii XI. propositione, videtur posse Parochum silere, seu non denunciare, & hoc ex triplici capite.

Primum

Primum est, mors imminens Parocho, si loquatur. Secundum est, ratio consanguinitatis, quæ intercedit inter Patrem, & filios, licèt illegitimos. Tertium est, infamia nedum Parochi, verùm & eorum, qui nubere prætendunt.

Quantùm est ex primo capite, certum est neminem obligari per legem humanam cum vitæ periculo, prout dicam infra *in decis.* 89. *n.* 4. imò neque cum damno graui, sicuti tradam *in d. decis. n.* 6. excepto casu, vbi bonum commune præualeret, iuxta dicenda *ibidem n.* 11. Ergo Parochus in præsenti facto non videtur teneri ad denunciationem impedimenti inter volentes nubere, licèt Tridentinum, vel alia lex humana ad id generatim obliget: Quantùm est ex secundo capite, iam dictum est *supra sub n.* 25. quòd consanguinei non tenentur testificari: ergo & Parochus in casu nostro non tenetur filios suos denunciare, non enim constat per quodnam ius nouum contra antiquum ad consanguineos denunciandos obligetur, denunciatio namquè est tamquam testificatio.

Quantùm est ex tertio capite, præterquam quòd *nu.* 17. 18. *&* 19. huius decisionis ostensum est, neminem debere se infamare; hoc idem insuper suadetur ex paritate adulteræ non obligatæ cum sui infamia propalare seipsam, vt damna impediat, quemadmodum dicemus *decis.* 41. *n.* 18. quamuis ipsa adultera infimæ sortis esset, & eius vir esset nobilis, cui supposuit filium alterius pro successione maioratus, omissis filijs legitimis, etsi sciat se profuturam, nec tenetur id reuelare spurio, nequè iste tenetur credere, vt docet Ioannes de Alloza *Flor. summa. verb. Adulterium n.* 5. Sà *eod. verb.* Ergo & Parochus, de quo agimus, videtur posse non se prodere, imò si se prodat, ei credere non tenentur filij.

Vt igitur prædicta tria capita obtruncentur, respondeo primò in obtruncationem tertij, & dico, verum quidem esse, quòd nec adultera, nec quiuis alter debet se infamare quandocunquè tegendo proprium delictum, nullum committitur peccatum; tamen si aliquod sit committendum peccatum nō prodendo proprium delictum, tunc non obstante infamia, delictum proprium debet detegi. Hoc patet in Iudicio vtriusquè Fori, nam peccator tenetur posthabere propriam infamiam, & suum peccatum exponere in Confessione Sacramentali, atquè in examine Fori externi. Similiter, & adultera tenetur se prodere, vt damna impediat, vt docent absolutè Adrian. Host., & Paludanus, iuxta dicenda *in mea decis.* 41. *n.* 17. vel saltem si damna præponderent infamiæ, vt dicam *decis. cit. nu.* 19. *& seq.* Ex quibus sequitur fieri posse, vt quis aliquando teneatur se infamare, vt propriæ satisfaciat obligationi, in quo casu debet iste sibi imputare infamiam suam; & hoc verificatur de Parocho in præsenti. Ratio est, quia supposita damnatione præallatæ propositionis facta ab Innocentio XI. nunc est infallibiliter illicitum operari iuxta solam opinionem minùs tutam in conferendis validè Sacramentis, ergo nequè licitum erit cooperari alicui sic operanti; ergo cùm Parochus, de quo agimus, cooperaretur filijs suis in illicita collatione Matrimonij, stante quòd iam illos admonuit de impedimento, nec à bona fide excusari possint, nec ab ignorantia, nequè sententiam probabilem sequi valeant, quòd vnus testis non sufficiat, cùm tutior sit sententia opposita, & hæc de obligatione sit sequenda ob prohibitam propositionem à Pontifice, manifestè concluditur non licere Parocho assistere tali Matrimonio, aliàs grauiter peccaret, vt de se liquet, & maximè quia est certus de inualiditate Sacramenti.

Per dicta, remanent obtruncata duo alia capita; indubitatum enim est, esse potiùs centies moriendum, quàm semel peccandum, & sic corruit primum caput. Pariter respici non debet caro, & sanguis vt peccatum excludatur; ergo & secundum caput conteritur, ideoque textus ne consanguinei sint testes, non valet in casu nostro, sicut nequè in casu nostro possunt illegitimi non credere vni parenti, qui eos tales asserat, maximè quia ratio consanguinitatis hic attenditur, & hæc omnia sunt dicenda consequenter ad damnationem propositionis prædictæ, aliter relicta tutiori parte, minus tutè Matrimonij Sacramentum, quoad validitatem facerent frater, & soror, quod absolutè definitum fuit esse illicitum, ac proinde nec Parochus potest cooperari tacens, & assistens.

Sic iudico debere resolui præsens dubium, supposito quòd Parochus admonuerat filios de impedimento, cùm posita tali admonitione, malitiosè haberent nubere filij, quibus Parochus manum daret contra Papæ damnatam propositionem, quod prestare illicitum est, sed potiùs mors est sustinenda. Igitur Parochus retrahat se ab assistēdo huic Matrimonio, tenetur enim tum iuxta dicta, tum quia est Pater, cui omnino spectat filiorum cura, maximè in re tam graui, in qua ex quo emanauit adductæ propositionis prohibitio, fuit ablata probabilitas quæuis, iuxta quam & Parochus

B pater,

pater, & filij nupturi, tutè potuissent oppositè ad dicta in hoc numero, sed conformiter ad dicta in præcedentibus numeris, operari.

Si tandem à me petatur, an Parochus prout in casu, potuisset omnino tacere; delictum suum non prodere; matrimonio assistere, & filios in bona fide relinquere; respondeo negatiuè, postquam Innocentius XI. damnauit præfatam propositionem. Ratio est, quia Parochus ex vi talis propositionis, si propalet impedimentum, obligat prætendentes nubere, vt operentur iuxta sententiam tutiorem, & sic eos cōstringit ad credendum vni testimonio dicenti impedimentum dirimens; ergo de facto impediet ne inualidè cōtrahant Matrim., sicuti impedire tenetur vt testis legitimè vocatus, aliàs partem haberet in inualiditate Sacramenti. Cæterùm antequam dictus Pontifex propositionem allatam prohiberet, Parochi testimonium vnicum, secundùm probabilem sententiam poterat non audiri, atquè ità matrimonium ne contraheretur non impediebatur, vndè sine bono effectu Parochus seipsum infamasset, prodendo se patrem per viam illicitam, & ideo in præcedentibus numeris huius decisionis, Parochum à denunciatione deobligatum probaui pro tempore anteriori ad damnationem propositionis, quam iam dixi esse primam inter 65. damnatas ab Innocentio XI. Recole prædicta à *n. 5. vsque ad* 32.

Et vt clariùs pateat veritas huius nostræ decisionis, quæ fortasse aliquibus dura videbitur, eò quòd Parochum cum tanto incommodo obliget, placet hìc obiectionem vnam afferre, ex cuius responsione Parochi obligatio potentissimè suadetur. Dices ergo: Per hoc quòd quis sequatur sententiam tantùm probabilem, se non teneri in Confessione explicare circumstantias aggrauātes, & ideò eas reticeat, tamen nihil obstat, quin & iuxtà tutiorem sententiam ei Sacramentum Pœnitentiæ validè conferatur, quia illa probabilis sententia est de re extra essentiam Sacramenti, quod validè fiet si alia requisita ponantur, scilicet materia, seu peccatum; forma, & intentio debita, &c. Sed etiam sententia probabilis, quòd vnus testis non sufficiat ad impediendum ne matrimonium contrahatur, est quid extrinsecum essentialibus Sacramenti, quæ sunt materia, seu corpora contrahentium; forma, & intentio: ergo videtur licitum conformari dictæ probabilitati, & adhuc iuxta tutiorem sententiam de valore Sacramenti istud fiet. Nihilominus paritas est prorsus neganda. Ratio est, quia materia Pœnitentiæ est peccatum certum; an autem peccatum sit hoc cum tali circumstantia, vel sinè illa, licèt de hoc detur probabilitas, tamen adhuc habemus materiam certam pro validitate Sacramenti, nempe habemus aliquod peccatum certum: Cæterùm non sic contingit in Matrimonio, de quo in casu; nam eò ipso quòd quis sequatur sententiam probabilem, vnum testem non sufficere, si denunciet impedimentum dirimēs, statim redditur incerta ipsa materia Sacramenti Matrimonij, quia per vnius testis denunciationem, cùm secundùm vnam sententiam probetur incapacitas contrahentis, licèt non probetur secundùm aliam, consequenter est solùm probabile, quòd sit capax, & sic defecit materia certa, & per consequens defecit certa forma, qualis est consensus, imò & defecit certus minister, qui est ipse contrahens; ergo non fit Sacramentum tutiori modo: ergo non licet Parocho cooperari silendo, &c.

---

# DECISIO IV.

***An stante Excommunicatione, ne extrahantur libri à Bibliothecis Carmelitarum Discalceatorum, possint ipsimet Religiosi ad suum vsum librum extrahere.***

## Casus, seu Historia IV.

### SVMMARIVM.

1 *Casus proponitur.*
2 *Videtur licere extrahere librum, si extrahens sit Orator, & reportet.*
3 *Non enim læditur finis legis, si reportetur.*
4 *A principio editionis Excommunicationis extrahebantur libri.*
5 *Non videtur prohibitum id, cuius contrarium nominatur in prohibitione.*
6 *Ponitur sententia negans licitum esse extrahere.*
7 *Supplicatio probat contra supplicantem.*
8 *Actio intentata cognoscitur ex petitione.*
9 *Ratio cur non liceat extrahere librum in casu nostro.*
10 *Alia ratio assignatur ex læsione finis legis.*
11 *Qui volunt excipere casum, illum exprimunt.*
12 *In casu nostro prohibetur sæcularibus quidquid prohiberi potest.*
13 *Similiter & Religiosis.*
14 *Si liceret extrahere, liceret etiam commodare.*
15 *Vbi est eadem ratio, & idem ius competit.*

16 Non

16 *Non sententia, sed extractio prohibetur in nostro casu.*
17 *Ponitur sententia affirmans licere extrahere ipsis Religiosis reportantibus.*
18 *Verba vniuersalia debent explicari iuxta causam, ob quam sunt scripta.*
19 *Restringuntur tamen ex circumstantijs.*
20 *Permutatio libri in vtiliorem, & meliorem, non est extractio.*
21 *Si feratur frumentum extra statum Ecclesiæ, sed iterum reportetur, non est vera extractio.*
22 *Item si feratur ad proprium vsum.*
23 *Extractio libri ad breue tempus non affert Excommunicationem.*
24 *Quod tempus censeatur breue.*
25 *Tale tempus breue non fuit expressum in casu nostro.*
26 *Temeritas requiritur ad incurrendas pœnas.*
27 *Diuersimode est discurrendum de Bibliothecis Carmelitarum in Hispania, ac in Italia.*
28 *Satisfit argumentis sententiæ negantis licere.*

1 EXtat prohibitio à SS. D. N. Papa Innocentio X. emanata ad instantiam infrascriptorum Fratrum, ne de cætero quisquam Regularis, siuè sæcularis quauis authoritate fungens, Libros, Quinterna, Folia, Cartas, & alia spectantia ad Bibliothecas Domorum Regularium Fratrum Carmelitarum Discalceatorum Prouinciæ Longobardiæ, quibusuis personis accõmodare, vel sub quouis quæsito colore, ingenio, causa, ratione, aut occasione è dictis domibus regularibus extrahere, & asportare, aut accommodentur, extrahantur, & asportentur permittere, aut consentire audeat, seu præsumat sub pœna Excommunicationis, Priuationis vocis actiuæ, ac passiuæ, &c.

Ideò fui interrogatus, an liceat nihilominus Religiosis dictarum domorum secum extra Conuentum ferre librum aliquem dictarum Bibliothecarum, quem interim legant, dum extra domum eis vacat tempus; vt quia verbi gratia, vnus est socius Confessarij, & deinde talem librum secum reportat, quando reuertitur ad Conuentum?

2 Licere Religiosis, de quibus est Casus præsẽs, librum secum ferre, videtur dicendum; Primò, quia cùm dicta prohibitio concessa sit ad instantiam eorumdem Fratrum, aut saltem Patris Prouincialis, & Definitorum cum consensu Priorum, non potest operari, effectum aliquem producendo vltra eorumdem intentionem, quæ non videtur fuisse cum tanto rigore, & contra vsitatam, ac laudatam praxim Religionis, quam Religiosi, maximè Socij Confessariorum Monialium habent pro otio vitando, & vt vtiliter occupentur, dum Confessarij per multas horas Monialium Cõfessiones audiunt, librum aliquem legendi.

3 Militat secundò pro affirmatiua parte, quòd talis delatio libri non præiudicat fini dictæ prohibitionis (nimirum non est contra conseruationem, & manutentionem librorum Bibliothecarum) qui fuit finis Fratrum supplicantium, & Papæ concedentis, vt videre est in Proœmio Breuis Apostolici: ergo cessante fine Legis, cessabit lex ipsa, videlicet prohibitio, & licitum erit Fratribus ijsdem libros secum portare, vt præfertur restituendos Conuentui, dum reuertuntur.

4 Facit tertio loco aliquam probationẽ praxis in contrarium à principio emanationis ipsius Pontificiæ prohibitionis, quia incæperunt Fratres dictum Breue practicare, & acceptare in aliquibus Conuentibus secum deferẽdo quoscunque libros volebant pro vtili occupatiõne, dum Confessarijs Monialium Socij deputabantur, sicque licitum & nunc, & tunc videbitur alicui id, de quo vt in casu extat quæstio.

5 Item, cùm prohibitum sub vna conditione, sub contraria permissum censeatur, *l. si legatum purè, 10. ff. de adimend. legat. l. aliquando, 107. in fine, ff. de condit. & demonstr. l. pecuniam quam, 36. ff. si cert. pet.* apparet esse inferendum, quòd prohibitum sub vna intẽtione, permittatur sub contraria, seu opposita; quapropter si sub intentione non destructionis Bibliothecarum emanauit prohibitio nõn extrahendi libros, talis prohibitio non valebit, seu censebitur permissum extrahere libros, quandocunque conseruatio, & manutentio Bibliothecarum non læditur per extractionem librorum: ergo Fratres poterunt secum libros deferre, vt narratur in dubio hic proposito, si conseruatio, & manutentio non violatur in Bibliothecis, sicuti nõn violatur, quia statim, vel post breue tempus reportant libros ad Conuentum.

6 Nihilominus prædicta non benè concludere, & libros extrahere non licere neque Fratribus eiusdem Conuentus, vt exigit examinatus casus, dicet aliquis: primò, quia verba Breuis Apostolici hoc clarè, & expresse significant; neque ab instantia, aut à rigore possunt sortiri contrariam interpretationem, & sic cùm instantia facta fuerit, vt non commodarentur, neque extraherentur è domo; per dictam instantiam, & prohibitionem sibi correspondentem exclu-

exclusus fuit omnis ille locus, qui non spectat ad eamdem domum Regularem: Si ergo supplicatio facta fuit sic generalis, vt prohiberetur extra domum Regularem ferri libros, voluerunt, & pro se ipsis Religiosi ijdem prohibitio-
7 nem fieri, quod conuincitur ex ipsa eorum instantia, quia supplicato probat contra suppli-
8 cantem. Barthol. Bertaz. *cons.* 387. *n.* 1. Imò actio intentata cognoscitur ex petitione. Bar. *in l. certè conditio in princ. ff. si cert. pet. n.* 2. Igitur ex illimitata Fratrum instantia deducitur omnes, & ipsos in prohibitione comprehendi.

9 Secundò, quia instãtia, & correspõdens prohibitio facta fuerunt taliter, quòd relinqueretur libertas extrahendi è Bibliotheca intrà eãdem domum Regularem, sicque dicti instãtes, & prohibens per hoc ipsum ostenderunt, se existimasse libertatem illam extrahendi libros è Bibliotheca intrà Conuentum esse sufficientem; vndè non potest prætendi maior libertas. Adde, quòd instantes proposuerunt præter libros Bibliothecis assignatos, alios relinquere librorum cumulos, quibus vti possent Fratres extra Conuentum: neque enim omnis librorũ numerus, aut cumulus gaudet titulo *Bibliotheca*: Et hoc proposuerant ad imitationem Patrum Societatis, aliarumque Religionum.

10 Nec veritatẽ habere videtur, quod asseritur, dicendo cessare finem legis, qui est conseruatio, & manutentio Bibliothecarum: Nam certum est, meliùs conseruari, & manuteneri libros, si nullo modo extrahi possint à Conuentu, quàm si dentur aliqui casus, in quibus extrahi possint, qui casus si dari possunt, sequeretur reddi inutilem prohibitionem sub Excommunicatione, vt patet ex eo, quòd socio Confessarij librum portante è Conuentu ad Ecclesiam Monialium, vel ad alium locum, & altero seu Religioso, seu sæculari librum indè auferente, vterquè se à pæna prætendet immunem: Socius quidem iuxtà sententiam affirmantem posse ipsum secum deferre librum; & alter quia non extraxit, neque asportauit è domo Fratrum, sed è loco indifferente. Ergo finis legis non cessat; imò euidenter læditur; quod quia non licet fieri, nec librum deferri à Religioso extra domum regularem licere, tenendum est.

11 Confirmatur ex paritate alterius consimilis Pontificiæ prohibitionis; in qua constat quòd quando Oratores voluerunt excipere aliquem casum, hunc ipsi in sua instantia expresserunt, & Pontifex de illo singularem fecit expressionem; & sic habetur in Breui, cuius tenorem adfert Pelizarius *in Manual. tract.* 7. *c.* 2. *n.* 231. ibi: *Permittimus tamen dicti Ordinis Prædicatoribus, vt ipsi libros, quinterna, & folia huiusmodi è dicta domo, cùm prædicare debebunt extrahere possint, dummodo cùm ijs vsi fuerint, illos ad dictam Bibliothecam sub dictis pœnis referant.* Hinc videre est, qualiter prohibeatur etiam Religiosis ipsis, ne extrahant ad proprium vsum librum è domo regulari, nisi expressè excipiantur, qualis expressa exceptio non habetur in casu nostro, & propterea non licebit librum deferre ad locum, qui non sit domus regularis, in qua extat Bibliotheca, cuius est liber.

12 Expressè etiã apparet facta prohibitio cuicũque Religioso, dum Pontifex loquitur, ne aliquis *seu sæcularis, seu regularis audeat commodare, extrahere, asportare, &c.* quæ particulæ, & earum quælibet prohibentur cuicunque, de quo possunt verificari, vndè quia respectu sæcularis non verificatur *commodare*, quia non est dominus librorum, ideò sæculari prohibetur quiquid potest, vt est *extrahere, asportare*: ergo cùm respectu cuiuscunque Religiosi verificatur etiam *commodare*, consequens erit, cõprehendi quemcunque Religiosum, qui potest
13 *commodare*; atque ipsi interdictum esse *extrahere, & asportare*, nec est cur velimus cuicunque Religioso applicare particulas *extrahere, & asportare*, & non *commodare*, vel è contra non est cur velimus cuicunque Religioso applicare particulam *commodare*, & non particulas alias *extrahere, & asportare*: ergo cùm lex non limitet, nec nos limitare debemus, ideò quemadmodum non est licitum Religioso commodare, licitum neque erit extrahere, & asportare. *l.* 1. *§. generaliter ff. de legat. præst.*

14 Constat etiam qualiter liceret Religioso cõmodare librum sæculari saltem in aliquo euentu, si ei liceret extrahere; etenim ideò asseritur licere extrahere, quia est certum quòd reportabit; sed non minùs certa posset esse restitutio libri, in casu quo Religiosus extans in Conuentu commodet librum sæculari, cum quo postea exeat è Conuentu, & vadat ad domum v.g. moribundi alicuius, manente semper cum Religioso sæculari ipso cum eodem libro, quem postea dabit eidem Religioso, quando discẽdet à moribundo, vt reuertatur ad Conuentum; at sicuti nemo dicet esse licitam talem commodationem, ità, & dicendum est esse illicitam quamlibet extractionem; est namquè eadem ratio de posse, vel non posse sic commodare, ac est de extrahere, & asportare; si ergo cõmodare prohibetur, prohibitum quoquè est extrahere,

15 here, ac asportare etiam pro proprio vsu, quia vbi eadem est ratio idem & ius est statuendum secundùm omnes Doctores. *l. illud, ff. ad legem Aquil.* & alibi sæpè in Iure.

16 Facit tandem, quòd prohibitio facta fuit non propter retentionem extra Monasterium, sed propter extractionem; si ergo prohibetur extractio, signum est Pontificem voluisse, quòd nemo extra domum regularem similes libros trahat, ideò neque aliquis ex Religiosis id licere sibi tenere debet, quam sententiam videtur tenere Peliz. *loc. citat.*

17 Sed quamuis verior, tutiorque videatur sententia negans posse extrahi libros à Religioso reuersuro ad Conuentum, vt suprà positum est; attamen sententiam affirmantem licere, dico esse probabilissimã, & hæc ex duabus potissimùm rationibus suadetur, præter adductas *n. 2. 3. 4. & 5.* Prima desumitur ex proprietate significationis verborum *extrahere*, & *asportare è domo*, quæ verba in proprietate sermonis sonant terminum à quo, nimirum domum, & terminum ad quem, qui est locus extra domum, *extrahere* enim est *trahere extrà*, & *asportare* est *hinc aliò portare*, cuius contrarium est importare, seù aliundè huc portare, & videre est apud Lexica, & Calepinos. Sed in casu nostro Religiosus non habet pro termino suæ secum delationis libri, locum extra, imò intendit terminum suę delationis libri esse ipsammet domum regularem vndè librum assumpsit, & vbi ipsius delatio ex sui natura terminabit.

Vel ergo verba *extrahere*, & *asportare* significant vt in mox explicato sensu *sub num. 17.* vel generaliorem habent significationem: si sensus est vt sub numero decimoseptimo, constat esse licitum Religiosis secum ferre libros, iuxta prædicta.

Si verò verba *extrahere*, & *asportare* vniuersalia sunt, tunc recipiunt declarationem ex adiuncto, *l. his verbis, 100. in principio ff. de legat. 3. l. sed & si adijciatur, 13. ff pro socio.* Surd. *consf. 34. num. 39. vol. 1. & consf. 315. num. 36. vol. 3. & decis. 233. n. 19.* Rota apud Ludouis. postea Summum Pontificem, *decis. 90. n. 14.* Cùm ergo in casu nostro adiunctum verbis *extrahere*, & *asportare*, sit conseruatio intenta Bibliothecarum; quæ conseruatio certè saluatur per delationem libri factam à Religioso; consequenter verba *extrahere*, & *asportare* sunt declaranda in fauorem Religiosorum, quibus Papa voluit fauere per talem prohibitionem.

18 Item debemus verba illa restringere, quæ sũt vniuersalia, attendendo causam propter quam sunt prolata, seu iuxta subiectam materiam: Rota apud eumdem Ludouis. *decis. 511. num. 23. & decis. 569. sub num 6. part. 2. vltim.* Farin. Rota Bononiens. *decis. diuers. 83. num. 18.* Surdus *consil. 460. num. 62. vol. 4.* Si ergo verba *extrahere*, & *asportare* sunt dicta propter causam conseruationis, & manutentionis Bibliothecarum, debent restringi ad sensum significandi tantùm id, quod aduersatur tali manutentioni, vndè non erunt intelligenda de delatione libri facta per Religiosos, qui librum statim infallibiliter reportant. Ita clarè colligitur ex *l. non est nouum, ff. de legibus*, & tradit Menoch. *consf. 496. num. 54.* Tusch. *litt. V. concl. 122. num. 44.*

19 Imò si nullum est verbum tam vniuersale, quod ratione circumstantiarum non restringatur, vt tradunt Oldrad. *consf. 148. n. 7.* Neuiz. *consf. 40. n. 12.* Surd. *decis. 233. n. 19.* Cancheran. *decis. 167. n. 11.* sequitur verba *extrahere*, & *asportare* si dicantur esse vniuersalia, debere restringi ratione circumstantiarum, quæ sunt manutentio, & conseruatio librorum, ideòque non esse comprehendentia Religiosos reuersuros statim ad Conuentum cum ipso libro, quia conseruatio & manutentio non læditur, & hæ sunt circumstantiæ prohibitionis non extrahendi, nec asportandi.

Quòd si Pontifex voluisset prohibitionem extendi ad Religiosos extrahentes libros, vt in casu, vsus fuisset verbis id significantibus, vt fecit Sixtus V. qui quando voluit prohibitionem suam de non extrahendis libris è Bibliothecis Fratrum Minorum strictiorem condere, præter verbum *asportare*, posuit etiam verba *tollere*, & *amouere*, vt videre est apud Sanctorum *in populi district. examine, c. 7. §. circa tertium.* Et Vrbanus VIII. pro Minimis prohibuit *extrahere, vel remouere*; Peye. *ad Const. 4. Vrban. VIII.* Verba autem *amouere*, vel *remouere* amplioris sunt significationis.

20 Cõfirmatur ex doctrina allata à Pelizario *loc. cit. §. noto septimò*: vbi asserit probabile esse libros prohibitos extrahi posse, & permutari in alios vtiliores, quia in tali casu non censetur esse extractio facta fictione Iuris. Item *§. noto vndecimò*, asserit posse ferri ad compactorem, quia ista non est extractio, quæ prohibetur: Ergo & socius Confessarij, vel Religiosus, vt agitur in casu, poterit similiter respondere suã illam secum delationẽ libri non esse extractionem, neque asportationem, de qua, vel de quibus extat prohibitio.

21 Vlte-

21 Vlterius confirmatur ex Constitutionibus Pontificijs prohibentibus extrahi Blada, & grana è statu Ecclesiastico, & nihilominus Filliucius, ac Bonacina interpretantes dictas Constitutiones, asserunt dictam extractionem debere intelligi cum effectu, nimirum si extra statũ Ecclesiasticum effectiuè relinquitur id, quod extrahitur: & probabile esse, extrahere triticum ad seminandum cum intentione referendi messem intrà Ecclesiæ statum, nõ esse præuaricari dictas Constitutiones. Videatur Bonacina *tom.3. disp. 2. q.3. puncto* 32. *n.* 11. & deducatur idem asserendum esse in casu nostro, ita ut non censeatur extractio libri illa, quæ sine effectu est, quia refertur.

22 Similia statuta de non extrahendis Bladis &c. habent multæ Prouinciæ, & nihilominus Iulius Clarus *practicæ criminalis q.* 82. *statuto* 7. *n.2.&* 3 ex Iasone, Albertino, & Alciato docet non obligare portantem per transitum, neque exportantem pro vsu proprio. Quæ omnes doctrinæ applicari possunt sibi ipsi à socio Confessarij, vel à Religiosis secum portantibus librum de domo Religionis ad locum non regularem iuxta prænarrata pro præsenti casu.

23 Altera ratio, quæ stat in fauorem Religiosorum, interdum fundari potest in modico tempore extractionis, quod modicum tempus ad summum protrahitur ad vnum diem artificialem, & hoc non sufficit ad grauitatem materiæ 24 requisitam in pænis adeò grauibus. Sic Pelizarius, qui quamuis in hoc puncto valde rigidus, dicit hanc Excommunicationem incurri, si liber solùm extrahatur ad duos dies: ergo tacitè concedit non incurri, si extrahatur ad vnum tantùm diem artificialem, qui est quarta pars duorum dierum.

25 Et cõfirmatur ex præcitata prohibitione Sixti V. qui quia voluit illam esse strictissimam, in tantùm vt necesse fuerit eam postmodum abrogare, expressis verbis apposuit *ne pro minimo quidem temporis spatio*: quod est signum, quòd temporis breuitas, si non exprimatur, excuset extrahentes librum aliquem è Bibliothecis, vel à locis Excommunicationi subiectis.

26 Deniquè potest addi, quod Peyer. *loc. cit.* docet, nempe ad dictas pænas incurrendas magnam requiri temeritatem: hoc enim dicunt verba *audeat*, & *præsumat*; vndè bona fides, & ignorantia etiam crassa excusant. Hinc infero à fortiori multò magis excusari eos, qui aliqua probabili ratione ducuntur. Ità sentio.

27 Ad pleniorem huius decisionis intelligentiã, subdo sequentem decisionem, quæ si legatur, habebit lector explanatum quidquid in hac materia poterit exoptare. Sit igitur abs tædio, & mihi describere, & lectori descripta mea, quæ subsequuntur attentè percurrere.

Notetur me in hac decisione loquutum fuisse pro Carmelitis Excalceatis præfatæ Prouinciæ, aliter enim discurrendum est pro Hispanis, quibus Vrbanus VIII. concessit huiusmodi excommunicationem sub terminis diuersis, ac Innocentius X. Longobardis. Verum & aliæ Prouinciæ Congregationis Italiæ possunt ex dictis documenta sumere.

28 Argumentis contrariæ sententiæ potest respondere. Primò, ad allegatum sub *nu.6.* 7. *&* 8. dicendum est, prohibitionem factam fuisse correspondenter ad instantiam sano modo intellectam, non verò in tota latitudine prout argumentum supponit; vndè licèt verum sit, supplicationem probare contra supplicantem ad proportionem eiusdem supplicationis, non tamen vltrà istam. Cum ergo supplicatio facta in nostro casu, debeat intelligi iuxta dicta in rationibus pro sententia affirmatiua *nu.* 17. posita, ideo nihil pugnat contra supplicantes, nisi quatenus fuit pro sæcularibus facta, seu modo à nobis explicato; & sic ex petitione concedo cognosci actionem intẽtatam, sed petitio quænam fuerit, patet ex allatis *nu.* 17. *& seqq.* Ex his liquet solutio argumenti *num.* 9. adducti. Quod verò additur de cumulo librorum non signatorum titulo, *Bibliotheca*, nil probat, cùm sic voluerint Religiosi habere saltem aliquos libros ad commodandum; & hoc non impedit quin pro se ipsis possint libros portare extra Monasterium.

Ad Argumentum *num.* 10. dico, illud magis & minus non mutare speciem, quare manutentio semper est seruata. Sed veriùs respondeo, æquuè libros mãuteneri etiam si à Religiosis pro eorum vsu extra conuentum deferantur. Quare ad inconueniens præsuppositum dicendum est, non posse sæcularem auferre librum repertum apud Religiosum existentem extra Conuentum, quia idem esset ac si illum è Bibliotheca asportaret.

Ad rationem sub *num.* 11. datam, faciliùs datur responsio, nam sicuti Oratores excipiunt casus, quos nolunt; ità nec includunt casum, quem non exprimunt. Hinc ad instantiam sub *num.* 12. *&* 13. factam, respondetur negando prætensam generalitatem prohibitionis; & patet ex textu *l. nominis, & rei,* §. *verbum ex legibus, ff. de verb. signif.* vbi dicitur, legis mentem magis quàm verba esse attendendam; pro-

pte-

ptereà ratio generalis legis restringitur ex mẽte legis. Surd. *decis.* 9. *n.* 13. & alij, & mens legis in casu nostro, est librorum conseruatio, quæ habetur etiam per illam extractionem factam à Religiosis ipsis.

Ad posita *num.* 14. negatur esse eamdem rationem de sæcularibus, ac de Religiosis, nam manutentio libri non est certa, si à sæculari liber extrahatur, secus si à Religioso.

Ad vltimam obiectionem sub *num.* 16. iam diximus non esse veram extractionem, si fiat à Religioso reportante.

# DECISIO V.

*An paruitas materiæ, quam aliquis cum intentione continuata vult sæpè replicare, excuset à peccato mortali, & ab excommunicatione, si sub excommunicationis pœna prohibeatur materia illa.*

## Casus, seu Historia V.

### SVMMARIVM.

1 *Casus proponitur.*
2 *Potest grauiter quis peccare, & tamen censuram non incurrere.*
3 *Ità fit in volente legere librum hæretici, at de facto non legit.*
4 *Quia intentio sola impertinenter se habet pro contrahenda censura:*
5 *Ecclesiæ enim tribunal non est de internis, sed solùm de externis.*
6 *Ideò satisfit ieiunij præcepto, & Missæ, & recitationi, quamuis intentio, & attentio desint.*
7 *Imò etiamsi positiuè intendatur non satisfacere.*
8 *Propterea Sisinius in nostro casu nõ incurrit excommunicationem intendens extrahere librum ad quodlibet tempus.*
9 *Quod suadetur per paritatem ad legentem hæretici libri paginam vnam, & ad retinentem talem librum vno, vel altero die, sed erit mortale peccatum velle diù tenere; non tamen incurritur censura, si executiuè non retinet.*
10 *Eodem modo loquendum est de extrahente librum à Bibliotheca in casu nostro.*
11 *Duo dubia excitantur.*
12 *Paruitas materiæ, vel consideratur à tempore vel à libri valore, & qualis, ac quantus sit exprimitur.*
13 *Item quod tempus dicatur modicum in casu nostro:*
14 *Est tamen quid graue extrahere librum, & librum alium, & sic alium successiuè, si perueniatur ad materiam grauem.*
15 *Secus erit si ad singulas vices reportetur liber intra Bibliothecam.*
16 *Ideò Sisinius in casu nostro non incidit in Excommunicationem volens diù extrahere, sed solùm ad tempus breue per singulos dies.*
17 *Est peccatum mortiferum intentio leuiter quotidiè delinquendi sed per tempus longum.*
18 *Quia sic intentio leuium vnitorum in intentione, violant grauiter præceptum.*
19 *Vndè diuersimodè voluntas tendit in præceptum quod multiplicatur ad multiplicationem dierum suæ durationis.*
20 *Et oppositum succedit respectu præcepti, quod vnum semper est pro quacumque sui duratione.*
21 *Exemplum primi est violatio ieiunij.*
22 *Exemplum secundi est cum Monialibus loqui.*
23 *Fraus daretur, si quotidiè liceret leuiter violare velle præceptum semper vnum.*
24 *Ex quibus concluditur diuersitas peccandi leuiter ex nata occasione; & peccandi cum intentione comprehendente omnes leues transgressiones.*
25 *Primum est veniale, & ostenditur in voto Paupertatis Religiosorum.*
26 *Secundum est mortale, & probatur in voluntate continuata leuiter deficiendi in Paupertate.*
27 *Ex quibus resoluitur casus.*

1 Optabat Sisinius habere in domo sua librũ non extrahendum à Bibliotheca quorundam Regularium sub pœna excommunicationis, quo libro vteretur ad studendum per sex menses. Vt ergo non peccaret, neque in excommunicationem incideret si librum extraheret cogitauit an licitum ipsi esset saltem per duas horas singulo quoquè die talem librum extrahere, & quotidiè intrà Bibliothecam reportare, quia sic ex paruitate materiæ, scilicet ex breui temporis mora, posset excusari tum à culpa graui, tum ab excommunicatione. An hoc verum sit examinatur per ea, quæ hìc subsequuntur.

2 Certum est in rebus sub excommunicatione prohibitis, posse dari peccatum mortiferum, & nihilominus ille qui peccat poterit non irre-
3 tiri aliqua censura. Ità euenit dum quis vult, & intendit legere integrum librum hæretici, attamen de facto nunquam ad talis lectionis
4 effectum deuenit: iste profectò propter prauam intentionem peccauit mortaliter, non verò ab Ecclesia excommunicatur, quia intentio sola delinquendi, se habet impertinenter

ad

ad aliquam censuram incurrendam: ità meritò docuit Anton. à Spiritu Sancto *in direct. Reg. tract. 3. disp. 6. sect. 4. §. 2. n. 586.*

5 Confirmatur, nam Iurisdictio Sacrosancti Tribunalis Ecclesiæ non extenditur ad interna, sed in exterioribus sistit; vndè extat illud, *Ecclesia non iudicat de internis;* & est communis, & nota Doctorum sententia: quapropter Ecclesiæ præceptis satisfit, quamuis intentio, & interna attentio desint; sic in ieiunio; sic in auditione Missæ, & pariformiter in recitatione, seu Sacramentalis pœnitentiæ, seu officij diuini. Coninch. *in 3. part. quest. 83. art. 6. nu.* 197. Hurtad. *de Sacr. to. 2. de sacrif. disp. 5. diff. 2.* cum alijs.

7 Roboratur cum ampliatione Portelli *V. Hora in add. n.* 5. Lessij *l. 2. cap. 37. dub. 10. nu.* 59. Valentiæ *to. 3. disp. 6. q. 2. punct.* 10. Vasquez *opusc. de benef. c. 4. §. 1. dub. 7. n.* 114. Naldi *in summa vers. diuinum officium nu. 3. &* 8. Filliucij *tom. 1. tract. 23. c. 8. q. 1. n.* 251. & aliorum firmiter asserentium, satisfieri cuicunquè præcepto Ecclesiæ, etiamsi non satisfacere intendatur, licèt aliunde peccetur. Ergo Ecclesia non punit, nec excommunicat intendentem operari contra Ecclesiæ prohibitionem, si ad effectum non procedit, exequendo quod intendebat.

8 Ità Sisinius in casu, semper remanet liber ab excommunicatione, etiamsi intendat extrahere librum, cum intentione illum retinendi semper, vel diù, in qua intentione deliberatè manens, peccat quidem grauiter; & id suadet Bordonus *in Sacr. Tribun. Iud. cap. 14. nu.* 71. vbi
9 hæc scribit: *Legens vnam paginam, vt aiunt, item librum retinens per vnum, vel alterum diem excusatur à peccato mortali, ac proinde ab excommunicatione;* & loquitur de lectione, & retentione libri alicuius authoris hæretici; deinde subdit: *Potest autem accidere, quòd quis peccet mortaliter, habendo nimirum intentionem, & propositum diu retinendi, nihilominus si postea mutata voluntate librum consignet, aut procuret licentiam, excusaretur ab excommunicatione, quia diuturnitas illa cum proposito voluntatis non habet effectum externum formalem, consequenter non potest inducere hanc pœnam.* Et cùm
10 eodem modo sit discurrendum de lectione, ac retentione libri hæretici, & de extractione libri à Bibliotheca vt in casu, quia vtrobiquè par existit prohibitio, sequitur apertè non esse excommunicatum Sisinium volentem etrahere, & non extrahentem executiuè librum.

11 Ex dictis notum remanet, quòd Sisinius, vt prænarratur, nunquam excommunicationi subiacet ratione solius prauæ intentionis, quamuis talis praua intentio inducat peccatum graue. Difficultas ergo pro casu nostro, debet limitari circa effectum, inquirendo an si sæpè extrahat librum, sed intrà paruitatem materiæ, incidat in excommunicationis pœnam; deinde item examinando an mortiferè peccet per actum continuum intentionis, volens talem paruitatem materiæ per singulos dies ad extensionem diuturni temporis, qualis diuturnitas reperitur in spatio sex mensium?

12 Et primò quantùm ad dignoscendum quænam sit paruitas materiæ in casu nostro, dico id posse considerari ex duplici capite, videlicet vel ex parte valoris libri, vel ex parte breuitatis, qua liber extra bibliothecam defertur. Quantùm spectat ad valorem libri, erit paruitas materiæ, si liber non excedat valorem trium, aut quatuor Florenorum iuxta Pelizarium *tract. 7. cap. 2. n.* 231. *notabili* 10. & secundùm Bordoni opinionem sufficiet si non excedat vnum argenteum *to. 2 ref. 62. n.19.*

13 Quantùm verò est ex parte temporis, iam suprà in Decisione IV. sub num. 24. traditum est esse non excessum duorum dierum, sicut & idem docuit Bordonus de retentione libri hæretici, *vt suprà n.9.*

14 Sed pro intelligentia pleniori huiusce paruitatis materiæ, notandum est subesse excommunicationi illum, qui successiuè extrahit alios, & alios libros, salua tamen singulis vicibus paruitate materiæ, si perueniat ad materiam notabilem, idque etsi singulis vicibus non habeat intentionem continuandi illas extractiones. Ratio est, quia ad incurrendam hanc censuram non requiritur talis intentio, vt dixi *suprà n.9. & 10.* sed sufficit præuisio notabilis damni, cùm sic obiectum ex continuatione materiæ euadat mortale, & de tali obiecto constet Ecclesiæ, quare dabitur sufficiens materia ad incurrendam hanc excommunicationem.

15 Secùs dicendum est, si successiuè extrahat libros salua singulis vicibus paruitate materiæ, sed pluries id faciat, ità tamen, vt non extrahat librum posteriorem, nisi priorem anteà extractum Bibliothecæ restituat, idque etsi intentionem habeat continuandi talem extractionem, siquidem sic adest semper materiæ paruitas excusans à censura, & aliundè intentio continuandi modo dicto extractionem, impertinenter se habet ad censuram contrahendam, vt iam ostensum est *num.4.*

16 Ex dictis constat Sisinium in casu nostro nedum

dum non contrahere excommunicationem volens, & intendens sæpius extrahere librum, sed nequè excommunicationem incurrere si de facto extrahat, supposito quòd quotidiè restituat, quia sic obiectum non fit mortale, cùm damnum sit non notabile.

17 Nunc superest difficultas, quæ fortiùs angit, scilicet an sit peccatum mortale intentio continuata extrahendi quotidiè per sex menses, seù etiam ad annum, vel vltrà. Videtur respôdendum esse affirmatiuè, quamuis per breue spatium temporis intendatur quotidiè extra-
18 here, & statim referre ad Bibliothecam. Ratio id suadens desumitur ex prædictis, & sic efformatur: tunc grauiter peccabit quis coram Deo, quando intendet grauiter violare prohibitionem, seù præceptum, cui excommunicatio annectitur; sed volens extrahere librum, vt in casu, quotidiè per sex menses, seù per longum tempus, etsi per vnā, vel alteram tantummodò horam singulo quoquè die, intendit grauiter violare prohibitionem sub excommunicationis pœna factam à Pontifice, ne liber extrahatur: ergo in foro interno, seu coram Deo cordium scrutatore grauiter peccat. Maior huius silogismi à nullo negari potest: consequens benè sequitur, si minor sit vera, ideò probatur, nam quamuis vna, vel altera hora sit quid modicum in vno vnius diei cursu, tamen quid multum euadunt omnia illa modica volita vnico intentionis actu: ergo grauiter peccat intendens extrahere librum singulis diebus, tametsi hoc intendatur per vnicum quadrantem ad singulas vices, sed vicibus replicatis ad longum temporis spatium.

19 Confirmatur considerando qualiter diuersimode tendat actus voluntatis in præceptum, quod in quacunque temporis protractione est vnum, & idem; ac in præceptum, quod multiplicatur ad numerum dierum durationis eiusdem præcepti. Exemplum primi præcepti est, vt in casu nostro, prohibitio perpetua non extrahendi librum: exemplum secundi, est recitatio quotidiana Officij Diuini. Voluntas igitur intendens quotidie omitere materiam paruā officij per longum tempus, venialem solummodò inducit culpam, quia præceptum recitandi hodiè, est distinctum à præcepro recitandi, & cras, & post cras, & sic singulis diebus successiuè, vndè semper restat etiam distincta materia parua omissa hodiè ab alia, & ab alijs omissa, & omissis cras, & post cras, & alijs diebus.

20 Oppositum succedit in præcepto, quod semper vnū est in quacunque temporis extensione, siquidem voluntas intendens ad tempus longum per singulos dies in materia parua tale præceptum violare, idem est ac si cum vno actu intentionis velit grauiter contra tale præceptum delinquere, quia illæ omnes materiæ paruæ simul volitæ, componunt euidenter vnū quid graue in talis præcepti violatione: ergo Sisinius cum intentione extrahendi quotidiè librum mortaliter peccat contra prohibitionem de non extrahendo libro, ac proindè non potest id intendere in foro conscientiæ, sicut nec potest de facto sinè excommunicatione extrahere.

21 Patet suprapostia diuersitas ex exemplis. Primò, in volente quotidiè per totam Quadragesimam excedere in vna vncia vespertinæ collationis pondus, sicque leuiter in materia ieiunij delinquere: leuiter quidem delinquit, quia vna vncia vnius diei non facit vnionem cum vncia alterius diei, cùm ieiunium hodiernum sit sub præcepto distincto ab obligatione ieiunandi cras.

Verùm si quis intendat quotidiè per totam Quadragesimam accedere ad Conuentum Monialium, vt cum aliqua ex illis colloquatur, contra prohibitionem de non accedendo ad Monialium Monasterium ad eum aliqua loquendum, hic profectò in tali intentione mortiferè peccat, quamuis ad singulas vices intendat per tempus modicum loqui, quia prohibitio non loquendi cum Moniali, est ad modum vnius præcepti ad tempus continuum protracti, & ideò illa intentio quotidiè colloquendi per breue tempus, grauiter vult contrauenire præcepto, vt per se patet.

22 Patet inquam, cùm vix grauiùs possit delinqui contra prohibitionem non loquendi cum Monialibus, quā loqui per singulos dies, sed nō
23 vltrà tempus breue singulis vicibus. Imò hoc esset fraus, posset namquè quotidiè loqui, vanum reddens finem legis; sed fraus cum nemini patrocinetur *cap. ex tenore 16. de rescriptis*, ob id non saluat à peccato, & quidem graui, si materia sit grauis, vt est in præsenti.

24 Concludatur ergo esse valdè diuersum habere intentionem leuiter peccandi in materia graui, sed per tempora longa, ab eo quòd est leuiter peccare in re graui, sed velut per accidens, & data occasione, ac sinè intentione vlteriùs nec leuiter in tali re graui peccandi, loquendo tamen in præceptis, quorum quodlibet
25 est vnum pro qualibet temporis extensione. Primo modo est semper lethale peccatum, non

C autem

autem secundo modo, sed est veniale. Hoc manifestatur in materia voti Paupertatis Religiosorum, contra quod si aliquis peccat in materia leui, data sibi occasione hìc, & nunc sinè alia intentione faciendi idem, vel simile alia vi-
26 ce, iste venialem culpam incurrit: Si posteà loquamur de alio intendente toties deficere in Paupertate circa paruam materiam, quoties se se occasio offeret, sanè talis grauem culpam admittit iuxta vniuersalem omnium sententiam. Vide Dianam *p. 1. resp. 34. tract. de Paup. Relig.* Nec aliqua intercedit differentia inter Votum Pauperratis Religiosorum, & inter obligationem seruandi prohibitionem extrahendi libros, vel librum; propterea neutrum sinè mortali peccato grauiter violatum remanet in vtroquè foro, si casu, & ex incidenti occasione, vel passione, leuiter semel, ac etiam sæpè cum morali interpolatione violatur; sicut è contra vtrumquè peccatum graue inducit in animam intendentis; vt Sisinius intendit in hucusquè examinatis dubijs, ideò contra eumdem Sisinium stat descripta resolutio, quam concludo, remittens lectorem ad citatum Dianam, vt sciat quæ interpolatio requiratur, ne vna materia parua continuetur cum alia.

# DECISIO VI.

*An concessa erectione Capellæ à Capitulo Regularium in eorum Ecclesia, teneantur posteà admittere Sacerdotes sæculares ad quotidiana Diuina, iuxtà legata relicta à Fundatore.*

## Casus, seu Historia VI.

### SVMMARIVM.

1 *Casus proponitur.*
2 *Clausula, cum forma consensus præstiti à Regularibus.*
3 *Ex quibus constat concessionem factam non habere naturam Iurispatronatus.*
4 *Quia in casu nostro requiritur expressa mentio talis Iuris facienda in limine fundationis.*
5 *Et hoc maximè, quia Clerici sæculares sunt incapaces Beneficij in Ecclesia Regulari.*
6 *Et vt seruitus prætensa, esset de facto annexa Sacello, deberet legi apposita in folio concessionis in limine erectionis.*
7 *Solis enim conditionibus expressis in tali folio standum est; nec possunt immutari.*
8 *Nec potest præsumi consensus tacitus.*
9 *Erectio enim, & dotatio sunt actus diuersi.*
10 *Quibus & diuersus consensus correspondere debet, quod non est factum.*
11 *Imò legatum superadditum à Fundatore non fuit acceptatum à Regularibus.*
12 *Sacerdotes sæculares non benè conueniunt cum Monachis, habentes Ius in istorum Sacrarijs.*
13 *Nec Episcopus potest celebrare in Monasterio Regularium, ipsis inuitis.*
14 *Decretum Sacræ Congregationis, vt Regulares præstent Patientiam, sinentes Sacerdotes sæculares celebrare in eorum Ecclesijs Missas relictas, si aliquid contribuatur pro cera, vino, &c. non obstat in casu nostro.*
15 *Quia crederem esse intelligendum de Missis votiuis, ac temporaneis.*
16 *Non tamen de perpetuis, ne introducatur perpetua seruitus.*
17 *Propter consuetudinē Religionis in contrarium.*
18 *Quod probatur per casum sequutum.*
19 *Vndè idem faciendum est in casu præsenti.*
20 *Nec grauandi sunt Regulares; cum Fundator non reliquerit paramenta, nec alia necessaria.*
21 *Præcipuè cùm nullam sint recepturi dicti Regulares contributiorem pro paramentis, cera, &c.*
22 *Quare in fauorem Patrum resoluitur. &c.*

1 Illustrissimus quidam Dominus erexit Sacellum in Ecclesia Regulari Sancti N. cum consensu RR. Prioris, & Fratrum eiusdem Cōuentus, & post nonnullos annos in suo cum quo decessit Testamento legauit loca viginti Montium Cameralium eidem Sacello, iussitque, ac expressè mandauit in illo esse celebranda quotidiana Diuina per Capellanos sæculares pro tempore eligendos ab hæredibus suis, itaut dicti Capellani pro tempore essent amouibiles ad nutum eorumdem hæredum, ac eo modo celebrare tenerentur cum stipendio Scutorum sex in quolibet mense.

Graue hoc visum est prædictis RR. Priori, & Fratribus, ideò inuestigantes an tenerentur recipere eosdem Capellanos in dicta eorum Ecclesia ad dictam perpetuam celebrationem, respondeo vt sequitur, & quidem in fauorem ipsorum Regularium, crederem enim non teneri.

2 Primò, quia prædicti RR. Prior, & Fratres cōcesserunt Illustrissimo illi licētiam cōstruendi dictum Sacellum modo limitato, & verbis, seu clausula tenoris sequentis, videlicet: *Die .... Mensis ...., anno ..... propositum fuit in Capitulo nostro Conuentuali, an supposita licentia*

*licentia R.P.N. Prouincialis concedendus sit Illustrissimo Domino N. situs Capellæ S. Laurentij in nostra Ecclesia, vt in eo extruat Capellam S. Antonij, & responsum est affirmatiuè.*

3 Ex quibus verbis, in quibus totum ius concessum Illustrissimo D. exprimitur, manifestè apparet, & in clarum ponitur in eadem fundatione, seu erectione nullam factam fuisse mentionem, prædictum Sacellum esse debuisse de natura Iurispatronatus, vndè ipsis hæredibus ius competat pro tempore illos Capellanos sæculares eligendi, eosdemque Capellanos dicti Prior, & Fratres tenerentur eo modo admittere in eorum Ecclesia Regulari ad celebran-

4 dum. Ratio est, quia quamuis regulariter loquendo acquiratur Iuspatronatus per Fundationem, seu per dotationem, nihilominus limitandum est, quando, vt est in casu nostro, agitur de acquirendo titulo Iurispatronatus, aut alio titulo in Regularium Ecclesia, tunc enim vltrà dotationem, seu fundationem, requiritur quoquè concessio expressa cum consensu ipsorum Regularium, vel saltem Apostolicum Priuilegium in limine fundationis, aliter nec titulus, nec Iuspatronatus acquiritur dotanti, seu fundatori. Seraphinus *decis.* 1305. *nu.* 5. *Idem decis.* 1353. *n.* 5. *nec non decis.* 1395. *n.* 2. *& add. ad* Buratt. *decis.* 1. *nu.* 17. Abbas *p.* 2. *cons.* 59. *nu.* 2. *vers. in casu autem nostro* Rota *decis.* 564. *n.* 3. *p.* 4. *diuers.*

5 Prædicta fundantur in ea ratione, quòd Clericus sæcularis est incapax Beneficij Regularis, & Iuspatronatus non potest alicui competere, nec acquiri in Conuentuali, & Regulari Ecclesia, nisi concedatur in limine fundationis. Seraphinus *d. decis.* 1305. *sed sub n.* 4. *&* 5.

6 Nec potest dici Beneficium, seu Sacellum simili obligationi, ac seruituti esse subiectum, nisi talia conspiciantur scripta in folio erectionis, ac fundationis, tamquam apposita in limine ipsarum. Seraphinus *decis. d.* 1353. *n.* 1. *& seq.* & hæc omnia multò magis in casu præsenti, nam laicis nullatenus dantur, nec conceduntur prædicta, nisi in limine fundationis similis Beneficij Regularis fuerint adiuncta, & expressa cum interuentu consensus RR. Prioris, & Fratrum Cōuentus præfati, sicut tradunt non pauci apud Viuian. *de Iurepatr. lib.* 2. *c.* 8. vbi sub *num.* 10. citat multos, cum quibus firmat posse in limine fundationis cum requisito consensu apponi Ius eligendi, præsentandi, vel nominandi; tamen quando, vt in casu nostro factum est, post fundationem fundator vult ex testamēto, vel alio modo nouam addere legem seu diuersum assignare modum officiandi in Altare similis Sacelli, hoc sinè nouo, ac prædicto consensu fieri posse negat idem Viuian.

7 *vbi suprà*, quod roboratur ea ratione, quia solùm sunt seruandæ conditiones appositæ in fundatione *C. decernimus* 16. *q.* 7. neque tales conditiones possunt deindè variari per immutationem. Idem Viuian. *vbi suprà*, & hoc extat declaratum, ac decisum à Rota *in Rauennata Iurispatronatus* 23. *Iunij* 1589. *coram Penias.*

8 Nec possunt hæredes prætendere, dictos Priorem, & Fratres consensisse fundationi eiusdem Sacelli, atquè ità saltem tacitè videntur consensum præbuisse pro prædicta dotatione cum prænarrato onere celebrandi per Sacerdotes sæculares. Hoc obstare non potest, nec ab hæredibus prætendi, cùm erectio Sacelli, &

9 dotatio ipsius sint actus diuersi, ac seperati, ideoque, & proprium vnicuiq; correspondenl

10 tem consensum exigunt, & tamen in sessione Capitulari de dando consensu pro fundatione, nulla facta fuit mentio prædictæ dotationis, nec celebrationis per eosdem Sacerdotes sæcu-

11 lares; & prædictum legatum celebrandi per dictos Sacerdotes sæculares, vtpotè quid separatum, & distinctum ab ipsa fundatione, non fuit acceptatum ab ijsdem Priore, & Fratribus, imò nequè acceptare volunt, cum in talibus non

12 benè conueniat Sacerdotes sæculares vnà cùm Monachis diuersari, dictosque sæculares certum Ius habere in Regularium Sacrarijs; & hoc maximè cùm sit contra Ius *in c. fin.* §. *Prohibe-*

13 *mus de statu Regul. & c. dudum* 18. *quæst.* 2. vbi dicitur, quòd nedum Clerici, sed etiam Episcopus non potest publicè in Monasterio etiam sibi subiecto inuitis Monachis celebrare. Rota *d. decis.* 564. *n.* 3. *part.* 4. *diuers.* & ità inuitis prædictis Patribus non potuit Illustrissimus Dominus postmodum in vim dicti Legati dictas nouas conditiones apponere. Viuian. *vt supra p.* 1. *l.* 2. *cap.* 8. *n.* 10.

14 Fortiùs obstare nec putent hæredes, quòd Sacr. Congr. EE. Card Conc. Tridentini interpretum *sub die* 15. *Ianuarij* 1630. resoluerit, Regulares teneri in eorum Ecclesijs Patientam præstare, vt Missæ relictæ celebrentur per Sacerdotes sæculares, soluta tamen aliqua contributione pro cera, vino, hostijs, & vsu pa-

15 ramentorum. Ego enim crederem quòd tale Decretum vim sortiatur in terminis, in quibus agitur de Missis votiuis, seu temporaneis ce-

16 lebrandis ex Benefactorum deuotione, tamen quando prout in casu agitur de introducendo

onere perpetuo contrà naturam fundationis dicti Sacelli, vel similis Capellæ, crederem absolutè applicari non posse idem decretum, tum quia hoc, quod est admittere similem Sacerdotem sæcularem, esset introducere perpetuam seruitutem ipsis Regularibus, nec non & eidem Sacello aliàs fundato in libertatis statu à
17 principio suæ erectionis; tum quia etiam contingere potest, quòd sit consuetudo vniuersalis eiusdem Religionis eorumdem Patrum, vt semper similia legata fuerint non acceptata, semperque similes dispositiones repudiauerit; &
18 hoc demonstrabitur ex pluribus renunciationibus, diuersis temporibus factis, & sigillatim in Religione pro qua scribo, ex illa in vna ex suis Ecclesijs legati trium quotidianarum Missarum per q. f. r. Bernardinum de N. qui pariformiter mandauerat dictas tres quotidianas Missas fuisse celebrandas in eodem Conuentu per similes Sacerdotes sæculares, & quia prædictæ Religionis Patres noluerunt dictos Sacerdotes recipere ad celebrandum, ideò voluntas eiusdem Bernardini quoad hoc fuit immutata, & de præsenti dictæ Missæ celebrantur ab ijsdem Patribus, & non per dictos Sacerdotes sæ-
19 culares eligendos; quapropter similiter faciendum est in nostro casu, quia illa conditio, quòd per sæculares Sacerdotes celebretur, habetur pro nõ apposita. Abb. *d. cõs. 59 p. 2. in fin.*
20 Addi vltimò potest, eumdem Illustrissimum Dominum non reliquisse paramenta, nequè alia ad Diuinum cultum necessaria eidem Altari, ac per consequens ipsos Patres minùs esse grauandos ad illa facienda, & pro tempore renouanda solùm ad commoditatem dicti Ca-
21 pellani sæcularis pro tempore. Vndè clarè deducitur non teneri dictos Patres acceptare Capellanum sæcularem, & hoc ea ratione, quòd Sacra Congregatio, vt suprà sub *num.* 14. quidem dixit debere Regulares Patientiam præstare, sinendo celebrari in suis Ecclesijs Missas relictas, sed requirit solutionẽ pro cera, vino, &c. & in casu nostro nihil solutionis ad hos effectus assignatur; ergo nec contra dictos Patres stat Sacræ Congregationis dictum decretum, quinimò stat pro ipsis contra Illustrissimum Dominum, qui nihil assignauit soluendum, præterquàm ijsdem Sacerdotibus sæcularibus, cùm aliunde cera, vinum, paramenta, &c. prouideantur, aut prouideri deberent in perpetuum ab ipsis Patribus, quod videtur onus graue, & contra æquitatem, & ob id non sunt grauandi.
22 Quare in fauorem Patrum resoluo, &c.

# DECISIO VII.

*An accedens ad suscipiendum Ordinem cum sola intentione talem Ordinem suscipiendi, tenens opinionem, quòd tactus physicus materiæ essentialiter requiratur, & quòd moralis non sufficeret, validè ordinaretur, si de facto non tangat physicè, maximè cùm non fecerit intentionem faciendi, quod Ecclesia intendit in tali ordinatione?*

## Casus, seu Historia VII.

### SVMMARIVM.

1 *Casus proponitur.*
2 *Laudatur ille, cui casus contigit.*
3 *Neruus dubij exponitur.*
4 *Motiuum prolixitatis in Authore.*
5 *Intentio faciendi id, quod facit Ecclesia, corrigit errores particulares.*
6 *Vndè diuersimodè discurrendum est si quis accedat ad ordinem cum vna, ac alia intentione.*
7 *Animus faciendi aliquid, est intentio sufficiens ad illud velle facere.*
8 *Quod probatur à paritate illius qui profert verba consecrationis, alia sacra præstans, quia rectè consecrat.*
9 *Sic rectè ordinatus erit, qui nihil cogitans, accedit ad ordinationem, quia sic habet intentionem illimitatam, quæ intentio etiam est in eo, qui vult ordinari, sed non vult sequi sententiam docentem, tactum moralem sufficere.*
10 *Nec intentio non sequendi docentes tactum moralem sufficere, limitat intentionem suscipiendi Ordinem.*
11 *Qui vult facere, aut suscipere Sacramentum, habet intentionem sufficientem.*
12 *Quòd probatur cum paritate omittentis verba* in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, *in absolutione Sacramentali, putans ea esse necessaria, sed inaduertenter illa non profert.*
13 *Intentio absoluendi, & intentio circà necessitatem verborum, non excluduntur ad inuicem.*
14 *Animus præcisus suscipiendi Ordinem, est intentio suscipiendi eum iuxtà Ecclesiæ intentionem.*
15 *Quia est cogitatio saltem implicita de eo Ordine, quem Christus instituit.*
16 *Et talis cogitatio, est intentio faciendi, quod facit Ecclesia.*
17 *Nec valet dicere; quòd deberet esse cogitatio explicita de eo Ordine, quem Christus instituit.*
18 *Sicut enim cogitatio explicita est intentio explicita; ità cogitatio implicita, erit intentio implicita facien-*

*faciendi quod facit Ecclesia.*
19 *Et hoc fusius ostenditur.*
20 *Quòd si quis dubium de hoc habet, videat prædicta sub numero octauo huius decisionis.*
21 *Sed hucusque adducta, probant speculatiuè.*
22 *Ideò in casu nostro, potest, & debet sub conditione iterùm Ordinari.*
23 *Quia agitur de valore Sacramenti, & sic iuxta tutiorem sententiam est suscipiendum.*
24 *Et Sayrus docet esse ministranda Sacramenta citrà omnem opinionem.*
25 *Vndè in casu nostro, cùm Ordinatus habeat opinionem affirmantem, & negantem, erit probabiliter ordinatus, propterea tenetur de nouo ordinari.*
26 *Fusè ponitur, quid agere debeat Perillustris iste Dominus.*

1 PErillustris Dominus N. accessit ad Presbyteratus Ordinem suscipiendum, cum expresso iudicio, & opinione, quòd Physicus materiæ tactus essentialis esset, cùm tactus moralis esset insufficiens secundùm ipsius opinionem; sed vix discessit à pedibus Episcopi post traditionem materiæ, & prolationem formæ, quòd statim animaduertit se moraliter, & non physicè tetigisse propter non cognitam inaduertentiã. Asserebat insuper ille Dominus, se neque eliciuisse intentionis actum faciendi, quidquid Ecclesia in tali ordinatione intendebat. Indè cæpit dubitare, num valida fuerit ipsius ordinatio, & de hoc requisitus ego, respondi.

2 Casum in terminis apud nullum ex omnibus, quos viderim, inueni, fortasse enim nemo ex Doctoribus præuidit, posse aliquem dari, qui quò plus se doctum putabat, eò magis erroris pericula percurreret. Laudo Perillustris Domini rectam rectè operandi mentem; item & ipsius commendo scientiam, quamuis per ipsam, imò & quia per ipsam mihi nunc præbeat laborandi occasionem, vt an cum scientia sua aliquod admiserit nolitum, neque præuisum erroris malum cum integra Decisione resoluam. Id ergo præstabo dupliciter: Primò iuxtà tempora præcedentia Innocentium XI. Secundò post illa.

3 Quidem totus difficultatis neruus, in casu nostro, stat in intentione suscipientis Ordinem, nam cùm positiuè intentionem habuerit non sequendi sententiam docentium sufficere tactum moralem materiæ ab Episcopo traditæ, sed in facto moralem tactum ex inaduertentia cùm adhibuerit, ideò non potest sine facti examine resolui, an eiusdem Perillustris Domini intentio in ordine ad Ordinem suscipiendum sufficiens extiterit.

4 Pro casus solutione, & vt conscientiæ suæ consulat ipse Perillustris Dominus, non grauabor varia hic supponere, adnotare, & adducere, quibus fortasse grauabitur legens, quem parcere precor prolixitati meæ, ab intentione mea decidendi minutatim intentionis suæ dubium, solummodò enatæ.

5 Supponendum expedit primò, nullum dubium esse, quòd validè Ordinem suscepisset, si quidquid in tali Ordinatione facit, & intendit Ecclesia, facere & ipse intendisset, quamuis nonnulla omisisset, quæ secundùm suum particularem errorem iudicabantur necessaria, in hoc enim euentu Ecclesiæ intentio corrigit ordinandi errores: Valentia *tom. 4. disp. 3. punct. 2.* Reginaldus *in praxi tom. 2. lib. 26. cap. 3. n. 28.* Et cùm tactus moralis in acceptione materiæ porrectæ ab Episcopo Ordinante probabiliter sufficiat, iuxtà Albertum Magnum *in 4. sent. dist. 24. a. 38. ad 2.* Sotum, & plures alios, quos refert Henriquez *in Summa lib. 10. cap. 10 §. 1. lit. D. in margine*, ideò error ordinandi emendatus remaneret ab ipsius generali intentione operandi ad normam intentionis Ecclesiæ. Videatur Reginaldus *in praxi tom. 2. lib. 30. tractat. 1 cap. 2 n 8.* Bonacina *de Sacrament. in genere disp. 1. q. 2. punct. 1. n. 28.* cum alijs, quos ipse ibidem refert. Cæterùm an sit tenenda dicta probabilitas dicam infrà *n. 26.*

6 Ex his, valdè diuersum videtur accedere ad suscipiendum Ordinem cum sententia falsa, quòd aliquid essentialiter requiratur pro valida susceptione, sed cum intentione faciendi prout intendit Ecclesia; ac accedere cum tali sententia, & animo solo suscipiendi Ordinem. In primo accessu, error particularis tollitur ab intentione generali: In secundo accessu, videtur quòd animus præcisus suscipiendi Ordinem adeò limitetur, componat, & coniungatur cum errore, vt non sufficiat ad corrigendum ipsum, & hæc ea ratione, quòd in primo accedendi modo, intentio non est limitata, sed extenditur ad quemcunque modum, quo Ordo saltèm probabiliter conferri, & suscipi potest, at in secundo limitatur, atquè determinatur ad particularem modum. Ergo iuremeritò dubitatur an remaneat ordinatus ille, qui non se gessit iuxtà quod determinauerat facere, quamuis ex inaduertentia defecerit.

7 Dico posse multis rationibus probari, ordinandum in casu nostro fuisse validè ordinatũ. Primò, quia animus faciendi aliquid, est intentio

tio sufficiens ad illud velle facere ita ut factum remaneat, quamuis per errorem aliquid supponatur, vel ab intentione excludatur. Ergo & animus suscipiendi Ordinem, est intentio sufficiens, licèt per errorem aliquid ab intentione

8 excludatur. Antecedens probatur à paritate intentionis necessariæ pro consecrando, quæ intentio sufficiens est, si actu consecrat, proferens Sacerdos verba consecrationis, cæterasque actiones sacras exhibens; quid enim aliud sic operans facit, nisi saltèm in actu exercito consecrationem intendere? vt ex Caietano loquebatur Suarez apud Tamburinum *de Sacrific. Missæ lib. 2. cap. 1. §. 2. num. 13.* ità quoquè aliud non faciens apparet ordinandus, dùm ad tangendam materiam accedit, nisi exercitè intendere ordinari, taliter quòd impertinenter ad hanc intentionem se habeat opinio ipsius errans, dum tenet tactum moralem non sufficere, qui si sufficit, satis est si ponatur, prout de facto positus fuit in nostro casu.

9 Confirmatur per hoc, quòd si quis ad Ordinationem eat, nihil cogitans de tactu physico, seu morali, nec de alijs quæ in ea fiunt, iste reuera ordinatus erit: ergo & ordinatus censendus est, si accedit cum volitione suscipiendi Ordinem, sed errans cogitabat insufficientem esse tactum, quo postea vsus est. Hæc consequentia sequitur ab antecedente propositione, quæ ideò vera est, quia qui nihil cogitat accedens ad Ordinationem, habet intentionem illimitatam, & amplam, vt ordinetur; sed nonminùs ampla est intentio volentis ordinari, quamuis simul intendat non sequi sententiam asserentium sufficere tactum moralem: ergo & si moraliter ex inaduertentia tangat, ordinatus remanebit.

10 Cui confirmationi si objiciatur diuersitas intercedens inter intentionem nihil aliud cogitantis, & inter cogitantem non sufficere tactum moralem, per quam cogitationem limitari videtur intentio; quæ aliàs durat amplissima in nihil cogitante: respondeo perinde esse etiam in cogitante tactum moralem non sufficere, in ordine ad reddendam limitatam ipsius intentionem, quæ intentio cùm sit, vt ordinetur, non est intentio vt ordinetur solummodò si hoc, vel illud fiat, ità quòd intendat non ordinari, deficiente hoc, vel illo, sed est intentio disiuncta ab errore, quo putat de necessitate requiri tactum moralem, vt validè ordinetur, prout intendit ordinari. Ergo si adest intentio vt ordinetur, sicut de facto est in nostro casu, hæc intentio fuit sufficiens, vtpote ampla, nec limitata ab errore disparatè se habente ad talem intentionem vitiandam.

11 Item in fauorem Perillustris Domini sic argumentor: Per hoc quòd aliquis intendat facere Sacramentum, habet sufficientem intentionem ad Sacramentum conficiendum. Ergo & per hoc quòd aliquis intendat suscipere Ordinem, habebit sufficientem intentionem ad ipsum validè suscipiendum. Antecedens est Bonacinæ *de Sacrament. disp. 1. q. 2. punct. 3. §. 3. num. 5.* ex quo rectè sequitur adducta con-

12 sequentia. Et hoc maximè, quia si quis intendit facere Sacramentum Pœnitentiæ, tenens sententiam, quòd essentialiter requiratur prolatio verborum *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti* post verba *Ego te absoluo à peccatis tuis*; sed postmodum ex inaduertentia non proferat verba illa *In nomine Patris, &c.* iste sanè facit Sacramentum, quod intendebat: ergo & intendens ordinari, tenens sententiam, quòd necessariò exigatur physicus tactus, & non moralis, si postea inaduertenter non apponat id, quod essentiale putabat, nihilominus Ordinis Sacramentũ suscipiet. Meritò dicitur,

13 quòd faciat intentum Sacramentum ille, qui omittit verba *In nomine Patris, &c.* quamuis putaret esse necessaria; nam duæ intentiones sunt dicendæ, illa faciendi Sacramentum; & alia circa necessitatem illorum verborum, quæ intentiones cùm ad inuicem non excludantur, earum quælibet subsistit, etiam corruente alia; & ideò intentio faciendi Sacramentum semper durat; quidquid eueniat de alia intentione proferrendi verba quidem non necessaria, sed putata necessaria. Sic dicurrendum pariter est in casu nostro, scilicet quòd intentio suscipiendi Ordinem, semper durauit, quidquid sit de alia intentione faciendi, vel ponendi tactum physicum, non moralem iudicatum insufficientem; & ideò asserendum est, quòd Ordo validè sit susceptus.

14 Alia ratio ad corroborandum prædicta, sit, quòd intentio, seu animus præcisus suscipiendi Ordinem, est intentio, vel animus suscipiendi illum secundùm Ecclesiæ intentionem: ergo sicut errores particulares corriguntur ab intentione generali faciendi quidquid facit Ecclesia, ità in casu nostro fuerunt correcti ab animo præciso suscipiendi Ordinem, si verum est, quòd talis animus sit intentio suscipiendi illum

15 iuxta Ecclesiæ intentionem; ideò hoc probatur. Non stat præcisus animus actualis, vel virtualis suscipiendi Ordinem, sinè cogitatione saltèm implicita de ipso Ordine, qui Ordo cùm à Chri-

à Christo fuerit institutus, ille qui de tali Ordine implicitè, vel explicitè cogitat, etiam sic saltem implicitè cogitat de illo Ordine, quem Christus instituit: Sed Minister Sacramenti tantùm cogitans velle facere, quod Christus instituit, validè conficit Sacramentum, quamuis aliquem habeat particularem errorem, vt ex Bonacina *vbi supra* dictum est; quia error particularis in tali casu corrigitur à generali
16 intentione faciendi, quod facit Ecclesia, quam generalem intentionem habet Minister Sacramenti per hoc præcisè, quòd cogitet de eo, quod Christus instituit, vt vult Valentia *tom.4. disp. 3. q.1. punct.3. versic. & primum quidem*: ergo etiam volens ordinari cum animo præciso suscipiendi Ordinem, (qui animus est saltem implicita cogitatio de illo Ordine, quem Christus instituit, ac per consequens est intentio suscipiendi Ordinem iuxtà Ecclesiæ intentionem, sufficientem ad corrigendum omnes particulares errores) validè Ordinem cum tali animo ordinandus suscipiet, quemadmodum in præsenti casu à Perillust. Domino factum est.

17 Instabitur ex eo, quòd cùm animus præcisus suscipiendi Ordinem, sit solùm cogitatio implicita de illo, quod Christus instituit, non sufficiet, sed explicita requiritur, & ex doctrina Valentiæ *loco citato* colligi potest, dum dicit fieri Sacramentum ab eo, qui cogitat de eo, quod Christus instituit, quæ cogitatio est intentio faciendi, quod facit Ecclesia, & totum habetur explicitè, propterea error Ministri Sacramenti corrigitur à tali explicita cogitatione, seu intentione. At ordinandus in casu nostro, cogitauit vix implicitè de eo, quod Christus instituit, & ideò non debet de istius errore discurri, ac de Ministro errante, vt prænarratur.

18 Instantiæ huic respondeo, stare optimè paritatem cum proportione, etenim quemadmodum Valentia *loc. cit.* vult, quòd Minister Sacramenti cogitans actualiter, & explicitè de illo, quod Christus instituit, habeat intentionem generalem faciendi, quod facit Ecclesia, quæ intentio corrigit errores ipsius non repugnantes cum tali intentione; ità si dictus Minister habeat intentionem implicitam faciendi iuxtà Ecclesiæ intentum habet intentionem sufficientem ad corrigendum errorem, si quem ipse teneret, quæ implicita intentio, est implicita cogitatio de eo, quod Christus instituit: Ergo & implicita cogitatio de eo, quod Christus instituit, circa Ordinem suscipiendum, erit implicita intentio faciendi, quod facit Ecclesia, quæ implicita cogitatio sufficit ad corrigẽdum errores particulares in ipso ordinando, sicut & in Sacramẽti Ministro, & hoc probatur sic. Si aliquis eat
19 de domo ad Ecclesiam, vt ordinetur, nullamque aliam habens cogitationem de ipsius Ordinis susceptione, iste habet sufficientem intentionem pro Ordine validè suscipiendo, & tamen istius intentio est solùm implicita, si de domo ad Ecclesiam eat, non cogitans cur eat ad Ecclesiam, attamen secum defert vestes, quibus postmodum induitur, & facit cætera sicut alij, qui ad ordinationom accesserunt. Ergo sicut intentio implicita sufficit ad validam Ordinis susceptionem, ità & implicita intentio faciendi iuxtà Ecclesiam, sufficiet ad corrigendum errores: ergo cùm animus sucipiendi Ordinem, sit cogitatio implicita de illo Ordine, quem Christus instituit, & talis cogitatio implicita idem sit, ac generalis intentio implicita faciendi, quod facit Ecclesia, concludatur fuisse in ordinando prout in casu, intentionem sufficientem ad ipsius particulares errores emendandos. Quòd si dubitetur, an verum sit
20 id, quod vt certum prædixi *sub hoc numero 19.* videlicet habere intentionem sufficientem illum ordinandum, qui exit de domo sua, deferens vestes, quibus induitur, & alia ordinandorum præstat, videantur adducta sub numero octauo huius decisionis.

21 Probatum igitur remanet, Perillustrem Dominum accessisse ad Ordinem suscipiendum cum intentione sufficienti, atquè ideò esse validè ordinatum, & hæc omnia spectant ad speculatiuam decisionem, post istam enim restat examinandum, quid pro praxi sit dicendum.

22 Dico me extendisse, qualiter sit speculatiuè probabile, Perillustrem Dominum fuisse validè ordinatum; sed quia in ijs, de quibus difficultatur circa licitum, & validum, non est practicè probabile id, quod probabile est speculatiuè, & hoc præcipuè de Sacramentis ad salutem proximi, vel nostram necessarijs, vult enim & iubet Charitas, vt proximum non ponamus in salutis discrimine, sed ei subueniamus certiori modo, ideò circa essentialia Sacramenti tutior sententia est amplectenda, dicunt Doctores communiter, & opposita doctrina hodiè est damnata. Dian *in Sum. v. Probabilis opinio n.7.* proinde ordinandus in casu nostro, poterit, imò & debet saltem sub conditione iterum ordina-
23 ri. Subijciam hic verba Iacobi Granadi *in 3. part. de Sacram. controuers. 9. tract. 5. disp. 6. n. 2* vbi ait: *Supponendum est; si opinio sit probabilis Ordi-*

*Ordinem verè fuisse susceptum, & sit etiam probabilis opposita sententia, posse tunc sinè dubio iterari Ordinem sub conditione. Vtrum autem teneatur quis illum reiterare? Dico, quòd si ille Ordo sit Sacerdotalis, vel Episcopalis, tenetur in tali casu quis Ordinem reiterare, quia alioquin exponitur periculo non consecrandi, non absoluendi pœnitentes, non ordinandi, &c. quia id cedit in maximum detrimentum fidelium.* Ergo cùm de Sacerdotio agatur in casu nostro, erit interdum etiam iuxta opinionem Doctorum, qui scripserunt ante tempora Innocentij XI.

24 Confirmatur ex Sayro *tom. 2. p.p. lib. 1. c. 7. n.* 4. vbi dicit, quempiam teneri ministrare Sacramentum citrà omnem opinionem: ergo à fortiori in casu nostro,& hæc consonant primæ ex propositionibus damnatis à dicto Innocentio XI.

25 Et quòd sub dubio sit, an Perillustris Dominus in præsenti casu, sit verè ordinatus, demonstratur ex diuersitate opinionum asserentium tactum moralem sufficere pro valida ordinis susceptione; & negantium sufficere. Doctores opinionis negantis, seu affirmantis, videantur apud Dianam *p.3. tract.4. res.* 185. At vbi dantur negantes,& affirmantes opinionem aliquam, tunc opinio illa probabilis euadit: Ergo est solùm probabile fuisse validè Ordinatum Perillustrem Dominum in casu præsenti.

26 Habes ergo Admodum, ac Perillustris Domine mi, quòd ordinatio tua ad Presbyteratum, probabilitatem præseferat de ipsius valida collatione. Habes etiam, qualiter possis, imò tenearis illam iterare. De præteritis laude dignus es, in nullo enim deliquisti,nec culpæ aditum ad te commaculandum aperuisti; cur igitur mærore conficeris? Si nullum Sacrum celebrare cœpisti, quare flens non quiescis,& dolens non comedis? Eia age lætabundus, quæ hortor: consolare; voluisti enim perfectissimè operari, & scrutator cordium Deus reddet præmium, non pœnam tibi. Quære Episcopum beneuolum, ipsique hæc pauca ostende, eique confidenter sic loquere. Vidisti, & legisti Domine Illustrissime? En igitur adsum; maximè tandem, quia Soto *lib. de instit. Sacerdotum lect. 2. de Euchar. in principio,* dicit: *In Sacramentis tenenda sunt certa, & relinquenda incerta*. Et Durandus quoq; *4. dist. 27. quæst.* 13. *nu.6. &* 7. ait: *In his, quæ tangunt salutem, vel damnationem animæ valdè periculosum est committere se dubio, & quod tutius est, semper est tenendum.* Teneas & tu meipsum inter tibi obsequentes, teque obsequij mei certiorem reddant hæc pauca, quæ scripsi quibus omninò addenda est propositio prima ex 65. quas Innocentius XI. damnauit, dicit enim expresè conformiter ad prædicta *n. 22. & seqq.*

---

# DECISIO VIII.

*An teneatur reparare damnum sequutum proximo ille, qui violenter aperuit domum alterius,vt sibi compensationem faceret, sed posteà non clausit ostium, quod apertum intrauerunt latrones ad prædandum. Imò & cum lumine quod habebat factum est incendium.*

## Casus, seu Historia VIII.

### SVMMARIVM.

1 *Casus proponitur.*
2 *Fabritius vt in casu est causa damni.*
3 *Quia sinè illo non accidisset damnum.*
4 *Et interroganti, quis damni sit causa, respondendum est: Fabritius.*
5 *Properereà videtur obligatus restituere.*
6 *Nihilominus censeri debet causa non proxima; atquè ideò non teneri ad restitutionem.*
7 *Sic si Franciscus suspendatur propter homicidium sibi imputatum, cùm tamen Petrus illud verè fecerit; in hoc casu Petrus est causa per accidens.*
8 *Et nullus tenetur ad restitutionem damni non per se sequuti.*
9 *Probatur damnum in nostro casu esse fortuitum.*
10 *Qui ob metum mortis ostendit personam, quæ posteà occiditur, si eius occisionem non cogitauit, censetur causa per accidens homicidij.*
11 *Hinc dicentibus Fabritium fuisse causam damni, respondendum est concedendo fuisse causam per accidens.*
12 *Potest tamen instari fuisse causam per se, quia & lumen intulit,& ianuam aperuit.*
13 *Respondetur instantiæ prædictæ, non debere attendi materiale, sed morale.*
14 *Nam vt aliquid sit verè causa moralis, exigitur, quod semper, vel vt plurimùm ab ea sequatur effectus quod non accidit in casu.*
15 *Et excusat à restitutione damni etiam grauis, carentia culpæ grauis.*
16 *Et sinè culpa est causa damni Fabritius vt in casu.*
17 *Imò etiamsi ad furādum venisset Fabritius, non*

*tenetur*

*tenetur restituere, quia per accidens euenit damnum.*

18 *Ex apertione ianuæ non sequitur per se, nec vt plurimùm, quòd latrones ingrediantur.*

19 *Vt plurimùm sequitur rei alicuius fractio cum pedibus, si aliquis noctu ascendit ad furandum.*

20 *Qui venialiter peccat, non tenetur restituere.*

21 *Damnum tertij, si eueniat non ex natura actionis, aut vt in plurimùm, non debet resarciri.*

22 *Nec tenetur restituere, qui damnum proximi intendit, sed actionem per se, aut vt plurimùm non causatiuam talis damni non apponit.*

23 *Quamuis ex actionibus ordinariè damni causatiuis, de facto damnum sequatur, tamen non tenetur tale damnum restituere ille, qui in illis actionibus vtitur iure suo.*

24 *Si Fabritius in casu præsenti habet aliquam culpam, tota est in genere alieno à Iustitia.*

25 *Est contrà Charitatem non impedire proximi damnum, si pòtest impediri.*

26 *Casus resolutio expenditur in fauorem Fabritij.*

27 *Qui pro foro fori posset conueniri.*

28 *Habẽs iustam causam faciendi aliquid, non peccat, si non impedit damnum per accidens euenturum proximo.*

1 TEnebatur Lucius soluere Fabritio centum scuta, & iam de hac obligatione vigesimus currebat annus: Aduertit Fabritius, quòd nisi à se sibi debitum surripiatur, illud nunquam sit recepturus; ideò dum Ruri morabatur Lucius, ascendit Fabritius scalam, vimque intulit fenestræ per quam Lucij domum intrauit nocturno tempore, & accepta quantitate sibi debita, oblitus est lumen extinguere, quod domi relictum multam combusit suppellectilem, postquam Fabritius discesserat, per ianuam, quam quia apertam reliquit, intrauerunt latrones, totamque deuastantes domum, furati sunt quidquid in Lucij domo inuenire potuerunt.

2 Nunc angitur Fabritius, an teneatur Lucio damna restituere, quæ patitur: Primò, propter incendium multarum facultatum. Secundò, propter furata à latronibus?

3 Respondeo ipsi Fabritio, quòd si lumen ipse non intulisset, nec incendium factum fuisset, sicuti & si ipse ianuam non aperuisset, latronibus via ad furtum faciendum clausa semper extitisset. Hinc patet causam damni cuiuslibet, illati, & sequuti Lucio, fuisse Fabritium, nam illa est causa, sinè qua effectus sequi nequit. Surdus *cons.* 312. *n.* 23. Tiraquellus *in tract. cessat. caus. limit.* 20. *nu.* 28., & videtur quòd non poterat sequi incendium, neque furtum, nisi à Fabritio fuisset lumen allatum, ac ostium apertum; ergo damni est causa.

4 Item & videtur propriè causa, cùm damnũ euenerit nomine ipsius, scilicet cùm Fabritius sit nominandus, si quæratur quis ignem tulerit, aut ianuam aperuerit; vndè Hostiensis in Summa *de Sent. sub n.*4. dicit: *quæ autem dicatur propria causa dicas, quòd illa, cuius emolumentum, vel damnum suo nomine pertinet ff. quon. apell. sit. l.* 1. §. *propr.* 2. *q.* 6. §. *biduum. ver. propriam*. Non potest ergo negari, quin Fabritius fuerit causa damni respectu Lucij prout in casu.

5 Si ergo habemus causam damni fuisse Fabritium; & habemus illum, sinè quo damnum non fuisset factum, cùm illi omnes teneantur ad restitutionem sinè quibus damnum non fieret, vt docent D. Antoninus *p.* 2. *c.* 1. *tit.* 12. §. 12. ex Paludano, Riccardo, Sylu. *v. Rest.* 3. *q.* 6. §. 6. vbi dicit hanc esse cõmunem sententiam. Adrianus *in* 4 §. *de concurrentibus cum fure*. Nauarus *cap.* 17. *n* 17. *& seq.* ergo & in nostro casu à Fabritio erit facienda restitutio.

6 Nihilominus à restituendi obligatione eximendum esse Fabritium censeo, itaut ratio causæ damni, talis non sit, qualis requiritur, vt obligationem restituendi inducat. Non enim quæcunquè causa damni alterius obligat ad restituendum, sed solum proxima: Megal. *cons.* 1. *n.* 6. Dec. *inc.* 1. *de off. deleg. n.* 72. sed in casu nostro Fabritius fuit causa per accidens damni alterius: ergo restituere non tenetur. Quòd per accidens fuerit causa conuincitur, quia causa proxima, & per se, illa est, quæ ad talis effectus productionem ordinatur: sed delatio luminis, & apertio ianuæ non ordinantur ad damnum inferendum per incendium, neque per latrones: ergo nulla ratio causæ proximæ reperitur in Fabritio, prout in casu exponitur.

7 Exemplum adduco de Petro occisore Pauli, sed Petri homicidium tribuitur Francisco, qui propterea & in facultatibus, & in vita summum malum cogitur tolerare, quale est vtrorumquè amissio. In hoc euentu Petrus homicida ad nihil tenetur, per accidens quippè est respectu sui homicidij, vt illa patiatur Franciscus. Sic in nostro casu applicanda est hæc deobligatio Petri, & doctrina est Lessij *de iust. & iur. lib.* 2. *cap.* 9. *dub.* 16. *n.* 110.

8 Nullus igitur tenetur ex Iustitia restituere, si ab eius actione, nec per se semper, nec vt

plurimũ sequatur damnum tertio, quod damnum succedit ad summum rarò à tali actione; ergo cùm à delatione luminis in alienam domum rarissimè proueniat damnosum incendiũ; & ab apertione ianuæ non semper, nec sæpè sequatur furtum latronum, hi enim suspicari possunt se occisuros si intrẽt; ideò Fabritio imputandum non est incendium, aut furtum, quasi fuerit ipsorum causa per se, cùm fuerit causa tantùm per accidens, & consequenter ad damni reparationem non tenetur.

9 Confirmatur: Damnum Lucio sequutum, non est volitum à Fabritio nec in se, nec in causa: ergo omninò fortuitum est dicendum, nihil enim magis fortuitò euenit respectu voluntatis alicuius, quàm id, quod nec in se, nec in causa præuidetur: non in se, quia ignoratur euenturum, nec de eo cogitatur: non in causa, cùm effectus censeatur non volitus in causa, si probabiliter ex ea non proueniat, effectus enim qui rarò prouenit, non censetur magis in illa contineri, quàm non contineri; sed potiùs minùs. Lessius *loc. cit.*

10 Pro noua confirmatione facit casus allatus à Rodriquez *in summ. tom. 1. c. 222. n. 16.* & ei subscribit Diana *p. 5. tract. 4. res. 63* de illo, qui ob metum mortis demonstrauit personam, quę postea occisa fuit; ille enim qui sic demonstrauit non tenetur ad restitutionem damni, quia causa per accidens illius damni solummodò fuit, quod probatur per hoc, quòd nec præuidit, nec cogitauit homicidium, & ipsa præcisa propalatio personæ, non influit per se, nec vt plurimùm in ipsius homicidium: ergo nec tenetur restituere Fabritius in casu nostro, cum nec incendium, nec furtum præuiderit, eorumque neutrum per se, aut in plurimum sequitur ab apertione ianuæ, vel à delatione lucernæ.

11 Ex his patet quòd sic sit respondendum asserentibus Fabritium fuisse causam damni, prout suprà in initio huius decisionis *sub n. 2. 3. 4. 5.* dicebatur: fuit enim causa per accidens tantummodò, non per se, neque moralis, neque talis, qualis influxum præstiterit in damnum, qui influxus, & causalitas in damnum, sunt tota ratio restitutionis Ant. à Spiritu Sancto *cons. 61. num. 4.*

12 Quòd si dicatur fuisse causam propriè talem, & per se totius damni, si tulit lumen, cum quo ignis accensus incendium effecit, & si fores reserauit, viam latronibus præbens:

13 respondeo, hoc totum verificari in linea causæ materialis, non autem in genere causæ moralis. Cùm ergo materiale non attendatur in moralibus, sed tantùm morale, ideò non sufficit, quòd vna causa naturalis aliquid operetur, verùm attendendum est, an etiam causæ moralis naturam habeat, quòd si causa non sit talis moraliter in ordine ad effectum quem facit, nec obligationem restitutionis adducit, si

14 ab ipsa sequatur damnum alicui tertio. Et vt causa sit moraliter causatiua damni, exigitur quòd per se, & vt plurimùm producat tale damnum; quàpropter cùm delatio luminis in aliquod domicilium, non sit causa incendij nec per se, nec in plurimum; sicut & cùm apertio ianuæ nec per se, nec in plurimùm sit causa vt domus deprædetur, nihil horum est causa moralis damni, nec obligationem restituendi adducit, si damnum habẽt per accidens, & materialiter causare.

15 Addo omnimodam inaduertentiam, quæ in Fabritio, (vt asserit) fuit, non cogitans de incendio, nec de latronibus, quæ omnia ipsum excusant à culpa graui, ac per consequens ipsum deobligant à restitutione facienda; nulla enim extat obligatio restituendi, quando nulla culpa commissa est in damno inferendo, etiamsi graue damnum illatum sit: Rebell. *de oblig. iusti parte 1. lib. 2. q. 4.* P. Nauar. *lib. 2. cap. 1. n. 47.* Lessius *lib. 2. cap. 7. dub. 6. n. 26.* Medina, & alij apud Bonacinam *tom. 2. de contract. & restitut. disp. 1. punct. 3. §. vnico n. 6.*

16 *proposit. 2.* Et sinè culpa Fabritius tulit lumen, exiuit per ianuam &c. vt in casu, quia sic iuit motiuo licitæ compensationis.

17 Imò etiamsi ad furandum iuisset, ex qua iniusta actione incendium sequatur, adhuc in foro conscientiæ non teneretur restituere: Rebel. *2. par. lib. 2. q 10. n. 19.* Nauar *cap. 17. n. 140.* Molina *tom. 3 disp. 728. n. 2.* & alij. Ratio est, quia damnum, quod per accidens sequitur ex actione iniusta, non imputatur ad culpam, cùm non sit præuisum, nec intentum: ergo nec imputari debet ad pœnam restitutionis, cùm pœna proportionari debeat culpæ, & delicto; & idem dicendum est de apertione ianuæ, est

18 enim per accidens, nec vt plurimùm sequitur, quòd latrones ianuas ad furandum ingrediantur, per hoc quòd eas videant apertas.

19 Hinc debet restitui damnum illatum per alicuius rei fractionem factam pedibus ab eo, qui noctu secretò ascendit ad furtum perpetrandum, in hoc enim casu non sequitur effectus per accidens, cùm soleant huiusmodi mala sequi ex tali actione, & sic vt plurimùm fit, quòd pedibus in aliquid offendant, qui in abscon-

scondito tenebrarum furantur. Molina *loco citato n 3.* & alij: ergo nulla est facienda restitutio in casu nostro.

20 Insuper nec ad restituendum iudico obligatum esse Fabritium, quamuis venialiter peccasset in damno graui sequuto Lucio debitori suo, etsi peccatum suum veniale, adeò esset graue, vt obliget ad rem grauem restituendã; tenent enim P. Nauarr. *loco citato*, cum Leonardo Lessio, eum submortali non teneri restituere, qui, vt dictum est, venialiter peccauit; quidquid dixerint in contrarium Rebell. Reginal. & alij.

21 Et si quæratur an saltem teneatur restituere propter præuisionem damni sequuturi tertio, si cum lumine intraret, vbi materia combustionis erat, sicut de facto intrauit, & incendium euenit? Respondeo non teneri, quia quando ex aliqua actione sequitur damnum tertio, non ex natura actionis, vel vt plurimùm, non censetur illa actio iniuriosa tertio, atquè ideò nullius ius habet lædere, vndè nec aliquid debet reparari: ità Sotus *lib.4.q.6.art.3.ad quartum argumentum*. Lopez. *tom. 1. cap. 63.* & alij multi.

22 Taliter verum esse puto, quòd Fabritius in prænarrato casu, nullam restituendi pænam contraxit, vt nec restituere teneatur, etiamsi damnum Lucio expresè intendisset euenire, si tamen Fabritius actionem non apposuit, ex qua de sui natura, seu vt plurimùm tale damnum sequatur. Ratio huius est fundata in cõmuni Theologorum sententia affirmante, quòd intentio non facit, vt opus sit iniustum, nisi aliàs ex natura sua, vel ex circũstantijs tale sit: ergo cùm actiones, in nostro casu, non sint iniustæ respectu Lucij ex natura, nec ex circumstãtijs, non euadent iniustæ ex intentione. Less. *lib.2. cap.9 dub.16 num.113.*

23 Volo etiam dare, quòd actiones Fabritij tales fuerint, vt ab ipsis saltem ordinariè damnum sequatur; non tamen volo concedere ipsum teneri restitutionem dare, quia si quis in aliqua actione vtitur iure suo, nemini habet iniustitiam irrogare: ergo nec debet alicui aliquid de iustitia largiri. Lessius *loco citato, sed sub num.114.*

24 Quòd si aliqua reperiatur culpa in Fabritio, tota erit in genere alieno à Iustitia, ac proindè sinè obligatione reparationis damni. Fortasè igitur deliquit contra Charitatem, si aliquam habuit aduertentiam, atquè leuem adhibuit

25 negligentiam. Non enim negari potest, quin aliqua adsit obligatio cauendi ne proximus sentiat damnum, si à tali damno liberari potest, ideò peccat contra Charitatem quisquis debitam non admouet cautionem, cuius omissio censetur causa damni, non tamen obligat ad restitutionem. Lessius *loc.cit. n.112.*

26 Igitur prænarrati casus solutio, est in fauorem Fabritij, qui cùm aliter recipere non posset centum scuta sibi à Lucio debita iam à tot retro lapsis annis, licitè quæsiuit sibi compensare. Et quòd à lumine, quod secum adduxerat, fuerit factum contra ipsius voluntatem incendium cum graui damno in facultatibus Lucij, sicut & damnum graue acceperit propter ianuam latronibus patentem ex apertione à Fabritio facta; totum hoc cùm per accidens acciderit, nullam obligationem reparationis inducit.

27 Prædicta faciunt pro foro interno eiusdem Fabritij, qui in foro fori posset conueniri, tum propter ascensionem scalæ ad vim fenestræ faciendam; tum propter incendium; tum propter ianuam apertam, & propter furata. Vndè quia ratione modi, quo compensationem procurauit, videtur operam dedisse rei illicitæ, & iniustæ, ex qua damnum euenit etsi per accidens, ideò ille, qui damnum passus est, posset in iudicio agere, vt sibi damnum per accidens sequutum resarciatur, iuxta *l.12. Lege, ff. ad Legem Aquiliam*; & quòd sibi dari fuerit adiucatum, poterit consequenter Actor retinere, sequendo præsumptionem fori externi, quamuis fur non teneatur in conscientia restituere; cùm careat culpa respectu damni sequuti per accidens, vt suppono, & sententia fundetur in falsa præsumptione. Bonacina *vbi suprà, sed num.11.*

28 Vltimò notandum est, quòd neque contra Charitatem admisit culpam Fabritius in casu præsenti; nam &si damnum præuidisset per accidens oriturum, quia tamen habebat grauem causam faciendi sibimet compensationẽ debiti, propter hoc nec contra Charitatem operatus est, non cauendo ne Lucio damnum sequeretur; quando enim quis habet grauem causam aliquid faciendi, non tenetur nec ex Charitate cauere damnum per accidens alteri euenturum: Lessius *loc. cit. n.112.* Quibus positis solutum remanet præsens quæsitum.

# DECISIO IX.

*An valida fuerit, & sinè vitio Vsura, & Simoniæ Beneficij permutatio sinè licentia superioris inter mutuantem, & mutuatarium inter se inimicos, vt sic amicitiam contraherent.*

## Casus, seu Historia IX.

### SVMMARIVM.

1 *Casus proponitur.*
2 *Murmuratio, Ira, & Vindicta in hoc casu sunt mortifera.*
3 *Detractio ex genere suo, est mortalis, quamuis fiat venialis ex paruitate materiæ, aut ex indeliberatione.*
4 *Ira est inordinatus appetitus vindictæ, & est mortalis.*
5 *Erit tamen venialis ex modo interiùs irascendi.*
6 *In casu nostro fuit Ira mortalis.*
7 *Fama ablata debet restitui.*
8 *Famam non debet restituere ille, illi à quo fuit & ipse infamatus, & hoc propter comepnsationem, si tamen læsio est æqualis; & non oritur scandalum; nec vnus sit, qui velit famam restituere; ac dummodò compensatio non fiat reddendo maledictum pro maledicto.*
9 *Permutatio Beneficiorum sinè Superioris facultate, est inualida.*
10 *Est facienda Beneficij renunciatio in manibus Prælati, qui possit Beneficiatum inuitum destituere.*
11 *Papa est Generalis Ordinarius etiam Regularium, in cuius manibus, & aliquando etiam in manibus Episcopi potest Beneficiorum permutatio acceptari.*
12 *Episcopus potest acceptare permutationem Beneficiorum spectantium ad inferiorem collatorem.*
13 *Et si permutatio fiat de Beneficio, cuius electio, vel præsentatio sit ius alicuius personæ, exigitur consensus istius vnà cum consensu Pealati Superioris.*
14 *Permutantes cum consensu Superioris, sed deficiente consensu habentis ius eligendi, & præsentandi, inualidè permutant.*
15 *Imò, & deperduntur Beneficia à permutantibus sinè consensu habentis ius præsentandi, vel eligendi.*
16 *Et hoc etsi fiat in eadem Ecclesia cum æquali præbenda.*
17 *Requiritur causa pro permutandis Beneficijs.*
18 *In nostro casu nulla fuit causa permutādi; quinimò ex illicito motiuo facta fuit permutatio.*
19 *Motiuum illicitum ad permutanda Beneficia, est commodum temporale.*
20 *Est Simonia dare spirituale pro commodo temporali.*
21 *Etiamsi vnus solummodò sentiret tale commodum.*
22 *Multi suis commoditatibus consulentes, ignoranter dant spirituale.*
23 *Simonia tamen non est dare spirituale pro commodo spirituali.*
24 *Vnitas prædiorum, est commodum temporale.*
25 *Item Simoniacum est, dare spirituale pro amicitia ciuili.*
26 *Simonia erit, dare spirituale, vt rancor, & odium deponatur.*
27 *Permutatio in præsenti casu contraxit pœnas Simoniacis præscriptas.*
28 *An semper contrahantur omnes pœnæ Simoniacorum, & cum obligatione restitutionis.*
29 *Dare mutuò pecuniam pro odij remissione, & amicitiæ adeptione, est vsura, si fiat mutuum cum pacto, & obligatione.*
30 *Quia talis obligatio tollit libertatem.*
31 *Non est vsura, sperare amicitiam ex mutuo.*
32 *Est vsura mutuare meretrici, vt corporis sui copiam faciat.*
33 *Secùs si solùm ex mutuo speretur amicitia, qua mediante peruenïatur ad copulam.*
34 *Ex dictis apparet quid dicendum sit in Casu nostro.*
35 *Non est vsura mutuare eo fine, vt remittatur odium.*
36 *Est vsura dare mutuò, vt mutuatarius condonet iustam satisfactionem debitam.*
37 *Propter amicitiam si mutuetur, est Simonia.*
38 *In casu nostro est Simoniacus mutuans.*
39 *In contractu innominato, est locus pœnitentiæ.*
40 *In casu nostro multa intercedunt vitia.*
41 *Sperare aliquid in mutuo, vel in danda re spirituali, non est illicitum.*

1 Illustrissimus Dominus Ioannes Thomas de N. Abbas Ecclesiæ insignis in territorio N. grauiter fuit læsus à quodam Domino Canonico, qui de ipso D. Abbate obmurmurauit, eius famam notabiliter lædens, ductus ab ira iam nimiùm concepta contra eumdem Abbatem, qui similiter quomodò Canonicum vexaret diligenter plus æquo studebat. Progressu temporis factum est, vt D. Abbas optaret permutationem Canonicatus prædicti Canonici cum alio Beneficio Iulij eiusdem Abbatis consobrini, quia sic prædia reddituum Canonicatus

nicatus ex contiguitate cum prædijs eiusdem Abbatis, multa commoda afferrebant præfato Iulio, quæ permutatio facta est nulla quæsita facultate à Sede Apostolica, neque ab Episcopo. Insuper D. Canonicus nedum consensit in permutationem, verùm & multam pecuniam mutuauit ipsi Abbati, eo pacto, & intentione vt rixis, odio, & rancore reiectis, amicitia inter illos iniretur, quod & factum fuit.

Quæritur modò quid Iuris, nec non quid licitum, vel illicitum dicendum sit in prænarratis. Primò, an valida fuerit permutatio sinè facultate superioris? Secundò, an Simonia vitiet factum? Tertiò, an Vsura in dictis immisceatur? Quartò circa Murmurationem, odium, & vindictam.

2 Domino Canonico exquirenti à me, quid in prænarratis sentiam, infrascripta pro responsione porrigo perlegenda. Et quia in casu proposito habemus Murmurationem, Iram, atquè Vindictam, & quidem omnia vsquè ad grauitatem materiæ extensa, superfluum puto in horum examine immorari, cùm sinè culpa quodlibet illorum non esse cognoscatur manifestè:

3 Imò dico esse mortalem, quia detractio ex genere suo est mortalis, & in casu nostro nihil cócurrit, quod illam reddat venialem, vt paruitas materiæ, vel indeliberatio habent operari: ità DD. communiter sinè controuersia.

4 Circa Iram, quę est inordinatus appetitus vindictæ, ptout à Moralistis definitur, quia in casu nostro intendebatur graue malum proximi, ideò nec potest excusari à graui peccato, quo-

5 niam huiusmodi iræ genus est mortale ex genere suo, vt docet Baldel. *lib. 3. d. 21.* tunc enim est solùm venialis, quando ex parte modi irascendi, nimiùm interiùs exardescit, vel exteriùs per signa nimis patefit. D Thomas apud Busen. *in medul. lib. 5. cap. 3. dub 6. nu. 2.* ex quibus constat quid sit dicendum de intenta vindicta Abbatis contra Canonicum, vt nar-

6 ratur in casu videlicet esse mortiferum peccatum Iræ, si ex parte obiecti attendatur, ex eò quòd optetur damnum notabile alteri, iuxta Baldel. *loc. cit.* & hoc ex genere suo.

7 Notum est etiam teneri ablationem famæ restituere illum, à quo per suam detractionem fuit alteri ablata, quia hæc ablatio habet rationem furti in omnium sententia. & sanè grauioris, ac sit furtum opum, cùm maius bonum sit fama, ac sint opes: Busenb. *in Medul. lib. 3. cap. 1. dub. 2.* Est ergo D. Canonicus obligatus ad restitutionem famæ, quam abstulit Abbati, contra istum detrectando, vt expositum est.

8 Aduertat tamen ipsemet D. Canonicus, quòd ad talem restitutionem ipsum non obligo, si vice versa fuit & ipse diffamatus ab Abbate, nam illi, qui se mutuò infamauerunt, possunt vti compensatione, dummodò infamia non sit inæqualis, & non oriatur scandalum, vel dummodò vnus non sit, qui velit famam reddere, tunc enim etiam alter tenetur ipsi restituere; ac dummodò cópensatio non fiat reddendo maledictum pro maledicto, hoc siquidem modo fieri non potest. Syluius *in 2. 2. D. Thomæ qu. 62. art. 2. quæritur* 10. Malderus *in 2. 2. tract. 7. cap. 2. dub.* 14. & alij apud ipsos. Hæc sufficiant ad quæsitum circa Murmurationes, Iras, & vindictam.

9 Quod autem primo loco quærebatur, an scilicet validè simul fiat permutatio Beneficiorum, nulla interueniente Superioris facultate, respondendum pro certo est, inualidè id semper tali modo fieri. Igitur quamuis quæcunquè dignitates, & beneficia minora possint adinuicem per permutationem resignari, necesse est tamen, quòd pro tali permutatione superioris consensus interueniat: sic tradit Panormitanus *in c. cum olim n 2. de rer. permutatione, & argumento c. quæsitum eod. tit. & clem. vn. eod. tit. & c. 1. eod. tit. lib. 6. & c. Scias, & c. Episcopus de loco 7. q. 1.*

10 Igitur resignatio beneficij non potest fieri, neque admitti, nisi in manibus Episcopi, vel alterius Prælati, qui possit beneficiatum inuitum destituere, quia renunciatio habet vim cuiusdam destitutionis. Lopez *alleg. 14. in fi. nu. 7. ver. vltimo*. Ergo nemo potest se ipsum beneficio priuare, illud alteri cedendo, quamuis titulo permutationis, hoc enim esset illud resignare, & non in manibus legitimi, ac requisiti Prælati.

11 Prælatus autem legitimus non est vnicus Papa, licèt sit semper sufficiens ipse solus, est enim Generalis ordinarius, etiamsi beneficia sint regularia. Calder. *cons. 293. aliàs 1. de rerum*

12 *permut.* Episcopus ergo potest & ipse aliquando in manibus suis acceptare permutationem beneficiorum spectantium ad collationem inferioris collatoris: Videatur Feder. de Sen. *cons. 156. n. 3. in fin. vers. item quando collatio.* quæ dixi ad ostendendum, qualiter sic necessariò requiratur superioris consensus ad beneficia permutanda, vt Authores diligenter examinent, quinam sit Prælatus, in cuius manibus permutatio fieri debeat.

13 Adeò verum est, beneficia permutari non posse

posse particulari permutantium consensu, sinè
consensu Superioris, vt vlterius de necessitate
debeat interuenire etiam consensus habentiũ
ius eligendi, vel præsentandi, si permutatio sit
de beneficio, cuius electio, vel præsentatio sit
ius etiam patronorum laicorum, nedum Ec-
14 clesiasticorum; quapropter si permutantes cum
consensu Superioris, non habeant quoquè con-
sensum habentium ius eligendi, vel præsentan-
di, ipsa permutatio erit nulla. Calder. *cons.*
*294. aliàs 2. de rer. permutatione.*
15 Nec solam nullitatem permutationis ha-
bent permutantes beneficia, non habita facul-
tate superioris; verùm & perdunt illa, vt ha-
16 betur *in d. c. cum olim*: Et hoc tametsi fiat cum
æquali omninò præbenda in eadem Ecclesia:
Hostiensis, Io: de Lignano *in c. fin. de rer. per-*
*mut.* Sylue. *ver. permutatio num. 1.*
17 Vltrà consensum superioris, exigitur legiti-
ma causa pro tali permutatione facienda. Sylu.
*in d. ver. permutatio n. 3. per text. in c. quæsitum.*
18 Sed in casu nostro nulla adfuit causa, sed po-
tiùs illicitum motiuum, & Simoniacum, vt sta-
tim demonstrabitur: ergo vndequaque vi-
tiata dignoscitur talis permutatio.
19 Deindè, vt proponitur in narratione facti,
ex duplici motiuo fuit intenta, & facta permu-
tatio: Motiuum vnum fuit commodum tem-
porale proueniens Abbati, & Iulio eius con-
sobrino, propter vnitatem redituum ex conti-
guitate prædiorum Canonicatus, & patrimo-
nialium eiusdem Abbatis, & Consobrini simul
in eadem domo comensaliter degentium. Mo-
tiuum aliud fuit depositio rancoris, & acquisi-
tio amicitiæ, intuitu cuius motiui, fuit etiam
20 mutuata pecunia: Quantùm ad primum mo-
tiuum; docet clarè D. Thomas fuisse Simo-
niam, dum *in 4. sentent. dist. 25 quæst. 3. art. 3. in*
*corpore articuli*, sic loquitur: *Quicunque pro*
*aliquo temporali commodo dat aliquod spiritua-*
21 *le, vel annexum, Simoniam committit.* Item in
eodem articulo respondens ad octauum argu-
mentum, ità dicit: *in tali permutatione* (sermo
est de permutatione beneficiorum) *est simonia,*
*si pro aliquo terreno commodo vtriusquè, vel al-*
*terius talis commutatio fiat.*
22 Notent quæso lectores, hæc sanè obseruan-
da verba Angelici Præceptoris: etenim heù
quot ista ignorantes, proprijsque commodita-
tibus consulentes, huiusmodi Simoniam in-
23 currunt! Vtinam commodum animæ perqui-
rerent, quia tunc sancta, & laudabilis esset
quælibet permutatio, vtpotè quæ fieret ex spi-
rituali motiuo; quemadmodum ipsemet D.
Thomas scripsit *loco citato*: *si autem pro spiri-*
*tuali* (subintellige *commodo fiat*) *vt quia in illo*
*loco meliùs possit Deo seruire, non est simonia.*
24 Hæc omnia concurrere in casu nostro, luce
clariùs est, nam Abbas, & eius beneficiatus
consobrinus, non alia de causa procurauerunt
permutationem cum Canonico, præterquam
vt commodum temporale sentirent, habentes
omnia prædia simul vnita, non disiuncta: Er-
go permutatio præsefert Simoniam, prout in
præsenti examinatur.
25 Quòd si ad contrahendam amicitiam fiat
permutatio a Canonico, adhuc erit Simonia,
est enim quid ciuile, ac proinde quid tempora-
le ipsa amicitia, pro qua obtinenda datur spiri-
26 tuale. Idem dicatur de remissione rancoris, &
odij, si sint motiuum, cuius intuitu, & gratia
D. Canonicus dat Canonicatum, dummodò
dictus Canonicus non teneatur ad talem re-
missionem, vt dicam infra *num. 34.*
27 Concesso igitur (quod tamen in casu nostro
concedendum non est) quòd permutatio bene-
ficiorum fuisset sinè vitio ex parte consensus
non habiti à Superiore, esset nihilominus sum-
moperè viriata ratione Simoniæ, sicque præ-
scriptus simoniacus contraxit pænas, quas vi-
dere facilè est in omnibus Doctoribus de Si-
monia tractantibus: vt faciunt Lessius *l. 2. c. 35.*
*dub. 31.* Layman *l. 4. t. 10. cap. vlt.* Bonacina
*d. 1. q. 7.* & alij quamplures.
28 Et ad sciendum an omnes pænæ, quæ pro
Simoniæ delicto determinantur à Iure, semper
contrahantur, & cum obligatione restitutio-
nis, adeatur Diana *p. 4. tract. 4. resp. 155.* vbi fu-
sè adducit opiniones DD. circa hoc particula-
re, in quo breuitati consulens non immoror
ego.
29 Restat inquisitio tertij quæsiti in interroga-
tione casus, quod est an vsura sit, pecuniam
mutuare pro remissione odij, & amicitiæ adep-
tione. Et dico in simili mutuo posse esse, &
posse non esse Vsuram. Est Vsura si ex pacto,
& conuentione mutuatario imponitur onus,
& obligatio, ad quasi ex iustitia illum constrin-
gendum, vt ea præstet, ad quæ aliàs non tene-
batur, quod est aliquid suprà sortem exigere,
in quo Vsuræ essentia consistit: ità DD. com-
30 muniter. Et ratio est, quia illa obligatio tol-
lit libertatem, consequenter est prætio æstima-
bilis. *l. sicut. C. de actionib. & Instit. de obliga-*
*tionibus.*
31 Non erit vsura, si exclusa conuentione, nul-
la imponitur obligatio ipsi mutuatario, sed so-
lùm speratur se euasurum amicum, & deposi-
tu-

siturum odium, ac rancorem ex vi mutui sibi
32 dati. Sic si quis dederit mutuum meretrici cum pacto, vt in pretium mutui copiam sui
33 corporis faciat, vsuram committit. Secus dicatur, si tantummodò speret, & intendat amicitiam, & hac mediante peruenire ad copulam. Molina *d.*307.*n.*2. Sotus *l.6. de iustitia, quæst.*1. *art.* 2. Reginaldus *l.* 25. *n.* 179. Salas *dub.*16. & alij communiter.

34 Ex qua generali doctrina deducitur, quòd cum distinctione oporteat discurrere in casu nostro. Vel enim D. Canonicus dedit mutuum cum conuentione, vel tantùm cum spe. Deindè adhuc est subdiuidendum: vel enim fecit in mutuo pactum, vt sibi daretur amicitia sola; vel sola remissio odij, & rancoris; vel
35 omnia simul. Si dans mutuum fecit pactum vt sibi vltrà sortem daretur remissio odij, rancoris, & vindictæ prædictæ, dico in hoc non adesse vsuram, nam vt esset vsura, deberetur imponi obligatio, ad quam antea mutuatarius non teneretur. Caietanus *verf. vsura cap.* 2. Arragonius apud Bonacinam *de mutuo, & vsura disp.*3.*quæst.*3.*punct.*3. *num.* 16. Medina *C. de rebus per vsuram acquisitis, quæst.*1. *verf. lucrum autem*, P. Nauarr. *lib.*3. *cap.*2.*n.* 381. Reginaldus *lib.* 25. *num.* 193. Emanuel Sà *verbo mutuum ad finem* Salas *dub.* 12. & alij. Sed quilibet habet obligationem remittendi etiam iniurias, nec non & rancores, odia, & animum vindicandi: ergo mutuatarius, vt præfertur, non grauatur obligatione, quam antea non haberet, non ergo censendus est vsurarius ille, qui mutuat cum pacto prædicto. Minor non eget probatione, nullus enim negabit, quin iniusta vexatio per iniurias, odia, &c. debita sit ex iustitia: Bonacina *loc. cit.* vbi notat, secus
36 esse dicendum de eo, qui mutuat cum pacto, vt mutuatarius condonet iustam satisfactionem debitam.

37 Si verò mutuans ponat onus obligationis mutuatario, vt amicitiam suam vltrà sortem condat, & tribuat; ego in isto casu profero vsurarium esse ipsum mutuantem, nam exigit aliquid prætio æstimabile, maximè propter annexa ipsi amicitiæ, qualia sunt libertas viuendi, deambulandi, tractandi, & cætera commoda in negotijs; & quando mutuans imponit obligationem mutuatario aliàs à tali obligatione libero, vsuræ labem contrahit Bonacina *loc.cit.sed num.*1. & alij DD. passim.

38 Inde patet, esse dicendum vsurarium solùm in parte, mutuum datum cum obligatione præstandi varia in ipso mutuatario, quorum aliqua nouam, alia non nouam ei ponunt obligationem.

39 Tandem obseruo, quòd si permutatio beneficiorum inter Illustrissimi D. Abbatis consobrinum, & inter Canonicum esset tantùm de futuro, & nondum executioni mandata, possent pænitere de illa, talis enim permutatio, est contractus innominatus, ideò locus est pænitentiæ re integra. Castr. *consil.*241. apud Cardinal. Tuschum *verbo permutatio, concl.* 302. *num.*1.

40 Sed quia ad effectum est deducta, vt in casu proponitur, ideò & permutantes, & Abbas in tali permutatione principaliter agens, illicitè se gesserunt, nec culpas graues, ac sacrilegas effugerunt, tum in Simonia, tum in vsura, tum in læsionibus per detractiones, odia, & vindictam offensiuam personæ clericalis, quapropter ex prædictis conclusum remanet, quid Iuris, & facti dicendum sit in casu, imò & quid de internis volitionibus, &c. nequè dubitationem excito, an licitè possit sperari amicitia, vel aliud in dando mutuo, vel in danda re spirituali, cùm certum sit, & communis sententia, id licere.

---

# DECISIO X.

*An Immunitas Ecclesiastica fuerit violata à Principe N. dum publicauit Edictum pro suo Statu vniuersaliter omnes comprehendns, ne aliquis acceptet officium aliquod ab alio, quàm à seipso?*

## Casus, seu Historia X.

### SVMMARIVM.

1 *Casus proponitur.*
2 *In Edicto Principis laici, nec implicitè possunt nominari Ecclesiastici.*
3 *Sic in casu nostro non comprehenduntur.*
4 *Et de hoc non est dubitandum.*
5 *Nec valet dicere, quòd omnes comprhendat dictio:* Aliquis.
6 *Seù quòd dictio:* Quicunquè, *extendat dispositionem legis ad extraneos, & ad eos, qui non venirent.*
7 *Nam non semper dictio:* Aliquis, *comprehendit omnes; nec semper dictio* Quicunquè, *extenditur ad extraneos.*
8 *Dictio* Aliquis *non comprehendit omnes, vbi repugnat natura eius, de quo agitur.*

9. Di-

9 *Dictio* Quicunquè *non comprehendit priuilegiatos in materia, de qua agitur.*
10 *Verba debent intelligi iuxtà qualitatem disponentis.*
11 *Non præsumitur nolle Principem, vt suæ leges obseruentur.*
12 *A conditione loquentis interpretationem sumunt verba obsucura.*
13 *Propterea si Rex mentionem faciat Iuris, intelligitur de solo Iure regio.*
14 *Dictio:* Alter: *repetit eamdem qualitatem.*
15 *Et ostendit personam similem.*
16 *Nec admittit nisi personas eiusdem qualitatis.*
17 *Et generaliter denotat similia, & similia continet.*
18 *Lex noua non derogat priuilegia inserta in corpore Iuris communis, nisi specialiter nominentur.*
19 *Ecclesia, & Clerici sunt priuiligiati Iure Diuino, Canonico, & Ciuili.*
20 *Laici in suis Legibus non includunt Clericos.*
21 *Nec alicuius sunt roboris statuta Laicorum respectu Ecclesiasticorum.*
22 *Qui non potest comprehendere Clericos in sua lege, censetur nec velle.*
23 *Quod probatur.*
24 *Præcipuè quia voluntas, & potestas requiruntur.*
25 *Et voluntas sinè potestate nil operatur.*
26 *At præsumitur semper velle Legislatorem, vt suæ leges operentur.*
27 *Et verba debent intelligi cum effectu.*
28 *Intentio Legislatoris colligitur à proæmio legis.*
29 *Verbum,* Volo *refertur ad actum licitum;*
30 *Velle quis non præsumitur, nisi honesta.*
31 *Nec creditur quis velle, quod non potest facere.*
32 *In obscuris solet inspici, quod verosimilius est.*
33 *Dum non constat de Principis voluntate, attenditur quod verisimiliter est.*
34 *Tempus currit eidem Principi auctoritatis, licèt diuersis materialiter.*
35 Perpetuò *idem est* ac Semper.
36 *Præscriptio est introducta ad tollendas lites, & reddendos homines diligentiores.*
37 *Præscriptio tollit dominium.*
38 *Ad præscribendum contrà Laicos sufficiunt 30. anni: 40. contrà Ecclesiam particularem: 100. contrà Romanam.*
39 *Et hoc verificatur etiam pro Iuribus Ecclesiæ particularis.*
40 *Est diuersa Ecclesia Romana, ab vna alia particulari Ecclesia.*
41 *Concluditur in fauorem Serenis. D.*
42 *Possessio est de re corporea: quasi possessio est de incorporea.*
43 *Habent ambæ eumdem effectum.*
44 *Si sit dubium, an quis sit quasi in possessione, pro se præsumptionem habet; & probandi onus est in aduersario.*
45 *Si Actor non probat, Possessor obtinet.*
46 *Possessio facit, vt aduersarius sit Actor.*
47 *In pari causa, est semper iudicandum pro possessore.*
48 *Licitè intentatur remedium possessionis reintegrandæ.*
49 *Ecclesiastici in casu, ipsi soli sibi ipsis malum intulerunt.*
50 *Solùm in bonam partem est interpretanda lex, aut verbum aliquod.*
51 *In dubio de nullitate, est interpretandum, quòd valeat.*
52 *Interpretatio est facienda, ita vt dispositio non sit elusoria.*
53 *Statutum Laicorum nec directè tangit Ecclesiasticos.*
54 *Laici à Iudicibus Ecclesiasticis possunt cogi, vt declarent suas leges contrà Ecclesiam, vel Ecclesiasticos.*
55 *Delictum in dubio, non est præsumendum.*
56 *Et sic interpretatio facienda est exclusiua delicti.*
57 *Maximè quando alia coniectura sumi potest.*
58 *Nec valet dicere, esse præsumendum delictum, si cedat in commodum Principis.*
59 *Nam in casu nostro, sentiret sola incommoda Princeps.*
60 *Lex dubiosa est interpretanda ne sequatur absurdum.*

1 ANno à Christi Natiuitate 1605. publicatum fuit in Ciuitate N. italico idiomate Edictum tenoris sequentis.

N. Dei gratia Dux N. & N. &c. Volentibus nobis multos abusus impedire, qui & iam irrepsere, atq; in dies possent augeri in statu nostro, ratione multorũ, qui in statu nostro Iurisdictionem exercent, se in Cõmissionibus, & delegationibus illegitimis fundantes, necnon & excedentes, ac transgredientes legitimas multa cum molestia, expensis, & damnis subditorum nostrorum; ideò tenore præsentium, quæ *legis perpetuæ vim habere volumus,* expressè iubemus cuicunquè personæ cuiuslibet status, gradus, ac conditionis, nobis subditæ, ne in posterum audeat acceptare aliquam delegationem, aut commissionem *à quocunquè*; nec seruire tanquam Actuarius, Notarius, Scriba, aut Officialis, aut cum titulo cuiuscunquè alterius

terius nominis ministri Iustitiæ *alicui*, qui asserat, aut prætendat se habere commissionem, aut delegationem, ceu alterius authoritatis deriuantis, ac dependentis *ab alio*, *quàm à nobis*, aut à nostro Consilio, Senatu, vel ab alio Magistratu, vel ab alio Ministro nostro. Insuper prohibemus ijsdem subditis, ne in prædictorum Iurisdictionem consensum præbeant, neque ante ipsos litem faciant nec vt Actores, nec vt Rei; & Procuratoribus, ac etiam Aduocatis prohibitionẽ facimus, ne illis Patrocinium præstẽt coram dictis assertis delegatis, nisi priùs viderint consensum, & beneplacitum nostrum, vel saltem Senatus nostri, vt dictas Commissiones, & Delegationes valeant exercere. Item ordinamus, vt nullus Iudex, aut minister audeat in posterũ exequi, seu exequi facere litteras subsidiales, quæ veniunt *ab alieno dominio*, nisi priùs habita sit licentia à nobis, vel à Senatu nostro, &c. præscribentes cotrafacientibus pœnam, &c.

Anno postmodum 1660. fuit confirmatum, & renouatum præcitatum Edictum à nouo Duce N., sed Illustrissimus Episcopus Ciuitatis, vnà cum Inquisitore, imò Episcopi, & Inquisitores Ciuitatum dominij eiusdem Ducis, prætendentes violatam eorum authoritatem, reclamauerunt ad Secretum Consilium eiusdem Ducis; propterea prudentissimi Consiliarij vocauerunt tres Theologos, qui examinarent, an per dictum Edictum fuerit violata Immunitas Ecclesiastica, & an per illud Ecclesiasticos offenderit Serenissimus Princeps. Quia ergo ex illis tribus pro resolutione quæsitis, vnus eram, respondi vt sequitur.

### §. I.

#### *Ostenditur Ecclesiasticos non nominari in Edicto.*

2 NImiùm scrupulosos iudico Ecclesiasticos, qui se putant comprehendi in Edicto Principis sæcularis per hoc, quòd generaliter loquatur, cùm tamen explicitè non nominẽtur, nec implicitè possint nominari *ex c. si Imperator 96. distinct sicut latè: & docet* Surdus *in con. 301. cui primùm, num. 45. vers. vt non mouet, vol. 3.*

3 Statuendum igitur est Ecclesiasticos vllo pacto nec implicitè nominari, nec aliquo modo esse nominatos, etiam dato, quòd possent legitimè nominari, & probatur iuxta celebrem Iuris regulam *Odia. 15. de reg. iur. in 6.* pro legum interpretatione, quòd in odiosis sunt restringendæ: ergo lex non debet extendi ad non nominatos, maximè si non sint subditi Legislatoris, quales sunt omnes fori Ecclesiæ, respectu fori laicalis, & subiectum legis est solus subditus. Bonacina *de legib. disp. 1. 4 qu. 1. punct. 6. n. 1.* Et hæc doctrina non dat locum disputationibus, seu opinioni contrariæ, sed est omnino de Fide. Suarez. *lib. 3. cap. 32. num. 4.*

5 Nec contrà suffragatur, quòd vbi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus *l. pretio 8. ff. de public. in rem. action.* præcipuè cùm in Edicto ponantur verba generalia, qualia sunt *à quocunque*; & *non inseruire alicui*, quæ dictiones *Quicunquè*, & *Aliquis* comprehendunt omnes, & ita habet de dictione *Aliquis*. Barbosa *tract. variar. dict. diction. 22. n. 8.* vbi ci-
6 tat alios. Et dictio *Quicunquè* est adeò vniuarsalis, vt extendat dispositionem legis ad extraneos, & ad eos, qui non venirent. Alexan. *cons. 30. incip præsuppositis, num. 14. in 6. dub. lib. 5. & cons. 1. & 193. nu. 4. lib. 6.* Tuschus *litt. D. concl. 351. n. 3.* Mart. *casu 130. n. 7.*

7 Hæc non probant Ecclesiasticos venire in Edicto, quia nec dictio *Aliquis* semper omnes comprehendit; nec dictio *Quicunque* semper extenditur ad extraneos, & eos, qui non venirent: Primò circa dictionem *Aliquis* docet Tuschus *litt. D. conclus. 269. nu. 5.* non comprehendere personas, quibus obuiat Ius cõmune in illa dispositione, vel vbi sequitur fatuitas, vel absurdum.

8 Et idem Tuschus *loc. cit. nu. 6.* restringit talem dictionem *Aliquis*, & dicit non comprehendere omnes, vbi repugnat natura eius, de quo agitur, & Tuscho adhæret Signorol. *cons. 188. n. 7. & n. 13.*

9 Sic & dictio *Quicunque* non comprehendit personas priuilegiatas in materia, de qua agitur: Farinacius *in praxi crimin. p. 3. q. 138. n. 6.* Vulpell. *in l. in fraude, §. vltim. ff de militari testament.* Ergo cùm respectu eorum, quæ in Edicto ponuntur Ecclesiastici sint priuilegiati; & pro ipsis repugnet id, de quo agitur, nec non & ipsis faueat Ius commune Immunitatis, imò & si comprehenderentur, sequatur absurdum Immunitatis violatæ, & appareret fatuitas in Principe condẽte legem pro non sibi subditis, & absque facultate illam condendi, conclusum remanet nullo modo, directè, aut indirectè includi, nominari, nec comprehendi Ecclesiasticos in præadducto Edicto.

10 Quòd si dubium oriatur, an saltem Immunitas Ecclesiastica conturbetur per verba in fine

Edicti apposita, scilicet *ab alieno dominio*, si veniant litteræ subsidiariæ, non exequantur, respondēdum resolutoriè est, significare tantummodò alienum dominium sæculare, non Ecclesiasticum, etenim verba debent intelligi secundùm conditionem, & qualitatem personæ disponentis *l. plenum §. equitij ff. de vsu, & habit.* Menochius *lib. 4. præsump.* 85. *n.* 5. *& lib. 2. præsump. 6. num.* 4. Idem habetur *l. similes vnum ff. de testam. militis*: maximè quia non
11 præsumitur Principem nolle leges à se cōditas non obseruari, *arg. l Arriani, C. de haret.* Ergo cùm conditio, & qualitas personæ disponentis Edictum sit Dux sæcularis, intelligenda sunt verba Edicti stare solùm pro sæcularibus, seu pro illis, qui debent facere, vt lex Principis obseruetur.

12 Addatur, quòd verba obscura interpretationem sumunt à conditione personæ loquentis *l. si miles ff. de testam. milit.* apud Menochium
13 *lib.* 1. *qu.* 37. *n.* 24. propterea si Rex mentionem faciat Iuris intelligitur de Iure Regio, non autem de alio. Baldus *in c. cum venissent. de eo qui mitt. in possess.* Decius *in l. & militibus n.* 4. *C de mil. testam.* Sic applicetur in casu, quòd *ab alieno dominio* intelligatur dominium eiusdem generis, ac suum, nempe sæculare, non tacto dominio Ecclesiastico.

14 Et magis probat non tangi Ecclesiasticos, ipsamet significatio vocis *Alter*; quod verbum est illud, de quo difficultatur, cùm *alienum dominium*, sit idem ac *aliud dominium*, vt per se notum est, Nihil ergo significat *Alter*, nisi quòd repetit eandem qualitatem: Cosm. *in pragm. sanct. in tit. de collat. §. & quoties in vers. Alio*: allegat *tex. & gloss. in Clem. si vna de reb. Ecclesiæ non alienan.* Greg. *decis* 544. *n.* 9. Cened. *sing.* 68. *n.* 3. Si ergò dominium publicantis Edictum, est dominium sæculare, erit etiam intelligendum eiusdem qualitatis dominium per *ly*: *Alter*; ergo non venit in Edicto persona dominij Ecclesiastici.

15 Roboratur hoc ex Menochio *cons* 632. *n.* 44., vbi docet, quòd dictio: *Alter*, ostendit personam similem.

16 Et sic non admittit nisi personas eiusdem qualitatis. Fusar. *cons.* 39. *num.* 16 *& iterum cons.* 41.

17 Et generaliter denotat similia, ac similia continet. Hippol. Rimin *in Rubr. instit. de donat. n.* 27. Robles de Salzedo *de repræsent. lib.* 3. *c.* 17. *n.* 26. *& lib.* 2. *c.* 14. *n.* 45. Igitur ex prædictis apertè constat Edictum Ducis non tangere, non nominare, neque intelligi debere de Ecclesiasticis, cùm non sint, nec quoad personam, nec quoad dominium, similes, aut eiusdem qualitatis cum persona, & dominio Ducis, cuius Edictum rectè, prudenter, ac summa cum Prouidentia fuit promulgatum, taliter quòd subditis sæcularibus summoperè fauens, nullatenus Ecclesiasticos, Ecclesiasticamque libertatem lædit.

## §. II.

*Examinandum remanet secundo loco, an Ecclesiastici non tangantur in Edicto suprapòsito, in eorum Priuilegijs, tum propter defectum potestatis, tum propter non voluntatem Principis?*

18 Respondendum est non tangi Ecclesiasticos, quia lex de nouo statuta non derogat Priuilegijs positis, & insertis in corpore iuris communis, etiam positis quibuscunquè circumstantijs, & clausulis generalibus, nisi faciat de illis specialem mentionem. Mirand. *tom.* 1. *man. q.* 45. *art.* 6. Bonacina *de Censur. disp.* 2. *q.* 6. *punct.* 2. *n.* 15 & Peyr. *de sub. q.* 1. *cap.* 13. vnà cum Belasio *in promp. regulari verbo Lex. n.* 5. Ergo Edictum non tangit Ecclesia-
19 sticorum Priuilegia, de quibus in eo nulla fit mentio; & certum est Ecclesiam, & Clericos esse Priuilegiatos Iure Diuino, Canonico, & Ciuili. Diana *p.* 6. *tract.* 3. *res.* 2. & est communis.

20 Et eò magis priuilegia Ecclesiasticorum non tanguntur in Edicto, de quo agitur, quò magis certum est, quòd Statutum Laicorum, quantumcunque generaliter loquens, licèt bonum, & honestum videatur, non includit Clericos, quia deficit authoritas in statuente. *c. final. de rebus Eccles. non alienan.* Bartholomæus Soc *cons.* 71 *incip. circà præsentem consultationem, lib* 4. *n.* 10. *vers. tamen vt dicit.*

21 Et adeò verum est, non tangi Ecclesiasticorum Priuilegia in casu nostro, vt defectu potestatis in Legibus Laicorum non derogetur Priuilegijs Ecclesiasticorum, præcipuè si non nominantur, siquidem statuta, & leges Laicorum, nedū possunt Clericis malum facere, verùm nec bonum, cùm leges etiam in fauorem Ecclesiæ à Laicis conditæ, nullius sint roboris per hoc præcisè, quòd sunt Leges, & Statuta Legislatoris Laicalis. Albertus *tract. de statut. p.* 2. *q.* 2. *n.* 60. Bartholomæus Socinus *cons.* 14. *incip. circa dubia data. lib.* 1. *n.* 14. & habetur *in c. Ecclesia Sancta Maria, de constit. & in c. cum de Laicis, de rebus Eccles. non alienan.* & ibi

Butrius

Butrius, Abbas cùm Imolà *in c. de Clericis, de for. compet.*

22 Quinimò Ecclesiastici in præsenti Edicto nô perturbantur, quia sciente, & volente Principe à quo emanauit, seù renouatum fuit, nullam de ipsis mentionem fecit, sicuti nec facere poterat, atquè ideò nec voluit, vt infrà dicam, nam erga illos deficit potestas in Laico: Ità DD. communiter, ac proindè superfluum est aliquem nominatim hic ponere.

23 Hinc audiant, quæso, omnes, quos suspicio inuasit, Principis Edictum generaliter loquens, comprehendere quoquè Ecclesiasticas Personas, quasi verò sic Legislator semper, vel saltem aliquando vellit: Audiant, inquam isti, & attentè considerent Dianæ *part.6. tract.3. ref. 3.* sequentia verba: *Non præsumitur statuentes voluisse in generali dispositione comprehendere personas, de quibus etiamsi voluissent, in specie disponere non potuissent.* Igitur nulla dispositio intelligitur facta per Edictum Ducis tum defectu potestatis, tum defectu voluntatis,

24 præcipuè quòd *voluntas, & potestas sunt præcipua in quauis hominis dispositione.* Iason *in cons. 140. n.6. lib.4.* Rui. *in cons. 163. n.21. lib.3.* Portius Imolens. *in cons. 92. n.65.*

25 Item probat defectum voluntatis in Principe comprehendendi, seù tangendi Ecclesiasticos in eius Edicto, ipse defectus potestatis; quia voluntas sinè potestate nil operatur. Menochius *lib.3. præsumpt.6. n.33.* at semper præ-

26 sumitur Legislatorem velle suas leges operari. *arg. lib. Arriani C. de hæret.* Ergo in casu nostro Princeps voluit id, quod potuit, ac noluit, quod non potuit; aliter voluisset suum edictû non operari, & ideò non tangit Ecclesiasticos in Edicto.

27 Vlteriùs arguo non voluisse Serenissimum Ducem contineri Ecclesiasticos in suo Edicto, *ex l. prima §. hæc autem verba*, & ex Cyriaco *controuers. forens. 103. n.92. tom.1.* quia dicunt verba debere intelligi cum effectu; quod tamen non esset, si Ecclesiasticos intendisset cô- tineri in suâ lege ipse Princeps, quia expressè

28 voluit suum Edictum habere effectum, dum in ipsius initio, quasi proæmialiter loquês, incipit *Volentibus nobis, &c.* Voluit ergo, & suam voluntatem expressit, vt illud Edictum cum effectu esset, etenim ex proęmio legis, clarè colligitur intentio Legislatoris: Tiraquellus *tract. cessante causa. limit. 1. n.65.* Guttierez *lib.3. practica q. 17. n.90. & 91.* Molina *lib.1. de primog. cap.5. n. 34. & 35.* Barbosa *tract. de axiomatibus, axiom. 192. n.2.* Menochius *lib.6. præsump.2. num.1. & 2.* Curtius Iunior *cons. 182. num.2.*

29 Si ergo Princeps dicit in Edicto: *Volumus*, signum est se nolle, quòd non potest velle, quamuis verbis generalibus explicet suam voluntatem. Hinc Peralt. *in l.1. n.73 ff. de legat.2.* Molina *de primog. lib.2. cap.5. n.17.* & Barbosa *dict. 436. n.2.* dicunt, quòd verbum *Volo*: refertur ad actum licitum, non verò ad actum ir-

30 regulatum, & illicitum, vndè Menochius *cons. 1184. n.7.* tenet, quòd quis velle non præsumitur, nisi honesta; ex quibus deducitur voluisse Principem in casu nostro, solummodò licita, & honesta, qualia sunt non violare Cleri-

31 cos, nec Ecclesiam. Insuper, quis non creditur velle, quod iure facere non potest. *l. Lucius §. Imperatores ff. ad municip. l. si tibi. §. vnius ff. de optione legata.* Glossa *in l. peto in princ.* vbi Baldus *in fine princ. ff. de legat.2. cap. cùm à nobis, de sent. excommunicat.* Menochius *con. 540. n.6.* Surdus *cons. 431. n.41.* Rota *decis. 364. n.3.* si ergo Serenissimus Dux iure non potest Ecclesiasticis iubere, eorumque dignitates impedire, concludendum est, quòd nec voluit illos venire in Edicto.

32 Quòd si iterum aliquis instet, adducendo obscuritatem Edicti in verbis generalibus, quibus vtitur, quibus verbis videtur velle quoscunque etiam Ecclesiasticos comprehendere; respondeo, quòd in obscuris inspici solet, quod verosimilius est: *l. in obscuris, ff. de regul. iuris.* Roman. *con. 355. in casu præsenti n. 5.* Tuschus *litt. O. concl. 55. n.4.* vndè verosimiliùs apparet voluisse Principem in obscuris verbis generalibus suę legis, comprehendere subditos Laicos, quibus potest præcipere, omissis personis exemptibus.

33 Permisso igitur, quòd Edictum obscurum sit, adhuc Ecclesiastici erunt exclusi, nam quando de Principis voluntate non constat, attenditur verisimilitudo, quia hæc est secundus gradus succedens menti. Alex. *con. 179. Viso. n.13. vers. ex quibus, lib.5.* Crauet. *cons. 363. n.26. & seq.* & verisimilitudo in nostro casu, manifestè constat esse, voluisse Principem in Edicto venire solos Laicos, sicque Sereniss. D. non tetigit Ecclesiasticorum priuilegia, nec voluit pro Clericis esse suam Legem.

## §. III.

*An Ecclesiastici perdiderint ius contradicendi prædicto Edicto Serenissimi Ducis, quia illud per spatium septuaginta annorum admiserunt?*

34 QVamuis Princeps Ducatus N. hac die viuens, alter sit, & diuersus à Duce, qui ab hinc 100. annis viuebat; nihilominus diuersitas ista est materialis, sed respectu legum perpetuarum intelligitur idem Princeps formaliter seu authoritatiuè; quapropter tempus quod currit, currit tanquam vni Principi, cui inseruit ad præscribendum, & ad cætera fauorabilia pro eodem Principe, ideò Lex perpetua, qualis est Edictum in casu nostro, prout in ipso specificatum est ab initio suæ emanationis, ibi: *Legis perpetuæ vim habere volumus*, semper currebat, & currit velut eadem eidem,
35 ac iisdem, qui erant à principio, nam *perpetuò* idem est ac *semper*, *l. semper in ciuitate, ff. de iure immunitatis*, & decernitur in multis alijs *ll.* quibus accesserunt varij Authores, vt notauit Barbosa *diction. 361. n. 4.* Si ergo Edictum ad perpetuitatem extensum grauabat Ecclesiasticos, seù Laicos, vel eorum Iuribus contrarium erat, non debuissent per 70. annos silere in obseruantia eiusdem, sinentes Principem præscribere, sic ius contradicendi deperdentes, quia præscriptio est adeptio Dominij per continuationem possessionis tempore à lege præfinito *l. 3. ff. de vsurp. & vsucap.* Lessius *de Iust. & iure lib. 2. c. 6. dub. 1. n. 3.* & alij communiter.

36 Ex eò maximè amiserunt Ecclesiastici ius contradicendi, quòd Præscriptio est introducta ad tollendas lites interminabiles *l. vlt. ff. pro suo*, & vt in rebus suis curandis homines essent diligentiores *cap. vigilanti, de præscript.* & facta legitima præscriptione, non tantùm admititur priori Domino actio in foro externo, sed
37 etiam dominium; secundùm legum præscriptionem, & dispositionem illi tollitur, & in præscribentem transfertur, vt clarè probari potest ex *l. 3. ff. de vsurp. & vsucap.* vndè nullum ius remanet in eo, contra quem fit præscriptio, & hoc verificatur in casu nostro; si Ecclesiastici admiserunt, ac obseruauerunt Edictum Serenissimi Ducis per spatium à lege requisitum pro præscribendo.

38 Cùm igitur Edictum emanauerit de anno 1605. & renouatum fuerit anno 1660. illudq; semper obseruauerint Ecclesiastici non minùs ac Laici vsq; ad præsentem annum 1672. ideò Princeps potuit præscribere contra omnes, cùm contra Laicos sufficiant 30. anni, & 40. contra Ecclesiam, & 100. contra Ecclesiam Romanam, vt tradunt communiter Doctores Theologi, ac Iurisperiti. Videatur Less. *de Iust. & iure lib. 2. c. 6.* & Molina *tract. eod.* & in casu præsenti nedum 40. sed & vltrà 70. annos Ecclesiastici admiserunt legem Serenissimi Ducis, qui propterea præscripsit contra illos.

39 Et non valet dicere, quòd tempus 40. annorum debet intelligi pro præscribendo contra Ecclesiam de rebus mobilibus, aut immobilibus, non autem de Iuribus eius, etenim gratis hoc diceretur, cum idem sit dicendum etiam de Iuribus, seu de Legibus tum ciuilibus, ad quas abolendas sufficient 10. anni, tum Ecclesiasticis, ad quas tollendas requiruntur 40. anni: Ità Panormitanus *in cap. vltimo de consuetudinibus.* Angelus *verbo consuetudo n. 8. & 9.* Sil. *eod. verb.* Nauarr. *lib. 1. cons. 2. titul. de consuet.* & Bassæus *verb. præscriptio n. 13.* vbi sic ait: *Contrà leges ciuiles præscribitur consuetudine 10. annorum . . . . . . aduersus autem legem Canonicam requiruntur quadraginta . . . . . . Probabile tamen est sufficere etiam 10. vt in ciuili, quando obligatio subditorum ad seruandam legem non censetur præiudicare alicui iuri Ecclesiæ.* Ergo cùm per Edictum, vt suprà, in nullo Ecclesia, seù Ecclesiastici præiudicentur, Ecclesiam enim, nec Ecclesiasticos comprehendit, vt iam prædictum est, sequitur quòd si eorum sponte voluerunt legem, seu Edictum obseruare, & hoc per tempus vltrà annos 40. Princeps contra ipsos præscripsit, atquè Ecclesiasticis ius contradicendi ademit.

40 Quod autem possent nonnulli adducere, dicentes Edictum præfatum militare contra Ecclesiam Romanam, atquè ideò nondum esse factam à Principe præscriptionem, cùm transacti non sint 100. anni; hoc non subsistit, cùm Ecclesia Romana non sit vna, vel altera Ecclesia disiunctiuè, & tamen in casu nostro agitur de Ecclesia particulari Ciuitatis, vel Ciuitatum dominij vnius Principis, contra quam ad præscribendum non requiruntur centum, sed quadraginta anni, vt suprà traditum est.

41 Ex dictis concluditur, Edictum Serenissimi Ducis in præsenti casu, non esse, nec vnquam fuisse alicuius præiudicij Ecclesiasticis, qui, si ius aliquod amiserunt ratione Edicti, hoc sibi, non Principi debent imputare, nam quòd Princeps, vel non Princeps præscribant contra aliquos,

quos, nemini faciunt iniuriam, cùm ius nullius lædant præscribendo, est enim iuxta leges ipsa præscriptio, vt dictum est, *sub num 36.* Aliter tamen esset discurrendum de consuetudine, vt dicam cum Diana infra, *num. 52. in fine.*

§. IV.

*An Princeps ex Iustitia obligari possit ad renunciandam possessionem acquisitam per præscriptionem contra Ecclesiasticos, qui per annos 40. illius Legem obseruauerunt?*

42 CVm id, quòd à Theologis dicitur detentio rei, *Possessio*, & si res sit incorporea, nominetur à Iurisperitis *quasi possessio*, vt benè notauit Couar. *ad regulam possessor p. 2. n. 2. in*
43 *principio*; ideò & possessio, & quasi possessio eadem habent commoda, eumdemque pariunt effectum, ac proindè elapso certo tempore oritur ex eis præscriptio. Lessius *de Iust. & iure, lib. 2. cap. 3. dub. 13. num. 52.* ergo cùm Serenis. D. in nostro casu apertè cognoscatur in quasi possessione, vt eius Edictum obseruetur etiam ab Ecclesiasticis, ex eò quòd illud admiserint per spatium temporis requisitum ad præscribendum, non poterit obligari ad renũciandũ ius per talẽ præscriptionem adeptũ, nam nemo potest de Iure cogi, vt iuri suo renunciet, nisi causa examinetur: DD. communiter ità docent.

44 Et si contra Edicti Conditorem suboriatur lis, vel difficultas, an sit in quasi possessione, vt illud faciat obseruari, pro se præsumptionem habet, & ob id probandi onus reiicit in aduersarium *l. circa, ff. de probatio. l. libertis §. vltim. ff. de libera causa, & l. vir eius. C. de proba.* Bart. *in l. 1. in princ. in 3. oppo. ff. de operis noui nuntia.* Bald. *in l. titia. col. 2. ff. soluto matrimonio, & in l. 2 n. 74. C. de seruit. & aqua.* Idem Baldus *in c. 1. n. 5. vers. aliquando possessio de conten. inter dom. & fidelem, de Inuestit.* Florianus *in l. si cuti. §. sed & si, ff. si seruit. vend.* Philippus Probus *in additionibus ad Io. Monachum in c. cum à sede n. 4. de prabend. in 6.* Corneus, Afflictus, Ripa, Tiraquellus, Riminaldus Iunior, & Corasius apud Iacobum Menochium *lib. 6. præsump. 168. n. 1. 2. & 3.* Ergo Serenis. D. vt in casu, sua quasi possessione persistere potest, vt eius Edictum obseruetur prout iacet, sinens aduersa-
45 rios probare in contrarium, qui quia sunt actores, si non probant, possessor obtinet. *§. retinendæ, Institut. de interdict. c. sæpè, de restitut. spoliato.*

46 Quòd autem possessio efficiat, vt aduersarius sit actor, habetur *in l. 1. c. de aliena iud. mutan. causa facta.* Imò in specie sic tradunt Baldus *in l. vltim. q. 6. C. de Edicto Diui Adriani tollen. & in d. c. 1. n 5. de conten. inter dom. & fidelem.* & ibidem Afflictus *n. 17.* Probus *in d. c. cùm à sede n. 4. de prebend. in 6.* Ripa *in c sæpè n. 2. de rest. spolia.* Quapropter ex dictis sequitur manifestè, non posse de Iustitia adstringi, vt suam quasi possessionem Princeps deponat, nulla præcedente trutinatione causæ.

47 Magis probat huc usque dicta id, quod decernitur *cap. cùm à sede, de prabendis, in 6.* nempè quòd in pari causa, pro possessore semper est iudicandum; & sic item aiunt Cur. Sen. *in repet. l. admonendi n. 323. vers. 3. moueor. ff. de iureiurando.* Afflictus *in c. 1. col. 2. vers. propterea sciendum.* Ergo possessione, seu quasi possessione nequit quis expoliari, nullo adhibito in causa iudicio, si regula iuris est, quòd etiam in causis æqualibus habita causarum cognitione, nunquàm possessor sua possessione priuetur, sed fauore possidentis in iudicio decernatur; & huic opinioni adhærere reperio Ripam *in c. sæpè n. 2. vers. secundùm de restit. spolia.* Corasium *in l. naturaliter §. nihil commune, n. 17. ff. de acquirend. possess.* Neuizanus *in cons. 79. n. 27.*

48 Amplianda est quoquè Serenis. Principis possessio in casu currenti, vt de iure nullum possit poni impedimentum, per quod eius quasi possessio non protrahatur, & si quod fuit positum, remoueri debeat; licitum est enim intentum remedium possessionis reintegrandæ, quod competit pro istis iuribus incorporalibus. Menochius *de recuper. possess. remedio 15. n. 200.* Raudens. *con. 12. n. 97. vol. 2.*

49 Quòd si Ecclesiastici sibi applicẽt adductas doctrinas pro manutentione possessionis acquisitæ, & dicant se esse in possessione suorum Priuilegiorum; respondeo ipsis, quòd benè, & verà dicunt; sed Edictum Serenis. D. illos non comprehendit, vt fusè ostendi, propterea non senserunt læsionem, neque damnum ab ipsa Edicti emanatione. Probat in Edicto non comprehendi Ecclesiasticos, ipsa generalis præsumptio, quòd quilibet actus, vt donatio, renunciatio, contractus &c. præsumitur validus, verus, licitus, & legitimè factus. *l. cum te 9. & l. cum precibus 18. C. de probat.* Baldus *in l. rogasti 11. §. si tibi n. 19. ff. si cert. petat.* Cæphal. *cons. 328. n. 18.* Burrat. *cons. 117. n 4.* Roland. *cons. 58 n. 3. vol 4.* Menochius *cons. 343. n. 1.* Surdus *cons. 323. n. 53.* Raudens. *decis. 17. sub n. 4.*

*n.4.* Mar. Antonin. *variar. resolut. lib. 3. res. 40. n. 44.* Cùm igitur clarè non appareat de inualiditate Edicti, validum, verum, licitum, & legitimè factum debet præsumi, ac consequenter neminem lædit, & ideò non est cur Ecclesiastici conquerantur.

50 Addo 1. quòd vbi potest interpretari in bonam, & malam partem, semper debet interpretari in bonam. Cæphal. *cons. 719. n. 65.* Roland. *cons. 40. n. 5. vol. 2.* Ergo bonum dicendum à fortiori est Edictum in nostro casu, cùm nullatenus in malam partem valeat interpretari.

51 Addo 2. quòd cōtra nullitatem in dubio, est pronunciandum pro validitate actus *l. quoties l. 3. ff. de reb. dub. l. si quando 112. in princip. de legat. 1.* Riminaldus Iunior *cons. 561. n. 3.* Ergo multò magis pronunciandum est validum in causa præsenti Edictum, de cuius nullitate non est dare dubium, sed non esse nullum, certissimum est.

52 Addò 3. quòd interpretatio facienda est, ne dispositio fiat elusoria. *l. 3. ff. de milit. testam. l. si quando ff. de legat. 1.* Card. Mantic. *de tacitis, & ambiguis conuent. lib. 2. tit. 12. n. 30.* Anton. Monach. Florent. *decis. 1. n. 86.* Ferrer. *in constitut. Cathaloniæ gloss. 1. n. 152.* Octau. Glori. *resp. 1. p. 3 n. 129.* Tuschus *litt. I. concl. 330. n. 22* Ergo apertissimè concludendum est, esse optimè dispositum Edictum, itaut in nullo elusorium esse debeat, cùm Ecclesiastici in ipso non tangantur, qui si tangerentur, esset motiuum vnicum, quod elusorium saltem in parte, redderet Edictum. Ergo si quid damni, aut læsionis sentiunt Ecclesiastici, non est ratione cōdentis Edictum, sed ratione spontaneæ ipsorū subiectionis, qua tale Edictum sibi applicantes, illud obseruauerunt per tempus, quo Princeps acquisiuit per præscriptionem Ius contra illos, vt suprà satis superquè declaratum, ostensum, & probatum puto in fauorem Principis. Diana *p. 7. tract. 1. de immun. Ecclesⁱ. res. 18.* per totam, luculenter tenet, nunquam posse Laicos per quamcunque consuetudinem acquirere iurisdictionem contra Clericos.

## COROLLARIVM.

53 PRo plena prædictorum intelligentia, expedit hìc adnotare, quòd Statutum Laicorum nec directè, nec indirectè potest præiudicare Ecclesiæ, nec Ecclesiasticis Personis, quemadmodum in antepositis Paragraphis probatum est authoritatibus Iuris, & Doctorum, quibus nunc addo Felinam *in c. Ecclesia Sancta Mariæ, de constitut. n. 69. vers. quibus non obstantibus*, vbi asserit hanc sententiam esse communem, meque subscribo.

54 Item expedit secundò adnotare, posse Iudices Ecclesiasticos cogere Laicos statuentes cōtra Ecclesiam, vel contra eius Immunitatem, vt declarent, quòd in huiusmodi Statutis non comprehenduntur Clerici, neque Ecclesia: Ità docent ex Theologis: Paludanus *in 4. dist. 18 q. 3. art. 3 cas. 15.* Ledesma *in 2. p. 4. q. 26. art. 2. §. 23.* D. Antoninus *p. 3. tit. 24. cap. 18.* Toletus *in summa, lib. 1 cap. 27. vers. aduerte similiter.* Sayrus *in Claui. Regia lib. 3. cap. 34. n. 37.* Ex Canonistis: Io: Andreas *in c. eos qui, de immunit. Eccles. in 6. n. 4.* Anchatanus *cons 135. n. 8. in fine;* Geminianus *n. 14.* Francus *n. 2. & in c. Ecclesia Sancta Mariæ, de constit.* vbi Felina *n. 75. 85. & 107.* Butrius *in c. 1. de consuet. & cons. 40. n. 2.* Ex Summistis: Astensis *p. 2. lib. 7. tit. 2. cas. 43.* Syluester *verb. excommunicatio 9. n. 50.* Angelus *eod. verb. 7. cas. 26. n. 2.* Rosella *eod. verb. 33. n. 3.* & alij.

55 Quæ duo prænotata non ignorabant ambo illi Serenissimi Duces, idest Conditor, & Renouator Edicti, de quo suprà; propterea tale Edictum nec directè, nec indirectè Ecclesiæ, seu Ecclesiasticis Personis præiudicat, sicuti nec eis præiudicare voluerunt (vt præsumendum, & concludendum est iuxta traditas doctrinas) Legislatores, quorum neuter per consequens à Iudice Ecclesiastico cogi nequit ad aliquam declarationem Edicti, quòd si dicatur dubiosum esse, an Ecclesiasticos comprehendat, dicendum est non comprehendere, quia si comprehenderet, esset delictum, quamuis solùm in dubio, & delictum in dubio non debet præsumi, & ideò actus, qui potest sonare in delictum, & non delictum, semper interpretatur, vt absit delictum. *l meritò, ff. pro socio l. Prætor §. docere, ff. de vi bonorum raptor. c. estote, de reg. iur. in decretal. lib.* Alex. *cons. 127 n 12 cum seqq. lib 4. & cons. 129. per totum, eod. lib.* Mascard. *de probat. concl. 495. & concl. 1418. n. 2.* & alij apud Barbosam *in Axiom. Iur. axiom. 68. n. 14.*

56 Et ità interpretatio facienda est exclusiua delicti: Abb. *in c. cùm tu. de testib.* Natt. *cons. 449. n. 11.* Mascard. *concl. 495.* Farin *p. 3. q. 85. n. 1 cum seq.* Menochius *de præsump. pt. lib. 5. præsump. 161. n. 26.*

57 Et maximè id verum est, quando alia coniectura sumi potest, tunc non est præsumendū delictum: Ioseph Sesse *Aragoniæ decis 114. n. 25. & decis. 128. num. 4.* Farinacius *in prax. cri.*

*crimin. part.* 3. *q.* 85 *nu.* 26. *& p.* 4. *cons.* 61. *num* 12. & latè Tuschus *litt. D. conclus.* 165. *per totam*. Quia ergo in casu nostro habemus sensum apertum, qui est quid maius, & excedens naturam coniecturarum, sequitur delictum non esse præsumendum, videlicet quòd Edictum comprehendat Ecclesiasticos.

58 Quòd si opponatur, Delictum præsumi commissum ab eo, in cuius commodum cedit, vt docent: Bartolus *in l. fin. n.* 5. *vers. item quòd illa res subtracta ff. de quæst*. Menochius *lib.* 5. *præsump.* 31. *n.* 15. Mascard. *de probat. concl.* 831 *n.* 12. Molin. *de primog: lib.* 2. *c.* 5. *n.* 45. Surd. *de aliment. tit.* 9. *q.* 26. *nu.* 119. Gonzal. *ad reg.* 8. *cancell.* §. 7. *proœm. n.* 161. Farin. *in praxi crimin. q.* 176. *n.* 89. *& cons.* 60. *nu.* 18. vndè cùm in commodum Principis cedat Iurisdictionem exercere super Ecclesiasticos, præsumendum est delictum Immunitatis violatæ.

59 Respondeo, quòd imò è contrà sequatur Principi, qui sola incommoda sentiret, si Ecclesiasticos in Edicto prætenderet comprehensos. Igitur sentiret incommodum Excommunicationis, & nullitatis actus, itaut Edictum esset inualidum saltem ex parte; sentiret quoquè incommodum amissionis famæ, tanquam qui falcem in alienam messem extenderet; quæ omnia nullo modo sunt præsumenda in optimo Principe, vt est, & sunt nostri in casu nostro.

60 Ex dictis concludatur, quòd omnia benè sint facta à Serenissimis Ducibus, de quibus hactenus actum est, & quidem fusè, sed nunquam satis tuetur Veritas, ideò non fusè actum est pro iustificatione Edicti à seipso iusti, vtpotè à iusto Principe emanati, & à non minùs iusto Duce Serenissimo renouati. Laudanda est ergo horum Principum Prudentia in promulgatione tam iustæ legis, de qua dubiosus quis esse non debet, an Ecclesiasticos tangat, siquidem non paucis testimonium suum præbentibus, quos nominat Barbosa *in Axiom. axiom.* 130. *n.* 4. Si lex sit dubiosa, eius interpretatio fieri debet, ne absurdum sequatur, ad euitandam correctionem, contrarietatem, repugnantiam, vel perplexitatem, Abeant hinc absurda quæcunquè, absit quoquè correctio, contrarietas, repugnantia, & perplexitas, sed pro certo iudicetur, & in fauorem Serenissimi Ducis stet conclusio, quæ sequitur non solùm à volitione, sed à veritate ex prædictis.

# DECISIO XI.

*An Episcopus possit habere familiam armatam, Prætendere Baldachinum in Ecclesijs Regularium; & cognoscere causas litigantium propter Scamna in Ecclesijs posita?*

## Casus, seu Historia XI.

### SVMMARIVM.

1 *Casus proponitur.*
2 *Episcopi carentes Iurisdictione temporali, non possunt tenere Familiam armatam.*
3 *Nec habent Iurisdictionem, Apparitorem, & Executorem.*
4 *Idem confirmatur.*
5 *Ideò Iudices Ecclesiastici non possunt capi facere delinquentes, sed solùm excommunicare, aut vti alijs remedijs spiritualibus.*
6 *Nec potest Episcopus vti Familia armatata Fori sæcularis sinè licentia Gubernantis Ciuitatem.*
7 *Nec vnquam aliena Familia armata potest vti Episcopus, nisi habeat licentiam D. Gubernatoris.*
8 *Episcopi, qui vsi sunt Familia armata independenter à Gubernatore, habebant licentiam à Principe per Epistolas ipsis demandatas.*
9 *Alij Doctores tenent, quòd Episcopus possit habere Familiam armatam.*
10 *Epistola priuata fauet solùm illi, cui dirigitur.*
11 *Nec posteris fit iniuria, si ad illos non extendatur.*
12 *Et cùm hinc inde sint sententiæ circà posse Episcopum tenere Familiam armatam, erit in casu nostro resoluendum iuxtà conuenientias.*
13 *Ex vi directiua tenentur Ecclesiastici Legibus ciuilibus.*
14 *Potest per censuras cogere Laicos ad sibi auxilium præstandum, ipse Episcopus.*
15 *Confraternitas erecta ad opera pia, est Ecclesia, & exempta.*
16 *Quandocunquè lis tangit spiritualitatem spectat ad Iudicem Ecclesiasticum.*
17 *Qui semper est Iudex competens pro spiritualibus litibus.*
18 *Confratres litigantes adinuicem propter honorem sedendi in Scamnis, non est Fori Ecclesiastici.*
19 *Si verò lis tangit spiritualitatem, est Fori Ecclesiastici.*
20 *Ordinariè loquendo rixa exorta pro scamnis in Ecclesijs, sunt tertiæ persona, à qua amanter concordentur.*
21 *Tenentur Regulares parare Baldachinum Episcopo*

*scopo Pontificalia faciente in eorum Ecclesijs.*

22 *Non verò si indutus Rochetto, & Mozzetta assistat Conclusionibus, seu benedictioni Sponsorum.*

23 *Et hoc etiamsi Episcopis antecessoribus fuerit erectum, nam successores nullum ius acquisiuerunt.*

24 *Quia requiritur bona Fides, & hæc non præsumitur in nullo illorum.*

25 *Maximè quia repugnat ius commune, & statutum.*

1 ILLustrissimus, & Reuerendissimus Dominus Episcopus N. litem habuit cum Gubernatore Ciuitatis sui Episcopatus, quia prætendebat independenter ab eodem Gubernatore posse vti Familia armata, quæ communi nuncupatione dicitur Cohors satellitum. Allegabat Episcopus in sui fauorem, tum Doctorum opinionem, tum tres Epistolas à Principe dominante in Ciuitate directas ad Episcopum alterius Ciuitatis Dominij sui, in quibus illum admonebat, quòd Dux cohortis armatæ,& tota cohors iussionem tenebant,vt illi in omnibus obedirent, & inseruirent. Igitur prætendebat iste Illustrissimus D.Episcopus, iuxta quod Antecessores sui fecerunt, facere & ipse, cui tamen semper restitit Gubernator, qui volebat vt ipsum admoneret, quandocunquè Familia armata fori sæcularis (nam alia Familia armata non extabat) vti voluisset. Insuper & prætendebat Episcopus Baldachinum in Ecclesijs Regularium, & cognoscere causas litigantium propter scamna Laicorum posita in Ecclesijs, verùm an iustæ sint dictæ prætensiones, nunc videbimus.

## §. I.

*Quæritur an pro Episcopo, vel pro Gubernatore in præsenti facto, stet ius, & ratio?*

2 CVi quæsito statim respondeo esse valdè à Doctoribus disputatum, An Episcopi possint habere Familiam armatam; & opinio multorum est, quòd Episcopi carentes Iurisdictione temporali, non possunt tenere Familiam armatam, quia non habent territorium, nec fiscum, & propterea oportet vt Iudicis Sæcularis implorent auxilium. Ità Gemin. Prob. Ancharan. & Franch. *n. 7. in c. dilecto de sent. excommunicat. lib.6.* Panor. *in c.1 de offic.deleg.* Clar. *in §.fin.q.37.n.8.* Boer. *decis.264.n.3.* Palat. *in repet. cap. per vestras, de donat. inter vir. & vxor. notabil.2.à n.1.* Longaual. *in repet. lib. imperium, n.227. de iurisdic. omnium iudic.* Auil. *ad c. 20. Pratorum, n.14.* Oliban. *in comment. ad vsat. c.15.n.50. vers. sed quia familia.* Decian. *tract. crim. lib.8.c.3.n.47.* Auend. *de exequendis mandat. c.1.n.22.* Perez. *l.48.gloss.3.tit.1.lib.3. ordin.* Soar. de Pace *in pract. prælud. 2. n. 54.* Azeued. *lib 14.n.4.& 5. tit.1.lib.1. noua Recopil.* Barretta. *cons 4. per totum.* Bobadil. *in sua Politica lib.2 c.15.n.28.& c.17.n.86.& c.18.n. 85.* D. Larrea Granat. *decis.1. n.16. cum seqq. tom.1.* D.Franc.de Amaya. *ad l. 2. n 36. C. de Exactorib Tribut. lib.10.*

3 Nec desunt alij authores pro eadem opinione, inter quos Iacob.Cuiacius *in suis paratitlis D.de Episcop.Aud.* & Dyonisius Gothophredus *ad eamdem rub. Codicis,* qui negant Episcopum habere iurisdictionem, Apparitorem, & Executorem.

4 Et præcitatis Cuiacio, & Gothophredo, assentiuntur relati à Ioanne Tilenio *in suo tract. de Iurisdic & Imperio præposit. 33* dum dixerunt, plausibiliùs sibi videri Episcopos,& quosuis alios Ecclesiæ Antistites, ex sui officii natura, sæculari carere iurisdictione: Ergo tales non possunt tenere familiam armatam.

5 Hoc multò magis confirmatur voluntate multorum Doctorum docentium, quòd Iudices Ecclesiastici non possunt capi facere delinquentes in casibus ad punitionem Ecclesiæ spectantibus, sed tantùm excommunicare, atquè alijs spiritualibus vti remedijs: vbi autem volunt alias pænas, debent vti auxilio Iudicis Sæcularis: ità Palat *vbi suprà, sed not. 1. n.18.* Clar. *vbi supra, vers. vnum tamen.* Roman. *sing. 303.* Guid. Pap. *sing. 270.* Franc. Marc. *decis. 448. incip. quæritur an Episcopus n. 2. vol. 1.* Auendan. *vbi supra.* Mich. Grass. *lib. commun. opinion. cap 8.q 8.* Decian. *tract. crimin. to. 1. lib. 4 cap.47.n 15.* Couar. *pract. cap.10 n.2.* Bellug. *in speculo Principum, rub.12. de iuramento §. quadam, n. 96. cum seqq.* Auiles *ad cap. 20. Prætor. n.14.* Azeued *per text. ibi in lib.14.& 15. tit.1. lib.4 noua recop.* Guttier. *pract. lib.2.q.45.* Ioannes Garc *de nobilit. gloss.9.n.53.* Bobadil. *in sua politica lib 2.cap.17.n.167.* Franc.Hieron. Leo. *Valent. decis.* & alij.

6 Non igitur potest Episcopus vti Familia armata Fori sæcularis, sinè præuia facultate D. Gubernatoris, idem enim esset vti independenter familia armata Gubernatoris, ac tenere familiam armatam, quod non potest.

7 Nec potest Episcopus vti tali Familia armata tamquam sua, sed nec tamquam aliena, nisi petat licentiā à domino, nemo enim sinè depen-

dependentia à domino potest disponere de his, quæ non sunt sub sua potestate, vel dominio; & sic dominium definitur: *Ius disponendi perfectè de re corporali, nisi lege prohibeatur*: Bassæus *verb. dominium* 1. *n*. 1.

8 Ad ea autem, quæ Episcopus in casu nostro affert in sui fauorem, nempè quòd sic fecerunt Antistites prædecessores, & quòd extant tres epistolæ Principis, talem facultatem Episcopo impertientes, respondendum est, quòd si Antistites antecessores vsi sunt familia armata sinè speciali licentia Gubernatoris, hoc ideò fecerunt, quia habebant licentiam ab ipsomet Principe, & talis licentia exprimebatur in tribus epistolis adductis. Non ergo independenter Episcopi antecessores vsi sunt familia armata fori laicalis.

9 Et quia prætensio Episcopi in præsenti casu fundatur etiam in authoritate Doctorum, benè dicit, non enim negari potest, quin dentur Doctores affirmantes posse Episcopos habere familiam armatam; sed quia dantur quoquè Doctores id negantes, ideò licitè Gubernator se opponit prætensioni Antistitis, maximè cùm talis sit vsus pro causis occurrentibus de præterito practicatus.

10 Et non debet Episcopus de hoc conqueri, quamuis alij Principes dederint per epistolas facultatem Episcopis antecessoribus; etenim epistola priuata, non est lex scripta, & ideò non fauet nisi illis, quibus dirigitur, nisi aliud in tali epistola explicetur de mente, & intentione Principis respectu posterorum succedentium ad illos, ad quos epistola fuerat directa.

11 Quod quamuis posteris non concedatur, nulla tamen iniuria eis irrogatur, & hoc currit singulariter in casu nostro. Sed nec indè sequitur læsio Immunitatis Ecclesiasticæ, cùm multi Doctores doceant debere Ordinarium ad singulas vices petere à Iudice Laico sui brachij auxilium, dicentes prædictum auxilium minimè esse præstandum ab ipso Iudice Laico, nisi causæ cognitio antecedat summariè præstita, an auxilium sit concedendum, necnè; & pro hac sententia citat plus quàm viginti Doctores Barbosa *de offic. & potest Episcopi, part*. 3. *allegat*. 107. *n*. 26. & quamuis sub *num*. 27. videatur id limitare, non tamen pro tali limitatione dicit esse omnes, quos citauit.

12 Igitur & Episcopus, & Gubernator, vt in casu non absquè ratione litem in prætensionibus suis instituerunt, cùm vterquè sententiam sibi fauentem habeat. Ad conuenientias ergo recurrendum erit, iuxta quas lis expedit resolui. Conuenit quidem vigilantiorem esse Gubernatorem Ciuitatis propè fines alieni dominij sitæ, Gubernatore Ciuitatis intrà cor status sui dominij collocatæ, atquè multis alijs Ciuitatibus, & locis circumseptæ. In casu nostro agitur de custodia Ciuitatis confinium, proptereà Gubernatori ipsius videtur esse concedendum, ne diuersa sit familia armata Curiæ Ecclesiasticæ, ab illa Curiæ laicalis, & hoc ratione superfluitatis, cùm Episcopo sufficiat familia armata Principis, sed eiusdem familiæ armatæ non vtatur Episcopus sinè scitu Gubernatoris, propter varia inconuenientia, quæ indè oriri possent. Et quidem inconueniens esset, si Episcopus vocet familiam armatam eo tempore, quo Gubernator illius indiget fortassè in grauiori negotio, illo pro quo vocatur ab Episcopo: & cùm huiusmodi inconueniens, ac alia similia euitentur per simplicem licentiam vocatam ab Episcopo, cur Pacis amore Ecclesia imitatrix Humilitatis Christi Domini, superbo cedens mundo in ijs, in quibus Ius nullum deperdit, volitionibus Gubernatoris sæcularis se conformare recusabit?

13 Et ne solam Euangelicam exhortationem videar adducere, fauet Euangelio Lex, iuxta quam quilibet Ecclesiastici, quamuis ex vi coactiua non teneantur legibus ciuilibus, ex vi tamen directiua tenentur vergentibus in commune bonum, & non repugnantibus libertati Ecclesiæ, cùm & ipsi sint membra Reipublicæ Politicæ, vt tradit Bassæus *in floribus, verbo Lex* 3. *n*. 4. Quapropter cùm in prætensionibus Gubernatoris nihil repugnet libertati Ecclesiæ in præsenti casu, & eius prætensio in commune bonum tendat, nedum ex conuenienti, sed & ex debito standum est ei.

14 Stat etiam pro Illustrissimo Domino Episcopo, quòd quandocunquè egebit familia armata, debet ei concedi, & si non concedatur poterit censuris compellere vt sibi concedatur. Fusch. *de visit. lib*. 2. *cap* 32. *n*. 14. Franc. Leo. *in thesauro fori Eccles. p*. 2. *c*. 16. Mar. Antonin. *var. resol. lib*. 1. *res* 112. *casu* 32. Cancer *var. resol. tom* 2. *cap*. 15 *n*. 4. *cum seqq*. Menoch. *de arbitr. casu* 452. *n*. 4. Bellacomb *tom*. 1. *commun. opinion. lib*. 3 *tit*. 1. *n*. 118. Auiles *ad cap*. 20. *Prætorum l*. 3. *verb. vsurpan n* 21 Perez. *l*. 4. *tit*. 1. Cened. *ad decretal. Collectan* 101 *n* 12. Decian. *tract. crimin. lib*. 4 *c*. 10. *n*. 3. *vers*. 8. Bobadil. *in sua politica. lib*. 2. *cap*. 17. *n*. 80. Fr. Emman. *quæst. regul. tom*. 1. *quæst*. 8. *art*. 14. Farinac. *in praxi criminal. q*. 97. *n*. 22. Marta *de iurisdict. p*. 1. *cap*. 52. *num*. 2. Ludou. Rodolphin. *tract. de brachio*

*sæculari num.* 45. Franc. Molina *eodem tract. cap.* 14.

§. II.

*An ad Episcopum spectet cognitio, & decisio litis, quæ aliquando oritur inter Laicos propter scamna ipsorum in Ecclesijs posita?*

15 DIco, quòd si Laici in Ecclesijs ad prædicta scamna (quæ etiam mensæ dicuntur) sedeant, tamquam Confraternitas, seu Congregatio, authoritate Ordinarij erecta ad opera pia, talis Confraternitas, ac Congregatio est Ecclesiastica, & à Laicorum iurisdictione exempta, & de hoc nulla esse potest dubitatio, nec aliquis vnquàm dubitauit, sed ità dicunt communiter Doctores, & benè notauit Barbosa *vot. decis. & consul. Canonic. tom.* 2. *lib.* 3. *voto* 76. *n.* 80. vbi multos alios nominatim adducit pro hac sententia.

16 Idem Barbosa *loc. cit. sed sub num.* 82. docet in omnem euentum, quotiescunquè contentio versatur super aliqua materia spirituali, seu celebratione diuinorum officiorum, semper cognitionem pertinere ad Iudicem Ecclesiasti-

17 cum; nam in rebus, quæ tangunt spiritualitatẽ, Iudex Ecclesiasticus est semper competens ad cognoscendum. Marant. *de ordine iudic. p.* 4. *distinct.* 1 1. *n.* 8. Carol. de Grass. *de effect. clericat. effectu.* 1. *n.* 400. in quo sensu sinè dubio attinet ad Episcopum lites examinare, & finaliter iudicare; nec est qui meritò valeat ei contradicere.

18 Si verò duo ex Laicis Confraternitatis, vel Congregrationis inter se dissideant, prætendentes adinuicem primam sedem, motiuo præeminentiæ sæcularis, non prout sedentes ad scamnum, seu ad mensam in Ecclesia, sed in abstracto, & absolutè litigantes de præcedentia, quæ esset prætensa etiamsi mensa non esset sita in Ecclesia, tunc causa non tangit spiritualitatem, ideò est dicenda sæcularis. Et sanè, quòd nobilis confrater prætendat sedere supra confratrem mercaturam profitentem, & hæc prætensio sit ex motiuo nobilitatis, apertè cõstat esse causam alienam à spiritualitate, & omninò sæcularem, atquè ideò esse cognoscendã

19 à Iudice Laico. Si verò prætensio primæ sedis habeatur ratione officij in Congregatione possessi, vt exempli gratia, si Prior velit sedem superiorem respectu Syndici, cùm hæc officia sint inuenta pro recto regimine spirituali Congregationis, tangunt spiritualitatem, litesque circa talia exortæ, erunt Fori Ecclesiastici. Ab exemplis adductis deducatur sermo pro similibus, vt dignoscatur quando causa tangit spiritualitatem, quañdo non.

20 Sunt in Ecclesijs etiam scamna ad simplicem commoditatem sæcularium, propter quæ suboriuntur quoquè aliquando rixæ. Nec solùm rixantur, verum & lites non leues mouent, quarum cognitio ordinariè ad nullum Iudicem spectat, sed potiùs ad tertiam personam pacificatricem, quæ dissidentes concordet. Suppono igitur huiuscemodi lites non esse ex alio motiuo exortas, nisi motiuo commodi temporalis, vt est propter locum magis conspicuum, aut aptiorem ad conciones audiendas, & similia, vndè cùm spiritualitatem non tangant, nequè contra legem aliquam militent, nullius fori erunt. Si verò legem aliquam tangerent; tunc si lex spiritualis sit, erunt decidendæ à Iudice Ecclesiastico; si temporalis erit, cognoscetur à Iudice Laico. Ex dictis satis liquet, quid stabiliendum sit de facultate Episcopi circa litem facientes propter mensas, aut scamna in Ecclesijs posita.

§. III.

*An Episcopus prætendere possit, vt sibi à Regularibus in eorum Ecclesijs erigatur thronus cum Baldachino, quando ad Conclusiones inuitatus, assistit cum Rochetto, & Mozzeta.*

21 VErissimum est, Baldachinum esse erigendum Episcopis Pontificalia exercentibus in Ecclesijs Regularium, qui contradicentes, cogi possunt censuris, & pœnis: *S. Congreg. Episcop. & Regularium, sub die* 10. *Iulij* 1603. Quaranta, Piatec. Laur. de Peyerin, Laur. de Franch. Lezana, Io: Maria Mouarz. & Aldan. cum Barbosa Immunitatis Ecclesiasticæ, ac Iurium Episcoporum defensore acerrimo. *Apostolic. decis. collect.* 53. *n.* 1.

22 Quia verò Episcopus solo Rochetto, & Mozzetta indutus Pontificalia non exercet; non potest prætendere sibi erigi Baldachinum, proptereà sic indutus si Conclusionibus assistat, ius non habet, vt ei ponatur Baldachinum, & ideò expresè Sacra Congregatio Rituum in Netrionen. 25. *Februarij* 1606. teste Sellio *in Selectis Canonic. cap.* 5. *n.* 4. decreuit, Baldachinum non esse parandum pro benedictione Spõsi, & Sponsæ, tunc enim Episcopus vtitur solo Rocheto, & Mozzeta.

23 Quòd si aliquis Episcopus prætendat Baldachinum, in Regularium Ecclesijs, etiamsi sola Moz-

Mozzetta, & Rochetto indutus alicui Accademiæ assistat, fundans prætensionem suam in ius acquisitum ex eò, quòd prædecessoribus suis Baldachinum erigebatur; respondendum est ei, nullam de hoc fuisse factam præscriptionem ab eo, neque ius aliquod acquisiuisse, etiamsi semper antecessoribus suis fuerit erectum Baldachinum, siquidem omnium Doctorum calculis, vt ius tale acquiratur, requiritur bona fides, & tamen in omnibus Episcopis antecessoribus esse potuit solùm mala fides circa hoc, de quo agitur; non enim præsumendum est, Episcopos antecedentes ignorasse Decretum Sacræ Congregationis, determinans eis non esse parandum Baldachinum, nisi Pontifi-
24 calia exerceant, & sic mala fides præsumitur, quando fit aduersus legis dispositionem: Menoch. *lib.6. præsump.* 130. *n.* 33. cum alijs mul-
25 tis, & ibidem *num.* 36. extendit hanc præsumptionem non solùm fieri quando ius commune resistit, sed etiam quando repugnat statutum: ergo semper mala fides, scilicet carentia certitudinis, quòd ipsis deberetur Baldachinum præsumenda est in Episcopis transactis, propterea non adest fundamentum iuris acquirendi, quod fundamentum necessarium, est bona fides, sicut dictum est, iuxta vniuersalem omnium opinionem.

---

# DECISIO XII.

*Quomodo matrimonium ex aliquo defectu à principio nullum possit hodie fieri validum, iuxta sententiam tutiorem stante damnatione primæ propositionis in ordine damnatarum ab Innocentio XI.*

## Casus, seu Historia XII.

### SVMMARIVM.

1 *Casus proponitur.*
2 *Quot dubia hic casus contineat.*
3 *Non est restituendum acceptum à fœmina ex amore, & concupiscentia amasij.*
4 *Quando fictio fœminæ importet restitutionis obligationem faciendæ amasio.*
5 *Et tenetur restituere etiamsi solùm tacitè aliquid per deceptionem extorqueat.*
6 *Non tenebitur tamen si verè subsistat motiuum accipiendi, quod ipsa putabat fictum, licèt peccet.*
7 *Homicidium coniugis adultera fine ducendi illam, aut illam nubendi indistinctè, infert impedimentum dirimens.*
8 *Et hoc etiamsi vnus tantùm in mortem machinatus sit sinè adulterio.*
9 *Nec refert diuersitas instrumenti in occidendo, nisi obstet intentio.*
10 *Occisio in suam, vel proximi defensionem, quando liceat, & nubere non impediat.*
11 *Adulterium cum promissione dirimit matrimonium.*
12 *Occisio fine ducendi, quomodo non supponatur in nostro casu.*
13 *Quomodo supponatur.*
14 *Conuentio occidendi modo limitato, & non seruato, non impedit.*
15 *Conditio turpis rejcitur.*
16 *Examinantur modi intentionis in promissione casus nostri.*
17 *Quotuplex sit impedimentum criminis.*
18 *Quæ promissio cum adulterio dirimat matrimonium.*
19 *Idem prosequitur.*
20 *Vlteriùs de eadem re agitur.*
21 *Nemo creditur velle, quod iure facere non potest.*
22 *Ostenditur idem.*
23 *Resoluitur pro nostro dubio.*
24 *Sinè consensu ex nulla potentia consistit matrimonium, quod & per metum annullatur.*
25 *An vtriusquè consensus exigatur ad validandum matrimonium nullum ob impedimentum.*
26 *An requirantur Parochus, & testes.*
27 *An vtriusque consensus, si vnus non consensit.*
28 29. 30. 31. & 32. *Quid dicendum sit in casu nostro stante doctrina damnata.*

1 Foemina quædam non infimæ sortis, propriæ tamen sortis in statu matrimoniali non contenta, plus amans amasij pecunias, quàm amasij personam, solo lucri, non amoris motiuo illum secretè ad adulteria admittebat. Fingebat vafra pellex vitæ suæ periculum ex magna mariti zelotipia, simulque naturali sæuitia, nec ob aliud tali vtebatur fictione, nisi vt maius redderet sui meretricij præmium à perdito amasio offerendum, nouerat enim mulier eò plus ab adultero suo offerri, quò magis adultera præ timore (ficto tamen) renuebat se se illi pro turpi vsu donare. Contigit deniquè non leuis rixa inter dictam fœminam, eiusque maritum, & eò vxoris ira deuenit, vt accersito amasio, hunc rogauerit quatenus viro suo mortem vellet inferre, propinando ei quoddam venenum, quod apud amasium reperiri illa sciebat. Re-

spondit amasius: interficiam maritum tuum, si mihi duo concedas: Vnum, & quidem primum, est, quòd mihi promittas te nunquam alium maritum habere, nisi quem ego tibi dare voluero. Aliud, quod à te exigo est, vt bis tecum sinas me coire. His auditis, dixit mulier omnia tibi promitto, atquè libentissimè concedo. Hìc ex improuisò superuenit maritus, qui ira commotus gladio conatus est amasium occidere, sed è contra ab amasio mortale vulnus accepit, atquè cum amasio fugiente vxore, post varia inter se patrata adulteria, moritur ex accepto vulnere maritus. Recesserunt adulteri apud ignotos in extraneis regionibus, vbi adultera iam vidua parum de amasio contenta, cogitat nouum contrahere matrimoniũ: Instat amasius, imò, & imperat ne alium quærat habere maritum, quia supposita primi mariti occisione ab ipso facta, iuxta datam promissionem, vult vt ipsa ipsi soli nubat. Recusabat internè eiusdmodi nuptias ipsa vidua, quæ propter amasij minas, hæc intrà se decreuit: Ego nõ teneor istum ducere, quia mea promissio fuit, si cum veneno interficiebat: Nunc sum eius concubina; quid refert si ad minas vitandas fingam ipsum in maritum acceptare? Ergo sinè consensu nubam, cumque fictè ducam. Ita cogitauit, sicut & fecit mulier, quæ à viro per nouem annos à matrimonij contractione, tribus susceptis in tali matrimonio filijs, vt legitima vxor fuit habita. Nunc eadem mulier animæ suæ consulens, vitam suam in isto facto Confessario exposuit. Grandis historia! exclamauit meritò in corde suo Confessarius ille, à quo diligenter, femina illa dictante, tota historia descripta, prout hic ponitur, fuit; & quid de illa sit resoluendum enixè petit.

2 Præsentis historiæ series multa continet dubia, quæ sigillatim sunt consideranda:

Primum dubium est: An maius pretium per fictionem extortum, possit à fœmina retineri, iuxtà casum præsentem.

Secundum est: An ex modo promissionis exigitæ ab amasio, & præstitæ à muliere de nubendo tantum iuxta iussionem amasij; nec non & ex modo interfectionis mariti, ortum sit impedimentum *criminis*.

Tertium est: An adulterium cum promissione, sed prout exprimitur in præsenti facto, impedimentum dirimens secum afferat.

Quartum est. An matrimonium factum inter præfatos adulteros sit nullum ob aliquod impedimentum, vel defectu consensus, vel ratione metus propter minas.

Quintum est: Quomdo possit matrimonium inualidum hodiè conualescere iuxta sententiam tutiorem, si sit inualidum tum ob impedimentum, tum propter metum, tum propter non datum consensum, seu propter fictionem, vel propter errorem.

## §. I.

### *Solutio primi dubij.*

3 RESpondeo ad primum: Ex vna parte adest fraus ex parte feminæ fingentis periculum vitæ: Ex alia parte adest amor, & concupiscentia amasij. Hinc si spectemus amasium absolutè, & sinè aliquo respectu ad circumstantias, largè dantem suæ meretrici, motum ex amore, & concupiscentia, dicendum est quòd ipse voluntariè dat, motus à solis impellentibus causis ipsi intrinsecis, vndè accipiens nihil tenebitur restituere. Suadetur hoc ex D. Thoma 1. 2. *qu. 6. art. 7.* docente, concupiscentiam, & amorem non efficere inuoluntarium, imò valde augere voluntatem, cùm nihil magis voluntariè fiat, quàm quod amore efficitur. Si ergo sua voluntate dat, ductus tantummodò à propria concupiscentia, licitè accepit, nec restitutioni obnoxia erit fœmina, quæ oblata non recusauit.

4 Si verò cõsideremus amasium largè dantem fœminæ, sed ductus, seu habito impulsu ex istius fraudibus, distinguendum est: Vel enim ipsa fraus consistit in sola fictione perditi amoris; vel in alio expresso, vt v.g. quòd est virgo; quòd à solo Principe fuit cognita; vel vt in casu nostro, quòd propriam vitam exponit. Si fraus consistat in amoris excessiui fictione, vndè amasius prætium maius soluit, non tenetur fœmina aliquid restituere. Ratio est, quia hanc esse muliercularũ fraudem, neminem latet; sicque amasius propriè non dat tanquam deceptus, sed ex sua libera voluntate. Ita Sotus, Ledesma, Guttierez, Ludouicus Lopez, & Sanchez *de matrim. lib. 4. disp. 11. n. 3.* Si verò fictio consistit in aliqua fraude cum alicuius motiui expressione, quod motiuum sit pretio æstimabile, & ideo ab amasio largius datur, tunc femina tenebitur ad restitutionem; & quidem eiusmodi motiuum est, si se simulet virginem, vel à solo magnate stupratam, vt optimè tenent Capua *lib. 2. decisionum, cap. 123. n. 10.* Sotus, Ledesma, Alcozer, Molina, Ludouicus Lopez, Guttierez, Bannez, Salon, & Manuel, quos refert, & sequitur Sanchez. *loc. cit.* A pari censeo esse dicendum in nostro casu, si

su, si verè foemina finxit vitæ periculum, & ideò exorsit ab amasio pretium, vel aliquid maius eo, quo fuisset contenta etiam sinè tali fictione. Et sic iudico esse à pari dicendum, quia vitæ discrimen subire, est pretio æstimabile; ergo tale discrimen fingens, vt indè aliquid reporter, posthabito talis discriminis timore, non minus decipit cum restitutionis obligatione, ac si deciperet asserendo se virginem.

5 Nec obstat si dicatur prædictos Doctores esse intelligendos pro casu, quo foemina aliquid expressè exigat pro sua virginitate, quam fingit; seu pro alia æstimabili qualitate, quam de facto non habet: Verùm in casu præsenti nihil à foemina exigitur, sed solùm renitens se exhibet ex motiuo ementiti timoris, quia sic nouit erga se liberaliorem in dando suum amasium, vt illam alliciat ad timoris depositionem, atq; ad sui corporis copiam. Id, inquam, non obstat; nā dato quòd Doctores præfati loquantur de foemina expressè extorquente aliquid sub titulo ficto; nihilominus est idem asserendum de illa, quæ tacitè aliquid extorquet ex motiuo non existente, seu decipiendo, prout facit foemina in nostro facto, eò ipso quòd inducit amasium tacitè, vt aliquid det; si vult ipsam superare timorem ad effectum copulæ ab eo prætensæ cum ipsa. Ita esse dicendum satis conuincitur ex textu communiter admisso, nempè taciti, & expressi eamdem esse virtutem, *l. cùm quid, ff. de reb. cred.* & *cap. 2. de rescriptis*.

6 Excusari tamen posset à restitutione accepti per istam fraudem, si facto veritatis examine subsistat ficti timoris fundamentum, ob quod verè timorem habere debebat dicta foemina, licèt accipiendo, per fictionem crederet accipere ab amasio. Ratio huius est, quia qui putat furari dum ignoranter rem propriam, non alienam accipit, peccat quidem peccato furti, sed nihil tenetur restituere, cùm res accepta ei competat de iure: Sic & mulier de qua agimus, peccauit iniustè extorquendo ab amasio ex motiuo, quod ipsa putabat non nisi fictum, tamen non tenebitur acceptum restituere, si postea comperiat subsistere motiuum, ex cuius intuitu amasius aliquid dedit; cùm sic ex iusta causa de facto acceperit. Notetur etiam, huiusmodi maritorum timorem regulariter meritò esse habendum ab vxoribus aditum adulteris præbentibus, atquè ideò immunis erit ab obligationis restitutione ordinariè loquendo quæuis adultera similis nostræ simulanti, & decipienti, vt prædictum est.

## §. II.

### *Solutio secundi dubij.*

7 Respondeo ad secundum, quòd si quando adulter promisit adulteræ maritum eius interficere, dummodò ipsa promitteret alium maritum non habere, nisi quem ipse adulter voluerit, intentio fuit se ipsum in numero maritorum comprehendere, & eo fine dandi adulteræ alium maritum, aut seipsum, homicidiū faciat, contrahit impedimentum *criminis*, quod inualidat matrimonium. Ratio est, quia per accidens est, quòd in intentione ducendi vxorem occisi, ipse homicida æquè velit illam in matrimonium dare aut sibi, aut alteri, cùm sic occidat fine ducendi, quidquid postea sit, quòd fortasse illam alteri in matrimonium dabit. Eiusmodi autem impedimentum dari in isto casu, apertè traditur à Doctoribus cōmuniter, vt videre est apud Sanch. *de matrim. lib. 7. disp. 78. nu. 8.* & Palaum *de sponsalib. disp. 4 p. 12. nu. 6.* & habetur *cap. super hoc*; & *cap. significasti*; & *cap. 1. de conuersione infidelium*. Secus dicendum erit, si ipse homicida non fuerit comprehensus in illa intentione dandi vxori occisi coniugem, quem ipse homicida maluerit, vt ex se patet. Sed vide *num. seq.*

8 Sed circa prædicta notandum est, me dixisse impedimentum dirimens dari in nostro casu, quia intendentes simul nubere, simul etiam conspirauerunt in necem occisi coniugis; nam mors illata alterius coniugi ex intentione ducendi superstitem, sed sinè adulterij intentione, non inducit hoc impedimentum dirimens matrimonium, nisi vterquè mortem eandem machinatus sit. Ita colligunt ex *cap. 1. de conuersione infidelium*, Snchez, Pontius, & Toletus *lib. 7. cap. 6.* & alij. Nihilominus, quia hodiè Innocentius XI. damnauit doctrinam dicentem licere sequi sententiam probabilem relicta tutiori, ea scilicet in qua est minus periculum peccandi, vbi agitur de Sacramentorum valore, vt patet ex prima propositione in ordine 65. damnatarum à dicto Pontifice; propterea vt tutiori modo validè quis nubat, sequi debet sententiam Antonini *3. part. tit. 1. cap. 5.* & Veracruz *1. part. speculi, art. 33.* docentium, non esse necessarium adulterium, quamuis vnus solus machinatus fuerit in mortem coniugis ex intentione ducendi superstitem, vt indè criminis impedimentum matrimonium dirimens oriatur. Ex his liquet responsio ad casum nostrum, nempè quòd sistendo

do in ea promissione nubendi iuxta placitum homicidæ, isto etiam incluso, si mors fuerit sequuta, subsistit impedimentum dirimens matrimonium.

9 Et quamuis mors fuerit machinata mediante veneno, prout refertur in casu, sed in facto fuerit illata, v.g. ense, hoc nõ tollit quin ex homicidio insurgat impedimentũ, si intentio coarctata non fuit ad necem cum solo veneno inferendam. Ratio est, quia vbi mors in se est absolutè intenta, per accidens est, quòd procuretur mediante veneno, sed postea detur mediante gladio, vel alio instrumento. Imò idem est etiam stante illa intentionis coarctatione, quia est conditio iniqua, vt dicam infra à *num.* 14.

10 Et quia in exposito casu narratur, homicidium fuisse factum inopinatè, & tamquam in vitæ propriæ defensionem, supposito quòd maritus adulteræ conabatur inuasos adulteros occidere; propterea hìc conuenire oportet conscientiam adulteri homicidæ, an voluerit se defendere, vel occidere fine ducendi superstitem: Si voluit se cum moderamine tueri, non erit homicidium verum, sed potiùs vera defensio, ac proindè liber erit ab impedimento matrimonium dirimente; & idem erit de adultera, pro cuius vitæ defensione contra iniustum inuasorem licitum erat adultero illud homicidium patrare cum debito moderamine; nam licitum est occidere inuasorem vitæ proximi innocentis. Ita Filliuci. *to.* 2. *c.* 4. *tract.* 29. *cap.* 4. *n.* 14. & est communis opinio: Innocentes autem sunt isti adulteri quatenus inuasi, quia eorum adulterium tendit ad libidinem, non ad occisionem mariti, & ideò iste est inuasor iniustus, vt alibi docui pro foro animæ, quidquid sit pro foro fori; nec aliter dici potest pro foro animæ, stante propositione damnata ab Alexandro VII. quæ propositio est 19. in ordine damnatarum ab ipso. Impedimentum tamen contrahetur, si simul animo matrimonij fuit patrata præfata occisio, vt ex dicendis constabit.

## §. III.
### *Solutio Tertij Dubij.*

11 RESpondeo ad tertium: Certum est, solum adulterium cum promissione Matrimonij inducere impedimentum criminis dirimens matrimonium. *cap. relatum* 31. *qu.* 1. & *cap. propositum*, & *cap. significanti*. Nunc ad nostrum casum ex hoc principio infertur esse valde cautè resoluendum; quare sub nonnullis distinctionibus ad illum respondeo sic. Dicet fortassè aliquis vt sequitur vsquè ad *n.* 14. *inclus.*

12 Si adulter dum occidit adulteræ maritum, voluit solùm se defendere cum debito moderamine inculpatæ tutelæ, vt diximus *nu.* 10. & adulteria patrata fuerunt sinè alia promissione, excepta illa de nubendo cum quo adulter voluerit, incluso eodem adultero, censendum est non fuisse contractum impedimentum criminis. Ratio est euidens, nam promissio matrimonij, & adulterij facta à fœmina, fuit promissio conditionata, nempè si occideretur maritus ab adultero: Sed maritus non fuit verè, & culpabiliter occisus in casu propriæ defensionis: ergo promissio non subsistit, nec adulteria admissa vniuntur cum aliqua pomissione, supposito quòd nulla alia sit facta, nisi illa, quæ corruit, & pro non facta reputatur, conditione non purificata *l. si hominem, de vsucapion.* & tradit Menoch. *cons.* 26. *n.* 33.

13 Si verò in ea occisione adfuit animus eam patrandi etiam fine ducendi, seu iuxta conuentionem factam, tunc impedimentum criminis viget iterum; & vigebit per subsequutionem adulterij, vel etiam si adulterium iam ante fuerat factum ex vi factæ conuentionis; nam omnia conuenta fuerunt posita, & sic stat conditio.

14 Si conuentio fuit de nece danda medio tantùm veneno, & non aliter, tunc manifestè corruit tota promissio præstita sub ea conditione, quæ nullatenus fuit adimpleta. Ita patet ex *d. l. si hominem*, & ex Menochio *suprà*.

15 Nihilominus pro vera dubij resolutione, non est recurrendum ad appositas conditiones, cùm istæ sint turpes, & per consequens debent reijci, vnde docet Sanch. *de matrim. lib.* 5. *disp.* 16 *n.* 3. *& seq.* sponsalia stare, imò & matrimonium, si quis dicat contraham, ac contraho tecum, si mecum concubueris, scilicet illicitè.

16 Dicendum igitur est. Quatenus fœmina in casu nostro promisit ducere illum, quem amasius destinabit, vel intentio in ambobus fuit matrimonij etiam inter se, vel solus amasius hoc intendebat, vel sola mulier. Vlterius, vel ambo homicidium intendebant fine simul nubendi, vel sola fœmina, aut solus vir hoc intendebat. Sic & de eadem intentione est discurrendum in admissione adulterij.

17 Deinde notandum est, impedimentum criminis per quod matrimonium dirimitur, quadrupli-

drupliciter contingere. Primò, quando adest occisio coniugis simul cum adulterio. Secundò, quando adest sola coniugis occisio sine ducendi alterum. Tertiò, quando est solum adulterium cum promissione contrahendi matrimonium. Quartò, quando adest adulterium cum matrimonio de præsenti. Ita DD. communiter.

18 Nunc ex datis doctrinis generalibus infero pro responsione ad quæsitum, quòd si quando adulter petijt ab adultera promissionem non ducendi nisi quem ipse adulter voluerit, intentio fuit includendi se ipsum inter alios, cum quibus poterat adultera nubere, & promissio fuit hoc modo præstita vnà cum adulterio, viget impedimentum criminis, etiam si non adsit repromissio, cum satis sit promissionis acceptatio, & promissio per signum externum data sit, quia non sufficit si sit tantùm interna. Ita cum Sanchez, & alijs docet Dicastill. *hic, disp. 7. num. 622. & seqq.* In casu autem nostro fœmina promissionem dedit externè, & simul adulterium admisit, intendens nubere etiam cum ipso adultero, si iste ità iubeat; vnde quia promissio fuit acceptata, nihil deficit ratione cuius etiam deficiat impedimentum dirimens.

19 Quòd si seipsum non includens promissionem petijt, non contrahit dictum impedimentum, quamuis fœmina intentionem habuerit promittendi matrimonium etiam ipsi adultero. Ratio est, quia nulla adest promissionis acceptatio, eò ipso quòd non pro se promissionem petierit, sed pro alijs. Ita colligitur ex DD. numero antecedenti citatis.

20 Maius dubium est, si vir in exigenda illa promissione nihil cogitauit de se ipso, sicuti neque fœmina, sed solùm, vt sic ista promisit, & ille promissionem postulauit.

Ad hoc resp., non stare promissionē aliquā inter ipsos, sed solùm inter aliū aptum, & liberum ab omni impedimento matrimonium annullante. Probatur primò, quia nemo præsumitur velle nisi honesta, vt inter Iurisperitos commune est. Honestum autem non est, velle promittere rem illicitam, nempè matrimonium, quod non nisi inualidè potest fieri inter adulteros cum promissione.

21 Confirmatur, nam nemo creditur velle, quod iure facere minimè potest, vt cū multis tenet Barbos. *dict. 476.* Cùm ergo iure nubere non possit cum adulterij complice, persona, quæ cum promissione matrimonij adulterium admisit; consequenter non est intelligenda de matrimonio inter adulterij complices, promissio ab vno ex adulteris alteri facta de ducenda persona, quam alter maluerit.

22 Probatur secundò euidenter; per hoc enim quòd mulier dicat adultero: promitto tibi me ducturam post mariti mei mortem eum, quem tu volueris; non ideò promittit nuptias cum omnibus, siuè sit Religiosus professus; siuè sit vir viuentem habens vxorem; seu cum alio adstricto per votum, aut consanguineo, &c. ergo nisi expressam, vel tacitam habeat intentionem nubendi etiam cum ipso adultero, hic exclusus remanet à comprehensis in promissione: ergo idem dicatur, si & ipse talem prmissionem extorquens ab adultera, seipsum nullatenus nec tacitè numerauit inter ducendos ab eadē adultera, & ratio est, quia si & ipsi promitteretur cum adulterio, iam inualidè contraheretur non minùs, ac cum alio habente votum, vel consanguineo, vel vxorato, &c.

23 Hinc censeo nō adesse hucusque aliquod impedimentum dirimens matrimonium in casu nostro. Primò, non ratione adulterij cum occisione, nam casuale suppono, & non sine ducendi superstitem, factum homicidium pro se tuendo, vt dixi *num.* 10. Licèt enim mors mariti machinata fuerit, hæc tamen non euenit, sed tantùm casu fuit occisus, & eiusmodi casualis occisio, libera fuit à fine ducendi superstitem coniungem, tum in intentione interficientis, tum in machinatione vxoris, quæ de eiusmodi morte nunquam cogitauit, vt suppono; & ita colligo ex Sanchez cum Dicastill. *suprà, num.* 614. Secundò, nec ratione adulterij cum promissione, si tamen alia non fuerit facta promissio, nisi illa vt sic, & generalis ducendi, quem adulter maluerit; quia ipse adulter non venit inter ducendos, vt probauimus à num. 20. vsquè ad præsentem.

## §. IV.

*Solutio quarti, & quinti dubij.*

24 Respondeo ad quartum, quidem non esse inualidum matrimonium factum inter præfatos adulteros propter impedimentum criminis, stantibus suppositis; benè verò esse inualidum defectu consensus, qui est adeò intrinsecus matrimonio, vt hoc per nullam potentiam sinè illo stare possit, vt docent aliqui, quos refert, & sequitur Sanch. *de matrim. lib. 2. disput. 26. n. 5.*

Item inualidum esse poterat matrimonium de quo agimus ratione metus; si minæ tales fuerunt, vt metum sufficientem ad nullitatem matrimonij inducant; qua de re videatur Pontius

tius *de matrim. lib.4. à cap.2. vsque ad finem dicti libri*.

25 Respondeo ad quintum: Si matrimonium sit nullum defectu alicuius impedimenti dirimentis, quod vni tantùm cognitum est, satis erit, si scientis impedimentum consensu renouetur, habita impedimenti dispensatione, vt docent aliqui Doctores apud Sanch. *de matrimon. lib.2. disp.35. n.1.* Sed vtriusque consensum requiri, vt matrimonium conualescat, tenet idem Sanch. *loc. cit.* vbi multos idem docentes refert, *num.2.* & *num.3.* addit, talem consensum esse præstandum exteriùs, cùm non sufficiat si sit internus, vt volebat Veracruz. *1. p. speculi, art. 44. concl. 3.* Cum Sanchez tenent alij recentiores, inter quos Pontius *de matrim. lib.4. cap.24. n.2.* Ex his statuitur esse tantum probabile, quòd hinc inde tenent Doctores, quorum fundamenta hìc ponere superfluum est, quia censeo esse hodie aliter discurrendum, stante doctrina damnata ab Innocentio Vndecimo, vt infra dicam.

26 Eodem modo est tantummodò probabile, posse, vel non posse matrimonium ex occulto impedimento inualidum conualescere, si renouetur non præsentibus testibus, nec Parocho. Doctores pro vtraquè parte, & in triplici classe distinctos refert Sanchez *suprà, disp. 37. per totam*.

27 Item duplex extat opinio de nullitate matrimonij defectu consensus, vel quia fuit fictus, vel ratione metus, aut erroris. Aliqui enim volunt, vt vterquè denuò consentiat. Alij tradunt sufficere, si ille, qui minùs legitimè consensit, denuò consentiat, si alter consensum non reuocauit. Videatur Sanch. *suprà, disp. 32. n.8. & 9.* Comitolus *lib. 1. respons. moral. quæst.120.* Ponti. *loc. cit. num. 3. & seqq.* & etiam *cap.25.*

28 Idem dicatur, quoties aliqua probabilitas adest de valore Sacramenti. Hinc cùm teneamur sequi sententiam tutiorem, vbi agitur de valore Sacramenti, & illa sit sententia tutior, in qua est minus periculum peccandi, licet opposita videatur probabilior, consequenter illicitum est sententiam illam sequi in casibus matrimonij inualidi, quæ non sit iuxta minus periculum peccandi. Ità esse resoluendum prorsus iudico, ex quo damnauit Innocentius Vndecimus propositionem docentem licere relinquere sententiam tutiorem de valore Sacramenti; & ità specialiter est tenendum de Sacramento Matrimonij, cùm contrahentes sint & Ministri, & susceptores illius; Propositio autem, quam dixi damnatam, est prima in ordine damnatarum à dicto Pontifice.

29 Absit ergo, quòd quis doceat, aut putet licere affectu maritali copulam habere, vt solùm per ipsam conualescat Matrimonium nullum defectu consensus, aut alterius impedimenti, quod iam cessauit; qua de re videatur Pontius *d. cap.25. n.1.* vbi hoc probat; & agens de copula euitanda in simili casu nullitatis matrimonij, habet hęc verba *In eo casu nō deerunt fœminæ remedia, quibus copulam euitet, & euadat animæ periculum, quæ licèt dura videantur, eligentur arbitrio prudentis, quæ minùs aspera sint. Nihil enim tam asperum, quod euitandi periculi spiritualis causa sustineri non debeat*. Ita ille, & ego cum illo; atquè ideò non probamus doctrinam Sanch. *loco citato, disput.37. num.14.*

30 Sed magis asperum videbitur alicui, velle vt v.g. coniux sciens defectum debeat illum notificare alteri, cùm sic exponat se periculo, quòd alter nolit matrimonium validare; & id maximè si probabiliter iudicet fore vt recedat, & recuset contrahere. De hoc cogitauit etiam ipse Sanchez, qui difficultatem resoluit recurrendo ad aliquam sententiam tantùm probabilem vt scandalum, aut infamia euitetur, si probabiliter timeatur vt vir nullitatis conscius, nolit iterum contrahere; sic pro simili casu concedit iste Doctor fas esse sequi sententiam probabilem, contra quam ipse sentit extra talem casum. Ita ille *disp.36. n.7. & seq.*

31 Verùm ego non video qualiter soli probabilitati etiam in illa suppositione liceat inniti, cùm àbsolutè damnatum hodiè sit, affirmare quòd illicitum non sit sequi sententiam probabilem, relicta tutiori de Sacramentorum validitate. Quare cùm in casu nostro Sacramentum fieret non iuxta tutiorem sententiam, certè illicitè à tutiori sententia recederetur, non obstante quòd fœmina remedio remaneret destituta. Igitur non suffragantur sequutura incommoda, vt tutior sententia de valore Sacramenti licitè relinquatur; & ratio est, quia quod illicitum est, nunquam fit licitum alicui propter incommoda temporalia, quæ sentiet si rem illicitam omittat. Illud potiùs ad memoriam reuocare expedit in prædicto euentu, nimirum pluribus non deesse interdum grauia infortunia, ità Deo disponente, & inter tales præfatam fœminam connumerari, vndè ne peccet, aduersa quæquæ sustinere æquo animo debet; *nihil enim tam asperum, quod euitandi periculi spiritua-*

*tualis causa sustineri non debeat*, vti suprà cum Pontio loquebamur, sed & omnes DD. idem affirmant.

32 Si quæ possent argumenta afferri contra nostram doctrinam numero antecedenti positam, censeo omnia fore tantùm apparenter conuincentia, siuè à ratione, siuè à paritate desumantur. Ideò singulis semper hac vnica responsione satisfiet, quòd licèt in alijs Sacramentis possit aliqua probabilitas dari, si ista non destruat certitudinem tutiorem eorum, quæ spectant ad essentialia pro validitate Sacramenti, & tunc eam probabilitatem licitè sequamur, tamen si essentiale aliquod, probabile minùs tutè reddatur, prout apertè contingit, quando ex vna parte Matrimonium est certò nullum; & ex alia parte materia, & forma, idest corpora, & consensus habent probabilitatem an sufficiant ad validè contrahendum modo tutiori, seu cum minori peccandi periculo; tunc posito antecedente, quòd Pontifex prædictam doctrinam damnauerit, sequitur consequenter esse dicendum prout hactenus docui in hac materia valdè notanda, de qua (vt quid tenendum sit) etiam à sapientibus, interrogatus, respondi. Videatur etiam nostra *Decisio tertia, num. 33. in fine*.

# DECISIO XIII.

*An ad Iudicem Laicum spectet cognitio causarum super dominium vtile rei Ecclesiasticæ Laico concessæ in emphyteusim?*

## Casus, seu Historia XIII.

### SVMMARIVM.

1 *Casus proponitur.*
2 *Res emphyteutica Ecclesiæ non comprehenditur legibus ciuilibus, quæ aliqua ex parte nocent Ecclesiasticæ immunitati.*
3 *Et hoc etiamsi Emphyteuta non sit clericus.*
4 *Quia bona sequuntur personam.*
5 *Vndè causa pro dominio vtili rei Ecclesiæ in emphyteusim datæ laico, est fori laicalis.*
6 *Et decreta, vel Decisionis Rotæ, aut Sa. Congregationis, quæ videntur obstare, non obstant quando Ecclesia, vel Clerici, vel bona Ecclesiastica in nullo tanguntur.*
7 *Lex ciuilis imponens pensionem super rem aliquam in Emphyteusim datam laico, obligat istum, etiamsi sit res Ecclesiæ.*
8 *Dummodò tamen pensio à lege non imponatur super corpus rei Ecclesiæ.*
9 *Sed solùm super fructus eiusdem rei.*
10 *Vndè resolutio præsentis decisionis, est, quòd totum spectat ad forum laicale.*

1 INsignis Magistratus Serenissimi Ducis N. carceribus fecit dari Petrum, qui rem Ecclesiæ Cathedralis habebat in emphyteusim, & de bonis dominij vtilis tantummodò viuebat. Circa talia bona nonnullas adduxit prætẽsiones Antonius Petri, cognatus; quapropter inter ipsos exorta est lis, quæ breui temporis cursu adeò excreuit, vt Petrus Antonium multis vulneribus læserit, eo animo ei mortem inferendi, vt se à molestia illius liberaret, prout testes quamplurimi deponunt, & testantur. Igitur ex ordine, & captura Magistratus fuit carceratus Petrus, cuius causæ cognitionem prætendebat esse fori Ecclesiæ Illustrissimus Episcopus, ductus ea ratione, quòd propter dominium vtile annexum indispensabiliter cum re Ecclesiæ Petrus litem habebat, qui Petrus erat etiam Emphyteuta Ecclesiæ. Cùm igitur de hoc insurrexerit difficultas, interrogatus fui: Primò an Laicus emphyteuta Ecclesiæ sit exemptus à Foro Laicali? Secundò, an cognitio causarum vtilis dominij bonorum Ecclesiæ in emphyteusim datorum, sit fori Ecclesiastici: Tertiò, an in casu nostro spectet ad Magistratum sæcularem, vel ad Episcopum carcerare Petrum, & iudicare; seù an sit mixti fori eius delictum.

2 Respondeo, quòd generaliter loquendo nulla Emphyteusis Ecclesiastica ciuilibus laicorũ legibus comprehenditur, si tales leges noceant aliqua ex parte immunitati, & libertati Ecclesiæ, aut si directè attingant ipsa bona Ecclesiastica, nisi leges illæ approbatæ fuerint iure Canonico, vel authoritate, & priuilegio Summi Pontificis. Ratio est euidens, & constans, quia lex ciuilis nihil potest statuere de clericis, Eclesijs, vel de bonis Ecclesiasticis, cùm Laicus careat omni iure, & potestate in clericos, Ecclesias, & Ecclesiastica bona, quæ opinio est communis Doctorum *in cap. Ecclesia Sanctæ Mariæ, & cap. quæ in Ecclesiarũ, de constitutionibus*. In casu autem nostro, patet quòd in nullo Magistratus noceat, aut clerico, cùm Petrus sit sæcularis, aut Ecclesiæ, vel bonis ipsius, cùm nec grauentur, nec minuantur; nec lex aliqua damnificãs illa inueniatur à Laicis promulgata.

3 Nec facit contra Magistratum, quòd Petrus sit Emphyteuta Ecclesiæ, licèt non sit clericus nam laicus emphyteuta Ecclesiæ, non gaudet priuilegio Ecclesiæ: Riccius, cum alijs *vol. 2. resolut.* 131. *n.* 2. ex quo sequitur consequentia, quòd circa cognitionem rerum propriarum ipsius emphyteutæ laici; totum erit foris laicalis, quidquid pro tali dominio vtili in litem venerit.

4 Et confirmatur ex hoc, quia bona sequuntur personam, & ideò bona clericorum gaudent priuilegio immunitatis, gloss. *vers. personis in cap. Ecclesia Sanctæ Mariæ, de constitut.* & alij adducti à Mandello *cons.* 387. *n.* 5. etenim vt ait Abbas *in d. cap.* si bona clericorum, & Ecclesiarum subijcerentur legibus sæcularibus, eorum ratione per indirectum subijcerentur foro sæculari ipsi quoquè clerici, & ad tale forum traherentur: Si ergo Petrus laicus non gaudet immunitate propter emphyteusim cum Ecclesia, vt suprà dictum est cum Riccio, & bona sequuntur personam; ideò nec Petrus, nec eius bona dominij vtilis ex re emphyteutica Ecclesiæ gaudebunt priuilegio Ecclesiæ, sed ad Magistratum sæcularem spectabit cognitio quæcunquè cuiusuis causæ Petri exortæ motiuo prædicti vtilis dominii.

5 Sic responsio fit ad quæsitum primum, negando cognitionem causarum pro dominio vtili rei Ecclesiæ in emphyteusim datæ laico, spectare Iudici Ecclesiastico. Placet hic ponere Doctorum expressa verba pro corroboratione huius responsionis, dicunt enim: *Laicus habens agros Ecclesiæ in emphyteusim, tenetur ex illis soluere tributa, quæ laicis imponuntur, quia dominium vtile, ratione cuius tributum debetur non est Ecclesiæ, sed laici: & ideò emphyteuta potest rem illam alteri donare, locare, vendere, & dare in emphyteusim quamdam secundariam.* Lessius *de Iust. & iur. lib. 2 cap. 28. dub. 9. n.* 44. Filliucius, Bonacina, & Syluester apud Basæum *in suis floribus, v. emphytheusis, n.* 3. Non ergo Emphyteuta Ecclesiæ, si sit laicus, est subditus Ecclesiæ, quod primo loco quærebatur: nequè causæ propter illius vtile dominium sunt fori Ecclesiastici, quod erat secundum quæsitum; vndè nequè subsistit esse mixti fori, sed omninò est solius fori laicalis, quod tertio loco quærebatur.

6 Adducebat pro se Illustrissimus Episcopus in casu præsenti nonnulla decreta, seu resolutiones S. Rotæ, nec non & S. Congregationis, quibus sancitum fuisse prætendebat contra illa, quæ contra ipsum sunt dicta. Sacra igitur Congregatio cum Rota, quandocunquè declarauerunt, vel decretum, aut resolutionem fecerunt in hoc particulari, sunt omnia intelligenda, quòd loquantur pro euentibus, in quibus Ecclesia læditur vel in minimo, nam in hoc casu laici nullum habent ius disponendi de rebus emphyteuticis Ecclesiæ, etiam respectu vtilis dominij. At quando Ecclesia non læditur, tunc non militant contra casum nostrum quælibet decreta, aut resolutiones S. Rotæ, ac S. Congregationis, & quidem Ecclesiam nec in minimo fuisse læsam in casu proposito manifestè apparet: Ità Franciscus Niger Cyriacus *controu forens. tom 2. controuersia* 205. *n.* 163. 164. & 165 vbi affert pro sua opinione Ancharanum, Alexandrum, & Surdum, omnes in prædicto sensu intelligentes, & docentes esse intelligendas resolutiones citatas Sacræ Rotæ, & Sacræ Congregationis.

7 Facit quoquè ad rem nostram quæstio, & responsio Azorij *institut. moral. p. 3. lib. 10. cap. 1. q. 2.* vbi dicit: quæritur an si lege ciuili constitutum fuerit, vt cùm quis rem aliquam in emphyteusim habet, certum tributum, vectigal, vel pensionem annuam soluat Principi, vel Reipublicæ, obliget etiam laicos, qui rem Ecclesiæ emphyteuticam habent. Quidam affirmant eam legem obligare: id probant, quia talis lex fertur in laicos, & in eorum bona, non in clericos, vel Ecclesias, vel Ecclesiastica bona, quoniam eiusmodi lege solùm cautum est, vt qui rem emphyteuticam habet, soluat pensionem; at pensio debetur ex vtili dominio rei emphyteuticæ, quod est penes laicum, non ex directo dominio, quod est penes Ecclesiam.

8 Verùm non sic absolutè respondendum est, sed cum distinctione, ad quæsitum Azorij. Aut igitur pensio imponitur corpori ipsius rei emphyteuticæ, vt videlicet maior, vel minor pensio soluatur, quò pluris, minorisue æstimantur singulis annis res emphyteuticæ & tunc lege, vel statuto ciuili, res emphyteuticæ Ecclesiæ, quas laicus habet nequaquam tenentur; quia nihil potest laicus statuere de rebus, vel bonis Ecclesiæ; & ideò pensio exigi iure non potest à laico habẽte rem emphyteuticam Ecclesiæ: tunc enim res Ecclesiæ esset tributaria, & vectigalis; & ratione rei laicus pensionem deberet, quod est contra immunitatem, & libertatem Ecclesiæ, vt ex se manifestissimè notum est.

9 Si verò lex ciuilis imponit pensionem fructibus, qui ex re emphyteutica colliguntur, non in re, itaut maiorem, minoremue pensionem solue-

soluere quisquè debeat, prout plures, pauciores sue fructus perceperit; tunc tali lege ciuili tenetur laicus, qui ex re emphyteutica Ecclesiæ fructus colligit: nam eiusmodi lex ciuilis non facit rem Ecclesię tributariam, sed fructus quos percipit laicus ex re Ecclesiæ. Et in hoc casu laicus est sicut colonus partiarius cum Domino in percipiendis fructibus vineæ, etenim ex fructibus, quos iste colonus facit suos, debet soluere pensionem Reipublicæ, quæ pensionem illam imponit; vndè constat rem Ecclesiæ intactam relinqui, & tangi solos fructus, quos laicus sibi acquirit: ità sentit Azorius *loco citato*.

10 Igitur nullo modo attinet ad Illustrissimum Episcopum sententiã ferre contra Petrũ, iustè carceribus traditum à Magistratu seculari propter vulnera, quibus affecit Antonium, nã cùm & Petrus, & Antonius sint laici, certè ex hoc capite sunt brachij sæcularis. Verùm, licèt Petrus sit Emphyteuta Ecclesiæ, quia tamen agitur de vtili dominio, seu de fructibus, qui sunt proprij ipsius Petri, & totaliter alieni à dominio, vel iure aliquo Ecclesiæ, vel Ecclesiasticæ personæ; propterea neque ex hac parte debet causa spectare ad forum Ecclesiasticum. Et tandem, quia in toto facto nihil est, quod sub potestate Ecclesiæ maneat; ideò nec mixti fori esse potest causa præsentis casus, in quo corpus rei Ecclesię, quod corpus rei in emphyteusim datum est, nullatenus violatur, ac tangitur, prout ostensum, & probatum est.

# DECISIO XIV.

*An liceat aliena subripere in necessitate conseruandi possessam dignitatem, aut tuendi gratia honorem proprium, vel alienum?*

## Casus, seu Historia XIV.

### SVMMARIVM.

1 *Casus proponitur.*
2 *Non agitur de graui necessitate.*
3 *Licet in extrema necessitate surripere aliena.*
4 *Dominus rei potest impedire indigentem, ne rem suam surripiat, si aliundè potest suam indigentiam adiuuare.*
5 *Indigentia extrema non dat dominium, sed solum ius vtendi re necessaria.*
6 *Qui ex proprijs non potest succurrere indigenti, potest pro illo surripere alienum.*
7 *A similiter indigente, non potest surripi.*
8 *Dominus, qui rem suam applicauit Petro extremè indigenti, dat quandam possessionem rei eidem Petro.*
9 *Quia Dominus spontè dat rem pro subleuanda necessitate, absquè eò quòd surripiatur.*
10 *Quod etiam probatur, quia applicatio rei factã Petro, est veluti promissio.*
11 *Et promissio etiam interna, obligat in conscientia.*
12 *Propterea si non datur internè promissum, & hoc sciat ille, cui facta est promissio potest sibi compensare.*
13 *Ostenditur quid dicendum sit pro resolutione quæsiti in* §. 1.
14 *Necessitas est triplex. 1. communis. 2. grauis; & quid amba sint.*
15 *Tertia necessitas est extrema; & quæ illa sit.*
16 *Sola necessitas conseruandi vitam, est verè extrema, quæ facit omnia esse communia.*
17 *Nisi vir honoratus ad euitandam inhonestatem mendicandi aliena surripiat cum animo restituendi mox vt poterit, non potest licitè aliquid non suum surripere.*
18 *Ratio cur possit surripere cum animo prædicto, est recta ratio, & communis pietas erga tales.*
19 *Præcisè vt quis se liberet à labore triremium, non potest aliena surripere; sicut nec vnquam potest, extrà casum necessitatis pro conseruanda vita.*
20 *Nicolaus, & Franciscus in casu nostro, tenentur in solidum restituere.*
21 *Imò & debet resarciri damnum per se causatum proximo ex iniusta surreptione.*
22 *Thesaurarius pro conseruatione sui officij, non potest licitè rem alterius surripere.*

1 Nicolaus quidam fuerat damnatus per decennium ad triremes, nisi cum solutione mille scutorum seipsum redimeret. Erat hic Nicolaus in summo honore apud omnes, ideò vt illum ab infamia, & à triremium angustijs liberaret, surripuit Franciscus dicta mille scuta ab Ægidio diuite, qui talem pecuniam præparauerat, vt à triremibus liberaret socium Nicolai in delicto, & damnatione, neuter tamen habebat in bonis, vt se liberaret, vndè premebantur vera, ac reali necessitate. Dicta mille scuta erant depositata apud Thesaurarium Ciuitatis, à quo quia fuerunt ablata per Franciscum, vt dictum est, Ægidius eorum dominus, qui illa in Thesaurarij manibus depositauerat,

cogitabat operari, vt carceribus traderetur Thesaurarius, qui prçuidens proprium periculum tum infamiæ, tum deperdendi officium, quo fungabatur, surripuit & ipse alia mille scuta, quæ dedit Ægidio, sicque sibi, & necessitati suæ prouidit Thesaurarius, qui nisi mille scuta surripuisset, vt Ægidio satisfaceret, non poterat alia via se liberare, ac indemnem, & cum officio conseruare. Factum istud multa dubia continet, quæ cuidam Confessario proposita, quæsiuit iste à me, quid resoluendum sit: Primò, circa furtum à Francisco factum pecuniæ assignatæ à Domino pro liberatione eiusdem necessitatis, quam patiebatur; tum ille, qui per Francisci furtum fuit prouisus; tum ille, cui intendebat Dominus pecuniæ prouidere.

Secundò: An sit licitum aliena surripere extra necessitatem vitæ conseruandæ, & solùm pro necessitate se liberandi à labore triremium?

Tertiò: An Nicolaus, & Franciscus, qui vsi sunt illis mille scutis subreptis, teneantur reficere damnum illatum Ægidio Domino, ac illi quem Ægidius volebat liberare; necnon Thesaurario apud quem Ægidij mille scuta surrepta fuerant depositata?

Quartò: An Thesaurarius in necessitate se conseruandi cum officio, licitè potuerit & ipse surripere, quod sibi erat necessarium?

Ad singula igitur responsum feci, vt sequitur.

## §. I.

*An extremè indigens, possit surripere à similiter indigente; seù id quod surripitur sit proprium eiusdem indigentis; seu sit proprium tertiæ personæ, quæ designauerat id impendere pro necessitate indigentis amici sui: & an alter possit pro indigente surripere?*

2 PRimò aduerto, me præcisè loquuturum esse de posito in extrema necessitate; non enim agam de tantùmodò grauiter indigente, ne occasionem indè accipiat doctissimus Caramuel quærendi à me, sicut à diligentissimo P. Diana quæsiuit dicens in Theologia fundamentali, *fundam.* 59. §. 1. *n.* 1255. quòd si per ipsum licet furari, sequitur hinc, quòd multi Europæ patibula onerant, dicuntur fures, & habetur infames, qui sunt innocentes omninò, possentque, & deberent excusari, & saluari, atquè in Tribunalibus essent audiendi, vtpotè qui sola graui necessitate pressi, ad furta perpetrata deuenerint. Illud in præsenti placet aduertere, quòd Innocentius XI. damnauit hanc propositionem: *Permissum est furari non solùm in extrema necessitate, sed etiam in graui*; quæ propositio est trigesima sexta in ordine damnatarum à dicto Pontifice. Et meritum damnationis dictæ propositionis patet in quo fundetur, nam ex vi suæ generalitatis, & vt iacet, in quo sensu fuit damnata, vt constat ex proæmio Decreti præfatæ prohibitionis, seu damnationis, nimis amplè loquitur, vndè comprehendit duo scandalosa, & animarum saluti perniciosa. Vnum est generalis doctrina, quòd in necessitate graui permissum sit furari; cùm falsum sit furtum licere in quacunquè graui necessitate, magnam enim habet latitudinem ipsa necessitas grauis, quia interdum accedit ad extremam, interdum non, & sic si loquamur de necessitate graui, quæ accedit ad extremam, liberum est Doctoribus disputare, an liceat rem alienam iuxta indigentiam præsentem accipere, & de ista necessitate debent intelligi fuisse loquuti Doctores à nobis citati, aut citandi: Quòd si necessitas non accedat ad extremam, de ista stat damnatio doctrinæ volentis permissum esse in ea furari, seu rem alienam accipere. Aliud scandalosũ, quod docetur in præfata propositione, consistit in verbo: *Furari*; siquidem in nullo casu licitum, ac permissum esse potest furtum, quia est ab intrinseco malum, & peccaminosum. In illa ergo necessitate, in qua permissum erit propriæ indigentiæ cum re alterius succurrere, non committitur furtum, sed vtitur re alterius in eo euentu facta communi quoad vsum, &c. prout infrà dicemus.

3 In extrema igitur necessitate, quæ qualis sit §. 2. dicam, conueniunt communiter Doctores, licitum esse aliena surripere, prout ad extremam indigentiam subleuandam erit necessarium. Ratio communis est, quia res temporales sunt à Deo datæ, vt vita, rerum omnium temporalium nobilissima, conseruetur: & cùm ius conseruandæ vitæ nemo à se potuerit abdicare per rerum diuisionem iure Gentium introductam, fit, vt in ea necessitate omnia sint cõmunia; propterea præsens dominus rei, quæ surripitur, non potest sinè peccato impedire, ne surripiatur; & si conaretur impedire, posset cum moderamine inculpatæ tutelæ occidi ab ipso indigente, vt tenet Thomas Tamburi-

burinus *in præcept. Decal. lib. 8. tract. 2. cap. 6. §. 1. n. 1.* est enim in tali casu ipse dominus inuasor vitæ iniustus.

4 Non tamen peccaret idem dominus impediendo, si sciat probabiliter aliunde posse indigentem subleuari, vt v. g. si artem exerceat, quia in tali casu non extremè indiget. Castro Palaus *tom. 1. tract. 6. disp. 2. de char. p. 2. n. 4.*

5 Et quòd liceat surripere in extrema necessitate, non est quia per illam statim in indigentem transferatur dominium, vt probat Nauarrus *cap. 17. n. 61.* sed quia, quoad Ius vtendi, communia sunt, itaut licitè quiuis angustijs illis pressus, possit occupare, sibique vendicare rem quamlibet, adeò sibi necessariam: Lessius *de Iust. & iur. lib. 2. cap. 12. dubit. 12. n. 67.*

6 Hoc adeò verùm est, vt nedum ille, qui necessitatem patitur, possit sibi licitè accipere; sed & alter pro indigente potest surripere, dummodò ex proprijs non habeat ad indigentem subleuandum, quia sicuti necessitatem patiens potest surripere, ità etiam nos possumus illum adiuuare surripiendo, hoc enim nihil aliud est, quàm ad actionem licitam cooperari: Bonacina *tom. 2. de Restit. disp. 2. qu. 8. punct. 3. n. 8.* cum Medina *de Eleem. qu. 5.* & alij. Licèt ergo pro alio surripere, vt dictum est, & est id, quod quæritur in fine tituli huius paragraphi.

7 A similiter indigente surripi nullatenus potest, quia in pari causa melior est conditio, possidentis, vt omnes fatentur, & obseruauit Lessius *loc. cit. sed n. 70.* ac per hoc non potest ab eo tolli, quod possidet, & eo æqualiter ac quilibet alter, indiget.

8 Maior difficultas est, an possit surripi ab extremè indigente id, quod est tertiæ personæ, quæ persona designauit illud dare ad subleuandam extremam necessitatem alicuius indigentis determinati, qui æqualiter indigebat ac ille, qui surripuit; imò & illa tertia persona ad dictum effectum depositauerat apud aliam tertiam personam totum, quod erat necessarium indigẽtiæ illius indigentis determinati. Et statim resoluo, in hoc casu non licere nec per se, nec per alium aliquid surripere, quod probatur, quia in pari necessitate melior est conditio possidentis; sed in casu quo dominus rei designat illam, & applicat pro necessitate non minus extrema, ac sit necessitas volentis surripere, plus possidet ille cui dominus fauet, quàm alter ignotus domino rei: ergo res non posset in tali casu licitè surripi.

9 Confirmatur, nam ideò in extrema necessitate licitè necessarium surripitur, quia dominus rei dare tenetur rem necessariam, nisi aliter indigentię possit occurri: sed res istius domini, quæ requiritur ad extremam necessitatem subleuandam, spontè datur à domino pro tali effectu; ergo illicitè eam surripiet quisquis, & tali necessitati subiectus erit, siuè sit ille, cui dominus rei eam applicauit, siuè sit alter.

10 Vlterius potest probari, quia dominus rei, dum rem illam in depositum tertiæ personæ, dedit, cum determinatione, vt inseruiret indigentiæ, v. g. Petri, fecit veluti promissionem ipsi Petro: ergo res illa erat Petri; cùm igitur illicitè surripiatur ab æqualiter indigente, Nicolaus surripere non poterit rem Petri, cuius rei Petrus non minùs indiget. Probatur, quòd res illa facta sit Petri per illam depositionem, quæ est veluti promissio; nam quid est depositum facere cum intentione, vt depositum seruiat Petro, nisi quòd sit Petri, cui illud depositum internè promittitur? ergo in casu nostro depositum est illius personæ, cui dominus applicauerat, seu promiserat; & ideò promissio etiam interna obligat in conscientia secundùm

11 opinionem Soti *lib. 4. q. 5. art. 1. ad 1.* & hoc etiamsi sit de re prophana; proinde à fortiori verificatur in causa pia: ex quo infert Mendoza *lib. 1. de pact. c. 4. n. 8.* quòd si alicui constet sibi aliquid fuisse promissum, & non possit

12 in iudicio hoc probare, vt sibi promissum detur, potest occultè sibi compensare. Esto igitur extremè indigeat Nicolaus, cùm & pariter indigeat Petrus, non potest à Petro surripi suum per Nicolaum, & suum iam Petri factum est depositum, vt præfertur.

13 Sic ad singula quæsita in hoc primo paragrapho satisfit cum dictis, quæ in summa sunt: 1. non licere extremè indigenti surripere ab æqualiter indigente: 2. & hoc verificatur seu id, quod surripietur sit proprium ipsius indigentis, siue sit tertiæ personæ, quæ designauerat illud impendere pro subleuanda necessitate sui amici determinati: 3. Potest qui non habet de suo ad succurrendum extremè indigenti, surripere pro isto.

## §. II.

*An sit licitum aliena surripere extrà necessitatem vitæ conseruandæ, & solùm pro necessitate se liberandi à labore triremium, vel à persecutionibus, &c.*

14 CLariùs enucleabitur quæsitum propositum, prælibando quid sit necessitas, de qua

qua potest in præsenti dubitari. Igitur sciendum est, triplicè solere constitui necessitatem. Prima dicitur *necessitas communis*: secunda vocatur *grauis*: tertia appellatur *extrema*. Prima est illa, quam omnes pauperes sustinent ostiatim mendicantes: Secunda est illa, quam patiuntur non habentes vndè congruenter suo statui viuant, propterea nec possunt debita soluere, nec filiam dotare, &c. In dictis duabus necessitatibus, certum est non esse licitum rem alienam surripere, quia nec faciunt res esse communes, nec tribuunt ius saltem vtendi re aliena, proindè qui talibus necessitatibus pressus alienam rem surriperet, fur esset, vel raptor, vt latè docent: Sotus *lib. 5. de iust. q. 3. art. 4.* Caiet. 2. 2. *quæst. 66. art. 7.* Dominicus Bannes *ibid. & quæst. 32. art. 6.* Gregorius de Valentia *tom. 3. disp. 5. quæst. 10. punct. 5. dub. 1. in fine*. Idem apertè tenet Bonacina *tom. 2. disp. 2. qu. 9. punct. 3. n. 5. de restitutione*: vbi respondet rationibus Petri Nauarr. Lessij, & aliorum affirmantium licere alienam rem surripere in necessitate valdè graui.

15 Tertia *necessitas*, quæ *extrema* dicitur, vt notum est supra, illa est, quam patiuntur illi, qui non habent ea, quæ suæ sustentationi, & victui sunt omninò, & simpliciter necessaria, vt quando homo constituitur in periculo vitæ defectu cibi, aut potus, aut vestitus, aut alterius rei: Item illa, quando appropinquat miseria, aut infirmitas incurabilis, quæ solet homines cōficere, & quam quis incurreret, nisi præcaueat, & prouideat sibi de necessarijs, ex Soto *lib. 5. de iustit. qu. 3. art. 4.* & Summa Corona *p. 2. cap. 6. n. 21.* & de hac sola necessitate instituitur difficultas, an in tali necessitate positus, nec aliter valens sibi succurrere, rem alienam sibi necessariam, sinè peccato accipere possit? Ampliando etiam quæsitum ad necessitatem extremam liberandi se à triremibus, à grauibus tormentis, à persecutionibus, &c.

16 Quantùm attinet ad quamcunque necessitatem extremam, quæ licitum faciat rem alienam surripere pro subleuatione à tanta necessitate, omnes quidē conueniunt, concedentes licere surripere in extrema necessitate vera, quę solùm est vnica, illa scilicet conseruandi vitam, & hæc necessitas facit omnia communia, quia alienam rem surripere, est medium ad tuendam vitam, non autem ad tuendum honorem, pudicitiam, seu ad liberandum à triremibus, vel à detrahentibus etiam iniustè; & quia res temporales surreptæ, non sunt ordinatæ vt medium ad obtinendum aliquid ex ijs per se, nisi conseruationem vitæ, ideò nunquam licitum est rem alterius surripere, vt possit quis se, aut alium liberare à triremium labore, à carceribus, ab infamia, &c. Ità docent Bonacina *loco citato, sed num. 6.* & penes ipsum Bannes, & alij. Item tenent idem Michael Salon, & Sotus apud Sayrum *in claui Regia, lib. 9. cap. 14. num. 23.*

17 Limitatur tamen prædicta doctrina à Bannes 2. 2. *quæst. 66. art. 7.* quòd in necessitate tuendi honorem, licitum erit homini, cui valdè inhonestum est mendicare, occultè accipere aliena, cum animo restituendi, quando ad pinguiorem fortunam venerit, si tamen aliter non potest sibi succurrere, qui tamen casus rarissimus est, quia huiusmodi homines possunt Principibus inseruire; militiæ se adscribere; aut alia via vitam agere conformem, vtcunquè saltem, statui suo hominis honorati, nam de simili est doctrinà Bannes, non de alijs. Ratio
18 huius limitationis in fauorem viri honorati, videtur quòd sola sit recta ratio, & communis pietas hominum erga huiusmodi egentes, vt notat Sayrus *loco citato*, & sic fundatur in tacito, seu præsumpto consensu Domini, & tantùm speculatiuè Bannes hæc puto dixisse.

19 Attentis prædictis, negandum est, licere alienam rem surripere in casu necessitatis, quæ non sit conseruandæ vitæ: ergo vt quis se liberet à labore triremium præcisè, licitè non potest ad suum intentum peruenire, mediante surreptione rei alienæ, quod quærebatur in hoc Paragrapho.

## §. III.

*Responsio Authoris ad illud, quod quærebatur sub numero primo, tertio, & quarto loco.*

20 Circa id, quod quærebatur in præsenti casu, an videlicet Nicolaus, & Franciscus, qui pro subleuanda necessitate Nicolai surripuit mille scuta, teneantur ad damna resarcienda, tum Domino; tum illi pro quo Dominus volebat ea occupare pro consimilis necessitatis subleuatione; tum Thesaurario apud quem erat talis pecunia depositata; respondeo certum esse & Nicolaum, & Franciscum debere in solidum restitutionem mille scutorum, quæ restitutio validè fiet cuicunquè maluerint, scilicet vel Domino, vel indigenti, vel Thesaurario. Licitè igitur restituitur Thesaurario, quia ipse vtpotè depositarius tenetur rem Domino custodire, & sic tale depositum restituit ad eumdem statum, in quo Dominus illud colloca-

locauerat, vndè iniuriam Domino non facit, sed potiùs iuxta illius voluntatem de illius rebus disponit. Licitè etiam restituetur ipsi Domino, nam in hoc casu Dominus non potest ampliùs depositum suum repetere à depositario, quia quod suum est iam recepit;& per hoc nulla fit iniuria depositario, nec ei onus, aut grauamen aliquod imponitur, cùm ad nihilum teneatur, sed remaneat veluti si ipsemet depositum Domino restituisset. Licitè etiam fiet ipsi indigenti, pro quo tale depositum erat destinatum; etenim est cõstitutus in pari indigentia, & iam erat in aliquali iure, aut possessione illius rei, ratione applicationis factæ ipsi à Domino, vt suprà dictum est *num.* 8. *& seqq.* & ille qui extremè indigens tollit ab æqualiter indigente, tenetur huic restitutionem facere: Ità passim Doctores, Scotus, Syluester, & alij, quos citat Lessius *de iust. & iur. lib.2. cap.16. dubit.1. n.12.*

21 Imò & negari non potest, quin Nicolaus, & Franciscus in solidùm teneantur restituere damna, seu illa resarcire, quæ ex iniusta subreptione, per se, non per accidens, fuerunt causata, est enim vniuersalis omnium sententia, tunc semper currere obligationem restituendi, seu reficiendi damna, quandocunquè ex iniusta alicuius actione fuerunt per se causata. In casu nostro considerent Nicolaus, & Franciscus, cuius damni causam per se fuerint alijs, & sciant se teneri ad illud resarciendum.

22 Quod autem quartò,& vltimò quærebatur, nempè an Thesaurarius ad suam dignitatem conseruandam posset licitè aliena surripere, non valens alia via suæ necessitati de periculo amittendi Thesaurarij officium prouidere; patet responsio ex prædictis, maximè sub *num.* 16. & 17. nec quidquam expedit hìc vlteriùs, aut explicare, aut addere.

---

# DECISIO XV.

*An eamdem vim obligatoriam habeant hæ duæ propositiones:* Teneris facere, vt hoc fiat: & Curare debes vt hoc fiat.

## Casus, seu Historia XV.

### SVMMARIVM.

1 *Casus proponitur.*
2 *Explicantur quædam verba Apostoli.*
3 Cura *dicitur quasi* Cor vrens.
4 *Vndè quando lex dicit*: curet Superior vt hoc fiat; *intelligitur quòd diligentiam adhibeat.*
5 *Verbum* Teneris *potest significare obligationem; & est generalius ac verbum* obligaris.
6 *Vt sciatur an verbum* teneris *obliget, attenditur ad quid referatur.*
7 *Verbum* debes *est generale; ideo cogit, aut necessitat limitatè secundum sensum verbi, cui annectitur.*
8 Curare *non dicit præceptum, nam aliquando dicitur*: teneris curare.
9 *Et si sit dubium quòd* curare *sit verbum obligans, debet explicari in sensum benigniorem, qualis est liberatio ab obligatione.*
10 *Et sicut verbum* debet *præcipit; potest dat arbitrium; &* curet *solummodò est hortatiuum.*
11 *Ex varijs locis S. Scripturæ apparet, quòd verbum* curare, *non sit obligatorium.*

1 Qvidam Prælatus in conspicua Religione, quæ perfectionem profitetur, considerans diuersitatem loquendi, quam eiusdem Religionis leges scriptæ habent, nam aliquando vtuntur propositione: *Curare debet Superior, vt hoc fiat*; alijs verò in locis dicunt: *Tenetur Superior facere, vt hoc fiat*; ideò cæpit dubitare, an ambæ illæ propositiones sint eiusdem efficaciæ obligantis; an verò diuersum facientes sonum, & diuersam præseferant significationem.

2 Antequam explicem iuxta iura, quid in tali dubitatione possit, & debeat resoluere Prælatus ille, ipsum rogo, vt sibi scriptum existimet à D.Paulo id, quod magnus iste Apostolus ad Titum scribens aiebat *cap.* 3. *vers.* 8. *Fidelis sermo est: & de his volo te confirmare: vt curent bonis operibus præesse, qui credunt Deo.* Cogitet, & iudicet nunc tuta conscientia lector, an verbum *curent* obliget, an potiùs exhortatorium tantummodò sit censendum? Certè non habere obligatoriam significationem apparet, & clarè deducitur ex D.Thoma *in epist. Pauli, epist. ad Tit. cap.3. lectione* 1. vbi sic explicat Doctorem Gentium: *Vt curent &c. quod potest intelligi de Prælatis, quasi dicat: Volo, quòd confirmes viatores, idest Prælatos, vt ipsi curent præesse his, qui credunt Deo, scilicet Fidelibus in bonis operibus,* & sensus est, quòd Apostolus vult Titum animare Prælatos ad studium dirigendi Fideles, non tamèn imponendo Prælatis aliquam de hoc obligationem, sed solam diligentiam,quę per verbum *curent*, significatur.

3 Et

3 Et quidem verbum *curare* iuxta ipsius ethymologiam deriuat à verbo *Cura*, quasi *Cor vrens*, vt obseruauit Oldradus *cons.227.de toto, num.10. vers. cura autem*: ideò cura requirit hominis factum cum administratione solicita per *curam*, quæ *cor vrit* ad hoc vt talis homo sit diligens,& ardens in facto eius curæ demandato: Abbas *in cap. de multa, in fin. num. 24. vers. quos ad primum, de præben.* Ità etiam sentit D. Chrysostomus, qui apud Hugonem Cardinalem *in epist. ad Tit. cap. 3.* explicans prædicta verba Apostoli, dicit *Curent, non expectant indigentes ire ad se*; quod significat Charitatis ardorem in exequendis impositis operibus,non quidem sub obligatione præceptiua, sed tantùm per verbum excitans ad diligentiam, quod est verbum *curent*.

4 En quid à lege intendatur, dum dicit, *curare debet Superior, vt hoc fiat*: videlicet exigit in Superiore vigilantiam, atquè solicitudinem, vt omni possibili ardore faciat exequi quidquid per verbum *curet* specificatur ad ipsum Superiorem pertinere facere, vt obseruetur. Non est ergo verbum, quod dicat obligationem, seu non est propositio præceptiua hæc *curare debet Superior, vt hoc fiat*, sed solùm est propositio excitatiua ipsius operis, vt hoc fiat.

5 Quòd si lex dicat *Tenetur Superior facere, vt hoc fiat*, dico quòd quamuis verbum *teneri*, sit quid generalius, quàm verbum *obligari*, est tamen verbum potens significare obligationem; quapropter non benè argumentaretur ille, qui sic discurreret; *Teneris*, ergo *obligaris*, cùm hæc sit argumentatio à genere ad speciem affirmatiua, quæ non valet.

6 Vt ergo cognoscatur an verbum *teneri* significet obligationem, oportet considerare ad quid, & ad quam actionem referatur, vt latè tradunt Cy.Pau. de Cast. & alij *in l.vnica, C. de alie.mat. iud. cap. fam.* Et sic respondet Oinotomus *in instit. imp lib.4.tit.6. de action. §.omnium. Gloss.in verb. nullo iure, num 52.* vbi adducta Glossa opponens text. in rei vendicatione reum teneri ad rem restituendam officio Iudicis, *l. qui restituere 68. ff. de rei vendicat.* si enim tenetur, ergo est obligatus: hanc consequentiam negat Oinotomus, ex eò quòd *teneri* magis pateat, quam *obligari*.

Sed quidquid sit de hac doctrina Oinotomi pro casu aliquo vera, dicendum tamen est, quòd verbum *teneris*, communiter vtitur ad denotandam obligationem, est enim verbum æquipollens præcepto,vt docet Azorius *instit. moral. lib.5.cap 6. quæst. 5.* Sayr. *clau.regia, lib. 3.cap.7. num.27.* Sà *sum.verb. Lex, num.6.* Castr. & Vasquez, quos refert, & sequitur Sanchez *in decalog. tom. 2 lib 6. cap. 14. num. 38.* & idem habetur ex Barbosa alios citante *in suis dictionib. vsufrequentib. dictione 406.* Hinc vbi legitur: *Teneris facere, vt hoc fiat*, præceptum, seu obligationem imponi iudicandum est, quæ an leuis, vel grauis sit, cognoscetur ex circumstantijs, sicque erit tantum leuis, si in constitutionibus Religionis scribatur, quæ constitutiones ad solam culpam leuem obligent: secus si in præcepto formali eiusmodi verbum *teneris* legatur, &c.

7 Et quia in præfatis propositionibus interuenit etiam verbum *debet*, dum dicitur: *curare debet Superior, &c.* noto, quòd verbum hoc est generale, sicut verbum *credere. l. creditores 10. cùm l.seq. & l.pecunia 178. in fin. ff.de verb. signi.* Et ex hoc quòd est verbum generale,cogit, aut necessitat limitatè, ac secundùm sensum verbi, cui annectitur: vndè quamuis *debes* significet coactionem, & necessitatem, vt ait Parisius *cons. 2. num. 188. lib. 4.* Rolandus *cons.73.num.27.lib.3.* in casu tamen nostro non plus cogit, aut necessitat, quàm iuxta verbum antecedens ei, quod est *curare*; itaut sensus sit: *debet Superior curare*, hoc est non obligatorio præcepto cogitur, aut necessitatur, sed solùm excitatiuè monetur, vt ardenter inuigilet, & cum tali feruorosa vigilantia debet attendere, vt fiat id, quod ei dicitur, vt curet fieri. De vi verbi *debeo* latè Sanchez *suprà, n. 36.*

8 Efficaciùs etiam probatur, quòd verbum *curare* non sit dictum ad modum præcepti, si attendatur sensus huius propositionis: *teneris curare, vt hoc fiat.* Si enim verbum *teneris* dicamus esse obligatorium, tunc obligaret ad curandum: ergo signum est,quòd verbum *curare*, per se non dicit quid obligatorium, si nudè sumatur, habet enim opus alterius verbi, quod obligationem curandi specificet.

9 Nec alienum à iuribus est, quòd verbũ *curare* non obliget;nam quòd obliget est solùm sub dubio apud illos, qui planam eius significationem non percipiunt: sed verba in dubio debent sumi,& interpretari in meliorem, & benigniorem sensum *cap. 2. ex. de reg. iuris*: vndè qui dixit se velle sumere vindictam, intelligitur manu iudicis: Alexand. *in cons 188. col.3. lib. 7.* Craue. *cons. 151. n.18.* Bethonus *col. 2. lib.1.* & Baldus *cons. 68.* ergo cùm benignior, & melior sensus sit ille, qui fauet ad non illaqueandam conscientiam; & conscientia illaqueа-

quari non possit, vbi non est obligatio aliqua, sequitur quòd verbum *curare* sit interpretandum in sensu non obligante, dato, & non concesso, quòd sit verbum dubium in lege positū.

10 Et quidem omnes leges Prælatis datæ circa subditorum suorum gubernationem, vel sunt cum verbis obligantibus, vel cum verbis exhortantibus, vel cum verbis arbitrium concedentibus. Si ergo Prælatis imponitur obligatio aliquid faciendi, dicitur absolutè, quòd *debeant* illud facere. Si eis relinquitur potestas, vel arbitrium, tunc dicitur in lege *poterit Prælatus*; & tale verbum *poterit*, significat potestatem arbitrariam: Menochius *de arbitr. iudic. lib.1.q.8.n.48.* & iterum *de præsumpt. lib.4. præsump.97 num.37.* Si verò lex velit hortari, excitare, aut citrà obligationem ab eis exigere, vt aliquid faciant obseruari, tunc rectè vtitur verbo *curent*, vt fiat.

11 Nec paucis in locis Sacræ Scripturæ manifestè inspicitur, quòd verbum *curare* non sit præceptiuum. Sic Paulus scribens *ad Timotheum epist. 2. cap. 2. vers. 16.* dicit illi: *Solicitè cura te ipsum*; quod est eum hortari ad diligentem sui ipsius custodiam, nullam ei imponens obligationem. Item *2. Machabæorum cap. 2. vers. 30.* dicitur: *noua domus architecto, de vniuersa structura curandum est*, & verbum *curandum est*, hic denotat architecti diligentiam, atquè solicitam attentionem ad nouæ domus structuram, nec ei aliqua imponitur obligatio, per hoc quòd illi dicatur: *cura vniuersam structuram*. Et quando Martha conquesta est cum Christo dicens: *Domine non est tibi cura, quòd soror mea reliquit me solam ministrare*: Lucæ 10. *vers. 40* certè nullum defectum obligationis non adimpletæ obiecit Domino; & tamen vsa est verbis: *non est tibi cura*, quasi diceret, *non curauisti*, quod idem esset ac si diceret, deliquisti contra obligationem, si verum esset, quòd verbum *curare* significat obligationem.

Ex allegatis statuendum est, duas propositiones in quæsito positas, eamdem vim obligatoriam non habere, sed obligationem exprimi per verbum *Teneris*; diligentiam verò, seu sollicitudinem, vel exhortationem significant verba *Curare debes*, collectiuè accepta; quare interdum culpabiliter omittet Superior eiusmodi curam, quia ipsius prudentiæ pro recto regimine cura illa demandatur, in qua si negligentiam adhibeat, non sinè culpa erit, non quidem quia rem præceptam violat, sed quia in proprio officio defectum admittit, quoties curam illam irrationabiliter omittit.

# DECISIO XVI.

*An Sacerdoti actu celebranti liceat interrumpere Sacrificium propter proximi spiritualem, vel temporalem necessitatem, aut etiam propriam?*

## Casus, seu Historia XVI.

### SVMMARIVM.

1 *Casus proponitur.*

2 *Pro interrumpendo Sacrificio, vix potest dari casus extrà necessitatem Ministrandi Sacramentum.*

3 *In repentinis extraordinarijs, Sacerdos ad Altare celebrans, faciat quod tunc se posse facere iudicat.*

4 *Etiam post Sacram Consecrationem potest interrumpi Sacrificium iuxtà sequentes limitationes.*

5 *Si sit ministrandum Sacramentum alicui, quod Sacramentum non conferat primam gratiam, vt est Viaticum, non potest interrumpi, nisi ante oblationem id facere contingat.*

6 *Potest etiam post consecrationem pro ministrando Sacramento, quod dat primam gratiam, & quando interruptio fieri debeat, hic explicatur.*

7 *In casu nostro poterat interrumpi; & si tantillum ab Altari disceditur, non est opus sacras vestes exuere.*

8 *Pro danda Extrema Vnctione non potest interrumpi Sacrificium, nec ante oblationem.*

9 *Ad vitandam mortem potest interrumpi Missa, & multò magis pro vita animæ.*

10 *Etiamsi non sit anima propria, sed proximi.*

11 *Ad saluandam animam dormientis in peccato, & mox occidendi, tenetur qui potest cum vitæ propriæ periculo illi succurrere, dummodò probabiliter putet esse à peccato liberandum.*

12 *Sic est obligatio baptizandi morientem filium Christiani.*

13 *Sic, & Confessarius debet ire ad absoluendum peccatorem morti proximum.*

14 *Confessarius moraliter certus, quòd peccator eliciat actum contritionis, non tenetur cum vitæ periculo ire ad illum absoluendum.*

15 *Sacerdos regrediens ad prosequendum interruptam Missam, vndè debeat incipere.*

16 *Notabile damnum in facultatibus, aut in fama, aut in corpore, excusat ab auditione Missæ.*

17 *Et hoc etiamsi agatur de damno notabili nedum proprio, sed alieno.*

18 *Vndè ad reparandum graue malum, quod fiet*

*in Communitate alicuius oppidi, nisi habitatores accurrant, potest omitti auditio Missæ.*

19 *Pro bono graui spiritualis ordinis in proximo, potest Missa relinqui.*

20 *Curiositas non excusat ab obligatione audiendi Sacrum.*

21 *Ordinariè in Communitatibus quando accurritur ad rumorem communem, curiositas est ad summum de secundariò, & necessitas de primariò.*

22 *Ideò si mulieres relinquant sacrum, vt & ipsæ accurrant, quod fieri non solet, erit Curiositas primum eorum intentum.*

23 *Contritio cum voto Confessionis iustificat peccatorem.*

24 *Propterea in casu nostro satisfecit ille occisus, cuius salus est speranda.*

1 IN Oppido N. currente die festo S. Laurentij celebrabatur Sacrum Missæ Sacrificium, assistente cuncto populo, quia ibi vna tantùm Missa poterat audiri, cùm & vnicus ibi moraretur Sacerdos. Peracta igitur consecratione audita fuit ab omnibus improuisa explosio tormenti bellici, & statim exiuit ab Ecclesia Deputatus à Communitate Oppidi, ad inuigilandum super casus occurrentes, quatenus & denunciationem deferre possit Magistratui Ciuitatis, qui Deputatus non nimis longè ab Ecclesia mox vt peruenit, audiuit vocem clamantis, & dolenter petentis, vt ei concederetur confessarius. Clamauit item & Deputatus, ita vt audiretur ab existentibus in Ecclesia: Pulsate illicò campanas, dantes signum, quòd adsunt malefactores; & vocate Confessarium vt cito accurrat; mecumque nonnulli procedite currentes. His auditis, cucurrit magna multitudo hominum, qui vna cum Deputato inuenerunt iacentem semiuiuum, ac penè mortuũ ex vulnere quemdam publicum peccatorem, ad cuius confessionem excipiendam Sacerdos celebrans noluit ire, quamuis alter non adesset Sacerdos, sed adducens impedimentum Sacrificij, quod ipsum retinebat, dixit illis hominibus, vt curarent hortari agonizantem ad eliciendum actum contritionis, quoadusquè citiùs solito se expediens à Sacrificio, eat ipse ad confitendum illum, si adhuc viuet. Verùm mortuus est infelix ille, fortasse tamen per contritionem cœli felicitate donatus, quamuis sacramentalem non fecerit Confessionem, quam facere exoptauit.

Huiuscemodi casus, nõ paucas excitauit difficultates in omnibus Presbyteris, qui inter se diuisi, tot faciebant sententias, quot capita erant. Vt autem quid ego sentiam explicem, obseruo in hoc casu plures casus contineri.

Primus casus est: An sacerdos ille teneretur Sacrificium interrumpere adeundi causa moribundum, ád eius confessionem audiendam, maximè cùm publicus peccator esset.

Secundus casus est: An Deputatus ex officio, qui quidem tenetur ad occurrentia accidentia currere, teneretur etiam eo tempore, quo præcepto audiendi Missam debebat satisfacere.

Tertius casus est: An illi omnes, qui relicta auditione Missæ cucurrerunt cum Deputato, peccauerint contra obligationem audiendi Sacrum.

Quartus, & vltimus casus est: An publicus peccator moriens hoc modo prout in casu, Deo & hominibus satisfecerit, atque salutem æternam sit consecutus, si verè fuit contritus.

Ad primum casum respondeo, difficulter 2 aliũ casũ posse inueniri, de quo quęri possit, an pro eo liceat Sacerdoti Missam interrumpere, quã casus consimiles præcitato, in quo scilicet alicui morti proximo sit ministrandum Sacramentum. Accidit igitur casus talis illi Sacerdoti, qui recusauit interrũpere sacrificiũ, quia fortassè ab ingruente repentino accidente fuit adeò in mente turbatus, vt in magna perplexitate positus, quid esset agendum non plenè 3 decerneret. Sed nec ideò est damnandus; docet enim apertè Tamburrinus *de sacrific. Miss. lib. 1. cap. 7. §. 2. n. 2.* quòd recurrentibus malis grauibus, v. g. incendij, terræmotus, &c. dum Sacerdos actu celebrat, quia persæpè exoritur mentis turbatio, debet intrepidè illud facere, quod tunc bona fide facere se posse iudicat, nam coram Deo id sufficiet; & hoc dicit, ac docet, quærens causam interrumpendi Missam.

4 Quòd igitur in casu nostro Sacerdos noluerit Missam interrumpere, licèt bona mente hoc fecerit, poterat tamen sinè scrupulo interruptionem illam ponere, quæ requirebatur pro audienda confessione peccatoris publici iam in proximo vt moriatur. Et hoc dico etiamsi facienda sit interruptio peracta consecratione, supposita tamen sequenti distinctione. Aut enim debet Sacerdos interrumpere Sacrificium eundi causa ad ministrandum Sacramentum, quod conferat primam gratiam: aut solum intendit dare Viaticum illi, qui paulò ante 5 fuit confessus. Si solùm pro ministrando viatico debet fieri interruptio, poterit Sacerdos illam ponere, dummodò sit ante oblationem,

vel

vel Canonem, non verò post. Ratio est, quia ex vna parte necessitas infirmi non iudicatur modica; & ex alia parte relinquere Missam ante oblationem, vel Canonem, non videtur tantam irreuerentiam continere, vt ab illa necessitate vinci non debeat: videatur Layman *lib. 5. tract. 5. cap. 7. n. 2.*

6 Si verò agatur de Ministrando Sacramento, à quo prima gratia conferatur, siuè hoc sit Sacramentũ Pęnitētiæ; siuè sit Eucharistia, vel Extrema Vnctio, quibus in illo casu ex probabili opinione competit primã gratiam conferre, *potest Sacerdos Missam inchoatam etiam post consecrationem relinquere, seruante interim aliquo sacram Eucharistiam, in quo casu dictus Sacerdos secum deferat aliquam Hostiam consecratam; & Extremam Vnctionem ad infirmum, auditaque eius confessione, & data Eucharistia, atque Extrema Vnctione (remissis tamen Psalmis Pœnitentialibus ad Ecclesiam post Missam) reuertatur ad perficiendum sacrum: Atquè hæc si infirmus possit ea omnia Sacramenta suscipere, secus conferat illud, quod potest*: ità loquitur meritò Zambranus *cap. 4. dub. 6. n. 5.*

7 Poterat ergo Sacerdos in casu nostro, etiamsi consecratio iam esset transacta, poterat, inquã, pergere ad adiuuandum moribundum, quandoquidem agebatur de publico peccatore primam gratiam exposcente per Pœnitentiæ Sacramentum. Et quidem taliter ab Altari discedere poterat, quòd si per tantillum debebat id facere, necesse non erat sacras vestes exuere; & ideò etiam Viaticum posset post consecrationem ministrare, diuertendò tantillum ab Altari: Henriqu. *lib. 8. cap. 30. nu. 4.* & statim ad Altare reuerti.

8 Si sit ab Altari discedendum pro ministranda Extrema Vnctione, discedere quidem nõ licet, etiam nondum peracta oblatione, quidquid sentiant aliqui apud Layman *lib. 3. tract. 5. cap. 7. n. 2.* & hoc ea ratione non licet, quia necessitas ista infirmi, non videtur tanta, vt superare possit irreuerentiam, quæ adest discedendo ab Altari.

9 Probo etiam cum paritate, quòd Sacerdos ille in currenti euentu poterat ire ad vulneratum morientem, vt eius exciperet confessionem: nam maius malum est mors animæ, quàm mors corporis; sed ob mortem corporis imminentem Sacerdoti ex Hæreticorũ rabie, potest fugere, & secum Eucharistiam deferre, dicit Layman *lib. 5. tract. 5. de Euch. cap. 7. n. 1. & 2.* quamuis actu celebret, & iam consecrauerit: ergo à fortiori ad saluandam vitam æternam animæ proximi, poterit ab Altari discedere: ergo & in nostro casu poterat Sacerdos morientem adire, vt ei Sacramentum Pœnitentiæ ministraret, sicut sibi ministrari flebili supplicatione petebat.

10 Confirmatur explicando mox dictam rationem, nam si aliquis illam neget, dicens esse quidem plus æstimandam mortem animæ Petri, morte corporis eiusdem Petri, non tamen existimatio talis facienda est à Titio, itaut plus æstimet mortem animæ Petri, quàm mortem corporis ipsius Titij: respondeo eodem modo pluris esse faciendam vitam animæ proximi per comparationem ad vitam eiusdẽ proximi, ac ad propriam: audiatur circa hanc veritatem Castropalaus *tom. 1. tract. 6. disp. 1. de Charit. p. 9. num. 3. In extrema proximi necessitate*, inquit ille, *debes non solùm bona temporalia, sed etiam vitam expendere, si tibi spes est fore profuturum. Sic cum D. Thoma tradunt omnes eius Expositores, Caietanus, Bannes, Arag. Val. Torres, Lorca, Azorius, Tolet. Coninch. Suar. Bonac. Ratio est, quia præceptum expendendi vitam propriam pro salute proximi in aliquo casu obligat, aliàs superuacaneum esset, ergo ad minùs obligare debet in casu extremæ necessitatis*. Hæc ille, qui ex dictis infert: Si scias

11 Petrum v. g. dormientem esse in mortali, & esse occidendum, vndè & damnandum, si tu potes illum defendere, omninò teneris, etiam cũ tuæ vitæ periculo: debes tamen esse moraliter certus, esse posteà à peccato liberandum, secus non esset extrema necessitas. Sic etiam secundò infert, debere baptizari filium mo-

12 rientem Christiani; & tertiò infert, debere confessarium, quem peccator morti proximus

13 aduocat, etiam cum vitæ discrimine illum audire, & absoluere: ergo vita corporalis cuiuslibet, debet postponi extremæ necessitati vitæ animæ proximi, vnde sequitur in casu nostro, quòd si ad tuendam suam vitam corporis, potest Sacerdos Sacrificium interrumpere, præponderat enim tanta necessitas modicæ irreuerentiæ interrumpendi Missam; à fortiori faciet licitam Sacrificij interruptionem longè maior necessitas, qualis est vita animæ, vel propriæ, vel alienæ.

14 Et quia idem Castropalaus affirmat, non esse obligatum Confessarium exponere se periculo mortis, si sciat morali certitudine, peccatorem morientem eliciturum esse actum contritionis; ideò Sacerdos in casu nostro fortasse putabat pro satisfactione obligationis suæ, mandare vt homines illi curarent fieri actum

contritionis à moriente peccatore; sed reuera doctrina Palai non currebat in casu illo, cùm nullum mortis periculum Sacerdoti immineret, & aliunde causam sufficientem haberet interrumpendi sacrificium, scilicet mors proxima nedum corporis, sed vlterius animæ proximi sui. *Castrop. citat.*

15 Ergo si similis (quod Deus auertat) contingat casus, festinet, curratque Sacerdos ad indigentem confessionis Sacramento, eique omnia, quæ potest administret Sacramenta, ac tunc ad Altare reuertatur, vt Sacrificium perficiat. Et si cupit Sacerdos iste scire vndè incipiet, quando reuertitur ad perficiendū sacrificium, dico, quòd si discesit consecratione iam peracta, ibi sumet suum principiū, vbi desierat. Si verò interrupit sacrificium ante consecrationem, tunc distinguere oportet: aut enim vltrà horam protraxit interruptionem, aut citrà: Si citrà, debet reassumere vbi desierat: si vltrà, conuenit ab introitu iterum Missam inchoare. Ratio huius inchoationis est, quia longa illa interruptio tollit continuationem moralem inter iam peracta, & peragenda; sed oppositum est si interruptio sit citrà horam. At quando interruptio fit pòst consecrationem, tunc non licet repetere illa essentialia iam facta, & sacrificium omninò est perficiendum, quod non currit in longa interruptione ante consecrationem, adeò vt si Sacerdos non teneatur eo die missam celebrare, possit si velit omnia omittere, nec celebrationem peragere, aut de comparte iam posita nihil considerare. Hæc sufficiunt pro solutione primi quæsiti, ideò pergo ad secundum.

16 Ad secundum propositum dubium, an videlicet ille deputatus teneretur Missam audire, vel potiùs ad rumorem accurrere; dico eum meritò reliquisse Missæ auditionē, vt ad impositum sibi officium præstò esset. Hoc suadetur manifestè, quia periculum notabilis iacturæ etiam in bonis tēporalibus, seu notabile damnum in fama, aut honore, vel in vita, quamuis hæc, aut eorum vnum, tantummodò probabiliter timeatur, excusant ab auditione Missæ: sed deputatus in casu nostro, si pro Missa audienda neglexisset accurrere ad rumorem, poterat probabilem concipere timorem, ne sibi imputaretur, ac proinde vel in vita, vel in corpore, vel in facultatibus grauiter mulctaretur, si damnum aliquod in Oppido exortum esset defectu vigilantiæ ipsi deputato demandatæ: ergo licitè potuit Missæ auditionem omittere: Tambur. *in præcept. dec. lib. 4. c. 2. n. 5.*

17 Quod est ampliandum, etiamsi damnum, seu graue detrimentum alicuius boni, sit alienum, scilicet alterius personæ diuersæ ab illa, quæ Missam omittit audire. Ita Nauarrus *cap. 21. n. 29.* Azorius *cap. 7. quæsito 1.* Suarez *disp. 85. sect. 6.* Graffius *cap. 36. nu. 3.* Bartholomæus ab Angelo, Henriquez, & alij communiter: ergo cùm nedum vnius personæ, imò & totius Communitatis damnum graue probabiliter posset timere deputatus ne exoriretur, si non accurrat relicto Sacro, fit vt licitè à Sacri auditione potuerit discedere.

18 Hinc patet quid dicendum sit ad quæsitum tertio loco, nempè an illi omnes, qui cum deputato accurrentes, omiserunt Missam audire, peccauerint? & respondeo cum distinctione: vel cucurrerunt & ipsi vt componentes corpus Communitatis, quæ tota tenetur ad tales casus accurrere: vel aliqui dantur, qui ex sola curiositate non curantes Missam audire, elegerunt pergere ad videndum quid noui acciderit. Primi non peccauerunt amittendo Missam secundùm partem notabilem in die festo, quia de illis eadem est ratio, ac de solo deputato, opus est enim vt multi, & non vnus solus caueat damna imminentia Communitati, & sic damnum notabile, quod timebatur ab illis, qui vt necessarij cucurrerunt ad tale malum auertendum, habebant motiuum sufficiens, quod illos excusabat ab auditione Missæ.

19 Et potiori iure excusabātur illi quoquè, qui fuerunt à Sacerdote expediti vt admonerent morientem, quòd conaretur actum contritionis elicere, donec veniat Sacerdos ipse; nam bonum spirituale proximi, maximè bonum tam graue, vt est salus æterna illius peccatoris publici, liberat ab obligatione audiendi Sacrum: ideò dicunt Sotus, & Sà apud Bonacinam *de Missa sacrificio, disp. 4. qu. vltim. punct. vltim. n. 5.* quòd puella deobligatur ab auditione Missæ, si præuideat se ab adolescente lasciuo concupiscendam, si domo exeat, & hoc non alia ratione, nisi quia præceptum Missæ non obligat, quoties illius omissione impeditur notabile damnum proximi, etiamsi sit in ordine spirituali, imò & illud magis, cùm præponderent incomparabiliter spiritualia temporalibus.

20 Deinde loquendo de illis secundis, hoc est de illis, ad quos cùm nihil attineret de illo rumore, nihilominus curiositate tantùm compulsi perexere ad perspiciendum quid euenerit, relicta auditione Sacri, certum est de istis, deliquisse in obligatione graui audiendi Sacrum;

Sacrum; siquidem sola curiositas non dispensat à præcepto aliquo, cùm ipsa potiùs sit peccatum saltem veniale.

21 Aduerto tamen, quòd vix forsitan erit vnus in dicto concursu, qui sola curiositate ductus Missam audire dereliquerit; & ad hoc dicendum me mouet mos in Communitatibus Oppidorum ordinarius, nam aliquo insurgente suspectu latronum, vel hostium, vel alterius ingruentis mali, omnes indifferenter tenentur personaliter ad defensionem adesse: ergo quãuis omnes quotquot in casu nostro fuerunt ad inspiciendum quid fieret, si motiuo tuitionis iuere, licitè Missam audire prætermiserunt, ad hæc impertinenter se habens, quæ de secundariò habetur curiositas.

22 Hinc sequitur, quòd si aliquæ ex mulieribus item discesserunt ab Ecclesia, nec integram Missam curauerunt audire, cùm ipsæ ad defensionem non consueuerint accurrere, professò sola curiositate fuerunt ductæ, sed cùm sola curiositas non liberet ab obligatione audiendi Missam, consequenter istæ transgressæ sunt præceptum de Missa audienda. Hæc igitur sint satis pro solutione tertij quæsiti in præcitato casu.

23 Quartum, quod tandem quærebatur, est potiùs scholasticum, quàm morale; tamen vt interrogationi satisfaciam, dico certum semper fuisse apud Scholasticos omnes. quòd vera contritio cum Confessione saltem in voto, sufficiat ad iustificationem, si Confessarij copia desit. Scholasticis adhærent Theologi morales, & vnanimi opinione censent, per solam contritionem cum desiderio confessionis sacramentalis, impium mundari, adeò vt si moriatur taliter contritus, vitam pro certo consequetur æternam, sicut habetur edoctum per Concilia, & per Doctores, necnon & per exempla, vt videre est in collectoribus.

24 Speretur igitur in Gloria electorum adscriptus iste olim peccator publicus, qui saltem aliquando conuersus, publicam pænitentiæ notam dedit per suos flebiles, dolentesque clamores, qui omnes in id collimabant, vt ei Sacerdos concederetur vt sua confiteri posset peccata, quorum cùm pæniteret, contritionis actum pro viribus, semel, atquè iterum, vt mihi retulerunt, elicuit; & hoc satis fuit ad eliminandum quidquid in conspectu populi scandalosum extruxerat, nec enim plus facere poterat in eo euentu, nisi quod fecit.

# DECISIO XVII.

*An sinè fractione sigilli Confessionis, ac sinè Irregularitate possit quis secundùm scientiam habitam in Confessione, auferre maleficium ab infirmo, propter quod maleficium, maximis cum doloribus, mori impediebatur?*

## Casus, seu Historia XVII.

### SVMMARIVM.

1 *Casus proponitur.*

2 *Triplex est genus actuum, quibus Confessarius potest ingratum quid facere pænitenti.*

3 *Actus primi generis, non possunt poni à Confessario.*

4 *Actus secundi, & tertij generis, est probabile posse poni.*

5 *Imò aliqui volunt teneri aliquando confessarium illos ponere.*

6 *Alij plures id negant.*

7 *Alia sententia negat posse poni actus nec secundi, nec tertij generis.*

8 *Thomas Sanchez refert has duas opiniones.*

9 *Sed diuersimodè est discurrendum de actibus secundi generis, ac tertij.*

10 *Non autem sic actus tertij generis.*

11 *Et sic decretum Clementis VIII. prohibere intelligendum est actus primi, & secundi generis, non verò tertij.*

12 *Non exire domo propter paratas insidias: mutare Confessarium, quia non est Sacerdos, potest Confessarius facere, licèt in confessione eá nouerit.*

13 *Ità in casu nostro potuit Confessarius auferre maleficium, quia in nullo lædit personam pænitentis.*

14 *Vndè non est curandum, si pænitens dictura esset, Confessarium vti scientia suæ confessionis.*

15 *Et hoc etiamsi post confessionem pænitens illa noluerit tollere maleficium à se factum, vndè videtur iniusta quòd Confessarius illud tollat.*

16 *Sacerdos auferens maleficium non fit irregularis, si indè sequatur mors alterius, qui à maleficio mori impediebatur.*

17 *Nec fit irregularis, quia ablatio maleficij est causa mortis remotè.*

18 *Item probatur, ex eo quòd Sacerdotes cum infirmo possunt præstare, quidquid cautela prudentis cum illo potest facere.*

19 *Et tollens maleficium, intendit bonum, & non mortem infirmi.*

20 *Nec in casu nostro est delictum inducens irregulari-*

*laritatem; neque defectus lenitatis.*

21 *Nec sunt irregulares illi non specificati à iure.*

22 *Ponuntur duæ animaduersiones Confessario, de quo agitur in præsenti casu, à quibus constabit qualiter se gerere possit in hoc, vel consimili euentu.*

1 MOrti iam proximus agebat animam quidam vir nobilis, qui extraordinarijs cruciatus doloribus, putabatur continuò ab omnibus illicò moriturus, sed de facto nunquam moriebatur. Aderat eiusdem moribundi Confessarius, qui dum cuiusdam mulieris exciperet confessionem paucis retro diebus, sciuit sub sigillo, nobilem illum virum nunquã inter intensas pœnas moriturũ, donec ab ipsius lecto amoueretur maleficium ab ipsa factum. Hæc eadem mulier erat in domo eiusdem viri, propterea dubitabat intra se Confessarius, an sine fractione sigilli confessionis iam auditæ ab illa maleficij ministra, posset aliquo modo facere, vt maleficium quæreretur, inuentumque combureretur, cùm ex probabili coniectura iudicaret, fore vt omnia fierent nota eidem mulieri. Insuper timebat illemet Confessarius, ne Irregularitatem contraheret, si curasset auferri id, à cuius ablatione mors certa erat sequutura. Imò & dubitare cœpit, an factus fuisset Irregularis, casu quo ille vir nobilis mortuus esset per ablationem maleficij, prout auferri imperauerat in Confessione mulieris artificis eiusdem maleficij, quia sic putabat se mortis causam esse iudicandum.

Quæritur ergo, an sigillum Sacramentale violatum fuisset à Confessario: Deindè etiam quæritur, an Irregularitatem contraheret remouendo impedimentum, quo remoto sequeretur mors?

2 Pro responsione ad primum, vt loquar cum Thoma Tamburino *method. expedit. Confess. lib. 5. cap. 6. § 2. num. 1.* dico, quòd hæc est grauissima, & inter cæteras molestissima quæstio, in qua quæritur, an liceat Confessario vti cognitione habita in Confessione, quando solus pænitens potest aduertere. Vt igitur certa ab incertis separem, noto, triplicis generis esse actus pænitenti ingratos, quos Confessarius ex vi cognitionis habitæ in Confessione posset exercere. Primi sunt, qui versantur circa personam pænitentis, & sunt spectantes ad iustitiam punitiuam, vel commutatiuam; cuiusmodi sunt, pænitentem punire: curare vt detegatur eius delictum auditum in confessione: debitum ei negare, &c. Secundi generis actus sunt illi, qui versãtur circa eiusdem personam, sed spectant ad iustitiam distributiuam, seu ad misericordiam, vel ad aliam virtutem, vt esset amouere ipsum ab officio, quod scitur per confessionem esse ipsi pro animæ detrimento: ei suffragium denegare, quod non denegaretur, si scientia confessionis non haberetur: famulum furem expellere: Sacramentum denegare, &c. Tertij generis actus sunt, qui non exercentur verè circa personam pænitentis, licèt contra ipsam aliquando recurrant, & huiusmodi sunt; res suas vigilantiùs custodire; claues seruo furi non ampliùs dare; domo non exire propter insidias sibi paratas; ianuam claudere amasio neptis, quem Patruus in Confessione nouit nocte aduenire: &c.

3 Exposito hoc triplici actuum genere, certum esse affirmo, nunquam licere ponere actum primi generis. Ratio est euidens, quia confessio satis odiosa redderetur, si sciatur à pænitentibus, quòd propter eorum Sacramentalem confessionem possit contra ipsos procedi.

4 Secundi generis actus vnà cum alijs tertij generis, admittuntur à multis posse poni, quãdo solus pænitens cognoscit, quòd confessarius ad hos actus mouetur faciendos ex auditis in Confessione. Doctorum huius opinionis ratio est, quia ex vna parte non est frangere sigillum colloqui modo dicendo infra *num. 14.* cum eo vno, qui tibi rem communicauit; & ex alia parte cùm pænitens non habeat ius absolutum circa illos actus, illi nulla fit iniuria, si denegentur. Videatur Sanchez *lib. 3. de matr.*

5 *disp. 16. num. 3. & 4.* Imò aliqui tenent, non solum posse confessarium, vt dictum est, sed etiam aliquando teneri tales actus ponere, & amouere indignum ab officio; suffragium non dare; Sacramentum non ministrare, &c.

6 Verum alij, & quidem plures, quàm sint illi dictæ opinionis, sentiunt contra, cùm nullus cogi possit ad talia remedia, omnia periculosa fractionis sigilli. Sanchez *loco citato.*

7 Deindè secunda sententia aliquorum negat omninò posse poni actionem nec secundi, nec tertij generis, ne sic nimiùm odiosa fidelibus fiat confessio. Ex hac sententia sequitur, teneri Confessarium se gerere, ac si vnquam nihil audiuisset, proindè ei non licebit pænitentem ab officio amouere, suffragium denegare; ostium claudere; nec seipsum domi continere, vt paratas sibi insidias effugiat. Iuxta hanc opinionem, non potest Confessarius in casu nostro, procurare vt tollatur maleficium, si mu-

si mulier, quæ illud fabricauit potest aduertere Confessarium ità se gerere ex vi auditæ confessionis eiusdem mulieris.

8 Hæ duæ sententiæ referuntur à Thoma Sanchez *loc. cit.* vbi postea sic addit: *Quid dicendum in re tam dubia? Pro priori enim sententia militant authoritates tot, tantorumque virorum* (numerauerat enim ad triginta quinque, Sanctum Thomam, Scotum, Sotum, Suarez, & alios) *& fortissimæ rationes: quare negari non potest esse probabilissimam. Verùm multò mihi magis semper placuit, & modò placet posterior sententia, quæ nō pænitēdis innititur fundamentis, &c.* Ità Sanchez, iuxta cuius opinionem confirmatur, non esse licitum Confessario remouere id, quod per Confessionem scit, & hoc pænitens animaduertit.

9 Ego tandem puto non esse sic discurrendum de actibus secundi generis, ac de illis tertij generis, vndè cum Conincho *disp.9. dub.4. num.67. & 68.* Castr. *de pæn. p.19. §.3. num.18.* imò & cum Sanchez *loc. cit.* si attentè legatur, asserendum est non posse à Confessario exerceri actus secundi generis; benè verò posse exerceri illos tertij generis. Potissima, & semper vigens ratio est, quia cum actibus præfatis secundi generis, in odium Fidelium adducitur confessio, quod non sequitur ex positione actio-
10 onum tertij generis. Nemo igitur per tertij generis actus à confessione retrahetur, vel sanè præsumeretur non retrahi, ac proindè illam non odisse ea de causa, quòd confessarius custodiat res suas, claudat ostium, mortem effugiat, & si niiia præstet, quę ad dictum tertium genus spectant, ad quæ omnia ipse pænitens, qui à peccato surgere debet, tenetur pro suo modo cooperari, & ideò nil ingratum, quinimò gratum pænitenti censendum est, quidquid huiusmodi facit Confessarius. Adde insuper, quòd nulla erubescentia ipsi pænitenti orietur prudenter, quia hi actus non versantur circa pænitentis personam singularem, sed si quam habebit erubescentiam, hanc ipsemet pænitens sibi aduocat, quamuis occasione data à Confessario, vtente tamen iure suo.

11 Nec dictis obstat quoddam decretum Clementis VIII. *ann.1594 die 16. Maij*, quod generaliter loquens, prohibet eiusmodi materia vti *ad externam gubernationem*; nam responderur, quod in actibus tertij generis prout supra fuerunt explicati quid sint, nulla interuenit externa gubernatio; atquè ideò decretum Clementis VIII. loquitur, vt est intelligendum, de actibus primi, & secundi generis, de quibus affirmo non posse poni à Confessario.

12 Et Diana *p.5. tract.11.* qui totus est de sigillo confessionis, *resolut.3. §. notandum.* postquā supra dixerat non licere vti Confessionis scientia, dicit: *notandum est tamen nostram sententiam intelligendam esse in ijs, quæ aliquo modo præiudicant pænitenti, vel illius honorem, aut personam possunt lædere, aut illum rubore suffundere, vel à confessione retrahere*: & infrà adducens casus, in quibus scientia Confessionis vti licet, ponit, non exire domo propter paratam necem: mutare Confessarium sub aliquo titulo, quia per confessionem nouit non esse Sacerdotem illum, cui confitebatur, &c. quia in his, & similibus casibus iniustè aliquis retra-
13 hitur à confessione. Hoc totum extat in casu nostro, etenim per hoc, quòd Confessarius tollat per se, aut per alium illud maleficium, quod nouit ex Confessione, quamuis mulier malefícij artifex id aduertat, & iudicet Confessarium vti scientia à se ipsi in Confessione data, non est causa erubescentiæ in pænitente, nec illius personam in minimo lædit, si sub aliquo prudenti titulo adinuento quærat maleficium, vel quæri ab alijs curet.

14 Ex dictis remanet resolutum, potuisse Confessarium, vt prænarratur in casu præsenti, vti notitia excepta in confessione, quamuis pænitens esset dictura, quòd ipse ideò sic se gerebat, quia ipsa dixerat illi factum, dum apud ipsum confitebatur. Hoc modo non loquitur Confessarius cùm Pænitente de scitis sub sigillo, quod licitum esse in Pænitentis bonum docent aliqui, quamuis aliundè fiat irreuerentia contra Sacramentum; nec licet Confessario extra Confessionem loqui cum Pænitente. Tamburinus *loco citato, cap.5. num.1.*

15 Et quia dictum est, pro ratione probante opinionem, quam adduxi, scilicet id posse à confessario præstari, quia inuita non est pænitens; videtur saltem in casu nostro esse inuitam, si enim non esset inuita, ipsa post confessionem suam, corrigens propriam superiorem vitam debuisset auferre, vel eneruare maleficium, quod tamen facere noluit; ergo pænitens erit inuita in hoc, quòd maleficium ab infirmo tollatur per eum, qui id resciuit in Confessione. Respondeo, irrationabiliter esse inuitam pænitentem istam, quæ rationabiliter de facto non est inuita, vel ad minùs non est præsumenda inuita, quidquid sit, quòd ipsa contra rationem inuita sit, nam quòd sit irrationabiliter inuita non debet attendi à Confessario, sed solùm quòd inuita non sit,

vel

vel talis præsumatur, hoc attendere debet Cõfessarius. En quàm clarè patet, licitè fuisse auferendum maleficium impeditiuum mortis, aliorumque malorum causatiuum à Confessario vtente scientia confessionis, etsi id aduertat ipsa pænitens persona, quæ irrationabiliter conquereretur de actione Confessarij vtentis iure suo, & pænitentem non lædentis.

16 Dubium aliud, quod casus propositus continet est, an Irregularis fiat ille Sacerdos, qui videns morientem pati extraordinarios dolores propter maleficium, à quo ne moriatur impeditur, si tale maleficium per se, aut per alium tollens, sequatur mors infirmi? Subtilis videtur quidem ista dubitatio, sinè qua puto posse quemquam tollere, & comburere maleficas compositiones, & hoc intrepido, ac generoso animo, cùm sit bellum facere cõtra potentes nequitiæ spiritus. Non esse Irregularem Confessarium in casu nostro, manifestè conuincitur; nam Ecclesia suis Exorcistis tribuit facultatem super Energumenos; & supra quidquid ad eorum liberationem pertinet aduersus Principem tenebrarum: ergo Sacerdos eijciens dęmonium, huiusq; artificia destruens, quamuis per accidens sequatur mors energumeno, nihil facit, quod Irregularem illum reddat. Hoc idem suadet æquitas Sanctæ Matris Ecclesiæ, quæ omnibus concedit posse fratrem, scilicet proximum suum à dæmonis fraudibus, ac insidijs liberare. Vndè contra rationem intenderet Ecclesia, quòd aliquando non liceret dæmonis fabricas destruere, si Irregularitatem vellet ipsa incurri à destructore maleficij, tamquam quòd mortis sequutæ sit censendus causa. Faueret ergo Satanæ Ecclesia, si impediret sub Irregularitatis incursione, ne homo auferat maleficium, quod scit damnosum infirmo, imò & eius mortis impeditiuum.

17 Item hoc idem probatur, nam tollens maleficium, quod retardat alicui mortem, est causa remotissima talis mortis; sed ille, qui est causa remota mortis alienæ non fit irregularis, vt docet Armilla *verb. irregular. num. 11.* ergo & in casu nostro nulla contrahitur irregularitas; & sic qui fecit gladium, ex quo sequitur homicidium, non fit irregularis, quia fuit causa remota, nec à gladij effectione homicidium per se consequitur, ità & in casu ablationis maleficij est philosophandum.

18 Confirmatur ex doctrina, quæ docet posse Sacerdotes sinè periculo irregularitatis dum infirmis ministrant, vertere illos ex latere ad latus; vel de vno ad alium transmutare lectum; aut eis cibum, & potum porrigere, quamuis ex actionibus istis mors citius sequatur, dummodò hæc omnia cum cautela efficiantur, quæ cautela communiter à prudentibus adhibetur: Ità tenent Reginaldus *in praxi, tom. 2. lib. 30. tract. 2. cap. 9. num. 102.* Megala *in 3. part. lib. 7. cap 1. quæst. 5. num. 56.* Filliucius *tom. 1. tract. 19. cap. 10 num. 278.* qui citat Caietanum, Sotum, Nauarrum, Toletum, Armillam, & Suarez. Sed ablatio maleficij ab infirmo est semper licitè facienda a quocunquè sæculari communiter; ergo etiam ab ipso Sacerdote, cum hoc sit ministrare infirmo cum cautela communiter à prudentibus adhibita; non ergo est curandum an citius sequatur mors infirmi, nec irregularitatis contractio est pertimescenda, quia de facto nunquam fit irregularis, quisquis misericordiæ actionibus potiùs vacat, dum infirmo inseruit.

19 Nec dubitandum est, quin aliud, nisi bonum infirmi intendatur, per hoc quòd maleficium illud comburatur: ergo irrationabiliter à tali bono debet quis retrahi ob timorem irregularitatis, casu quo mors sequatur. Non ergo tollitur maleficium, vt ille infallibiliter moriatur, sed solùm intenditur auferre quod malum est, & quod semper est auferendum, post quam ablationem, faciat Deus quidquid sibi placuerit, etiamsi infirmum illum voluerit mortuum: & in his omnibus nulla apparet ratio, quare irregularis debeat fieri, qui tale bonum operatur.

20 Tandem addam & aliam probationem, etenim Irregularitas contrahitur vel ex delicto, vel defectu lenitatis; & in casu nostro nullum est delictum, vndè ex hoc capite non contrahitur. Sed nec ex defectu lenitatis potest contrahi: ergo nullo modo fit irregularis. Probo, quòd ex defectu lenitatis non possit contrahi, nam detegens malefactorem, vel clamans adesse latrones, vt comprehendantur, si hoc non facit vt testis, vel vt accusator, nón incurrit irregularitatem ex defectu lenitatis, iuxta Turrianum *de censf. lib. 9. disput. 66. dub. 3.* itaut non consideretur an latro sit moriturus ad patibulum damnatus: sed idem est de detectione maleficij, ex qua sequetur postmodum mors non intenta, ergo à fortiori non incurritur irregularitas defectu lenitatis à Sacerdote detegente maleficium, vt prænarratur.

21 Illi igitur sunt solummodò iudicandi irregulares, qui à Iure specificantur: propterea cùm nominentur irregulares ex defectu lenitatis solùm

lum illi, qui vel sunt necessarij ad causam iudicialem, vel vt ministri iustitiæ assistunt exequutioni mortis, nulla datur ratio, quæ suffragetur ad suspicandum irregularem Confessariũ in nostro casu, si auferat maleficium, & inde moriatur infirmus. Quòd si non sit irregularis Consultor casuum conscientiæ, dum expressè respondet iudici se teneri occidere illum, & illum, vt tradit Diana *part.3.tract.5.res.*80. multò minùs non erit irregularis ille, qui vacat operi licito, destruens maleficium aliquod, quamuis postea sit sequutura mors alicuius, vt ex paritate clara per se patet.

22 Finem imponam præsenti Decisioni, duas ponens animaduersiones Confessario, prout in casu proposito expedit post dicta illas dare. Caueat primò, & prudenter studeat, vt prætextum aliquem adinueniat, ex quo appareat, ac videatur ex se, aut suo marte, non verò per scientiam confessionis, operari vt auferatur maleficium. Poterit ergo de tantis infirmi admirari doloribus, atquè dicere: vt meo videri possum iudicare, ni fallor, puto, & vehemens me tenet suspicio, istum vexari per aliquod non commune maleficium: rogo, vt quæratur an vera dicam, si tamen hoc iam factum minimè fuit. Secundò, sciat non semper ex maleficijs mortem sequi, propterea animaduertat dum tollit maleficium, vt solam hanc ablationem intendat, & Deum oret pro vita infirmi, cuius mortem nullatenus velit; & hæc satis sint in præsenti casu.

# DECISIO XVIII.

*An liceat Mulieri sub veste virili mentiri sexum, vt degere possit intrà septa Conuentus Regolarium, donec edat partum conceptum in sacrilego adulterio cum Superiore eiusdem Conuentus.*

## Casus, seu Historia XVIII.

### SVMMARIVM.

1 *Casus proponitur.*

2 *Quamuis sit adulterium sacrilegum congressus Religiosi cum nupta, non est tamen circumstantia mutans speciem, si ille sit Superior.*

3 *Videtur nunquam licere mulieri vti habitu virorum, nec è contrà.*

4 *Et auctoritatibus Poetarum probatur hoc.*

5 *Tamen dicendum est, non esse intrinsecè malum vti veste alieni sexus; imò & aliquando fuisse sic à Deo inspiratum multis.*

6 *Religiosis aliquando licet, aliquando non, suum habitum deponere.*

7 *Non licet, si cum temeritate, aut ad vagandum, seù in contemptum legis deponatur.*

8 *Quid, si Religiosus retento suo habitu, sæcularem induat, vt incognitus incedat?*

9 *Si verò intrà clausuram dimittat habitum, non incurrit censuram, secundùm vnam sententiam; incurrit tamen iuxtà aliam, quia est vera dimissio; sed hoc aliqui limitant.*

10 *Quæ limitatio reijcitur.*

11 *In habitus dimissione, datur paruitas materiæ respectu Religiosorum.*

12 *Quæ paruitas materiæ explicatur.*

13 *In sæcularibus est quid indifferens mentiri sexum sub aliena veste: & respondetur auctoritatibus in contrarium.*

14 *Et non grauiter dedecet, citrà scandalum, alieni sexus veste vti.*

15 *Dummodò non detur lex, aut statutum in contrarium.*

16 *Ponuntur causæ licitæ induendi vestem diuersi sexus.*

17 *Est tamen veniale si pro leuitate induatur.*

18 *Imò & sexum mentiri, est ex se mendacium veniale.*

19 *Fœminæ possunt virorum clausuram ingredi in aliquo casu.*

20 *Etiamsi ex se illicitum esset fœminæ ingredi Religiosorum clausuram; liceret causa saluandi vitam, &c.*

21 *Non est damnanda mulier in casu nostro, si propter saluandam vitam intrauit virorum Monasterium sub veste virili.*

22 *Tamen potuisset per alia media suam vitam tueri.*

23 *Non concurrentibus quibusdam circumstantijs, possunt fœminæ ingredi virorum clausuram, si non intrent prætextu priuilegiorum.*

24 *Quia Bulla Papæ prohibet, si fiat prætextu priuilegiorum.*

25 *Contraria sententia docet non posse ingredi etiam sinè tali prætextu.*

26 *Sed respondetur fundamentis huius sententiæ.*

27 *Ideò nec aliquam incurrunt pœnam Religiosi admittentes sinè prætextu priuilegiorum fœminas intrà clausuram.*

28 *Et hoc verificatur respectu Religiosorum, etiamsi sequamur vt veram sententiam negantem licere fœminis, quamuis sinè prætextu priuilegiorum.*

29 *Aduertendum tamen est, ne in Religione sit aliqua lex obligans ad pœnam, vel ad culpam.*

30 *Superior in nostro casu non incedit in aliquam culpam, defectu custodiæ sui Conuentus.*

31 *Non incurrunt censuram illi, qui committunt copulam intrà clausuram, sed non erat intenta antè ingressum.*

32 *Qui ex necessitate intrat clausuram Monialium: item & quæ ingreditur illam virorum, finita necessitate tenentur statim egredi.*

33 *Mulier, quæ intrauit licitè clausuram Religiosorum, potest manere in ea diù.*

34 *Etiamsi post licitum ingressum committat copulam.*

35 *Sed quia commorando intrà clausuram, erat in proxima occasione peccandi, ideò tenebatur exire.*

36 *Secùs si graue incommodum sentiet.*

37 *Vt probatur cum verbis Layman.*

38 *Idem dicendum est de Religioso in nostro casu, si eyciat à clausura fæminam.*

39 *Ponuntur remedia pro impedienda hac proxima occasione.*

40 *Ex dictis patet nihil mali fecisse obstetricem in isto casu, quoad omnia.*

1 SEcundo iam decurrente anno, ex quo domum, & vxorem reliquerat Placidus, vt longè à patria inseruiret suo Principi, contigit vt Diabolo suadente, quidam cuiusdam laxæ Religionis Superior Placidi vxorem fecerit prægnantem. Instabat pariendi tempus, quando nuncium peruenit ad aures vxoris, maritum suum esse reuersurum intrà mensem. Timuit mulier, vtpotè conscia extraordinariæ feritatis viri sui. Cogitauit quid agere deberet. Consulere Religiosum delicti complicem, iudicabat non expedire, quia ab eo repudiata, asperrimè tractabatur. Nullum adhibere inuentum, minus rectè factum, imò & periculosum dignoscebatur. Misericordiam à marito petere, si contigisset partum edere post eius regressum; sinè spe misericordiam consequendi, sed cum morali certitudine inueniendi mortem, totum erat. Quid ergo facere potero, aiebat, tot inter tricas? Decreuit rumorem spargere, se ituram ad Lauretanam Domum, quæ à domo sua valdè distabat, at condicta discessus die induit secretò vestem virilem, & perexit ad Conuentum Religiosi complicis, ad cuius cellam deducta quasi vir, sicut vir putabatur, clauso ostio protestata est, se aut vi, aut amore velle ab ipso saluari, & si recusaret id facere, ipsa factum publicasset Religiosis, vt ei prouideant. Annuit Superior ille, nescio an timore; vel amore captus, & mulieri secretum quemdam intrà clausuram assignauit locum, in quo morata tamdiu est, donec pareret, & ad partum introducta fuit obstetrix secreta, & fidelis, habitu virili & ipsa induta. Quo tempore expectabatur partus, frequenter cum eodem sacrilegè commiscebatur; tandemque his omnibus peractis, detulit obstetrix filium natum ad Hospitale illegitimorum, & mulier reuersa domum suam vna die, die sequenti aduenit maritus eius, sicque de præteritis nemò aliquam accepit notitiam.

In facto isto, multa esse dicenda respondi, quando quid sentirem fui requisitus, quæ omnia vt hic resoluam, ea expedit distinctim ponere.

Primum locum tenet Adulterium sacrilegum, sed de hoc nulla est difficultas.

Secundo loco ponitur dubitatio; an liceat sub aliena veste mentiri sexum.

Tertiò quæritur: an absolutè, vel solùm ad saluandam vitam possit mulier ingredi Religiosorum clausuram, & ibi morari sub veste virili.

Quartò, an Superior grauiter delinquat contra rectam Conuentus custodiam, recipiens mulierem ad hospitandum.

Quintò, an dato quòd supradictus ingressus mulieris intrà clausuram fuerit ex se licitus, factus sit postea illicitus per adulteria sequentia, & sic teneretur à Monasterio egredi.

Sextò, an obstetrix sit culpabilis in aliquo ex factis ab ipsa in casu isto.

## §. I.

*An liceat sub aliena veste mentiri sexum.*

2 SVpposita veritate notissima primi delicti in hoc casu commissi, videlicet fuisse adulterium sacrilegum, vtpotè inter nuptam, & Religiosum professum, aduerto solùm non esse circumstantiam mutantem speciem, quòd ille fuerit Superior, sicut expressè docent DD. communiter.

3 Vti habitu alieni sexus, an liceat, non potest sinè distinctione resolui. Vel enim agitur in hac dubitatione de sæcularibus, vel agitur de Religiosis, quãuis in casu proposito sit difficultas de muliere sęculari, & vxore. Generaliter loquendo, videtur nemini licere sexum sub veste non propria mentiri; & sic in Deuterono-
4 mio *cap 22. vers. 5.* præcipitur. *non induetur mulier veste virili, nec vir vtetur veste fæminea, abominabilis enim apud Deum est qui facit hæc.* Ergo nemo potest licitè deferre habitum non proprium suo sexui.

Confir-

Confirmatur ex lumine naturæ, quod dictat hoc non esse faciendum, si Poeta canere sciuit, seu potius nouit inuectiuam proferre, tamquam quòd pudor non maneat cum fœmina sub habitu viri.

*Quem præstare potest mulier galeata pudorem,*
*Quæ fugit à sexu?*

Hinc quoquè ait Herodotus: *Mulier cum veste simul etiam pudorem exuit*, ergo si Deo est abominabilis mulier sinè pudore, meritò concluditur, nedum ex Sacra Scriptura, verùm & ex Poetis lumine naturali vera dicentibus, non esse licitum mulieri sub veste virili sexum fingere; & hoc idem sequitur dicendũ de viris veste fœminarum indutis, iuxtà quòd ipsimet Ethnici exilij pęna puniebant huiusmodi viros: *Sint procul à nobis iuuenes vt fœmina compti.*

5 Sed his non obstantibus dico, non esse intrinsecè malum sub aliena veste mentiri sexum, & ideò diuino afflante Spiritu, S. Euphrosyna, & V. Catharina de Cardona sub habitu virili se fœminas esse occultauerunt. Et ne historiam texere dicar, omitto laude dignas sexus proprij mentitrices, Theodoram Virginem Antiochenam; Mariam Virginem Græcam; Eugeniam, vt Deo intrà Cœnobium inseruiret; Pelagiam, vt in solitarias nemorum latebras pœnitentiæ vacaret, quas omnes satis sit nominasse ad rem nostrã, quatenus probationem faciunt, non dicere intrinsecam malitiam sexum mentiri sub veste non propria; proindè harum omnium fictio, & quidem fuit prius cœlitus inspirata, & tandem cœlesti Beatitudine remunerata.

6 Hinc stabiliendum est, quòd aliquando liceat, aliquando non liceat alienam deferre vestem; seu proprium deponere habitum. Hoc primò verificatur in Religiosis, quibus aliquãdo licet, aliquando non, proprium exuere habitum. Licet accedente rationabili causa, vt est ad vitandum vitæ periculum, ad piscandum, ad scindenda ligna, vel ad fabricandum panem, vel vt exemplificat Syluester *verb. habitus qu. 2. n. 3. & verb. excom. 9. nu. 53.* in recreatione honesta, vt si Minimus habitum Dominicanum indueret, &c. Vndè videntur excusari etiam à veniali Religiosi habitum histrionum induentes ad aliquam honestam repræsentationem faciendam semel in anno, quia non videtur nequè leuis dimissio, quæ fit honestæ recreationis causa, cùm dictæ recreationes sint actus virtutis Eutrapeliæ, & ita videntur sentire Syluester *verb. Habitus nu. 3.* & Passarellus *in notab. priuil. cap. 34. vers. va dimittentibus habitum.* Ità Peyrinus *de Relig. sub to: 1. qu. 1. cap. 26. §. 1. n. 1.*

7 Est ergò benè cauendum, an quando habitus dimittitur à Religioso, hoc faciat cũ temeraria dimissione, vel ad vagandum, seu in contemptũ legis, quia si taliter fiat habet annexam excommunicationem, sicque est graue peccatum, & de hoc fusè agam infra in Decisione 90.

8 An verò idem dicendum sit, si Religiosus retento habitu propriæ Religionis, sæcularem induat, vt sic incognitus incedat; respondeo duplicem dari sententiam. Vna est Sanchez *in summa, tom. 2. lib. 6. cap 8. n. 63*, qui affirmat & esse peccatum, & pænas incurri; quia illa talis retentio, quamuis non sit materialis dimissio, est tamen formalis, & inseruiens ad hoc vt Religiosus incognitus incedat. Altera opinio est Sayri *de censur. lib. 6. cap. 13. n. 9. & 10.* Suarez *de Relig. tom. 4. tract. 8. lib. 1. cap. 5. n. 12. & de censur. disp. 23. sect. 4 n. 33. & 34.* qui tenent excommunicationem non contrahi, siuè pœnas à iure latas *in cap. 2. vt periculosa, ne Clerici, vel Monachi, in 6.* quia in *d. cap. 2.* non quælibet occasio vagandi prohibetur, sed quæ fit per dimissionem Religiosi habitus: at occultans habitum non illum dimittit, sed potiùs retinet, occultum tamen; sicque faciens non dimittit signum Religiosi status, sed celat, & pęna non debet extendi ad ocultantem, maximè cùm occultatio non comprehendatur in iure, ac per occultationem finis legis non eludatur, non enim est tam facilè Religioso incognitum incedere retento habitu, ac illo dimisso.

9 Intrà septa Monasterij, si Religiosus dimittit habitum, non incurrit in censuram, iuxtà Doctores, quos citat Sanctarellus *de Apostasia cap. 1. n. 14.* Nihilominus contraria sententia omninò sequenda est, quia fit vera dimissio, ex qua dimissione per se nascitur occasio vagandi, licèt per accidens impediatur vagatio. Ità Syluester *verb. excommun. 9. casu 24. n. 54. qu. 5.* Nauarr. *cap. 27. n. 131.* Azorius *lib. 12. cap. 17. qu. 15.* Sayrus *de censur. lib. 3. cap. 33. nu. 11.* Sanchez *lib. 6. summ. cap. 8. nu. 61.* qui tamen limitant, vt solùm procedat, si Religiosus se oculis videntium ostendit; secus si se abscondit, quia se occultans, videtur non habere animum
10 vagandi. Hæc tamen limitatio reijcitur à Sancio, & Azorio *quæst. 13. & 14.* quia *text. in d. cap. 2.* non attendit nisi an habitus dimittatur, & indè occasionem assumat incognitum se offerendi, ac per orbem vagandi, quod certè præ-

stat habitus dimissione.

11 Notandum est tamen secundùm communem sententiam, dari paruitatē materiæ in habitus dimissione: ità Emmanuel Sà *verb. excommunicatio reseruata, n.9.* Toletus *lib. 4. sum.cap. 18. n. 3.* Azorius *p. 1. lib. 12. cap. 13. qu. 5 casu 16.* Sanchez *lib. 6. summ. cap 8. n. 57.* quidquid in contrarium teneat Palaus *tom. 3. tract. 16. disp. 4. punct. 6. n. 11.*

12 Imò Leander à Murcia *cap. 19. ad cap. 2. Regula Diui Francisci* §. 1. *n. 2.* ait, eum non incurrere excommunicationem, qui ratione breuitatis temporis, moraliter loquendo, dici non potest, quòd habitum dimittat, vt est quando dimittitur pro saltando, currendo, ludendo,&c. & hoc si fiat per horam, imò & per integrum diem: ità Leander, sed nimis laxè ad vnum diem extendit breuitatem temporis, vndè Texeda *in Theol. moral. tom. 1. lib. 2. tract. 1. controu. 6. dub. 1.* loquens de breui temporis spatio circa habitus depositionem intrà conuentum, concedit esse mediam, vel ad summum integram horam.

13 Ex dictis patet quid sentiendum sit de Religioso suum habitum dimittente intrà, vel extrà Monasterium; sed restat examinandum de sæcularibus, an ipsis liceat alienam vestem induere, ità scilicet vt sexus mentiatur, fingendo se virum fœmina, & è contrà. Et quidem abstractiuè loquendo, vsus vestis alienæ non est intrinsecè malus, ac propterea stat sub genere rei indifferentis, quæ vel vndequaquè licitè; vel grauiter peccando, vel leuiter, præstari potest, & hoc ab omnibus admittitur. Nec obstat textus Deuteronomij supracitatus sub *n. 3.* quia spectabat ad cæremonias, & ad politiam illius populi, vt respondet Lessius *vbi infrà*. Quod verò dicitur à Poetis supra adductis sub *nu. 4.* est, quia mulieres illæ non benè vtebantur veste virili.

14 Et Azorius *Instit. moral part. 3. lib. 13. cap. 14* affirmat, non adeò dedecere sub diuersi sexus habitu incedere, vt aliquando id licitè iustis de causis non possit fieri sinè peccato, dummodò sit citrà scandalum & sinè praui finis in-

15 tentione. Insuper ad hoc vt illicitum non sit alienam vestem induere, debent non dari leges, aut statuta id fieri prohibentia, quia si dentur, iam non licitum redditur, quod per se in-

16 differens erat. His requisitis concurrentibus nullū malum est cum veste alterius sexus incedere, vt se occultet ab Infidelibus, seu recreationis honestæ causa. Ità Azor. *loc. cit.* Et Lessius *de iust. & iur. lib. 4. c. 4. dub. 14. n. 114.* numerat inter causas iustas celandi sexum sub nō proprio habitu, velle repræsentationem honestam exhibere; vel si ab hostibus intendat se occultare; seu si alius habitus non habeatur, in

17 quibus casibus nec peccatum veniale incurritur, sicut incurritur si pro vanitate, aut leuitate id fiat.

18 Vult Bonacina *tom. 2. disp. 10. quæst. vnica punct. 2. n. 10.* Quòd sic mentiri sexum sit mendacium, veniale tamen, cùm nemini sit damnosum, si alia peruersa intentio, aut circumstantia non concurrat. Ex quibus manifestè intelligitur quando sinè culpa deferatur vestis diuersi sexus, vndè & potest applicari doctrina huic mulieri, de qua agitur in casu, quæ quia ad se saluādam, atquè ad famam, & vitam propriam tuendam elegit vti medio opportuno pro suo intento, quod medium fuit se celare sub habitu virili, habuit istam causam assumendi talem vestem, & ideò nec leuiter peccasse iudicanda est. Attamen quia videtur id fecisse cum praui finis intentione, videlicet, vt in Clausuram Religiosorum ire posset, ideò pro examine dicti finis, an fuerit prauus, expedit sequentem paragraphum instituere circa id, quod tertio loco quærebatur in propositione præsentis casus, expeditis quæ dicenda erant circa quæsitum secundum.

## §. II.

### *An absolutè, vel solùm ad saluandam vitam possit mulier ingredi Religiosorum Clausuram, & ibi morari sub veste virili?*

19 AD quæsitum huius paragraphi respondeo cum distinctione. Vel enim mulier non potest mortem effugere nisi clausuram Religiosorum ingrediatur; vel potest. Si potest, dico nullatenus posse clausuram ingredi, si aliunde licitū non sit taliter ingredi, quia si licitū aliunde hoc sit, tunc potest mulier ingredi nedum ad saluandam vitam, verùm & ad alium honestum finem; & ratio est, quia in hoc casu clausuram non frangit, nec locum prohibitum ipsa diceretur ingredi, vt ex se notum est. Si

20 verò suam tueri vitam non potest, nisi clausuram intret, tunc non obstante prohibitione, ac pœna excommunicationis, potest sinè culpa, & sinè pęnæ contractione clausuram ingredi. Ratio est, quia magnum cuiquè ius à natura tributum est ad se tuendum; quapropter malefactor potest aliquando ingredi Monasterium Monialium, vt hostes, aut satellites fugiat, vbi mortem, aut graue damnum timet; nisi

Clausu-

Clausuram ingrediatur, dummodò cessante periculo statim egrediatur, vt aduertit Bonacina *de clausura qu.* 3. *punct.* 4. *n.* 13. Ergo & fœmina ad euitandam mortem poterit clausuram Religiosorum ingredi, si aliter suam vi-
21 tam tueri non valet. Ergo mulier in casu nostro, si Conuentum Religiosorum ingressa est, quia aliud non ei suppeditabat medium ad se tuendam, nihil mali gessit, etiam si sub virili habitu mentita sit sexum, quod ad bonum finem iam dixi licere, & nunc addo fuisse insuper
22 consentaneum prudentiæ se occultare. Et licèt minor necessitas requiratur ad celandum sexum, quàm ad intrandam clausuram; ni-
23 hilominus nec ideò condemno mulierem in casu nostro, si sinè circumstantia scandali, violentiæ, vel iniuriæ Monasterio illatæ, vel praui finis (quidquid sit de malo sequuto post ingressum) si inquam, sinè prædictis circumstantijs, aut sinè qualibet earum intrauit Religiosorum Clausuram; nam probabilis est sententia, quamuis non consulenda, quòd fæminæ intrantes clausuram Religiosorum sinè prætextu priuilegiorum, ac sinè aliqua circumstantia ex nominatis, nec peccant mortaliter, nec incurrunt excommunicationem Papæ reseruatam. In hac opinione sunt Rodriquez *tom.* 1 *quæst.* 47. *art.* 1. Philiarchus *de officio Sacerdotum, to.* 1. *p.* 1. *lib.* 3. *cap.* 30. Zerola *in praxi Episcoporum in secunda editione. p.* 1. *verbo Monialis*, ad octauum quæsitum. Sayrus *de censuris lib.* 3. *cap.* 31. *num.* 10. Layman *lib.* 4. *tract.* 5. *cap.* 12. *num.* 4. Suarez *tom.* 5. *de censuris, disp.* 22. *sectione* 6. & alij, quos refert, & sequitur Delbene *tom* 2. *cap.* 19. *dub.* 76. *num.* 5.

24 Ratio in qua hæc sententia fundatur est, quia Gregorius XIII. in sua Bulla profert excommunicationem contra fæminas præsumentes ingredi Monasteria virorum prætextu priuilegiorum; ergo fæminæ illæ, quæ sinè tali prætextu intrarent, censendæ essent non comprehensæ sub tali censura, cùm hæc sit odiosa, & proinde non amplianda.

25 At Sanchez *in opere morali, lib.* 6. *cap.* 17. Gibalinus, Comitolus, Pelizzarius, Palaus, Henriquez, Tamburinus, quos refert, & sequitur Andreas Mendo *in statera opinionum, dissert.* 13. *q.* 13. *num.* 170. contrariam tenentes opinionem fundantur in ea ratione, quòd Bulla Gregorij XIII. fuit declarata, atquè extensa ad omnes mulieres, etiamsi sinè prætextu priuilegiorum intrarent, quæ extensio, & declaratio mentis Gregorij facta fuit à Pio V. in quodam motu proprio, qui incipit Romanus Pontifex *edito* 16. *Iulij* 1570. ergo quælibet fæminæ siuè in genere, siuè in specie prohibentur intrare etiam sinè priuilegiorũ prætextu; & hoc maximè, quia eumdẽ tenorem cõtinet quædam declaratio Sacræ Congregationis, quam refert Quaranta, *verbo, monasteria, & conuentus, vol.* 2.

26 Ad dictam declarationem, & ad motum Pij V. debuisset apponi promulgatio, itaut de eis constaret authenticè. Respondendum est igitur Doctoribus contrariæ sententiæ, quòd de motu Pij V. non constat authenticè, nec ipse fuit promulgatus, & idem est de Declaratione Sacræ Congregationis, quod ita esse sentiunt: Suarius, Rodriquez, Sayrus, Miranda, Barbosa, Zechius, Coriolanus, Bonacina, Nauarrus, Beia, & alij, Delbene *tom.* 2. *cap.* 19. *dub.* 58. *num.* 8. Et si dicatur talem motum contineri inter alios motus Pij V. respondeo quòd quidem ibi continentur multi motus proprij, & Bullæ, quæ nunquam receptæ, nec promulgatæ fuerunt. Quia ergo mulier in casu nostro intrauit, vt suppono, sinè prætextu priuilegiorum, necnon sinè circumstantia vitiante, ideò censeo eam immunem à culpa, & à pæna, etiamsi sub virili habitu ad se occultandam sinè malo fine intrauerit.

## §. III.

### *An Superior grauiter delinquat contra rectam Conuentus custodiam recipiens mulierem ad hospitandum?*

27 NVnc progrediens in dubiorum explicatione, quæ concurrunt in casu nostro, accedit post dicta, quid dicendum sit de Superiore, qui detegens in cellam suam iuisse sub habitu virili fæminam, vt suprà in antecedentibus huius Decisionis paragraphis narratum est, ipse illam admisit, eique domicilium ad habitandum assignauit. Dico ergo, in hoc quoquè nullam esse culpam, seu pænam etiam respectu huius Superioris. Ratio euidens est ex prædictis; etenim si Bulla prohibet fæminis ingredi Conuentum Religiosorum solùm si intrent prætextu priuilegiorum, consequenter & prohibitio facta Religiosis ab eodem Pontifice Gregorio XIII. ne fẹminas admittant intrà clausuram suorum Monasteriorum sub pœna ipso facto incurrenda suspensionis à Diuinis, & priuationis officiorum, atquè inhabilitatis ad illa, & alia in posterum obtinenda, est intelligenda si intromittant, vel admittant eas prætextu priuilegiorum, & non aliter; cùm igitur

in

in casu nostro, nullus interueniat priuilegiorum prætextus, non erit in hoc damnandus Superior iste. Ità docent de Religiosis admittentibus fæminas intrà clausuram Monasterij sui, sed sinè pretextu priuilegiorum Bonacina,
28 & Mendo *vbi suprà, sed num.* 174. & hoc etiam stando in sententia contraria, scilicet in ea, quæ dicit non licere fæminis ingredi Monasteria Religiosorom, etiam sinè priuilegiorum prætextu; quidquid in contrarium dicat Filliucius *tract.* 15. *quæst.* 9. *num.* 119.

29 Aduertendū est tamen, quòd si sit prohibitum in Statutis illius Religionis vel sub culpa, vel sub pæna, quòd Religiosi non admittant intrà septa clausuræ fæminas etiam sinè prætextu priuilegiorum; in tali casu prohibitionis, peccarent, aut pænas incurrerent Religiosi delinquentes; non quidem quia faciant contra Bullam, sed quia violant suæ Religionis statutum, ex cuius violatione contrahitur sola pæna, si sub hac so lummodò extat prohibitio; aut solùm peccatum, si solùm sub peccato prohibeatur, quod peccatum erit vel graue, vel leue, prout in lege specificatur; ità notat, & & aduertit Delbene *vbi suprà, num.* 6. Nunc loquendo de Superiore Religioso, de quo in casu agitur, scio nullam habere per suas leges prohibitionem de hoc, vndè nec per Bullam, nec per aliam legem est damnandus tamquam quòd in aliquo deliquerit.

30 Neque defectu malæ custodiæ sui Conuentus contraxit aliquam culpam, cùm per admissionem illius fæminæ nullam senserit iacturam Religio, aut Conuentus, tum in temporalibus, tum in spiritualibus, quia semper occultè omnia sunt facta, & cum cautela impediente, ne periculum aliquod exoriretur vel scandali, vel damni in proximo, aut in Religione, vel in Conuentu. Sed quia ex istis antecedentibus (in quibus secundùm se nulla fuit culpa, aut pæna) sequutum est peccatum noui sacrilegi adulterij intrà clausuram, ideò expedit nouum dubium examinare in paragrapho sequenti.

### §. IV.

***An dato quòd supradictus ingressus mulieris intrà clausuram fuerit ex se licitus, factus sit posteà illicitus per adulteria sequentia, & sic teneretur à Monasterio egredi?***

31 CVm communi omnium sententia assero, nunquam incidere in censuram illum, qui absquè malo fine, & vndequaquè licitè ingreditur clausuram, sed post ingressum committit copulam; nam quod prohibetur est ingressus clausuræ sinè causa: ergo pæna non debet extendi ad delinquentes post iustum ingressum, cùm in odiosis lex restringatur, & non amplietur.

32 Item suppono tamquam certum, quòd si adulteria post ingressum commissa non fuissent, poterat illa mulier manere in Conuentu Religiosorum quanto tempore id eius grauis necessitas exigebat, si propter necessitatem fuisset ingressa, & ex alia parte sequeretur sententiam, quòd nunquam liceat fæminæ ingredi virorum clausuram etiam sinè prætextu priuilegiorum; & sic cessante necessitate tenetur statim egredi, quia iam ampliùs nulla adest causa, ob quam licitum ei sit intrà clausuram virorum commorari, & causa non exstante, non potest effectus haberi, qui durat ad durationem suæ causæ; imò & debet egredi, quia grauiter dedecet mulierem inter viros claustrales commorari, sicut & virum inter Moniales. Bonacina *de clausura, quæst.* 3. *punct.* 4. *num.* 13.

33 Sed discurrendo iuxta sententiam concedentem fæminis clausuram Religiosorum ingredi, dummodò & sinè prætextu priuilegiorum, & sinè aliqua ex circumstantijs supradictis *sub num.* 23. ingrediantur; quia sic fæmina in casu nostro ingressa est, poterat ibi quantùm voluisset manere, etiam diù commorando, quia ei licitum motiuum manendi semper durabat; & cum mæchari postea inceperit post ingressum clausuræ, quod tamen ante ingressum non intendebat, insurgit dubitatio an teneretur statim egredi.

34 Dico duo esse capita, ex quibus difficultari potest, an illicitè perseueraret intrà clausuram. Primum caput est, quia ibi cum Religioso sacrilega adulteria admittebat. Secundum verò est, quia iam ibi commorando, erat in proxima occasione adulterandi. Quantùm ad primum caput, non obligabatur statim egredi, nam morabatur vbi licitè intrauerat, & prohibitio non frangendi clausuram ad malum finem, est ne aliquis cum malo fine ingrediatur, nec lex aliquid dicit de ingressis sinè malo fine, sed posteà ex licito ingressu sumunt mali occasionem; ergo ex hoc capite nullam habebat obligationem egrediendi à clausura.

35 Verùm ex capite occasionis proximæ peccandi, adhuc distinguere oportet. Vel enim potest commodè egredi, nec ampliùs adest vrgens necessitas ibi commorandi: vel non potest sinè aliquo graui detrimento spirituali,

vel

vel temporali, vel scandali, aut infamiæ. Si potest commodè clausuram relinquere, tenetur sub culpa graui statim egredi, vt proximam peccandi occasionem tollat; & de hoc tanta est obligatio, vt si non tollatur, pænitens absolui non possit: ità docent communiter DD. & aduertit Card. de Lugo *disput.* 14. *de pænit. cap.*10. *à num.*150.

36 Si verò non potest sinè graui incommodo peccandi occasionem deserere, tunc non tenetur à clausura exire. Qualis autem sit causa magni, aut grauis incommodi, dico esse inter alias, periculum mortis sibi à marito inferendæ; aut etiam magna infamia, quam consequi posset si deprehendatur adulteria commisisse. Ratio quare in his euentibus non teneatur occasionem peccati deserere est, quia moraliter tunc non iudicatur occasionem voluntariè eligere, sed inuoluntariè pati: ità tenet Tamburinus *in method. exped. confess. lib.*3. *cap.*3. §. 3. *num.*8.

37 Nec grauabor ad confirmandam hanc veritatem, ponere hìc verba Layman *lib.*5 *tract.*6. *cap.* 4. *num.*9. vbi sic ait: *Proximas occasiones euitare obligamur, excipe tamen nisi proxima occasio peccandi mortaliter, sinè graui incommodo corporis, famæ, vel fortunarum tolli non possit: tunc enim consilium est, sed non præceptum. Quare absoluendi sunt, qui officio, negotiatione, domo, in qua peccandi periculum imminet, discedere nolunt, quia sinè maxima difficultate non possunt: parati adhibere remedia peccatorum, præsertim quæ affert Confessarius. Ratio est, quia occasio peccandi in se non est peccatum: quare permitti potest ex graui necessitate, quæ impossibilitatem affert moralem: nam tunc non tam est se committere in periculum, quàm pati.* Ex hac doctrina Layman remanet confirmatum non esse obligatam mulierem in casu nostro exire à clausura, supposito maximo suo incommodo, sed debere adhibere remedia, prout expedire cognoscet. Sed quomodo hæc doctrina non pugnet cum propositione 61. & 62. inter damnatas ab Innocentio Vndecimo, videbibus *num.*39.

38 Idem sequitur dicendum de Religioso Superiore, qui si fæminam eijciat, consequetur grauem infamiam, & sic etiam ipse nō obligatur ad remouendam peccandi occasionem, quam inuoluntariè patitur, potiùs quàm illam spontè admittat. Et infamia ei imminet, quia mulier notificabit eum patrem esse filij spurij.

39 Sed vt verum fatear, non video quæ remedia apponi possint ad peccandi occasionem impediendam, excepto remedio voluntatis firmioris non admittendi peccatum. Et quidem quodnam aliud in casu nostro inuenietur? Eijcere à domo iam non potest fieri: non loqui cum ea; vix ex necessitate præstabitur, cùm fæminę debeat necessaria ad victum suppeditare: secùm agere coram tertio; & hoc non potest, cùm totum sit secretum, quamuis magis expediret sub secreti sigillo factum dicere vni prudenti, quo mediante necessaria fæminæ ministrentur, sitque testis quoties occurret agere inter fæminam, & Superiorem, vt sic remedium ad non peccandum ponatur.

Nec dictis obstant binæ propositiones ab Innocentio XI. damnatæ: quarum prima est: *Potest aliquando absolui, qui in proxima occasione peccandi versatur, quam potest & non vult omittere, quinimò directè, & ex proposito quærit, aut ei se ingerit*, quæ propositio est 61. inter damnatas à prædicto Pontifice. Secunda est 62 huiusce tenoris: *Proxima occasio peccandi non est fugienda, quando causa aliqua vtilis, aut honesta non fugiendi occurrit.* Ergo ex his propositionibus apparet nullatenus posse excusari à non dimissione occasionis peccandi fæminam, vt præfertur, licèt causam habere videatur.

Respondeo, quòd in prima propositione est damnatum dicere, posse aliquando absolui versantem in proxima peccandi occasione, quam *potest, & non vult omittere*; verùm quando sinè vitæ periculo, aut sinè grauissimo incommodo non potest occasio peccandi deseri, tunc moraliter non est volita dicta occasio, sed patitur inuoluntariè, sicque moraliter non potest euitari, ac proinde nihil sit contra dictam primam propositionem Papæ, & benè sunt locuti Tamburin. & Layman *locis citatis*, ac proindè facto proposito adhibendi remedia possibilia, iam ampliùs non erit occasio. Secunda propositio adducta, clarè damnat docentes, ac tenentes occasionem peccandi generatim non esse fugiendam quauis *ex causâ vtili, aut honesta*, ex quibus verbis manifestè constat posse disputari de causa mortis imminentis, seu incommodi notabiliter grauis. Valdè ergo diuersum est, nolle occasionem peccandi deserere *ratione cuiusuis vtilitatis, aut cuiusuis causæ honestæ*; & non discedere à peccati occasione ratione grauissimi incommodi, quale est mortis incommodum: Primum quidem cadit sub damnatione; secundum autem non damnatur, & ideo vera est Tambur. & Layman. doctrina pro fœmina, & pro Religioso prout in casu, cùm neuter occasionem peccandi non deserat

rat *potens, & nolens, aut ob causam vtilem, vel honestam*, sed inuoluntariè, & propter incommoda grauissima manifestè imminentia; Igitur propositio est damnata vt iacet, quia generatim loquitur, nec distinguit de causa.

40 Iam non restat nisi sextum quæsitum, cui facilis ex dictis patet responsio, nam & obstetrix sinè prætextu priuilegiorum, ac sinè circumstantia finis praui, aut ex numeratis *sub num.* 23. cùm sit ingressa clausuram, nec culpam aliquam, neque pænam contraxit, quamuis sub veste virili sexum sit mentita, & filium tulerit ad hospitale illegitimorum, quia seruauit seruanda, &c.

---

# DECISIO XIX.

*An ille qui in duello alterum occidit, teneatur ad resarcienda damna sequuta filijs, vel hæredibus mortui, qui an sit sepeliendus in loco sacro.*

## Casus, seu Historia XIX.

### SVMMARIVM.

1 *Casus proponitur.*

2 *Ad tuendum honorem, non licet duellum, quia exponitur vita, quæ est pretiosior honore.*

3 *Et quia vita est à Deo, honor verò ab homine.*

4 *Occidens, aut vulnerans in duello, non tenetur ad damna, si fuit inuitatus.*

5 *Probatur.*

6 *Nec valet dicere, quòd homicidium sit contrà iustitiam; quia hoc verum est, si stemus in natura rei, non tamen si occisus cesserat iuri suo.*

7 *Et ideò si duo ex condicto faciunt duellum, censentur inuicem cedere iuri suo.*

8 *Nec facit contra occidentem, quòd non fugerit, aut recusauerit, etiamsi potuerit.*

9 *Sic & inuasus non tenetur fugere, sed cum moderamine si occidat, ad damna non tenetur.*

10 *In casu nostro homicida ad nihil tenetur, nec in foro fori.*

11 *Protestatio morientis ex duello, vt homicida eius compenset damna, non facit quòd ad illa teneatur.*

12 *Moriens in duello, est priuandus Ecclesiastica sepultura.*

13 *Sic decreuit Paulus Quintus.*

14 *Sed non valet dicere, esse mortuum post horam à duello, & sic non esse mortuum nisi occasione duelli, & ideò non esse priuandū sacra sepultura.*

15 *Quia Concilium Tridentinum priuat sacra sepultura mortuum in duello in pœnam, ideò non debet extendi ad mortuum finito duello.*

16 *In articulo mortis, est absoluendus ab omnibus censuris, & peccatis ille, qui pænitentiæ dat signum.*

17 *Etiam excommunicatus non toleratus, potest probabiliter absoluere constitutum in articulo mortis.*

18 *Absolutus ab Excommunicatione videtur etiam absolutus à pæna.*

19 *Et Rituale Pauli Quinti priuans sacra sepultura mortuos in duello, etiamsi dederint signa pænitentiæ, intelligitur, si absoluti posteà non fuerunt.*

1 RAymundus vir nobilitate conspicuus fuit alapa percussus ab alio æqualis nobilitatis viro, ob idq; huic duellum indixit Raymundus, vt læsi sui honoris damnum compensaret. Contigit vt in duello mortaliter vulneraretur, ex quo vulnere post horam occubuit, protestans se nullatenus remittere iniuriam, nec aliquam condonationem impendere suo occisori; imò quoad loqui potuit, dixit se intendere, vt occisor etiam per iudicem obligaretur ad resarcienda damna ex eius morte sequutura vxori, filijs, ac hæredibus suis.

Quæritur an iste, qui Raymundum occidit, teneatur resarcire damna?

Quæritur etiam an fuerit absoluendus, ac in loco sacro sepeliendus Raymundus, quia loquendi facultate destitutus, semel strinxit Confessarij manum, prout ab ipso Confessarius fieri exigebat, vt eum absoluere posset?

2 Respondeo, quòd in hoc casu nullatenus poterat duellum indici, nec acceptari, clamant enim vnanimi voce Doctores, docentes nunquam licere, (quod vulgus falsò putat) pro honore tuendo inuitare alium ad duellandum. Ratio est, quia duellum non est medium necessarium ad saluandum honorem, qui centum alijs modis reparari potest; ergo non licet per duellum. Vlterius suadetur, nam Alexander Septimus sub die 24 Septemb. 1665. damnat in suis propositionibus *proposit.* 2. dicere, quòd vir equestris possit duellum acceptare, ad euitandam timiditatis notam.

3 Et confirmatur, quia vita, quæ in duello exponitur amittenda, est à Deo, & honor est ab homine, vndè & illa pretiosior est isto; ergo ratio non suadet posse pro honore defendendo, vitam ponere in summo periculo.

4 Igitur illicitum fuit hoc duellum, sed quia in eo

in eo cecidit vulneratus ille, qui duellum indixit, ideò in foro conscientiæ ad nullius damni compensationem tenetur vulnerator, seu occisor. Ratio euidens est, nam ad hoc vt quis teneatur damnum compēsare, requiritur quòd contrà iustitiam delinquat; sed prouocatus ad pugnam si occidat, non delinquit contrà iustitiam: ergo ad damnum non tenetur. Maior est certissima apud omnes; minor verò probatur, etenim numquam infertur iniuria, nec contrà iustitiam delinquitur ab eo, qui volenti, & consentienti, ac suo iuri cedenti damnum infert, iuxtà illud *volenti, & consentienti non fit iniuria*; sed prouocans ad pugnam, quantùm in se est, potestatem facere censetur inferendi damnum: ergo prouocatus non facit ei iniuriam; ac per consequens ad damni restitutionem non obligatur. Layman *lib. 3. tract. 3. part. 3. cap. 6. num.* 5. cum Rebell. *p. 1. lib. 3. quæst.* 12.

5 Insuper hanc eamdem opinionem docet, & tenet Azorius *part. 3. lib 5. cap. 3. qu. 7.* vbi sic ait: *Septimo quæritur, An qui prouocatus ab alio ad duellum, occidit illum in duello, teneatur restituere aliquid? Respondetur, mortaliter quidem illum peccare, quoniam duellum est illicitum, sed non obligari ad restitutionem faciendam; quia eo ipso, quòd occisus prouocauit ad duellum homicidam, tacitè videtur remisisse obligationem restituendi, si in duello interficeretur.*

6 Nec valet si contrà obijciatur: homicidium est peccatum contrà iustitiam: ergo homicida tenetur restitutionem facere; respondeo enim, quòd argumentū optimè concludit, restitutionem esse faciēdam ex natura rei, nisi obligatio restituēdi remittatur ab eo, qui potest remittere; sed in casu quo prouocans ad duellum occidatur, tacitè, ex prædictis, remittit prouocato obligationem restituendi, si occidit: ergo occisor ideò ad damna non tenetur, quia remissionem obligationis restituendi accepit.

7 Hinc sequitur dicēdum esse, quòd si duo se inuicem ad duellum inuitent, tacitè quoquè inuicem sibi remittunt restituēdi obligationem, si vnus ab alio occidatur in illo duello: Et Molina *disp. 82. tract. 3.* dicit, eum, qui ex condicto in duellum descendit, & vulnus, aut mortem alteri infert, ad nullam restitutionem obligari vulnerato, eiusue hæredibus, quia in tali facto, alter alterum iniuria non afficit, nam iniuria non fit volenti, ac consentienti: sic Molina.

8 Sed quia occisor Raymundi in nostro casu, potuisset duellū non acceptare, & à prouocante declinare, & tamen duellum acceptauit, nec à prouocante declinauit; ideò visum est cuidam Consultori, teneri occisorem ad damna eò quia non fugit, vti poterat, vndè sua malitia inuasit, & qui alium ex sua malitia inuadit, illi iniuriam facit, positaque iniuria sequitur restituendi obligatio. At facilis est eliminatio rationis dicti Consultoris, cùm de facto Raymundus prouocauerit, at sic prouocans ex suo arbitrio, non propterea acquisiuit ius in alium, vt ipsum redderet obligatum vel fugere, vel non acceptare, vel nō declinare à duello, itaut si nō fugiat, vel si nō acceptet, vel si nō declinet, cēseatur iniuriam inferre ipsi prouocanti; ergo nullatenus subsistit ratio, quæ asserit prouocatum irrogasse iniuriam prouocanti.

9 Iuxta hanc doctrinā, nec tenetur fugam adhibere ille, qui ab altero inuaditur, quamuis commodè fugere posset, sed debita moderatione, se, vel sua defendens occidit inuasorem; ac proindè cùm ex iustitia non teneatur fugere, nec ad damna obligatur, etsi contra charitatem peccet: ità Lessius *lib. 2. cap. 9. dub. 21. n. 136.*

10 Nulla ergo currit obligatio in facto nostro, ob quam homicida Raymundi debeat damna, vel damnum nec minimum compensare, licèt sequutum sit ex eius homicidio, prout latè ostendi. Liber etiam à restitutione damni debet iudicari in foro externo homicida iste, si probet quòd fuit prouocatus ab occiso; etenim & in foro fori non imponitur restituendi pœna, nisi præcesserit contrà iustitiam culpa: cùm igitur contrà iustitiam non deliquerit occisor in casu, obligandus nequè est, sicut nec in foro interno est obligatus ad damna. Quoad contractionem Excōmunicationis, nec non & peccati mortalis, cùm de his non interroger, nec immoror in eorum examine, sed procedo ad responsionem secundi quæsiti.

11 Circa secundum quæsitum dico, quòd quāuis centies, & millies Raymundus per vulnus in duello acceptum agonizans protestatus sit se non condonare, imò & velle, vt interfector mulctaretur à Iudice, atquè ad damna compensanda obligaretur; tamen non ideò ipse interfector factus est obligatus ad compensationem damnorum, sed potius peius damnum semper augebatur ipsi Raymundo, vtpote non pœnitenti, præcipuè cùm à Confessario præsente exhortaretur. Et quoadusquè in illa obstinatione perdurabat, si mortuus fuisset ibi in loco duelli, priuandus erat Ecclesiastica sepultura, vt decernitur *in cap. de torneamētis*, & notatur à Ioanne Sancio *in selectis, disp. 36. n. 9.* in quo

capitulo dicitur: quòd si quis duellantium ibi mortuus fuerit, quamuis ei poscenti, pœnitentia non negetur; Ecclesiastica tamen caret se-
12 pultura. Et quamuis textus loquatur de torneamentis tamen detestabilior est duellorum vsus, quàm torneamentorum, nam in hoc ad ostentandas vires congrediuntur torneamentantes; in duello verò congredientes intendunt occidere.

13 Item in Rituali Romano Pauli V. *rubrica de exequijs* sic habetur: *Negatur Ecclesiastica sepultura morientibus in duello, etiamsi ante obitum dederint pœnitentiæ signa*: videatur Barbosa *in collect. tom. 2. tit. 13. cap. 1. n. 7.*

14 Dices, Raymundum in casu nostro decessisse post horam, & propterea non cecidisse mortuum in duello, sed potiùs occasione duelli. Respondeo, quidem non includi in Concilio Tridentino, neque in Rituali Pauli V. morientes occasione duelli; sed nego, quòd quia post horam ibi mortuus est, non sit mortuus in duello, sed occasione duelli; ad hoc enim vt solùm occasione duelli posset quis dici mortuus, deberet mors sequi post vnum, vel alterum diem: ità contra Peregrinum tradit Diana *part. 2. tract. 2. res. 54.* & seipsum citat *part. 5. tractat. 3. res. 141.*

15 Nolo tamen reticere quid circa hoc doceat Laurentius Portel. *in respons. moral. cas. 10. n. 3.* vbi dicens quid sentiat Concilium Tridentinum *sess. 25. cap. 19. de reform.* dum iubet, vt moriens in duello non sepeliatur in loco sacro in pœnam delicti; docet prædictam legem Tridentini esse pœnalem, proindè strictè intelligendam, vt verba sonant; cùm ergo dicat, priuandum sepultura Ecclesiastica morientem in duello, videtur in illa non comprehendi casum nostrum, quia non est mortuus Raymundus in duello, sed finito duello, imò & cum signo contritionis dato saltem aliquando ipsi Confessario, dum manum ipsius strinxit. Igitur secundùm istam Portelli sententiam, non est priuandus Sepultura sacra Raymundus in isto facto; sed verè sententia Ioannis Sancij est sequenda.

16 An verò esset absoluendus, cùm signum pœnitentiæ per manus strictionem dederit Confessario, non est opus in dubium reuocare; certissimum est enim, quòd in summo vitæ discrimine debent omnes adiuuari omni meliori modo necessario ad animæ salutem proximi nostri. Et hoc adeò verum est, quòd in illa extrema necessitate, pia mater Ecclesia facultatem amplissimam absoluendi ab omnibus peccatis, & censuris concedit cuicunquè Sacerdoti, vt docent communiter DD. & omnes
17 id non ignorant. Imò si Sacerdos non daretur, qui posset absoluere, quia solus excommunicatus non toleratus est præsens morienti, dico posse licitè ab eo peti absolutionem, qui & illam impertiri tenetur, eliciens actum contritionis, quo se ponat in gratia; cuius ratio est, quia absolutio, sicut & Baptismus sunt ad salutem necessaria; & idem est de Eucharistia, non tamen de alijs Sacramentis: ità Diana *part. 5. tract. 9. resol. 83. §. Igitur.*

18 Ex dictis concludo, quòd si accepit absolutionem ab omnibus censuris, & peccatis antequam expiraret Raymundus in isto duello, non est priuandus sepultura in loco sacro; non enim video cur absolutus ab excommunicatione, excommunicati pœnam subire debeat: Quòd si aliquid probare potest, debere sepultura sacra priuari, est textus *capituli de torneamentis* supracitati *sub num. 11.* verùm respondendum est, quòd quidquid sit de torneamentantibus, non debemus istos parificare cum duellantibus, cùm lex non nominet duellantes, sed solummodò torneamentantes: & notum est, legem odiosam non ampliari.

19 Id, quod *sub num. 13.* dictum est, de Rituali Pauli V. neque probat contra dicta in hoc numero 18. cùm loquatur Rituale de ijs, qui signa pœnitentiæ dederunt, sed absoluti non fuerunt, sicut absolutus fuit Raymundus in nostro casu: ergo &c.

---

# DECISIO XX.

*An Visitator Generalis vnius Prouinciæ amittat Iurisdictionem ratione dispersionis Religiosorum per varias regiones, in quas fugerunt ob timorem hostium infidelium?*

## Casus, seu Historia XX.

### SVMMARIVM.

1 *Casus proponitur.*
2 *Quis non amittit Iurisdictionem, nisi cadat in impossibilitatem perpetuam iuris, vel facti.*
3 *Perpetuum est, quod durat semper, & continuè.*
4 *Ablata parte, non destruitur totum.*
5 *Corpus dicitur collectio personarum, siuè simul habitent, siuè non.*
6 *Et sic totum corpus extat respectu Iurisdictionis*

*nis Visitatoris in nostro casu; & delegati Iurisdictio est extendenda ad consequentia necessaria.*

7 *Et etiam potest inuocari brachium saculare, & alia huiusmodi praestare.*

8 *Nec obstat, quòd lites orta sint post datam commissionem, & ad lites futuras illa non extendatur.*

9 *Nam respondetur id verum esse, quando derogaretur iurisdictioni Superioris ordinarij; secus non.*

10 *Ex quibus concluditur non defecisse materiam Visitationis, atquè ideò durare Visitatoris potestatem.*

11 *Item durat Visitatoris iurisdictio super Religiosos existentes in locis, vbi Religio non habet Prouinciam; subditus enim potest reuocari.*

12 *Et hoc quamuis subditus esset extra territorium ad inseruiendum alicui Principi.*

13 *Quia per habitationem non dicitur quis subditus.*

14 *Religiosi existentes in locis, vbi Religionis non est Prouincia, sunt subditi Superioris.*

15 *Visitator non habet iurisdictionem disponendi de suo subdito existente in aliena Prouincia, si per talem dispositionem turbet potestatem Superioris alicuius in aliena Prouincia. secus è contrà.*

16 *Et hoc probatur à praxi continua.*

17 *Quod exemplis ostenditur.*

18 *Et consuetudo est optima, & tuta lex.*

19 *Non prasumitur mutatio voluntatis, si fiat aliquid indicans priorem volitionem.*

20 *Nec pugnat contra dicta, quòd iurisdictio non extenditur extra territorium.*

21 *Et sic videtur totum certum.*

22 *Subditus non tenetur obedire, si dubitat de Superioris potestate.*

23 *Sed alij id affirmant.*

24 *Quid fiet in nostro casu, cùm dentur dua sententia.*

25 *Resoluendum est non teneri in foro anima, benè verò in externo.*

26 *Cur teneatur etiam in foro interno.*

27 *Licet subditus, & Superior possideant.*

28 *Qua possessio praualeat.*

29 *Si subditus timeat sibi, vel alijs damnum notabile, non tenetur obedire.*

30 *Si non obediendo sequatur damnum Religioni tenetur obedire.*

31 *Quia est membrum totius corporis Prouincia.*

32 *Et quia iam cessit sua libertati, nec eius dubium spoliat Superiorem sua possessione.*

33 *Qui in nostro casu non est detrudendus à sua potestate.*

1 PRæpositus Generalis Religionis N. designauit Visitatorem Generalem Prouinciæ eiusdem Religionis in Polonia, cum potestate subdelegandi, qui Visitator accepit possessionem sui officij, imò & ipsam Visitationem incæpit. Interim inuaditur à Sueco Regnum Poloniæ, & Religiosorum integri, ac plerique, non tamen omnes Conuentus fugiunt, partim in confinia Hungariæ, vbi Ordo Prouinciam non habet; partim verò in Germaniā, vbi Religionis extat Prouincia.

Porrò ipse Visitator impeditus ob pericula itinerum, non potèns visitare remanentes in Polonia Conuentus, in virtute suæ commissionis subdelegauit alteri authoritatem eos visitandi, sicut & de facto visitabat, vacante interim Visitatore prouisioni, & curæ eorum, qui sunt in Germania, vbi & ipse residet.

Quæritur, an satis defecerit materia suæ commissionis, vt ideò censendus sit amisisse ius proprium Visitatoris, seu an ideò desinet esse Visitator: 1. respectu Conuentuum visitandorum à suo Subdelegato: 2. respectu eorum Religiosorum, qui in Hungaria remanent: 3. respectu eorum, qui sunt in Prouincia Germaniæ, præsertim si ipse Præpositus Generalis per litteras nihil reuocauerit, sed potiùs imponendo prædicto Visitatori curam Polonorum, videatur confirmasse commissionem datam?

Quæritur insuper, an stante saltem probabilitate perseuerantiæ suæ commissionis, posse talem de possessione detrudi sit probabile, præsertim non præcedente sententia competentis Iudicis?

2 Respondeo, quòd veram Visitatoris iurisdictionem non amisit, sed intègrè retinet, & verè Visitatoris Generalis officium potest, & debet exercere; nam quamuis per illam fugam Religiosorum ad varias regiones, atquè per illam impossibilitatem itinerandi, non possit Visitator suum munus exercere, non tamen ideò amisit Iurisdictionem, quia etsi habens Iurisdictionem incidat in impossibilitatem iuris, vel facti, nihilominus Iurisdictionem non amittit, nisi impossibilitas illa sit perpetua, secus verò si sit temporalis, vt apertè docet Hostiensis *in summ. lib. 1. de offic. & potest. iudic. delegat*: sed in casu nostro non est perpetua impossibilitas, quæ accidit Visitatori; ergo iurisdictionem non amisit. Quòd impossibilitas exorta in casu nostro non sit perpetua patet, cùm perpetuum dicatur

3 id, quod semper durat, seu continuè *in l. seruientes, ff. de seruit.* Calderin. *cons. 562. aliàs 17. de verb. significatio. in princ.* Alexand. *cons. 60.*

*circa fin. lib.* 1. & nec semper, nec continuè duratura est impossibilitas Visitatoris, cùm de facto dentur Conuentus, in quibus extant Religiosi, vbi & dispersi Religiosi poterunt aliquãdo congregari, sicque omnes visitari, vel per Visitatorem, vel per eius delegatum, vnde perpetuum non est impedimentum, ac per consequens adhuc est cum Iurisdictione Visitatoris Visitator in casu.

4 Non ergo defecit omninò materia commissionis, seu Iurisdictionis datæ, cùm Religiosi in Conuentibus varijs congregati adhuc extent, & per hoc quòd pars integralis tollatur non 5 ideò totum corpus destruitur, vt ex se notum est. Imò dico, quòd neque pars corporis Prouinciæ Poloniæ censenda sit ablata, sed verè subsistat; corpus enim dicitur Collectio personarum, siuè simul habitent, siuè non, iuxta Hostiensem *in sum. lib. 1. de Procuratorib.* quod totum verificatur in nostro casu.

6 Et quòd dentur Religiosi dispersi per regiones, vbi Religio non habet Prouinciam, hoc non impedit, quin possint à Superiore reuocari ad locum vbi visitentur, & collocentur, vel statim hæc fiant, vel data opportunitate ex temporis successione; cuius ratio est, quia conuenire Visitatori vt talia præstet, videtur rationabile, etsi sint accidentia emergentia, præter cogitationem Delegantis, de quo certissimum est, habere iurisdictionem super omnes illos Religiosos dispersos, vbicunquè sint: ergo & iurisdictio delegati, licèt sit odiosa, & restringenda, est tamen extendenda ad ea omnia, quæ veniunt in consequentiam necessariam, iuxta delegationis officium, prout tradit Feder. de Sen. *cons. 163. in princ. vers. in contrarium*, vbi vult, quòd delegatus possit inuoca-
7 re brachium sæculare, quia aliàs esset frustatoria sua iurisdictio contra contumaces; & idem est de omnibus alijs, quæ sunt necessaria, vbi *num.* 2. enumerat multa, vt compellere testes ad testimonium, mutilare impedientes suã iurisdictionem, &c. Igitur Visitator vtpotè delegatus, potest vocare Religiosos dispersos, & eos qui nollent obedire, posset compellere etiam adhibito brachio sæculari, cùm hæc omnia sint necessaria ad suam Iurisdictionem, quæ adhuc ei durat, quia & tota materia extat, circà quam sua commissio optimè extenditur.

8 Nec facit in contrarium, quòd post datas litteras delegationis, exortæ sint lites currentes in nostro casu, sed litteræ, & delegati iurisdictio non se extendit ad futuras lites, vt tradit Feder. de Sen. *in cons. 163. num. 2. vers. non obstat*; nam respondendum est, quòd ideò hoc verum est, quia derogaretur Iurisdictioni Superioris ordinarij, si delegatus posset operari circa futura, atquè circa subsequentia in posterum, tamen si in nullo derogetur Iurisdictioni ordinarij, tunc & litteræ, & Iurisdictio delegati extenduntur ad lites futuras, sicut se ipsum limitat post dictam doctrinam, idem Feder. de Sen. *loc. cit.* ergo quamuis post delegatam iurisdictionem exorta sint multa accidentia, multæque lites in casu nostro, cùm hæc omnia non derogent iuridictioni ordinarij Superioris, imò & illam potius tueantur, ad eadem extendetur iurisdictio Visitatoris in præsenti casu.

10 Igitur respectu subdelegati à Visitatore, viget iurisdictio eiusdem Visitatoris, ideò potest ipse subdelegatus visitare Cõuentus sibi commissos, cùm & materia visitandi extet, & facultas subdelegantis, quod primo loco quærebatur in casu proposito.

11 Item asserendum est, vigere quoquè iurisdictionem Visitatoris respectu Religiosorum, qui in Hungaria degunt, quamuis ibi Religio non habeat Prouinciam, nam persona Religiosi, & non locus vbi Religiosus est, est semper subdita, quia implicat Religiosum esse exemptum à quocunquè superiore, ex eò, quòd maneat in loco, vbi Religio non tenet Conuentum, & subditus vbicunquè sit, potest cogi ad habitandum, seu etiam reuocari vt habitet, sicut latè probat Cyriacus *tom. primo, Controu. forens. controuers.* 78. vbi multos docentes hoc idem adducit; ergo sicut potest subditus reuocari, ità & facultas superioris, siuè sit ordinarius, siuè sit delegatus, siuè sit subdelegatus ex expressa concessione superioris ordinarij data delegato, extenditur ad subditos degentes in locis Hungariæ, prout in casu.

12 Hoc fortiùs probatur, quia si à Principe exeat proclama reuocans subditos suos ad habitandum intrà suum territorium, tenentur reuerti etiam illi, qui sunt ad inseruiendum alicui Principi, nisi expressè illi excludantur: Cyriacus *d. controuers. num.* 11. ergo in nostro casu poterit multò magis Visitator exercere iurisdictionem super Religiosos commorantes per modũ depositi, seu ad se saluandos ab hostibus in regionibus, in quibus Religio non habet Prouinciam, nam ibi nullum habent Superiorem, de quo possit esse dubium, sicut potest esse de Principe, cui inseruit ille, qui reuocatus ad habitandum in sua patria à Principe, cuius natus est subditus, tenetur obedire, & reuer-

reuerti; igitur à fortiori tenentur obedire Religiosi existentes dispersi ob metum inimicorum, si à Superiore aliquid illis imponatur, qui Superior est ille idem illorum, si existerent in sua Prouincia, etenim habitantes in Hungaria prout in casu, ibi sunt forenses, & non subditi,
13 quia propter habitationem, quis non dicitur propriè subditus, ex traditis per Fely. *in c. quoniam n.2. de offic. ord.* Franc. Luca *in tract. de fisco, & eius priuil. 3. par. tit. de collecta. inmu. n.2.* Dec. *cons. 661. num. 5.* & Paris. *cons. 12. num 12. & 13.*
14 Sunt ergo subditi illius Prouinciæ, cuius sunt assignati conuentuales, quamuis de præsenti reperiantur extrà Prouinciam in locis carentibus Religione eorumdem Religiosorum, qui propterea semper manent subditi Superiorum Prouinciæ, à qua ob ostium incursionem fugerunt, donec eis prouideatur, vel à Generali, vel à delegato Generalis, qualis est Visitator, nec non quilibet alter à Visitatore subdelegatus virtute commissionis sibi factæ à Generali delegante, & sic patet quid dicendum sit circa secundum quæsitum in hoc casu.
15 Circa tertium, quod quæritur in prænarrato casu, videlicet an Visitator habeat iurisdictionem super Religiosos Prouinciæ Poloniæ degentes in Prouincia Germaniæ, vbi ex timore hostium aduenerunt, dico oportere distinguere, vel enim quæritur de iurisdictione disponendi aliqua, quæ conturbarent gubernationem Superiorum Prouinciæ, aut Conuentus alicuius in Germania, vel quæ non conturbarent. Si primum, scilicet si aliqua disponeret Visitator circa personam Religiosi Prouinciæ Poloniç, per quam dispositionem perturbaretur gubernatio Superioris alicuius Prouinciæ Germaniæ, quia talis Superioris tangeret, aut impediret iurisdictionem, certè hoc facere non potest Visitator; benè tamen præstare potest ea, quæ non tangunt, aut non impediunt, seu non perturbant iurisdictionem, gubernationem, atquè authoritatem Superiorum, & Superioris alicuius Prouinciæ Germa-
16 niæ. Hoc totum facilè probatur per ea, quæ continuè practicantur in Religione Visitatoris, de quo agitur; nam si v. g. Prior vnius Conuentus existat in Conuentu alterius Prioris, ibi non disponit de suo subdito, quem secum duxit, nisi in ijs, quæ Prioris localis gubernationem non tangunt, propterea nec illum suum subditum dispensat in ieiunio, quia oporteret accipere de rebus Conuentus, in quo sunt, & ministro culinæ eiusdem Conuentus ordinare, vt preparet cænam, &c. quod manifestè apparet repugnare cum pacifica gubernatione Prioris localis illius Conuentus, in quo hospitatur Prior alterius Conuentus cum socio suo subdito.
17 Tamen posset iste Prior hospes, dum est in alieno Conuentu, dispensare suum subditum in ieiunio, & illi cibaria porrigere, si hæc emat suis sumptibus, vel si illi donentur, quia in tali casu nullatenus perturbat, aut tangit facultatem Prioris Conuentus, in quo commoratur. Sic est similiter discurrendum in consimilibus casibus, necnon & in nostro casu de Visitatoris potestate supra Religiosos Polonos existentes hospites in Conuentibus Prouinciæ Germaniæ, cùm reuera commissio Visitatoris non sit expirata, iuxta supradicta, quamuis
18 Religiosi sint dispersi, vt prædictum est. Cùm ergo consuetudo sit in Religione Visitatoris, vt Superiores hospites exerceant suam iurisdictionem in Conuentibus, ac Prouincijs alienis, supra proprios subditos, ità quòd non tangant alienam gubernationem; sequitur posse Visitatorem in nostro casu, disponere de Polonis existentibus in Germania, dummodò alterius Superioris non perturbet gubernationem, quia consuetudo est optima lex, cui & standum est, sicut tradunt communiter DD.
19 Prædicta fortiùs admittenda veniunt, datis nouis litteris à Generali Visitatori eidem, in quibus Polonorum curam enixè demandabat tot inter bellorum calamitates, nam quemadmodum non præsumitur voluntatis mutatio in illo, qui ægrè fert aliquid indicatiuum alterius rei antea volitæ: *l. eum qui voluntatem 22. ff. de probat. l. cum hic status 32. in fine principij, ff. de donatione inter virum, & vxorem*; ità & litteræ indicantes commissionem datam, iterum commendari delegato, non præsumunt mutatam voluntatem priorem in delegante; ergo verè Visitatoris iurisdictione gaudet Visitator in nostro casu, supra Religiosos Prouinciæ Poloniæ, tamquam si ipsemet Generalis disponeret, excepto quòd Generalis, quia est Superior etiam aliarum Prouinciarum à Polonia, posset de Polonis in aliena Prouincia existentibus plenè disponere, sed Visitator tenetur disponere, plenè quidem quoad spectantia ad Prouinciam Poloniç, sed limitatè quoad non perturbandam Prouinciam, vel Conuentum Prouinciæ, aut Superiorem Germaniæ.
20 Nec obstat id, quòd aliqui putauerunt obstare, videlicet quòd iurisdictio non extenditur extrà territorium, sicut obseruauit Ripa §. *ex facto*

*facto, num.* 14. *vers. ista communis*, & sic extra territorium Prouinciæ Germaniæ, cum sit data commissio Visitatoris pro territorio Prouinciæ Polonæ, non extenditur extra Poloniam iurisdictio Visitatoris prædicti; nam per hoc, quòd Visitator disponat de Religiosis Polonæ Prouinciæ, etsi existant in Germania, non dicitur extendere suam iurisdictionem extra territorium, si disponat sinè perturbatione iurisdictionis, aut gubernationis Superiorũ Prouinciæ Germaniæ, vt mox dicebatur sub numero antecedente; sed solùm exercet iurisdictionem supra suos subditos, quod & potest facere, vt traditum est supra *n.* 12. & 13.

21 Restat examinandum id, quod vltimo loco quærebatur, nempè an dato, quòd sit solùm probabile, durare commissionem Visitatoris, possit à suo officio detrudi, eique nemo teneatur obedire? & respondeo me non videre in hoc puncto, nisi certitudinem, & non solùm probabilitatem durationis commissionis datæ isti Visitatori, vt ostendi per prædicta. Verùm

22 dando, & non concedendo esse dubiosam eius potestatem, itaut subditi dubitent de ea, dico dari duplicem sententiam, vnam negantem, quòd subditus teneatur obedire si ambigat an Superior sit legitimus, ita Vasquez 1. 2. *q.* 19. *art.* 6. *disp.* 66. *cap.* 9. *nu.* 51. & Rodriquez *in summa, vers. obedientia* 2. *p. c.* 9. *à conclus.* 2.

23 Altera tamen sententia probabilis affirmat, teneri subditum obedire etiamsi dubitet an Superior sit legitimus: Anton. à Spir. S. *in Director. Regular. tract.* 3. *disp.* 6. *sect.* 1. *nu.* 119. & alij tum pro prima, tum pro secunda opinione.

24 Cùm igitur duas oppositas habeamus sententias, quid fiet in casu nostro? Si Visitator certus de sua potestate aliqua disponat de subditis, qui nolint obedire, vtpotè dubij de Visitatoris authoritate, an ne impunes dimittentur, atq; semper sinè effectu eius dispositiones euanescent? Ergo resoluatur lis in duplici foro, &

25 dicatur, quòd quamuis subditus non teneatur iuxtà forum conscientiæ obedire superiori, de cuius potestate dubitat; attamen in foro externo debet obedire ex multiplici capite: primo propter scandalum, quod ab eius inobedientia oriri potest; secundò quia si à superiore ordinario iudicetur an benè fecerit subditus non obediens, certè punietur; tertiò quià cùm subditus sit certus de delegatione Visitatoris, & solùm dubitet an hìc, & nunc legitimè disponat, eiusdem Visitatatoris certa delegatio non potest vinci à dubio subditi, vt docent Thomas Sanchez *lib.* 6. *in decalog. cap.* 3. *n.* 3. Ioannes Sanc. *d.* 33. *n.* 37 Diana *part.* 4. *tract.* 3. *resol* 8. *&* 9. Et iuxtà hoc tertium caput te-

26 neretur subditus obedire etiam in foro animæ, sicut & ratione scandali.

Nec contra potest militare axioma generale,

27 quòd in dubio melior sit conditio possidentis, ac proinde subditus sit in possessione suæ libertatis, si dubitet de potestate præcipientis: Respondeo enim, quòd etiam Superior censendus sit in possessione suæ potestatis, dum constat certò de eius delegatione prout in casu. Vt ergò in hac lite decernatur, an pro Superiore,

28 vel pro subdito stet possessio, inspiciatur quale damnum in rebus, in fama, in honore, in corpore, aut in Religione futurum sit, per obedientiam vel per inobedientiam subditi, & tunc sic resoluatur.

29 Si subditus dubitans de Superioris potestate, timeat obediẽdo sibi, vel tertiæ personæ magnũ damnum, tunc non tenetur obedire; & ità tenet expresse Diana *d. part.* 4 *tract.* 3 *res.* 9. Si

30 verò ex inobedientia subditi sequatur damnum Religioni, certè tenetur adimplere dispositiones Superioris, quamuis dubitet de eius pote-

31 state, nam est membrum corporis Prouinciæ ipse dubiosus subditus, & ideo tenetur cooperari ad bonum commune, & hoc maximè, si

32 nihil damni in se sentiat. Item tenetur, quia iam per statum suum factus est subdidus, & per obedientiam dedit suam libertatem omnibus Superioribus, quorum quilibet cùm sit in possessione prælationis, non debet, nec potest spoliari ob solum dubium, vel opinionem de legitima possessione. Sanchez *in summa, tom* 2. *lib.* 6 *cap.* 3. *n* 29. Ergo Visitator in prænarrato

33 casu non est detrudendus, sed ei parere debent omnes Religiosi Prouinciæ, cuius assignatus est Visitator, qui magis magisque necessarius est in currentibus indigentijs pro manutentione totius Prouinciæ, & pro regimine omnium, ac singulorum Religiosorum eiusdem Prouinciæ.

DECI-

# DECISIO XXI.

*An occasione expositionis Ven. Sacramenti Eucharistiæ, liceat Hostiæ grandiori paruam Hostiam affigere, si sola parua sit consecrata, & grandior non sit consecrata?*

## Casus, seu Historia XXI.

### SVMMARIVM.

1 *Casus proponitur.*
2 *Excepto vno casu, non licet exponere Eucharistiam in paruula Hostia consecrata affixa non consecrata.*
3 *Respondetur obiectioni.*
4 *Neque ad peccatum materiale licet inducere.*
5 *Sicut non licet inducere ad adulterium materiale.*
6 *Sic peccauit Laban supponens Liam Iacobo.*
7 *Proponitur obiectio.*
8 *Respondetur.*
9 *Quomodo licitè adorabitur illud compositum.*
10 *Quomodò illicitè.*
11 *Quando licitum erit affigere Hostiam paruam consecratam grandiori non consecratæ.*
12 *Sed communiter non licet.*
13 *Neque licet peccatori occulto ministrare hostiam non consecratam.*
14 *Qualiter aliqui admittant posse ministrari Hostiam non consecratam peccatori occulto.*
15 *Conueniunt omnes non licere facere expositionem cum affixa Hostia parua consecrata in medio grandioris non consecratæ.*
16 *Imprudenter egit Parochus, qui talem fecit expositionem.*
17 *Si deficiat Hostia magna consecrata pro expositione, vt sciatur quid agendum, attendantur circumstantiæ.*
18 *Et si non sit periculum scandali, attendatur quid agendum.*
19 *Quid potius expediet.*
20 *Indecens non erit vti saliua, vel aqua.*
21 *Poterit etiam omitti expositio, si commodè fieri potest; vel fiat adhibitis cautelis, &c.*

1 IN Ecclesia Collegiali Sancti N. in Ciuitate N. cùm hora 22. fieri deberet expositio Sanctissimæ Eucharistiæ, iamque cum campanis essent data signa, & magna populi multitudo congregata, accessit ad Altare Canonicus cum ministris, apertoque Sacramenti Tabernaculo, vidit ibi non reperiri Hostiam magnam consecratam, sed solùm multas paucas quidem consecratas. Cœpit Sacerdos ambigere quid agere deberet, cui tandem consilium fuit, hostiam non consecratam accipere, eique in medio paruulam consecratam particulam affigere, eamque sic exponere adorandam. Quæsitum fuit à me, an benè, vel malè fecerit iste Sacerdos; & quid agendum in consimili euentu?

2 Respondeo excusando bonam mentem Domini Canonici, maximè cùm in repentinis non semper vacet locus, ac cognitio pro rerum veritate indaganda, iuxta quam operetur. Nullo tamen modo approbo factum, quod certè à nemine posse rectè approbari iudico (excepto vno casu, quem infrà dicam) quia non licet talem paruam consecratam Hostiam affigere grandiori non consecratæ. Ratio euidens est, si attendatur certa probabilitas periculi idololatrandi in adorantibus eam totam materiam, quam expositam contuentur.

3 Nec suffragatur in contrarium, quòd adorantiũ idololatria esset materialis, vndè non est peccaminosa, ergò neque illicita. Respon-
4 detur enim non esse licitum aliquem inducere, siuè periculo exponere Idololatriæ etiam materialis, quod sic ostendo, & probo. Non li-
5 cèt inducere aliquem ad adulterium mteriale; ergo neque ad Idololatriam materialem. Antecedens est clarum in casu quo vxor aliqua supponeret marito fœminam aliam, quam maritus putaret suam, etenim hæc vxor in omniũ sententia peccaret grauiter, & tamen alium induxit ad peccatum materiale: ergo pariformiter non licèt inducere ad Idololatriam, neque materialem, cùm nulla disparitatis ratio appareat inter inducentem ad materialem Idololatriam, ac ad materiale adulterium, vel ad aliud quodcunque materiale peccatum.

6 Et hoc confirmatur ex deceptione, qua Laban substituit Liam Iacobo pro Rachele, qui Iacob nesciebat esset Liam cum qua cubabat, sed facto manè vidit Liam, vt habetur Genesis *cap. 29. vers. 23.* in quò facto peccauerunt Laban, & Lia, quia ambo induxerunt Iacobum ad copulam illicitam, quamuis tantummodò materialiter esset illicita respectu Iacobi. Ità Cornelius à Lapide in Genes. *Peccauit hæc Lia obtemperando parenti, consensit enim in stuprum, imò adulterium, & incestum: sciebat enim Iacobum non suum, sed Rachelis sororis suæ esse maritum. Grauius tamen peccauit Laban, qui eam sua authoritate, & consilio ad facinus induxit. Iacobum excusat ignorantia, qua bona fide putabat*

*bat esse Rachelem, non Liam.* Ex hac sacra historia secundùm sensum litteralem sumpta, manifestè apparet illicitum esse inducere aliquem ad peccatum materialiter tantùm: ergo etiam non licet talem facere Ven. Eucharistiæ expositionem, quæ populos inducere ad idololatriam materialem dignoscitur.

7 Instari fortasse potest, assignando disparitatem inter Idololatriã materialem prout in casu supponitur, ac inter adulterium materiale; nam in isto nihil est, quod illud à malitia purificet, atquè licitum aliquando reddat: at in adoratione Venerabilis Sacramenti expositi vt prænarratur, adest vera Hostia consecrata, in quam licitè, imò ex debito extendi potest, & debet adorationis latriæ actus; ergo quamuis non liceat inducere ad peccatum materiale in genere adulterij, vel alterius rei semper peccaminosæ, licebit tamen inducere ad adorationem Eucharistiæ confectæ in sola parte hostiæ expositæ, cùm fideles adorent Deum ibi expositum, sicut ibi realiter adest.

8 Respondeo cum distinctione; vel enim actus adorationis in illud expositum obiectum, tendit in Deum creditum ibi esse; vel tendit in totam illam materiam, quæ cernitur, & conse-

9 crata putatur. Si primo modo adoratur, tunc licet inducere ad talem adorationem, quia nihil ab adorantibus cogitatur de materia exposita, sed solùm considerant Deum ibi expositum, quod certum est esse licitum, imò &

10 debitum. Si verò adoratio tendit in totum illud obiectum, quod creditur consecratum, tunc qui est causa talis adorationis, inducit ad Idololatriam materialem, nũquam enim est licitum adorare tamquam consecratam non consecratam materiam, vt omnibus constat; & sic currit paritas, quòd quemadmodum non licet inducere ad adulterium materiale, quia adulterium est semper illicitum; ità nequè licet inducere ad idololatriam, cũ & ista sit semper illicita, quamuis inducatur ad istam materialiter tantùm.

11 Ecce igitur in quo casu licitum sit exponere paruam hostiam consecratam grandiori non consecratæ affixam, seu in medio palæ ad modum magnæ hostiæ orbiculariter scissæ Licet igitur in casu, quo adsit certitudo, quòd adorantium intentio cogitet Deum ibi existentem, non verò obiectum, quod oculis cernitur ab

12 accedentibus ad adorandum. Sed quia communiter, & ordinariè fideles adorant totam hostiam, quam vident, ideò inducuntur ad materialem Idololatriã, si tota hostia non sit consecrata, nulla enim in hoc apparet disparitas, quia idem est, ac si exponeretur sola hostia non consecrata, si exponatur de facto non consecrata, & dum videtur adoratur, quamuis simul in parte ipsius hostiæ sit particula consecrata.

13 Item ad probandum non licere exponere paruam hostiam consecratam affixam in medio hostiæ grandioris efformatę ex materia panis, vel ex materia palæ, facit resolutio dubij, an liceat peccatori occulto ministrare hostiam non consecratam pro consecrata. Responsio multorum, inter quos Castr. Palaus *in opere morali, tom. 1. tract. 2. disp. 1. punct. 13. num.* 8. est non licere talem simulationem facere, & hoc propter periculum idololatriæ, cùm circumstantes possint, si velint, illam particulam creditam consecratam seorsim adorare; ergo nec licebit materiam non consecratam exponere cum periculo Idololatriæ, si adoretur simul cum materia consecrata.

14 Alij è contra tenent licere communicare peccatorem occultum cum particula non consecrata, ad sic eius euitandam infamiam, dummodò illa adhibeatur cautela, quæ requiritur ad tollendum periculũ idololatriæ in circumstantibus, imò & in ipso peccatore communicaturo, vndè in hoc casu deberet proponi hostia consecrata adoranda, & à tergo post illam altera occulta totaliter, & non consecrata, ita vt non videatur, nec adoretur, & totum id fiat ex consensu, & cum scientia peccatoris, ne ex conscientia erronea adoret non consecratam pro consecrata: Ità hanc sententiam post Aloysium Dorensem, Albertum, Bonauenturam, & alios tenent neoterici doctissimi Ludouicus de San Iuan *in summa, tom. 1. tract. de Eucharist. quæst. 7. art.* 8. *dub.* 4. & Villalobos *in summa, tom. 1. tract. 7. difficult.* 38. *num.* 7. Si er-

15 go isti Doctores sententiæ oppositæ opinioni asserenti non licere communicare cum particula non consecrata ob periculum Idololatriæ materialis, concedunt licere si tamen periculum talis idololatriæ tollatur; cõueniunt igitur omnes nunquam esse licitum inducere ad aliquam idololatriã quamuis solùm materialem, ponẽdo fideles in talis idololatriæ periculo: ergo nequè in casu nostro est licita illa expositio cum periculo talis Idololatriæ, & hoc secundùm sententiam omnium Doctorum.

16 Prædicta corroborantur cum verbis Thomæ Tamburini *de Sacrific. Missæ, expedit. celebrando, lib.* 2. *cap* 8. §. 8. *num.* 23. quæ sunt sequentia: *Illud certè probandum nullo pacto est, quod quidam Parochus, dum ei Hostia grandior conse-*

*consecrata non suppeteret, ad eam exponendam in oratione quadraginta horarum, imprudenter egit. Paruam enim consecratam Hostiam affixit Hostiæ grandiori non consecratæ, & ita simul exposuit, ne scilicet parua formula in sphærula appareret populo, qui Sacerdotem de negligentia præparandi maiorem reprehendisset. Hoc, inquam, non est probandum, quia esset periculum Idololatriæ, quamuis materialis, (cùm fideles adorent totum illud, quod expositum est per modum vnius) quod nullo modo licet.* Ex his verbis clarè resoluitur præsens dubitatio, atquè declaratur non licere talem facere expositionem, seu fictionem.

17 Sed quia casus aliquando potest euenire, quòd magna Hostia deficiat, & solùm paruulæ formulæ habeantur consecratæ, dum tempus adest exponendi post vesperas Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, petes quid fiet ne populus vel id cum admiratione animaduertat, vel ne sua priuetur deuotione, vel ne simplices, & rudiores scandalum sumant de Parocho in hoc negligente. Dico debere in tali casu Sacerdotem attendere locum, circumstan-

18 tias, necnon & populi qualitatem: Si ergo id fiat in loco, vbi pauci concurrant, & omnes prudentes, qui si de obliuione, vel de inaduertentia Sacerdotis moneantur, scandalum non sint accepturi, poterunt prudenter admoneri, nulla enim apud prudentes est admiratio, quòd aliquando excidat mente præparatio talis Hostiæ, & post admonitionem resoluent simul, quid agendum, quod & si fiat, totum benè fiet, quia iam Idololatrię cuiuslibet cessabit periculum.

19 Si verò circumstantię tales concurrant, vt attentis eis, necnon & populi qualitate, ac multitudine, omninò expositio sit facienda, taliter quòd non omnes possint pręmoneri, tunc propter scandalum pusillorum inter prudentes existentium, expediet Hostiam magnam componere cum paruulis Hostijs consecratis, vt totum quod exponetur, sit materia consecrata, & sic Idololatriæ etiam materialis non erit periculum.

20 Nec indecens est credendum esse, vti saliua ad illam Hostiam grandem componendam cum paruis formulis, si Doctores agentes an liceat paruam Hostiam consecratam affigere in medio grandioris Hostiæ non consecratæ, negant posse fieri ob solam rationem Idololatriæ saltem materialis, & nihil dicunt de irreuerentia, quæ posset suspicari adesse in adhibenda saliua; ergo signum est, quòd nulla sit indecentia vti saliua ad componendam Hostiã magnam. Sed decentius componi poterit adhibendo aquam mundam.

21 Vltimò accedit, illud esse animaduertendùm, quòd si cõtingat nõ habere Hostiam magnam ad illam exponendam, considerare oportet concurrentia, ac secundùm ea operari, vel omittendo expositionem, si commodè potest omitti; vel illam faciendo cum cautelis, quæ & scandalum, & materialis Idololatriæ periculum excludant.

---

# DECISIO XXII.

*An in dubio si aliquis sit verè obsessus à Dæmone, vel an hoc fingat, liceat fingere, quòd ei applicentur Sanctorum Reliquiæ, & quòd ei porrigatur vera Eucharistia, cùm tamen particula non sit consecrata, & ossa admota ei sint animalium, si totum fingatur ad detegendam veritatem?*

## Casus, seu Historia XXII.

### SVMMARIVM.

1 *Casus proponitur.*
2 *Non licet admouere ossa brutorum pro Reliquijs.*
3 *Nec licet fictè communicare.*
4 *Cùm sic fingere sit mendacium irrogans iniuriam grauem Deo.*
5 *Ostenditur hoc.*
6 *Potest ob bonum finem aliquando permitti peccatum.*
7 *Non tamen licet offerre occasionem peccandi.*
8 *Non licet fictè communicare ad dignoscendam veritatem.*
9 *Quod permittitur fit sinè cooperatione permittentis; non autem quando occasio offertur.*
10 *Dato quòd esset sola permissio peccati in casu nostro, adhuc non liceret fictè communicare.*
11 *Probatur hoc.*
12 *Nulla sententia concedit licere offerre occasionem peccandi.*
13 *Quamuis videatur in aliquo casu licere.*
14 *Si daretur sententia docens licere offerre peccati occasionem, non subsisteret in casu nostro.*
15 *Ex varijs capitibus videtur licere vti fictis Reliquijs.*
16 *Dummodò non addatur benedictio.*
17 *Quomodo videatur licere fictas* Reliquias *applicare.*

18 *Tenendum est non esse licitum ob periculum Idololatriæ.*
19 *Et quia effectus detectionis veritatis non est certus.*
20 *Poterit fieri applicatio vera Reliquiæ non aduertente patiente.*
21 *Etiam in tali verà applicatione non erit credendum Energumeno.*
22 *Non est actio indifferens tangere Energumenum cum ficta Reliquia.*
23 *Nec talis fictio, est æquiuocatio, sed est fraus inducens ad illicitam venerationem.*

1 QVædam mulier continuè signa dabat, quòd à Dæmone obsessa esset; propterea quandocunquè ad Communionem accedebat, in clamores, & contorsiones varias erumpebat. Similiter si ei Reliquiæ applicabantur, edebat suspiria, easque tolerare non posse proclamabat. Suspicati sunt illius parentes eam solummodò fingere, non verò à Dæmone illa prouenire, quæ mulier à Dæmone pati videbatur. Voluit Parochus illius ruris, cuius erat fęmina ista, fictè illam communicare, atquè cum animalium ossibus eam signare, vt compereret, & detegeret, an verè à Dæmone, vel fictè à fæmina essent illi clamores, & illæ conuulsiones, & cętera alia, quæ mulier præstabat, dicebat enim Parochus si cum ista muliere est Dæmon, hic non clamabit, cùm sciat veritatem fictionis; si verò mulier fingit, clamabit tamquam quòd vera esset Eucharistia, & Reliquia, vndè & fictrix dignoscetur.

Quæritur, an licitè Parochus iste potuerit fictam Reliquiam, & fictam Eucharistiam admouere?

2 Respondeo, non fuisse licitum illi Parocho talia facere, quia ad adorationem ossium brutorum, neque particulæ non consecratæ non licet inducere, vt per se patet; vndè periculum Idololatriæ erat in illa fæmina, quæ si fortè se simulabat vexatam à Dæmone, credendum est, quod internè adorasset formulam sibi ad communicandam oblatam, quamuis externè prorumperet in illas contorsiones, ac difficultates; & idem dicendum est de fictis Reliquijs.

3 Clariùs tamen constabit responsio ad præsentem casum, loquendo, & discurrendo aliter de ficta Eucharistia, & aliter de simulata Reliquia. Quantùm igitur ad porrectionem fictæ Eucharistiæ, dico absolutè nullatenus id posse licitè fieri. Ratio est, quia fictio in Sacramentis peccatum mortale est, quia sacrilegium cõmittitur, cùm fiat notabilis iniuria Sacramento, vt tradit Armilla *verb. de fictione, num.* 2. ergo nec sinè peccato potest fingi esse Eucharistiam, vbi non est.

4 Secundò probatur, nam fingere, & simulare sunt semper mendacia, & quidem mortalia si sint grauiter alteri damnosa; vt docent communiter DD. ergo & grauis culpa erit simulare Eucharistiam dare, cùm sic grauis iniuria fiat Deo, cui, vt ità dicam, damnum graue per talem fictionem, seu non veritatem irrogatur, cùm adorationis latriæ actus solius Dei proprius auferatur à Deo, & creaturæ, scilicet illi formulæ tribuatur, vel saltem vt hoc fiat, periculo exponatur.

5 Confirmatur ex doctrina præcedentis Decisionis, in qua ostendi non licere dare Hostiam non consecratam pro consecrata peccatori occulto, quamuis ad eius infamiam vitandam id fiat, quia sic esset periculum materialis Idololatriæ in circumstantibus, imò & in ipso peccatore: ergo similiter non licebit neque ob bonum finem porrigere Hostiam non consecratam pro consecrata illi, qui forsan fingit maleficium habere, atquè à Dæmone molestari, cùm siuè fingat, siuè non, semper tamen adsit periculum vt Deum in particula adoret, & tamen ibi Deus non adest personaliter sub illis speciebus, prout communicaturus inducitur ad credendum.

6 Insuper probatur hoc idem, aduertendo aliud esse, permittere peccatum ob bonum finem, & aliud esse ob bonum finem offerre occasionem peccandi; nam primum licet, secus secundùm. Imò nec semper licet primum, sed semper non licet secundum, ideò de primo sic scripsit Thomas Tamburinus *in decal. lib.* 5. *cap.* 1. §.4 *num.*2. *Difficultas est, an aliquo bono fine peccatum permittere tibi liceat; tibi inquam, potenti id peccatum impedire? Distinctione opus habemus; nam si permittas cum spe certa, vel valde probabili, vt proximus in peccato deprehensus resipiscat, v.g. vt filius deprehensus à patre in furto, non amplius furetur; vel vt quis se indemnem seruet, v.g vt maritus vxorem in adulterio adhibitis testibus, comprehendat, quibus deinde testificantibus, diuortium intentare possit, semper tamen supponendo alium modum non adesse, quo illi boni fines haberi queant. Ratio doctrinæ data est, quia illa spes certa, & hæc necessitas se indemnem seruandi dant sufficientem causam ad eam permissionem.*
7 Verùm agendo de oblatione occasionis peccandi, vt est si pater relinquat clauem in arca, vbi sunt pecuniæ, quò filius furans deprehendatur ad correctionem

nem, Sanchez, & Bonacina apud eumdem Tamburinum *loco citato, sed num.* 5. negant, cùm tamen talis occasio peccandi detur ob finem bonum.

8 His prænotatis, probo non licere fictam Eucharistiam dare, prout quæritur in casu nostro; nam porrectio fictæ Eucharistiæ est occasio peccandi peccato Idololatriæ materialis; ergo talem occasionem, neque ob finem bonum licet offerre.

9 Nec suffragatur in contrarium, si dicatur non esse oblationem occasionis peccandi, sed solùm permissionem peccati idololatriæ, dum ficta Eucharistia datur ob bonum finem, quæ permissio est licita ratione boni finis, vt dictum est. Respondeo, non esse solam permissionem, sed veram oblationem occasionis peccandi, cũ certè nullatenus eliceretur Idololatriæ materialis actus ab illa energumena, nisi ei Eucharistia daretur fictè. Non est ergò sola permissio idololatriæ illa Eucharistiæ fictæ oblatio, cùm id, quod permittitur ponatur etiam sinè aliqua cooperatione permittentis, quæ cooperatio si adest, iam de permittente fiet porrigens occasionem peccati, quod totum verificatum apparet in casu nostro, ideò non licet.

10 Item hoc non licet, dato, & non concesso, quòd non esset offerre occasionem peccandi, sed solùm permittere ob bonum finem. Ratio est, nam permissio peccati tunc licet ex dictis, quando habetur spes certa, vel probabilis de consecutione boni finis: sed in casu nostro talis certitudo, seu probabilitas haberi non potest; ergo nullo pacto licet fictam Eucharistiam dare energumeno solito clamores dare dum communicatur verè, ad detegendum an fingat vexationem Dæmonis, si clamet etiam dum

11 communicatur fictitiè. Et quòd non habeatur talis spes in casu nostro probatur; nam etiamsi realiter vexetur à Dæmone, iste poterit agere in patiente vt clamet etiam per receptionem fictæ Eucharistiæ: quis enim dubitat quin Dæmon, pater sit fictionis, & mendacij, si à principio finxit, & semper finxit, ex quò Euã decepit? Ergo nunquam licebit siuè permittere materialem idololatriam, siuè illius occasionẽ dare, fictè communicando mulierculam, de qua ambigitur an simulet nec ne vexationem à Dæmone, vt in casu nostro præsenti examinatur.

12 Et adeò verum est non licere offerre occasionem peccandi, quòd si daretur sententia probabilis contraria, quæ tamen non datur, nec à nemine, ex omnibus, quos viderim, docetur,

13 ( excepto quodam casu, qui videtur permissus per *l. si quis seruus. C. de furtis*, quem casum non audent approbare, sed iudicio DD. an liceat submittunt Castropalaus, & Thomas Tamburinus *vbi supra* ) adhuc in nostro casu talis sententia si daretur affirmans esse licitum offerre occasionem peccandi, non verificaretur.

14 Ratio est, quia si daretur talis sententia inniteretur fundamento causæ non leuis concurrentis, ob quam causam excusaretur a peccato cooperans cum alterius peccato, si tamen actiones cooperatiuæ sint per se indifferentes, nec vllo modo expressæ, vel tacitæ peccati expressionis. Sed in nostro casu oblatio fictæ Eucharistiæ, non est actio indifferens, neque adest casa sufficiens, cùm nulla alia sit causa id faciẽdi, præterquam ista detegendi an mulier fingat vexari à Dæmone; at Dæmon si adest, poterit adhùc mulierem excitare ad clamãdum, etiam dum fictè communicatur, non minus, ac si sua sponte clamaret ipsa mulier, putans veram esse communionem illam, quam ipsi offerunt; ergo causa subsistens non habetur; ergo neque licebit hoc, quod quæritur in casu nostro, quamuis daretur sententia affirmans aliquando licere offere occasionem peccandi, vt dictum est.

15 Igitur non est licitum probare energumenum cum ficta communione: sed cum benedictione fictarum Reliquiarum an liceat huiusmodi probationem facere nunc subdens, dico posse de hoc aliqualiter dubitari. Primò, quid si cum ossib. alicuius bruti tangatur energumenus, nihil ei dicẽs quòd sit, vel non sit Reliquia, & ipse clamet, putans esse Reliquiam? Videtur in hoc casu nullam adesse fictionem in applicante illa ossa; sicut neque apparet fieri iniuriam Reliquijs; nec actio, quæ ponitur inducit ad credendũ illam esse Reliquiam, nec inducit ad illam rem adorandã; ergo ex nullo capite videtur illicitũ esse os aliquod brutorũ applicare energumeno, nulla facta expressione neq; taci-

16 ta, neq; addita benedictione. Dixi nulla addita benedictione, quia benedictio cum ossibus, cùm fiat in virtute meritorum eius, cuius sunt ossa, & cùm bruta non sint capacia meriti, nec sint adoranda, vel veneranda, neque valeant per propria merita gratiam aliquam hominibus facere, vnde nec sunt exoranda, ideò non licet benedicere cum eorum ossibus, quod qui faceret puniretur ab Inquisitoribus hæreticæ prauitatis; ergo signum est non licere talia facere.

17 Secundò videtur esse licitum applicare ossa brutorum ad experiendum energumenum, si

applicentur modo indifferenti, & itaut non indicentur esse Reliquias, quia in tali casu seclusa intentione decipiendi, vtitur æquiuocatione non mendaci saltem in facto, si non vtatur in verbis; sed eiusmodi æquiuocatio data causa, & exclusa intentione fallendi, est licita, iuxta communem opinionem; ergo & in casu nostro licebit talis applicatio æquiuoca, qualis est illa admouendi energumeno ossa modo indifferenti, quia non sunt ossa Sanctorum. Et hæc maximè videntur vera, quia fiunt sinè iuramento æquiuoco, & sic non obstat damnatio doctrinæ facta ab Innocentio XI. in Propos. 26. & 27.

18 Nihilominus dico, posse clariùs demonstrari, non esse licitam huiusmodi fictarum Reliquiarum applicationem, quàm esse licitam. Probatur hoc cum ijsdem rationibus probantibus non licere dare fictam Eucharistiam, quia & in applicatione fictarum Reliquiarum offertur occasio Idololatriæ materialis, nihil enim impedit, quin Energumenus, siuè verè, siuè fictè talis, eas adoret, cùm non sint adoranda ossa brutorum.

19 Item, effectus intentus non potest certò obtineri, cùm Dæmon possit ad clamores excitare vexatam ab ipso mulierem, etiam dum fictæ Reliquiæ ei admouentur; ergo non licet tali fi-

20 ctione vti, vt dixi suprà. Sed non ideò vacat modus ad experiendam veritatem prout prudentia dictat; nam possunt applicari Reliquiæ veræ ipsi mulieri, dum ipsa non aduertit, quod cùm non lateat Dæmoni, hic si clamores excitabit, signum est verè adesse, & eam mulierem

21 molestare. Verum tamen est, quòd & Dæmon in hac secreta Reliquiarum applicatione potest mutam reddere vexatam, vndè adhùc non habebitur veritas, & dubietas de Dæmonis assistentia perdurabit; sed non mirum, cùm bellum fiat contra serpentem, & non facilè viæ colubri cognoscantur.

22 Non ergo subsistunt ea, quæ dicebantur sub n. 15. & 17., cum quamuis applicās energumeno brutorum ossa nihil dicat illa esse, vel non esse Reliquias, tamen ratione modi, temporis, aliarumue circumstantiarum indicat saltem tacitè esse tales, ac proindè offert occasionem indebitæ adorationis, & consequenter illicitè præstantur ista, & sic respondendum est ad ea, quæ dicebantur num. 15.

23 Ad id, quod adducebatur n. 17. scilicet esse purā æquiuocationem, dico non esse verū, quia æquiuocum, vt à nominis ethymologia habetur, fit cum voce, non verò cum factis, & sic illa applicatio ficta est vera Fraus, vt docet Lessius *de iustit. & iur. lib. 1. cap. 2. dub. 4. n. 26.* videatur etiam Summa Armilla *verb. de Fraude, n. 4* & cùm sit Fraus, ideo non est actio indifferens, sed decipiens, qua deceptione inducitur ad indebitam venerationem; & hæc sufficiant pro Decisione præsentis quæsiti. Prædictis addo, quòd Innocentius XI. Propositio. 29. damnat simulatam Sacramentorum administrationem etiam ex metu graui licitè fieri.

# DECISIO XXIII.

*An superstitionem contineant annuli contra mortem improuisam, & illi qui intrà vas pulsant horas; necnon & nolle tredecim ad conuiuium conuenire, ne vnus ex ipsis intrà annum moriatur; vbi & examinantur multa alia, an sint superstitiosa.*

## Casus, seu Historia XXIII.

### SVMMARIVM.

1 *Casus proponitur.*
2 *Respondetur in omnibus esse superstionem.*
3 *Nec valet dicere, quòd intentio excludat pactum cum Dæmone.*
4 *An liceat colligere herbas in festo alicuius Sancti; & pueros, aut iumenta circumducere ad templum.*
5 *Licet, si fiant in honorem Sancti, à quo speratur effectus;*
6 *Non licet si infallibiliter credatur futurus effectus.*
7 *An peccauerit dans annulum, & filum ad distinguendas horas intrà vasculum; & cum isto, etiam spectatores?*
8 *Debet quisquè seipsum examinare.*
9 *Si quis ignoranter fecit, sinè culpa est.*
10 *Grauiter deliquit, qui malitiosè, vel cum opinione peccati grauis se gessit.*
11 *Qui semel, aut iterum talem annulum curiosè adhibuit, venialiter peccauit.*
12 *Quando præsumendum est pro viribus naturæ.*
13 *Confirmatur cum verbis Caramuelis.*
14 *Horologium cum filo tenente annulum intrà vas, pulsat astronomicè extrà Italiam, & Italicè in ea.*
15 *Ideò est cum pacto Dæmonis;*
16 *Quid euenerit Cardinali de Lugo.*
17 *Delatio annuli cum ignotis litteris ad arcendam mortem improuisam, est superstitiosa.*

18 *Re-*

18 *Regula generalis ad cognoscendum.*
19 *Quando nec ex Sacra Scriptura, nec ex reuelatione deduci potest aliquid incognitum, est superstitiosum.*
20 *Si positiuè concludatur, rem naturaliter haberi non posse, spectat ad Magiam.*
21 *Cartula contrà dolorem viscerum scripta cum Sanctissima Trinitatis nominibus, admixtis alijs incognitis, est damnata, sicut & annulus cum ignotis litteris.*
22 *Nomina incognita admixta orationibus, damnantur.*
23 *Sic si ignotis caracteribus admiscetur Crux.*
24 *Quadam nomina ascribuntur Damonibus.*
25 *Quando aliquid habeat superstitiositatem.*
26 *Ponuntur aliqua, qua sunt superstitiosa.*
27 *Quid de nolente conuenire ad conuiuium, quia sunt tredecim.*
28 *Timor deficit à vera superstitionis ratione.*
29 *Se regere ad normam somniorum, auguriorum, & similium, quando est mortale.*
30 *Est superstitiosum nolle interuenire ad mensam vbi sunt tredecim credens vnum ex ipsis moriturum statuto tempore.*
31 *Adducuntur ad rem verba Suarij.*
32 *Ponuntur varij casus, qui possunt superstitionem habere.*
33 *Qui iuxtà scientiam habitam à Maga fodit terram ad inueniendum Thesaurum, non peccat.*

1 POst labores cursus Quadragesimalium concionum in Ciuitate Goritiana reddibam Venetias vnà cum non paucis nobilibus mecum in naui itinerantibus. Voluit ex illis vnus quota esset hora obseruare, propterea arrepto filo, cui annulum pendentem affixit, filū intrà summitatem policis, & indicis strinxit, pendentemq; annulum in medio vitrei poculi suspensum tenuit. Vidi paulatim motum acquirere annulum illum, donec inde de vno ad aliud latus poculi pertingens ictus in vitro dare posset. Cœpit ergo annulus tamquam malleus pulsare, & datis tot ictibus successiuis, scilicet vnus in vna, alter in alia parte poculi, postquam toties pulsauit, quota erat diei hora, defecit in motu paulatim, seque in medio poculi perpendiculariter immobilem posuit. Sed quia à vitro non fuit annulus extractus, vidi quasi statim denuo moueri, donec iterum pulsaret, prout iam paulò antè fecerat, & eadem data hora, iterum cessauit à motu. Peruenimus ad Aquas gradatas prope Aquileiam, volentesque recumbere hora cœnæ, quidam ex socijs obseruauit nos esse tredecim, ideoque noluit cum alijs ad mensam sedere, ne vnus ex nobis antequam anni cursus elaberetur, mortis debitum persolueret. Timebat iste mortem, à qua ne ex improuiso aggrederetur, annulum cum quibusdam sculptis litteris deferebat in annulari digito. Sequenti die iterum intrà nauim congregati, datisque velis, excitatum fuit dubium an Superstitionem contineant, tum nolle ad mensam sedere si sint tredecim, ob metum mortis intrà annum euenturæ; tum granusculum, siuè annulus adhibitus ad pulsandas horas intrà vas quodcunque, tum alia varia ibi proposita, quæ explicare non est necesse, cum idem sit de casibus explicitè adductis, ac de alijs, quos humana, vel Dæmonis malitia potest adinuenire.

2 Responsio fuit à me quæsita, solus enim huiusmodi dubia valebam explanare, cùm cæteri omnes essent laici sæculares, & socium laicum Religiosum Germanum mecum conducerem. Dixi statim ore rotundo, ea omnia profectò sapere superstitionem manifestè, nihilque illorum posse licitè fieri.

3 Instabant omnes id totum esse licitum facere eo modo, quō ab ipsis fiebat, videlicet explicitè protestantes, se excludere quidquid Dæmonis esse posset in actionibus illis. Respondi quòd sola protestatio, qua quis nolit effectum expectare à Dæmone, non sufficit ad liberandum, ne committatur peccatum mortale, & hoc ex ea ratione, quia cum illa sola protestatione renuntiatur verbis pactum cum Dæmone, sed admittitur factis, & approbatur in opere, quòd certè esse illicitum nullus meritò negare potest; & hæc opinio expresè tenetur à Thoma Tamburino *in præcep. decal. lib. 2. cap. 6. §. 1. n. 29.*

4 Dixit vnus ex illis socijs itineris: ergo etiam, non licebit colligere herbas in nocte S. Ioannis Præcursoris; neque in die S. Antonij nouies intrà eiusdem templum pueros circumportare, vel extrà illud iumenta circumducere. Respondi quòd ista, & similia alia fieri possunt, &
5 licitè cum deuotione. Igitur si circumstantiæ illæ vel numeri, vel circumductionis, vel noctis, aut diei festi putentur infallibiles, & efficaces ad effectum, tunc quidem cum superstitione mortaliter peccaminosa fiunt. Si verò
6 fiant cum sola spe auxilij, & sanitatis nobis impetrandæ à Sancto, in cuius cultum, & honorem illa præstantur, tunc licitè, & sinè culpa fit circumductio, & obseruatur numerus v. g. ternarius in honorem Sanctissimæ Trinitatis, sicut & expectatur dies S. Ioannis, & cætera huiusce generis

generis, ita tradit Sanchez *in Decal. lib. 2. cap. 40. n. 20.*

7 Addidit quidam perspicacis ingenij: ergo omnes nos mortaliter peccauimus, ille quia annulum tenuit; hic quia filum subministrauit; nauta quia poculum commodauit; & nos quia consentientes perspeximus quæ fiebant; maximè autem condemnabant me, quia sciens superstitionem, nec impediui, nec correxi, imò spectator fui. Respondi: auertat Deus nos omnes mortali culpa grauari, nimiùm enim exonerata cymba, prius mortem in naufragio,
8 quàm Venetias conspiceremus. Vt tamen quisquè sciat an in hoc mortaliter peccauerit, vel solùm venialiter, suam examinet conscientiam, ego enim iam meam à culpa liberaui. Si
9 quis ignoranter fecit, hic nullam culpam com-
10 misit. Si aliquis malitiosè, vel cùm opinione peccati mortalis se gessit, certè à graui excu-
11 sari nequit. Si quis autem sola curiositate ductus horologium hoc annulare admisit semel,
12 aut iterum, hic venialiter deliquit. Ego quia nunquam audiueram de tali horologio, cùm non viderim aliquid superstitionem redolens, nec verba aliqua submurmurari, sicut nec inconuenientia haberi, quamuis aliqualiter suspicio me teneret an à Demone, nec ne, effectus esset euenturus, deposui scrupulum, quia quoties in rebus naturalibus non apparet immixta aliqua superstitio, præsumendum est pro viribus naturæ, atque ideò non esse culpam (præscindendo ab alio inconueniente) ea re vti; vndè quando res sic est dubia, possidet nostra libertas; imò & possidet ius naturæ. Sanchez *in decal. lib. 2. cap. 40. num. 44.* & D. Thomas *2. 2. q. 60. art. 4.* vbi docet, quòd dubia in meliorem partem sint interpretanda.

13 Insuper ad rem præsentem facit doctrina Caramuelis sic loquentis *lib. 3. theol. moral. num. 1381. Quid rarum vides, gratias age naturæ Conditori, potentissimus potentissimam condidit: hoc suppono: sublatere aliquod pactum, aut Dæmonis interuentum, quousquè videam euidenter, non credam.* Hinc & ego, cùm à pulsus motu motum illum annuli causari posse iudicarem, iudicabam tamen non fore vt vera hora daretur, sed frustrà volitus effectus expectaretur.

14 Post hæc dixit, & testificatus est quidam ex ijs, qui erant in naui, se dum in Ciuitate Bononia degeret, vidisse huiusmodi modum dignoscendi horam, ità vt nedum annulus, verùm & quodcunquè aliud granum; seu corpus quodlibet graue appensum filo, vel funi, darent fideliter currentem horam, toties pulsans intrà vas, & semel etiam intrà cacabum, sed hanc vidit varietatem, quòd vbi horologio astronomico mos est vti, dat ictus conformiter ad horologia illa; vbi verò horologia sunt Italica, item & ictus dat conformiter ad Italiæ horologia.

15 His à me auditis, statim iudicaui Dæmonis pactum in hoc interuenire. Nunc in eadem mea persisto opinione, & nullatenus sinè superstitione posse tali vti horologio constàter affirmo. Ratio est, quia cum hoc filo horario haberi potest hora currens, vel ex Dæmonis pacto, vel ex pulsu indicis, & policis; sed non potest naturæ pulsus mutari in tanta appropinquitate locorum, qualis est à locis circa Goritiam, & propè Venetias ad Ciuitatem Bononiam, non enim Stella aliqua, nequè natura tantam physicam mutationem operari potest; ergo à solo Dæmonis artificio fit illa fidelis horarum pulsatio cum ictibus astronomicis in vno loco, & cum italicis in alio. Tamburinus *in precept. decal. lib. 2. cap. 6. §. 1. num 39.*

16 Propter istam allatam rationem docuit Eminentissimus de Lugo superstitiosum esse vti tali filo ad horas distinguendas. Natus erat Sapientissimus hic Cardinalis sub Cælo Hispano, vbi à pueritia didicit tali filo vti, sicuti & eo vsus fuit feliciter, putans vera esse, quæ sibi fuerant dicta, videlicet à pulsus motu, & à Syderis influxu filum illud fieri aptum ad debitæ currentis horæ demonstrationem, totidem dans in vasis latera ictus. Tandem euocatus ad Vrbem Romam, patrio relicto solo vix attigerat fines Italiæ, quòd horam scire optans, strinxit de more filum, enumeratisque ictibus ad vsum Italici horologij, statim prudenter iudicauit, & consequentiam deduxit, id totum à Dæmone, & nullatenus à motus virtute prouenire, cùm natura adeò diuersam mutationem pati non possit de confinio ad confinium locorum. Hæc omnia suo ore enarasse eumdem Eminentissimum Ioannem de Lugo refert Pater Philippus Septimus Vir Virtutibus exornatus, eiusdemque de Lugo discipulus in Teologicis, eaque vnà cum condiscipulis alijs dum publicam audirent lectionem audiuisse testatus est Thomæ Tamburino, qui & superstitiosum esse vti tali filo docet *in præcepta decal. lib. 2. cap 6. §. 1. num. 79.* & dicta ab Eminentissimo de Lugo iuxta testimonium prædicti P. Philippi notat *ibidem sub num. 39.*

17 Item affirmo superstitiosum esse, si deferatur

tur annulus, in quo incognitæ quædam litteræ conspiciũtur, quę delatio eo fine adhibetur, vt à morte improuisa liberet deferentem. Ratio desumitur ex Delrio *disquisit. magic. lib. 1. quæst. 1.* vbi quærit an vis characterum, annulorum, sigillorum, aut imaginum sit, qualem Magi contendunt, & respondet negatiuè, quia nominibus Deus vim effectiuam nullam indidit; ergo nomina, aut verba sculpta in annulo, vim effectiuam ad mortem improuisam auertendam habere non possunt, nisi ex Dæmonis arte, aut pacto.

Confirmatur, quia est regula generalis tunc superstitionem esse, & ad tacitum cum Dæmone pactum aliquid pertinere, quando ex illo tamquam à causa effectus naturaliter nequit produci, quam regulam generalem tradunt D. Thomas 2. 2. *q. 96. art. 2. in corpore*. Angelus *verb. Superstitio, num.* 2. & ibi Syl. *q.* 10. Armilla *num.* 4. Tabiena *num. vltim.* Simancas *de Cathol. Inst. tit 6 num.* 33. Suar. *tom. 1. de relig. lib. 2. de superstit. cap.* 15. *num.* 1. 13. *&* 15. Leon. *lib. 2. de iust. cap.* 43 *num.* 62. *&* 63. *& cap.* 44. *num* 2. Saytus *clauis regia, lib.* 4 *cap.* 6. *num.* 4. Tolet. *lib* 4. *sum. cap.* 14. *num.* 10. *in fine*: sed à delatione annuli continentis litteras sculptas non potest manifestè haberi effectus liberationis à subitanea morte; ergo in tali delatione est superstitio.

18 Non ergo vt causa naturaliter productiua liberationis à morte improuisa potest ille annulus adhiberi, sicut & nec adhiberi potest aliud simile tamquam causa naturalis, & inde infert D. Thomas *loco citato*, quòd adhibeatur tamquam signum, non quidem Diuinum, cùm non sit Sacramentum, aut Sacramentale; ergo adhibetur vt signum pacti cum Dæmone, & consequenter est superstitio manifesta; cùm tamen hoc verum non esset, nec benè sic discurreret S. Thomas, si in dubio reuocari posset an à Deo, vel à bono Angelo effectus ille prouenirer.

19 Probant hoc idem verba Gersonis 2. *part. tract. de absolutione sacramentali, alphabet.* 33. *littera L. vers. Vlterius ad illud*, quæ sunt ista: *Pro regula circa talia*, (loquitur de ijs, quæ superstitionem habent) *quæ innumerabilia sunt, respondeo, quòd nunquam attribuenda est aliqua virtus supernaturalis talibus rebus quibuscunquè, nisi hoc trahi possit ex Scriptura Sacra, vel reuelatione Diuina. Et oppositum credere habet speciem superstitionis*, quapropter cùm trahi nequeat ex Sacra Scriptura, neque ex Diuina reuelatione, quòd deferre huiusmodi annulum cum litteris incognitis, valeat liberare ab improuisa morte; hinc sequitur superstitionem habere, sic sentit & Delrius *disq. mag. lib.* 3. *p.* 2. *q.* 4. *sect.* 1.

20 Insuper suadetur esse superstitiosum tali annulo vti, si attenta impossibilitate naturali in illo ad mortem improuisam repellendam, sic argumentetur ab authoritate Delrij *lib. 2. disq. magic. q.* 5. *littera B.* vbi ait, *ad Dæmoniacam magiam pertinere, primò si opera naturalem facultatem excedunt, quod locum habet, si positiuè cõcludatur res adhibita non habere vim sufficiẽtem ad hunc effectum: nec etiam rationabilis causa suppetat, cur Deo, vel Angelis bonis effectus ascribatur*; sed in casu nostro positiuè concludi debet, quòd delatio illius annuli vim sufficientem non habeat ad improuisam mortem impediendam; ergo naturalem facultatem pro tali effectu operando excedit illa delatio, vndè & ad dæmoniacam pertinet magiam; & hoc maximè quia nulla rationabilis causa suppetit, cur Deo, vel Angelis bonis liberatio à subitanea morte sit attribuenda.

21 Et quemadmodum est condemnanda cartula, quam nonnulli pro dolore viscerum solent portare, in qua est scriptum nomen *Pater*, & statim *Balthasar*, nomen *Filius*, & statim *Gaspar*, & nomen *Spiritus Sanctus*, & illicò aliud nomen simile, docentes huiusmodi cartulam esse superstitiosam, & sub peccato mortali auferendam, & rumpendam. Hieron. Lamas *in methodo curationis ani. 3. part. cap. 3. §. 1. vers. Quascunquè autem cartulas*, & Carena *de officio S. Inquis. part. 2. titulo 12. §. 35. num.* 302. ità & pari condemnatione dignus est annulus cum illis litteris; imò & à fortiori superstitiosum erit illo vti ad mortem improuisam non

22 incurrendam, cùm illæ litteræ sint ignotæ, & pro certo tenendum est cum Torreblanca *de magia operatrice, lib. 2. cap. 9 num. 26. & seq.* quòd Orationes etiam pijssimæ damnatæ sunt ob pactum implicitum cum Dæmone, si per-

23 mixta habeant nomina incognita; & *num.* 27. ait suspectum etiam esse eum, qui Magicis, & ignotis characteribus commiscet signum Sanctissimæ Crucis.

24 Addo quòd etiamsi in annulo, vel cartula, vel oratione ponantur non solùm signa, aut characteres ignoti, verùm & si expressa nomina incognita extensè scribantur, sculpantur, vel exprimantur, omnia Dæmonibus ascribuntur, vt Gob, Giber, Gabir, Gadebur, &c. & de hoc nulla est habenda dubitatio, vt tradit Ioan. Laurentius Anania *in tractatu de natura*

*Dæmo-*

*Dæmonum, lib.2.cap.6.* cui subscribit, & adhæret Cæsar Carena *vbi suprà, sed §.9. num.55. vers. Ad finem huiusce.*

25 Vltimò probatur esse superstitiosum, & vanum deferre talem annulum, aduertendo cum Azorio *institut. moral. par. prima, lib.9.cap.26. quæsito 6.* quatuor esse obseruanda, à quibus, vel à quorum quolibet dignoscetur, an aliquid sit cauendum, & fugiendum tamquam vana, & superstitiosa obseruatio, vt aliquid eueniat, aut impetretur cum verbis, aut cartis characteribus descriptis. Primò, ne quid scribatur, quod manifestè Dæmonis inuocationem, cultum, & venerationem contineat. Secundò, ne verba, aut characteres penitus ignoti scribantur, nam eò ipso, quòd est scriptura incognita, debet nobis esse suspecta, vt quæ erroris, aut impietatis periculum, & occasionem affert, & præbet. Tertiò, ne scriptura illa falsi aliquid contineat: Deus enim rei falsæ testis esse non potest, & proinde falsæ scripturæ ministerio nihil boni diuinitus contingit. Quartò, ne verbis sacris vani aliquid admisceatur: verbi gratia, si in eis spes constituatur, quòd certo hebdomadæ die conscripta sint, aut certa diei hora, aut manu fæminæ, aut manu sinistra, non dextera, aut duobus, non tribus digitis, aut characteribus rubris, non nigris, aut à puero, non à sene, aut à virgine, aut à moniali, non ab vxore. Ex hac doctrina, quæ similiter est D. Thomæ *2.2.quæst.96. art. 4.* facilè colligitur, quænam per verba, aut per litteras, siuè per characteres sint censenda superstitiositatem, vel vanitatem continere, quæ superstitio est in delatione annuli, prout in casu nostro, & manifestè deducitur, quia solos incognitos characteres continet, neque ad rem videtur esse, quòd characteres sint sculpti in concauo annuli, scilicet intrà circulum interiorem annuli, & hoc eo fine, vt carnem digiti tangant characteres ipsi, si effectus intenditur, & pro certo expectatur liberationis ab improuisa morte.

26 Omninò igitur est repellenda spes peccaminosa, & reposita in tali annulo, & hoc propter adductas rationes, & doctrinas, à quibus centum, & mille alij casus possunt adiudicari habere, vel non habere superstitionem. Ideò delatio cartæ scriptæ, & delineatæ cum crucibus, orationibus, circulis, triangulis, & nominibus incognitis, vt ab hostibus, latronibus, & siluestribus animalibus nō molestetur quisquis illam tenet, est manifestà superstitio. Primò, quia à tali carta non potest talis effectus naturaliter operari. Secundò, quia sacris miscentur vana, & incognita. Tertiò, quia etiamsi sola sacra scriberentur in ea, non constat ex Scriptura Sacra, neque ab Ecclesiæ traditione, posse id infallibiliter operari. Vtatur tali discursu in omni superstitiositatis dubio, & dignoscetur vbi erit, nec ne. At qualiter à Sacris tollatur vanitas, vide suprà sub *num.6.*

27 Sed illud, quod quærebatur de nolente ad mensam sedere, ad quam tredecim essent, quia indè vnus ex ipsis mortis debitum persoluere debebit antequam anni cursus finiat, an superstitionem contineat; respondeo continere, seu potiùs graue peccatum esse, si id infallibili credulitate fiat; secus si sola timiditate ne res vera sit, & solo leui timore ductus, quis recuset tali conuiuio interesse: ità expressè tenet Thomas Tamburinus *in præcepta decal. lib. 2.*
28 *cap.6.§.1. num.66.* Ratio est, quia solus timor deficit à perfecta superstitionis ratione, vndè est solùm veniale, quando obseruantur somnia, auguria, sortes, aruspicia, & reliqua per quæ diuinatur, non habendo illis fidem tamquam certis, sed solùm timorem quemdam concipiendo. Ità docent Caietanus *2.2.q.96.art.3. & q.95. art. 6. ad finem.* Sayrus *in claui regia, lib.5 cap.7.num.7.* Suarez *tom 1 de relig. lib. 2. de superstit. cap.10. num.6. & cap. 13. num.25.* Delrius, Bartholom. de Ledesma, Petrus Ledesma, Leonardus, Nauarrus, Armilla, omnes apud Sanchez *in decal. lib. 2. cap. 38. num. 21.* qui infrà *sub num. 22.* concludit, quòd si quis
29 frequenter, seu quasi in omnibus actionibus suis dirigi vellet ab huiusmodi cognitionibus, vel diuinationibus, esset mortale. At semel, vel iterum aliquid omittere aliàs non obligans sub mortali, hæc obseruando, est solùm veniale, & ita cum Sanchez tenet Azorius *tom.2.instit.moral.l.9.c 17 in fine.*

30 Est ergo superstitiosum credere infallibiliter futurum quòd vnus intrà annum moriatur ex ijs, qui tredecim ad conuiuium conueniunt. Et vt veriùs id suadeam, dico me scire, & nouisse neminem esse mortuum intrà tempus vnius anni, quamuis tredecim ad conuiuim sederint. Imò refert Thomas Tamburinus *in præcept. decal. lib.2. cap.6. §.1. num.76.* se risisse, simulque collacrimatum esse amicum Canonicum Montis Regalis mortuum in anno, quo ipse dicebat moriturum esse vnum ex concanonicis suis ex tredecim, qui ad conuiuium conuenerant, cùm quidam ex inuitatis Canonicis ei dixisset fore vt ipse non inuitatus è viuis desineret, quod & euenit superuiuentibus ad multos annos omnibus illis tredecim inuitatis; ex quo stabilitur

quàm

quàm vanum sit, & superstitiosum firmiter credere hoc, aut similia alia, quæ sinè numero referri possent.

31 Tandem ad perfectam Decisionem eorum, quæ hic sunt quæsita, bellè conducent verba Suarij *tom.1. de relig. tract. 3. lib.2. de superstit. cap.13. num.25.* vbi sic loquitur: *Potest hoc peccatum credendi insomnijs à grauitate mortali excusari*, (& quod Suarius dicit de insomnijs, poterit quisquè applicare ad alia similia, per quæ diuinatur, obseruatur, &c.) *quando homo non omninò credit rem in somno ostensam esse veram, seu futuram, & nihilominus aliquid operatur ratione talis somnij, quod aliàs malum non est, nec contra præcepta Dei, vel Ecclesiæ (& ità non potest obesse; potest autem prodesse) vt euitet aliquod malum, quod somnium minatur, vel quid simile: tunc enim licèt sit aliqua leuitas, vel simplicitas, aut nimia timiditas, non apparet grauis malitia, quia ille non tam credit illud esse à Deo, vel esse verum, quàm posse esse, in quo multò minus erroris est, licèt multùm sit vanitatis; At verò si quis ità sit obseruator somniorum, vt ordinariè per illas indicationes, vel diuinationes in agendis negotijs gubernetur, non potest excusari à graui culpa, & superstitione; nam hæc obseruatio augurijs comparatur, &c.*

32 Ecce quid dicendum sit de mille alijs obseruationibus, vt v.g. quando fœminæ in die Sabbati Sancti ad primam campanarum auditionem certatim ad puteum accurrunt, & quæ prima haurit aquam, dicitur intrà mensem induenda veste noua. Item quando quis à nauigatione abstinet, quia ex Astris prædictum fuit ei naufragium. Ità & si quis vadit Romam ob spem cõsequendi Prælaturam sibi prædictã: sic & si quis abstineat ab aliquo itinere, quia cùm bis volens illud facere, fuerit impeditus, timet ne aliquid mali ei contingat, si tertiò tentet illud peragere. Item si quis terram fodit ad inueniendum thesaurum, de quo filia virgo somnium habuit ibi esse sepultum: item alia innumerabilia, quæ si semel, aut iterum sinè aliqua certitudine effectus practicentur, nec mortalia, nec superstitiosa sunt, vt dictum est.

33 Illud insuper curiosè noto, quòd si quis ad thesaurum inueniendum terram fodit iuxtà scientiam habitam à Stryge, vel Maga, quæ à Dæmone id nouit, ille non peccaret, quia à Dæmone hoc ipse non quæsiuit, nequè in causa est, vt Dæmon hanc notitiam daret illi mulieri, sed solùm vtitur scientia iam habita, quod non est peccatum.

Hæc satis sint pro præsenti ad cognoscendum in quibus sit Superstitio, siuè sit per Idololatriam, siuè per Magiam, siuè per Diuinationem, siuè per vanam obseruantiam, siuè per Maleficium, in quibus tamquam in quinque speciebus consistit Superstitio.

---

# DECISIO XXIV.

*An nullum sit Matrimonium Petri cum Paula, de qua non potest haberi testimonium an sit baptizata, & ideò an licitè Petrus viuente Paula duxerit Antoniam, qua mortua Petrus vult fieri Sacerdos, tenens se non bigamum, an verè non sit talis? Vbi alia circa Petri filios.*

## Casus, seu Historia XXIV.

### SVMMARIVM.

1 *Casus proponitur.*
2 *Apostolus Petrus docet viros compati vxoribus*
3 Cultus disparitas, *dirimit Matrimonium.*
4 *Etiam cum Cathecumena persona.*
5 *De iure Ecclesiastico est tale impedimentum, & ideò potest Pontifex dispensare.*
6 *Probatur.*
7 *In dubio negatiuo, potest, & debet quis rebaptizari.*
8 *Idem & in dubio positiuo.*
9 *Et idem etiam est in dubio de defectu intentionis, materiæ, aut formæ.*
10 *Debet tamen sub conditione reiterari.*
11 *Quid si non habeantur testimonia.*
12 *Si habeatur dubium, & facta diligentia, non detegitur veritas an possit contrahi.*
13 *Post bona fide factum Matrimonium si dubium oriatur, an censeatur nullum.*
14 *Semper præsumitur fauore contractus.*
15 *Dubium debet esse prudens.*
16 *Grauiter peccaret, qui scrupulo, vel leui dubio ductus, iteraret Sacramentum.*
17 *Leuiter, & scrupulosè dubitat de suo baptismo, qui inter Christianos natus est, & educatus.*
18 *Ne baptismus iteretur, sufficit certitudo moralis de eo.*
19 *Certitudo moralis, quid sit, declaratur.*
20 *Item alio modo exprimitur iuxta Leges.*
21 *Aliter ostenditur.*
22 *Etiam secundùm D. Thomam.*
23 *In casu nostro habetur certitudo moralis de baptismo vxoris.*

24 *Ideò non est baptizanda, & est verum eius Matrimonium.*
25 *Si post factum Matrimonium dignoscitur impedimentum, debet peti dispensatio, & non potest peti, nec reddi debitum ante illam.*
26 *Dubitantes de validitate sui Matrimonij, tenentur abstinere à debito, & quærere veritatem.*
27 *Dum actu quærunt veritatem, possunt petere, & reddere debitum.*
28 *Quia non sunt spoliandi sua possessione.*
29 *Contrà possessorem non sufficiunt rationes probabiles.*
30 *Et multò minus incerta, & dubia.*
31 *Contrahentes Matrimonium mala fide nullum ius acquirunt.*
32 *Intrà bimestre Matrimonij, nullus ex coniugibus habet ius in alium.*
33 *Dubium de validitate Matrimonij ob mortem coniugis, aut ob casum alium rarum, &c. debet examinari.*
34 *Si matrimonium est certum, sed dubitatur de consensu, de metu, aut de alia re simili, Iudex debet pro foro externo iudicare esse validum, excepto dubio de Impotentia.*
35 *Pro foro interno, debet similiter iudicari.*
36 *In casu nostro, Matrimonium est certum, & validum.*
37 *Quis adulter dicatur.*
38 *Viuente Paula, inualidè Petrus, nupsit Antoniæ.*
39 *Proponitur obiectio.*
40 *Respondetur.*
41 *Maximè quia habemus certitudinem.*
42 *Si contrahantur duo Matrimonia, primum dubium, secundum certum, hoc præualet.*
43 *Si ambo sint probabilia, præualet primum.*
44 *Primum probabile præualet secundo probabiliori.*
45 *Multò magis primum præualet, si est certum.*
46 *Error in substantialibus, annullat factum.*
47 *Error ortus post factum, non vitiat.*
48 *Et sic tenet, & non tenet in quodam exemplo.*
49 *In nostro facto, totum tenet.*
50 *Filij adoptiui vocantur legitimi.*
51 *Filij ex vero Matrimonio, dicuntur naturales, & legitimi simul.*
52 *Filij Antoniæ sunt naturales.*
53 *Concubina quæ dicatur.*
54 *Filij legitimi, & naturales simul, sunt hæredes facultatum Patris.*
55 *Quæsitum examinandum in tota decisione sequenti.*

1 PEtrus contraxit Matrimonium cum Paula ex qua plures suscepit filios, sed cum non leuiter molesta esset vxor ista, in domo mariti propter iracundiam ad quam fœmina ista facilimè accendebatur, cogitauit Petrus de modo se liberandi ab ea. Quæsiuit ergo an esset baptizata, quia ab illius moribus argumentum sumebat maritus ad dubitandum an Sacro fonte renata esset. Adhibitis omnibus diligentijs ad veritatem indagandam, nunquam potuit adinuenire testem aliquem, qui probabilitatem faceret eam fuisse baptizatam. Iudicauit Petrus esse sinè Baptismo, ac proindè inualidum esse Matrimonium cum ipsa; & ideò relicta Paula perrexit ad longinquas regiones, vbi duxit Antoniam in vxorem. Hæc post duos annos decessit, vno relicto filio, qui in domo Patris vnà cum alijs tribus natis ipsi ex Paula, viuebat. Viduus Pater condidit testamentum, relicto hærede filio ex Antonia nato, imò & factus est Sacerdos nulla petita dispensatione pro bigamia, quam tenebat non habere. Interim Paula instat apud Iudicem, vt à Petro acceptetur tamquam vera vxor; sicut & primogenitus ex Paula prætendit hæreditatem, & legitimam primogenituram. Hinc:

1 Quæritur, an reuera inualidum sit tale matrimonium?

2 Quæritur, an stante dubio de inualiditate posit reddi, & exigi debitum?

3 Quæritur, an licitè, & validè transierit Petrus ad secundas nuptias, viuente Paula?

4 Quæritur, an filij Paulæ, vel illi Antoniæ sint censendi legitimi?

5 Quæritur, an Petrus sinè dispensatione potuerit fieri Sacerdos?

## §. I.

### *An dubium si coniux sit baptizata, declaret inualidum Matrimonium.*

2 QVia casus propositus fundatur in dubio excitato, seu adinuento à marito nolente compati defectibus vxoris; ideò moneo Petrum, nedum alijs coniugatis viris, verùm & ipsi scripsisse D. Petrum Apostolum verba illa tertij capitis suæ primæ Epistolæ: *Viri similiter cohabitantes secundum scientiam, quasi infirmiori vasculo muliebri impartientes honorem, tamquã & cohæredibus gratiæ vitæ, vt non impediantur orationes vestræ. In fine autem omnes vnanimes compatientes, fraternitatis amatores, misericordes, modesti, humiles, non reddentes malum pro malo, nec maledictum pro maledicto, sed è contrario benedicentes.* Expedit ergo viris alligatis vxori nolle quærere solutionem, subtiliter examinando quali forcipe impedimenti soluant matri-

matrimoniale ligamen; quin potiùs amoris vinculo compatientes imbecillo sexui debent misericordiam, humilitatem, & alia à Principe Apostolorum præmonita firmiter tenere.

3 Sed iam exorta dubitatione an mulier illa sit baptizata, ac proindè validè, & legitimè in vxorem ducta, dico certissimum esse quòd *cultus disparitas*, qualis est inter baptizatum, & non baptizatum sit impedimentum sextum in ordine impedimentorum dirimentium Matrimonium: ità tenent Theologi communiter.

4 Item omnes affirmant inualidum esse Matrimonium inter personam baptizatam, & non baptizatam etiam cathecumenam, non quidem iure naturæ, sed iure Ecclesiastico, quod ius Ecclesiasticum habet aliquale fundamentum in iure diuino. Igitur esset inualidum Matrimonium Paulæ non Baptizatæ cum Petro baptizato, nam inter huiusmodi personas non subsistit Matrimonij validitas, vt habetur ex Concilij Calcedonensi *can.* 13. Toletano Tertio *can.* 14. Toletano Quarto *can.* 61. & *cap. non oportet. cap. cane.* 28 *qu.* 1. & *l. ne quis C. de Iudais*.

5 Et cum tale impedimentum sit Ecclesiastico iure appositum, poterit à Pontifice dispensari, quod facili negotio fiet, dato antecedente contractus iam celebrati inter Petrum, & Paulam, imò & consumationis Matrimonij, cum
6 copiosa prolis susceptione. Et quòd tale impedimentum sit ab Ecclesia, ostenditur ex Matrimonijs antiquorum, inter quos cultus disparitas non attendebatur, & sic in lege naturæ, Iacob duxit filias Laban Idololatræ; Moyses Æthiopissam. Imò tempore D. Augustini celebrabantur passim talia Matrimonia, non enim tunc erant irrita, quemadmodum S. Monica virum habuit Paganum, sicut idem Augustinus testatur *lib. 9. confessionum, cap. 9.* Et Diuus Hieronymus *lib. 1. contrà Iouinianum*, & Diuus Augustinus *lib. de Fide, & operibus, c. 29.* dicunt eorum temporibus multa fuisse matrimonia cum cultus disparitate.

7 Paula in nostro casu est tantùm dubia de suo baptismo, propterea non est adeò certum, quòd sit nullum eius matrimonium cum Petro ratione disparitatis cultus. Vndè ad dubium istud decidendum, oportet aduertere in quadruplici differentia posse dubium extare de baptismo alicuius. Primò est, dubium negatiuum, seu facti, quando scilicet nullæ habentur rationes, quibus verisimiliter possit probari baptismus, vel contrarium eius, in quo dubio est licitum, imò & debet iterari baptismus sub conditione, nam ratione conditionis adiunctæ nulla fit iniuria Sacramento, quod ex alia parte est tantæ necessitatis ad salutem. Sic habetur *cap. placuit, de consecrat. dist.* 4. *ex Concilio V. Carthag. c.* 6. *cap. cùm itaquè, de consecrat. dist.* 4. ex Leone Papa *ad Leonem Rauen. Epist. epist.* 35. *cap.* 1. Item ex Concilio Africano *cap.* 39. Vuormatiensi *cap.* 7. Neque dicitur iteratum id de quo ambigitur esse factum. *cap. solemnitatis* 1. *distinct.* 1. *de consecrat. & cap. veniens de Presbytero non baptizato*.

8 Secundò, dubium esse potest positiuum non de valore, sed de ipso baptismo, & contingit, quando vtrinquè sunt probabiles coniecturæ, quibus probari possit esse, vel non esse baptizatum, sed neutrum certitudine morali constare potest; in quo dubio interdum esse baptizandū sub conditione nemo ambigit, & maximè si à parte negatiua sint conditiones. Hoc probatur rationibus ijsdem, & authoritatibus adductis pro dubio negatiuo.

9 Tertiò, potest quis dubitationem habere, non quòd sit baptizatus, nec ne, sed an validè sit baptizatus, vel quia dubitatur de intentione ministri, vel de materia, vel de forma, aut de harum applicatione ad subiectum capax. Quoties igitur hoc tertio modo extat dubium, quod dicitur iuris, dummodò sit dubitatio prudens, & moralis, debet iterum baptizari, prout Doctores docent cōmuniter. Ità Scotus *in 4. d. 3. q. 3.* Syluester *verb. Baptism. 4. q. 9.* Rosella *n. 7.* Angelus *tit. 4.* Sà *num. 3.* Armilla *num. 43.* Comitolus *l. 1. respons. cap. 1. num* 4. Vasquez *tom. 2. in 3. p. disp. 146. cap. 4 n. 20.* Ægydius *de Baptism. q. 66. dub. 2. art. 9.* Becanus *de Baptism.* Valentia *disp. 4. de Baptism. q. 14. punct. 4.* Sebastianus Episcopus Oxomensis *ad q. 66. art. 6.* Rodriguez *sum. cap. 1. num* 4 Nauarrus *cap. 27. n. 426.* Molfesius *de Baptism. c. 1. n. 43. & 81.* Bonacina *to. 1. d. 1. q. 2. n. 36.* citans Vialdum, Henriquez, Nugnum, & S. Thomam. Villalobos *de Baptism. n. 1. diff. 7.* Gaspar Hurtado *disp. 1. de Baptism. diff. 12.* & alij. Ratio
10 est, quia si non est Baptizatus exponit se periculo æternæ damnationis; nec validè poterit suscipere aliud Sacramentum; & ex alio capite non fit iniuria Sacramento, posita illa conditione, ratione cuius absolutè non iteratur.

11 Quartò potest quis dubitare de Baptismo proprio, vel alieno, solùm ob defectum testium, tum quia non inuenitur scriptura in libro Baptismorum, tum quia nemo est, qui de hoc possit testimonium facere; ac tandem nullum haberi potest indicium ad prudenter iudicandum

cum morali certitudine. Si ergo cõtingat huiusmodi dubium, debet omninò sub conditione baptizari: imò ad hoc ne quis in casu similis dubitationis debeat conditionaliter baptizari, requiritur saltem vnus testis oculatus, & fide dignus, de quo nulla dubitatio haberi possit, aut suspicio perniciosi mendacij: ità docent Palludanus 4. *dist.* 6. *qu.* 4. Sotus *in* 4. *dist.* 3. *quæst. vnica. art.* 9. *ad* 4. S. Antoninus 3. *p. tit.* 14. *cap.* 13. §. 12. Syluester *verb. testis. qu.* 5. Tabiena *Bapt.* 5. *n.* 9. Turrecremata, Hugo, & Glossa *in cap. Paruulos, de consecrat. dist.* 4. Petrus Ledesma *cap. de Bapt. dif.* 2. Suarez, Vasquez, Layman, Comitolus, Iacobus Granado, Ioannes de la Cruz, apud Quintanadueñam *tract.* 1. *singulari* 1. *num.* 5. vbi asserit esse sententiam communem Doctorum.

12 Positis dubij speciebus, iuxta quas dubitari potest de proprio, vel de alterius Baptismo, nunc dico, nullam speciem huiuscemodi dubij in altero, vel ambobus cõiugibus, declarare inualidum Matrimonium. Ratio est, nam si agatur de contrahendo Matrimonio, dum extat dubium de impedimento dirimente, docet Merolla *tract.* 1. *cap.* 3. *d.* 2. *corollar.* 10. *nu.* 134. ex Sanchez *lib.* 8. *de Matrim. disp.* 6. *n.* 18. posse facta diligentia, & adhùc extante dubio, contrahi Matrimonium sinè Pontificis dispensatione, quia possidet libertas; ergo in casu nostro, dubium de alterius coniugis Baptismo, non inualidat Matrimonium iam factum, & hoc à fortiori, ac si esset faciendum. Hodie tamen est aliter discurrendum de matrimonio faciendo, vt dicam *nu.* 55.

13 Et quòd à fortiori tale dubium non inualidet Matrimonium bona fide factum, ac si esset faciendum, probatur à duplici possessione, quæ intercedit facto matrimonio; etenim quando est faciendum matrimonium, dum durat dubium, de quo veritas haberi nequit, possidet libertas, & sic ante nostra tẽpora poterat contrahi, vt suprà dixi cum Merolla, & Sanchez: sed facto bona fide Matrimonio cui superuenit tale dubium, possidet tunc Matrimonium, nec sua possessione pro tali dubio est spoliandum, quamuis vterquè ex coniugibus dubitaret, iuxtà Suar. Sà, & alios, quos sequitur, & refert Thomas Sanchez *lib.* 2. *de Matrim. disp.* 41. *num.* 46. ergo dubium in nostro casu non declarat inualidum Matrimonium. Dixi, *ante nostra tempora* propter dicenda *num.* 55.

14 Addo, semper præsumi debere in fauorem validitatis contractus. Thomas Tamburinus *in precept. decal. lib.* 1. *cap.* 3. §. 7. *verb. Matrim. num.* 3. vbi expresse loquitur de contractu Matrimonij.

15 Et sanè iudico nullatenus posse dici dubium rationabile hoc, de quo difficultatur à Petro, quem rogo audiat Thomam Tamburinum, *vbi suprà, sed verbo Baptismus, num.* 1. *Quoties prudenter dubitatur*, dicit ille, *quocunquè tandem dubio siuè iuris, siuè facti, an quis sit ritè baptizatus, iterum sub conditione baptizetur*, & paulò infrà subdit, & se explicat. *Dixi* (*prudenter dubitatur*) *nam dubitatio debet esse rationabilis, secùs, quia nemo scit metaphysicè certitudinem sui baptismi, cùm semper possit dubitare, an Minister habuerit intentionem baptizandi; an protulerit verba formæ, & similia; omnes iterum essemus baptizandi*. Debet ergo dubitatio esse rationabilis, sed talis non est, dum dubium est de fæmina adulta, iàm à multis annis nata, & educata inter Christianos.

16 Et hoc adeò verum est, vt illa vxor cẽsenda sit baptizata, itaut non possit licitè rebaptizari sinè graui peccato, quia fieret Sacramenti iteratio, quæ eiusdem Sacramenti esset irritatio, eò ipso, quòd fieret pro leui dubio, seù pro leui scrupulo, prout docent omnes Doctores, & tradit Valentia *tom* 4 *disp.* 4. *q.* 2. *punct.* 4. *vers. quod si dubium*, & subscribit Coninchus, cum Cathechismo Romano *de Baptismo*.

17 Probatur non esse nisi scrupulum, dubium, quod ab vxorato Petro supponitur, nam Bonacina *tom.* 1. *disp.* 1. *quæst.* 2. *punct.* 1. *nu.* 38. vbi citat Innocentium, Nauarrum, Bartholomæum ab Angelo, Suarez, Valentiam, Reginaldum, Coninchum, & alios communiter, dicit, & docet absolutè non esse rebaptizandos eos, qui nati, & educati fuerunt pluribus annis inter Christianos, & à parentibus Christianis, nisi clarè constet non fuisse baptizatos. Sed in nostro casu Paula fuit educata, & est nata inter Christianos, nec manifestè cõstateã non esse baptizatam, quamuis non habeatur aliud testimonium de eius Baptismo; ergo pro baptizata sinè dubio tenenda est, ac proindè capax omnium Sacramentorum cùm sit, sequitur & esse validum, & firmum eius Matrimonium.

18 Confirmatur, & ampliatur certitudo, quæ habenda est de baptismo Paulæ, aduertendo, quòd ad hoc vt non iteretur baptismus sufficit certitudo moralis de ipso, & sic tenent communiter Theologi supracitati *sub num.* 9. & clariùs id patebit, si declarem quænam sit natura certitudinis moralis.

19 Est ergo certitudo moralis, vt docent Aristoteles 1. & 2. *Ethic.* & S. Thomas *ibi*, *lect.* 2. quæ-

quædam existimatio, qua putat homo hoc, vel illud esse verum, & ità sicut sibi repræsentatur, & ad illud sic existimatum, mouetur coniecturis, quæ in illo genere rerum habentur pro bonis, & verosimilibus, vel mouetur quibusdam rationibus apparentibus.

20 Seu vt alij asserunt: *ex l. 2. §. idem, ff. de aqua pluu.* Est, quæ prudenti non sinit pruden-
21 ter formidare; seu est, quę attentis circumstantijs, facit, vt prudentis animus quiescat, seu vt
22 ait Thomas Sanchez *lib. 2. de Matrim. disput. 45. num. 4.* certitudo moralis est illa, quæ virum prudentem attentis circumstantijs occurrentibus certum redderet.

23 Certè in casu nostro habetur moralis certitudo baptismi Paulæ, quæ quia nata est, & diù educata inter Christianos, facit vt omnes homines existiment illam esse verè baptizatam, & ad hoc credendum moueantur coniecturis, quæ in hoc casu habentur pro bonis, & verosimilibus, quæ non sinunt prudentem formidare, imò faciunt vt quiescat ad sic tenendum animus prudentis, qui à currentibus circumstantijs certus redditur, vt per se notum est; ergo est moraliter certus baptismus Paulæ iuxtà moralis certitudinis naturam declaratam suprà sub antecedentibus numeris 19. 20. 21. & 22.

24 Non est igitur repabtizanda Paula nequè sub conditione, cùm moraliter non minus ac cæteri, sit certa de suo baptismo; ideò Petrus est verè suus maritus; imò & talis esset, nec illam dimittere posset, etiam dato dubio de Paulæ baptismo, sicut prædixi, & probaui; ergo multò magis dum non adest tale dubium.

## §. II.

*An stante dubio de validitate Matrimonij, possit peti, & reddi debitum?*

25 QVamuis suprà dixerim, quòd durante dubio de impedimento dirimente, de cuius dubij veritate adhibitis diligentijs non possunt coniuges certificari, matrimonium olim posset contrahi, & post contractum debere pro valido teneri; tamen noto, quòd si impedimentum discooperiatur, tunc Pontificis dispensatio exigitur, itaut non liceat petere, nec dare debitum, si ambo dubitent; at si vnus solùm dubitet, hic poterit reddere, non petere, quia coniux non dubitans possidet alterum coniugem vt suum; ergo non est eo spoliandus, eique fieret iniuria, si debitum negaretur, Vasquez *p. 2. disp. 66. cap. 9.* & alij.

26 Hinc deducitur non esse licitum petere, nec dare debitum, stante dubitatione validitatis Matrimonij in vtroquè coniuge, qui antequam adhibeant diligentiam ad dubium dilucidandum, prout tenentur diligentiam moralem apponere, æquiparantur possessoribus malæ fidei, & ideò tenentur se abstinere à petitione, & redditione debiti.

27 Sed loquendo de tempore, in quo diligentiam debitam ponunt, dico posse petere, & reddere debitum, quamuis de validitate sui Matrimonij ipsi coniuges dubitent. Ratio est, quia dum inquirunt (quod prudenter faciant) à sua possessione Matrimonij bona fide conce-
28 pti non sunt deijciendi. Sicut si Paulus bona fide prædium pro suo habet, non statim superueniente dubio, quòd prædium pertineat ad Petrum, debet illius possessione priuari, imò fructus colligere potest, donec dubium elucidetur, quia contra possessorem debent rationes esse conuincentes, nec sufficiunt probabi-
29 les, quia nemo spoliari potest sua possessione, nisi adsit certitudo, iuxta Sanchez *lib. 2. de Matrim. disp. 44. num. 3. argumento 3.* & Bardi *lib. 1.*
30 *sel q. 10. n. 9.* & multò minus sufficiunt rationes incertæ, & dubiæ, vt est in casu nostro: Ità Sapientissimus Caramuel *lib. 3. Theol. moral. à num. 1425.* quidquid in contrarium dicat, & doceat Hurtado.

31 Hæc dicta sint de dubitatione orta post contractum matrimonium bona fide, nam si mala fide vterquè coniux contraxit, nihil illis suffragabitur possessio, quia mala fides nullum ius tribuit, & in tali euentu possidet sextum Decalogi præceptum, quod est certum; Matrimonium verò, quod est veluti dispensatio sexti præcepti, est dubium, atquè ideò sinè dispensatione non possunt illi coniuges nec petere, nec reddere debitum. Thomas Tamburinus *in præcept. decal. lib. 1. cap. 3. §. 7. num. 5. verbo Matrimonium.*

32 Obseruandum est tamen, quòd ea quæ dixi de petitione, & redditione debiti, stante dubio de inualiditate Matrimonij in vtroquè coniuge, seu in vno ex ipsis, verificantur post primum bimestre matrimonij, siquidem in primo bimestri, cùm nulla iniustitia sit debitum negare, nec alter habeat ius petendi, ille qui dubitat non poterit reddere, quia intrà bimestre non currit excusatio reddendi propter iniustitiam, quæ fieret petenti: Sanchez *loco citato, num. 48.*

33 Item cauendum est, ne dubium nascatur ex morte coniugis, nequè ex impotentia an post,

vel

vel antè Matrimonium extet, & ab alijs similibus rarò contingentibus, quia tunc essent ea videnda apud Doctores.

34 Si autem dubitetur de vero consensu, seu præsentia Parochi, aut an intercesserit metus, vel quid simile, vndè ambigatur an sit validum Matrimonium, dico debere Iudicem iudicare in foro externo pro validitate Matrimonij, & compellere coniuges ad simul cohabitandum, ità Doctores apud Sanchez *lib.* 1. *de Matrim. disp.* 18. *num.* 5. excepto dubio de impedimento impotentiæ, pro quo videndæ sunt suæ regulæ apud eumdem *lib.* 7. *disp.* 97.

35 Sed an item in foro conscientiæ sint obligandi, & idem iudicium sit faciendum pro vtroquè foro: Respondeo, quòd quamuis id neget Henriquez *lib.* 11. *de Matrim. cap.* 13. *num.* 4. & *cap.* 11. *num.* 5. affirmat tamen communis sententia, Pontius *lib.* 2. *de Matrim. cap.* 9. *n.* 16. Sanchez *lib.* 1. *de Matrim. disp.* 9. *num.* 6. cum Couarruuia, & Menochio apud ipsum; & ratio est, quia vbi iudicium externum non innititur falsæ præsumptioni, nec agitur de pœna danda per iudicem, iudicatur idem, scilicet debet esse idem iudicium pro foro externo, ac pro interno. Ità Sanchez *loco citato, disp.* 5. *num.* 20.

36 Tota doctrina, quæ in hoc Paragrapho adducta est, quamuis declaret qualiter in dubio de validitate Matrimonij liceat, vel non liceat petere, & reddere debitum; tamen non puto eam deseruire pro casu nostro, in quo Petrus maritus Paulæ prætendit nullum Matrimonium suum, ratione dubitationis de Paulæ baptismo. Dixi igitur debere teneri pro vero Matrimonio, tum quia Paula inter Christianos nata, & longo temporis tractu educata, dat, & habet certitudinem moralem se esse baptizatam, tum quia Matrimonium in dubio possidet, atquè ideò esset deponendum omne dubium, & in posterum hi duo coniugati debent se gerere dando debitum, & petendo cum certitudine id sibi licere.

### §. III.

*An licitè Petrus transierit ad secundas nuptias, viuente Paula?*

37 Illud luce clarius est, quòd Matrimonium sit Sacramentum, & contractus inter marem, & fœminam, ità tamen vt solummodò inter duos celebrari possit, ac propterea vocabitur adultera mulier nupta, si fuerit cum alio, quàm cum suo marito; & vice versa erit adulter iste, si fuerit cum alia, dum adhuc viuit vxor prima. Hæc est veritas euidens, potiùs quàm sententia Doctorum, quam omnes tenent, & vt hæreticus haberetur quisquis contrarium sentiret.

38 Dico igitur non fuisse licitum Petro viuente Paula secundas nuptias celebrare, quia Matrimonium Petri cum Paula erat validum, & subsistens, prout probatum est suprà, cum dubitatio de Paulæ baptismo non sit verum dubium, nec tale, quale sufficiat ad declarandum inualidum eorum Matrimonium: Recolantur prædicta in §. 1. & 2.

39 Nec valet dicere quòd secundùm opinionem Henriquez *sub num.* 29 citati, dubitans de suo Matrimonio, an sit validum, non teneatur pro foro interno iudicare illud esse validum, quia nemo in dubio obligatur subire certum onus, quale profectò summum est in Matrimonio: ergo Petrus cum dubio de sui Matrimonij validitate potuit licitè se credere liberum ab onere Matrimonij cum Paula, de quo dubium extat, & transire ad nouas nuptias.

40 Respondetur enim, non esse sequendam Henriquez sententiam, quæ dato, & non concesso, quòd sit vera, nihil tamen fauet Petro in casu nostro, quia dubium, quod Petrus habet, est falsum, & imprudens, nec rationabile,
41 & sic non suffragatur; imò est certitudo moralis, vndè & Matrimonium ipsius cum Paula est subsistens, sicut ostensum est in superioribus.

42 Verum nihilominus est, quòd si stante Matrimonio dubio, coniux certò contrahat aliud Matrimonium cum alia, debet præualere hoc posterius Matrimonium: Ratio est, quia hoc secundum est certum, & illud primum est dubium, & dubium vincitur à certo. Sanchez, & alij *vbi supra*. Sed in casu nostri Petri non extabat dubium Matrimonium primum; ergo nullum fuit secundum: Videatur *infra in Decisione* 31. *num.* 25. Et si aliquid objiciatur, quia Sacramenta sunt facienda tutiori modo, videatur responsio infra *num.* 55.

43 Hoc magis probatur, faciendo paritatem inter primum, & secundum Matrimonium, quæ in suis essentialibus habeant solùm probabiliter esse certa. Igitur in hoc euentu dico, sem-
44 per præualere primum Matrimonium: Imò idem affirmo, quamuis secundum Matrimonium esset probabilius certum, quàm sit primum. Ratio est, quia cùm primum Matrimonium sit probabiliter certum, & in possessione moraliter certa, à qua possessione detrudi, & dimoueri non potest, donec probabilitas ipsius manifestè infringatur: & Matrimonium posterius,

rius, stante dicta probabilitate prioris Matrimonij, erit semper in suis essentialibus incertum, ac per consequens certitudine morali inualidum; vt tradit Thomas Tamburinus *in praecept. decal. lib. 1. cap. 3. §. 7. verbo Matrimonium,*
45 *num. 12.* Ergo multò magis, & sinè difficultate debet praeualere primum Matrimonium, de quo apud doctos constat certitudo de illius validitate, prout currit in facto praesenti; ergo viuente Paula non licebat aliam ducere ipsi Petro, qui quamuis dubium se existimaret habere de suo Matrimonio, verè tamen habebat solùm errorem, qui erat amouendus, sed rem, de qua agebatur non vitiabat; aliter enim discurritur de errore concomitante actum, &
46 de subsequente, nam quod fit cum errore in substantialibus, perinde est, ac si factum non esset, & latè probat Crauet. *cons. 1. pro genero, num 229.* quia errans non consentit. *l. nihil consensui 117. in fine, ff. de regul. iur.* & errantis nulla est voluntas *l. sed hoc 20. ff. de aqua*
47 *pluu. ascend.* at verò quod sinè errore factum est, si error subsequatur, iam est extrinsecus rei factae, ac proinde si aliunde non sit malè facta, remanet benè facta, quod ostenditur in nu-
48 bente, qui si velit Aspasiam, & haec illi tradatur, matrimonium est validum, si verò postea maritus incipiat laborare errore, putans esse Bertam, talis error, quia est subsequens facto, factum non vitiat, sicuti vitiaret omninò, si esset concomitans, prout omnes Doctores di-
49 cunt communiter. Igitur per hoc, quòd Petrus in nostro casu iam à multis annis se in omnibus gesserit vt verus maritus Paulae, non potest non esse semper talis, quocunquè ei superueniente errore circa validitatem Matrimonii, quod quia ritè, & rectè ab initio fuit celebratum, ideò non fuit licitum, nec validum Matrimonium eiusdem Petri cum Antonia, viuente adhuc Paula.

## §. IV.

### *An filij Paulae, vel Antoniae nati Petro sint legitimi?*

50 Dico, quòd filij Paulae, non illi Antoniae sint legitimi. Noto tamen, quòd cùm filij legitimi dicantur adoptiui, quia secundùm naturam non sunt filij adoptantis, cùm non sint nati ex adoptante, sed secundùm legem tantùm sint filij, quia lex illam cognationem adinuenit, vt constat *ex Rubr. text. de cog. leg. ff. & C. supra, de adopt.* de talibus filijs non ago in praesenti.

51 Dico ergo, quòd filij naturales, & legitimi simul, cùm sint illi, qui ex iustis nuptiis, seu ex legitimo matrimonio nati sunt *l. filium eum definimus 6. §. de his, qui sunt sui,* qui dicuntur naturales, quia secundùm naturam ex parentibus procreati sunt: legitimi verò, quia ista coniunctio parentum, ex quibus nati sunt, à lege Diuina, humana, ciuili, & canonica approbata est, vt constat *ex tit. de nupt. & est glos. in princip. super verbo Matrimonium*; manifestè concluditur, filios solius Paulae, non verò illos Antoniae esse naturales, & legitimos simul. Ratio est, quia Paula erat vera vxor, & vna; ergo viuente ista non poterat alia dari vxor vera mariti Paulae, vndè & filij huius sunt veri naturales simul legitimi.

52 Quòd si quaeratur, quid ergò sit dicendum de Antonia, ac de filijs eius, respondeo, quòd quamuis illam bona fides excuset, tamen de facto se gessit vt Concubina Petri, nam concubina est illa, quae vel domi, vel extrà habetur taliter, quòd per modum habitus ad illam vt libet, accedatur. Ità communiter Doctores.

53 Filij autem Antoniae debent dici naturales tantùm, quia sunt nati ex concubina, vt dicitur *in cap. liberi 15. can 32. qu. 4.* & refertur ab Oinotomo *lib. 3. tit. 1. de haereditatib. quae ab intestato &c. de success. liberorum natural. n. 1.*

54 Quare extra omnem difficultatem censeo esse, attinere ad filios ex Paula à Petro procreatos, vtpotè naturales legitimos simul, Petri patris eorum haereditatem, non verò ad filios tantummodò naturales, vt videre est apud Doctores, & in specie apud Oinotomum *vbi supra,* & idem *ibidem, sed de success. liberor. natural. & legitim. simul. n. 2. & seq.* & Azorium *part. 2. instit. moral. lib. 2. cap. 27. per totum.*

55 Circa vltimum quaesitum, quod est quintum in nostro casu proposito, expedit illud fusiùs examinare, propriam de eo, & particularem instituendo decisionem, quae sit haec immediatè sequens. Sed prius notandum est, Innocentium Vndecimum damnasse Doctrinam dicentem licitum esse sequi sententiam probabilem, relicta tutiori de valore Sacramenti in illis conferendis. Ita patet ex 65. Propositionibus à dicto Pontifice damnatis, Proposit. 1. Hinc sequitur dicendum prout notaui suprà, *nu. 12. & 13.* esse aliter discurrendum in casu nostro, si agatur de Matrimonio contrahendo, ac si agatur de contracto. Si de contrahendo agatur, certè debet celebrari iuxta tutiorem modum, scilicet sequendo sententiam, in qua est minus periculum peccandi, licèt illa sit minus probabilis, aut etiam relicta probabiliori;

neque

neque hoc hodie negari potest. Cæterùm post contractum Matrimonium, quia cessant causæ, ob quas non fuisset contrahendum, v.g. ob iniuriam Sacramenti, ob periculum nullitatis ipsius, &c. vt constat ex prædictis; propterea nihil contra damnatam Propositionem continent allegata in præsenti Decisione, in qua fauore Matrimonij, ac pro ipsius possessione loquuti sumus. Videatur nostra Decisio tertia, quæ est de Matrimonio contrahendo, & ideò diuersam dedimus resolutionem *à n. 32.*

---

# DECISIO XXV.

*An Petrus prout in Decisione antecedente potuerit sinè dispensatione ordinari, existimans se non esse bigamum? & an ad vxorem teneatur sic ordinatus reuerti? & quid si esset professus in Religione?*

## Casus, seu Historia XXV.

### SVMMARIVM.

1 *Casus proponitur.*
2 *Bigamus quilibet reÿcitur à susceptione Ordinis.*
3 *Quia sic statuit Ecclesia.*
4 *Debent Matrimonia consumari ad contrahendam bigamiam.*
5 *Est Bigamus contrahens duo Matrimonia, si ea consumat, siuè sint ambo irrita, seù solùm vnum.*
6 *Est Bigamus, qui contraxit cum Viduis, vel corruptis ab alio, vel cum vna Virgine; & alia non, sed quæ est deflorata ab alio.*
7 *Petrus in nostro casu est Bigamus Irregularis.*
8 *Sed non defectu Sacramenti, & quare.*
9 *Matrimonia debent esse consumata.*
10 *Nec est Bigamus ducens Virginem antè Matrimonium à se defloratam.*
11 *Debet Petrus se ipsum examinare, an contraxit cum fœmina corrupta à se, vel ab alio, &c.*
12 *Duo Matrimonia irrita, vel vnum verum, aliud non, si sint consumata non faciunt verum Bigamum.*
13 *In casu nostro obstat Petro ne ordinetur, Matrimonÿ ligamen, & Bigamia reputata.*
14 *Posset quis instare, quod Petrus sit verè Bigamus, ratione intentionis.*
15 *Maximè quia Deus audit cor.*
16 *Et cogitat quo animo res fiant.*
17 *Respondetur, legem requirere factum.*
18 *Non attenditur persona cum qua quis agere putat, sed cum qua de facto agit.*
19 *Explicatur exemplo.*
20 *Satisfit argumentis.*
21 *Vxoratus an ordinetur validè.*
22 *Factus Sacerdos viuente vera vxore, an teneatur reddire ad eam, etiam relicta Religione.*
23 *Non posset reddire sua sponte.*
24 *Tenetur verò reddire, si vxor petat.*
25 *Et si veritas iuridicè probetur, Ecclesia, & Religio debent maritum vxori restituere.*
26 *Idem currit, si vir faciat votum castitatis inscia vxore innocente.*
27 *Idem est, si quis profiteatur in Religione.*
28 *Professus reddiens cum vxore potest reddere, non petere debitum.*
29 *Et si est Sacerdos, non posset licitè celebrare, sed si celebret, validè facit. Si tamen absoluat, inualidè, & illicitè facit.*
30 *In articulo mortis potest excipere confessionem, si alius non inueniatur. Quoad peccata venialia semper validè, numquam licitè absoluit.*
31 *Qui facit vnum Matrimonium de iure, & aliud de facto, est Bigamus reputatus, & Irregularis.*
32 *Intentio non facit Bigamum, facit tamen factum, vt reputetur talis.*
33 *Petrus in casu nostro erat Irregularis.*
34 *In casu quo etiam vxor Professa esset, neuter ex Coniugibus posset prætendere simul cohabitare, quia cessit iuri suo.*
35 *Nec valet dicere, fuisse errorem.*

1 PEtrus prout in Casu antecedentis Decisionis, post mortem Antoniæ, quam duxerat viuente Paula, cum qua item Matrimonium celebrauerat, sed post multos annos vt illegitimam vxorem dimiserat, eò ipso quòd dubitabatur de Paulæ baptismo, ratione cuius dubij, putabat inualidè contraxisse cum impedimento disparitatis Cultus, factus fuit Sacerdos sinè aliqua dispensatione. Ideò quæritur. Primò, an verè potuerit ordinari licitè, & validè? Secundò, an teneatur reuerti ad vitam coniugalem cum Paula quæ detecta est vera vxor? Tertiò, an possit Petrus petere, & reddere debitum, stante voto Castitatis in Ordinatione emisso, cum habeat legitimam vxorem? Imò & cum Religionem intrauerit, in eaque professionem emiserit.

2 Respondeo ad primum quæsitum, quod Bigamus seu verus, seu interpretatiuus, seu similitudinarius, ab Ordinibus suscipiendis est repellendus, est enim Irregularis, vt habetur toto titulo *de Bigamis*, & passim dicunt DD.

3 Cuius ratio est, quia congruum visum fuit Eccle-

Ecclesiæ, vt quemadmodum eius Sponsus est vnus, ità & eius Ministri carnem suam in plures vxores non diuiderent. Carnem autem suam in plures diuidit, si duo, aut plura matrimonia valida contrahit, & in hoc consistit vera ratio Bigamiæ propriæ. Item dicitur carnem suam in plures diuidere, qui contrahit Matrimonium cum Vidua, vel cum violata ab alio, vel cognoscit vxorem suam adulteram: hæc est Bigamia interpretatiua. Si verò quis facto voto Castitatis in Religione contrahit Matrimonium etiam cum Virgine, hic afficitur Bigamia

4 similitudinaria. Aduertendum tamen est, quòd semper requiritur ad Bigamiam contrahẽdam, consumatio Matrimonij, vnde sola sponsalia, aut matrimonia tantummodò rata non constituunt propriam Bigamiam: ità communiter: Toletus, Valentia, Bassæus *verb. Bigamia, n 9.*

5 Addit insuper Quintanadueñas *tract. 9. sing. 13. n. 10.* Bigamiam interpretatiuam contrahi ab illo, qui inijt duo matrimonia, & consumauit, siuè vtrumquè sit irritum, seu vnum tantùm.

6 Ex dictis sequitur, quòd Petrus in nostro casu fuerit Irregularis, ac proinde non potuerit sinè dispensatione Ordinem suscipere, quia Bigamus erat, si Paula, & Antonia, quas duxerat erant ambæ Viduæ, vel ab alio cognitæ, vel Virgines ab alio defloratæ, aut vna earum erat talis vt dictum est, si tamen Matrimonium cum vtraque fuisset verum.

7 Imò & est Bigamus Petrus in casu nostro, ac proinde Irregularis, vndè & ab Ordinibus arcendus, quamuis Matrimonium cum Antonia fuerit irritum, si vera est sententia supra adducta sub *num. 5.* ex Quintanadueñas.

8 Nihilominus dico, Petrum in casu nostro non esse Bigamum, ac consequenter nequè Irregularem Irregularitate, quam Doctores vocant defectu Sacramenti, quia non stat significatio Sacramenti Matrimonij, quod denotat Ecclesiam vnius Christi Sponsam. Ratio est, quia Matrimonium Petri cum Paula, (quam suppono sibi Virginem coniunxisse) fuit validum; ergo Matrimonium cum Antonia, viuente Paula, fuit irritum, sicut in antecedente Decisione probatum remanet; sed ad hoc vt ex duplici Matrimonio oriatur Bigamia, requiritur, quòd ambo sint vera: ergo Petrus non erat Bigamus. Quòd autem Matrimonia vtraquè debeant esse vera, docetur à Doctoribus communiter, qui loquentes de vera Bigamia, dicunt consistere in eo, quod aliquis contrahat duo, aut plura matrimonia valida successiuè, vt videre est in Hostiensi *summ. lib. 1. de Bigam. non ordinandi. num. 2.* Thoma Tamburin. *de Sacram. lib. 10. tract. 4. cap. 16. §. 1. num. 1.* Cardin. Tusc. *verb Bigam.*

9 Nec sufficit contrahere matrimonia plura legitima, sed ea debent consumari adeò, vt non solùm vir seminet in matrice vxoris, secundùm sententiam probabiliorem, quam tenet Pelizzarius *tract. 7. cap. 5. num. 84* sed insuper etiam fæmina debet seminare, vt benè notant Sanchez, Præpositus, Hurtadus, & Pellizzarius *ibi, num. 84.* contra Aulam, Henriquez, & alios, quos refert *ibi*.

10 Item sciat Petrus se non esse Bigamum, quamuis sibi copulasset Paulam defloratam, & non virginem, si tamen ab eodem Petro fuit deflorata; nam sic non dicitur carnem suam in plures diuidere, nequè Petrus, nequè Paula, cùm ab vno tantùm cognita sit: Ità D. Thomas *3 p. in addit. quæst. 66. art. 3. ad 2.* Syluester *verb. Bigamia, num. 1. vers. 7.* Stephanus Baunius *in theol. moral. tom. 2. tract. 11. q. 13.* Ioannes Præpositus *in 3 p. quæst. 5. de irregularitate, dub. 7. num. 133.* & Sanchez *lib. 7. disp. 84. n. 14.* cum alijs.

11 Si ergo Petrus in nostro casu apud se solum cogitet, & examinet an dicta verificentur contra ipsum, vel fauore ipsius, intelliget quoquè an Bigamus sit, nec ne, ac propterea indigens, vel non indigens dispensari in Irregularitate, quæ à Bigamia oritur, quæ dispensatio plenè haberi potest à Pontifice, cùm Irregularitas ex Bigamia sit iuris Pontificij, iuxta communem opinionem, & Sanchez *lib. 7. de matrim. disp. 86. num. 6.* cum alijs hoc docet expresè.

12 Restat adhuc sub dubio an Matrimonia plura irrita, aut vnum verum, & aliud irritum, sed ambo consumata afferant Bigamiam, vt Quintanadueñas tradit iuxta prædicta *sub nu. 5.* Sed dico me neminem vidisse ex Doctoribus, qui doceant eum esse Bigamum, qui duo matrimonia irrita, aut eorum vnum consumat, sed apertè video Doctores se explicare, quòd legitima, & vera debeant esse illa duo matrimonia consumata. Placet ad veritatem istam comprobandam ponere hìc verba Antonij à Spiritu Sancto *in director. confessar. tract. 13. disput. 2. Sectio. 5. num. 91.* vbi sic fatur: *Non incurrit hanc Irregularitatem*, loquitur ex Bigamia, *nec etiam qui duo Matrimonia ambo nulla etiam consumata, vel vnum cum vidua inualidum tamen, etsi consumatum inijt. Nam hic nullum verum contraxit matrimonium*: ità cum Conincho, Auila, & alijs, Pellizzarius *tract. 7.*

*cap.5.num.*87. contra Suarium, & alios, qui an iuxta opinionem Quintanadueñas loquantur, videantur, & illorum sententia in hoc non teneatur. Sed licèt Petrus non sit verè Bigamus, tamen an vt talis reputetur, dicam *num.*31.

13 Nunc pro resolutione primi quæsiti, manifestè patet, quòd quantùm est ex capite Bigamiæ, Petrus noster non erat talis, & ideò non erat Irregularis, neque nō ordinandus. Tamen vbi Ordinationi non obstabat Bigamia, obstabat ligamen Matrimonij, & Bigamia reputata, non verò interpretatiua, vt dicebat Quintanadueñas, & dicam *num.* 31. *&* *num.*32. *&* 33. *infra*, vbi dicam eum esse Irregularem Bigamum reputatum.

14 Sed dicet aliquis, quòd similiter obstet Irregularitas ob Bigamiam, eò quia Petrus habuit intentionem celebrandi duo matrimonia, & sic propter intentionem cum opere subsequuto videtur contraxisse Bigamiam, vt est
15 *text. in cap. nuper. hoc eo. tit. in fin.* Et confirmatur, quia Deus est scrutator cordium, & non
16 prouerbiorum. 15.*q.*1. *si quis non frater*; & non considerat Deus quæ fiunt, sed quo animo
17 fiunt. 15.*q.6.c.*1.*in fine*. Respondeo nihilominus, Petrum in nostro casu non esse Bigamum, quia lex promotionis factum requirit, & non intentionem, vt est *bo. text. in c.* 5. *si quis non iratus*, 15.*q.*1.

18 Insuper facit in fauorem Petri id, quod dici consueuit, quòd consideratur persona eius, cum quo aliquid agitur, non cum quo agi putatur: dicit enim *lex eum qui. §. iniuriarum, ff. de iniur.* quòd si credens verberare Titium, verbero Seium, non illi, quem verberare intendo, sed illi, quem verbero iniuriarum teneor; ideò nec dicitur Bigamus intendens facere duo matrimonia, si de facto vnum fuit inualidum.

19 Confirmatur ex casu, quem non dissimilem, nisi materialiter à nostro, refert Borgasius *de Irregular. & Dispensat. part* 5. *titulo de Bigamis, &c. num.*11. Erat ille Episcopus Nemosiensis, sed natiuitate Feltrensis, & habuit in Ciuitate Feltri consanguineam per multos annos nuptā viro, quo mortuo contraxit illa secundum matrimonium. Putauit maritus secundus nubere cum Vidua corrupta, sed in facto illam reperit Virginem, prout erat publica fama de illius virginitate. Quæsiuit Episcopus, an esset Bigamus secundus maritus huius consanguineæ suæ, ratione intentionis, qua credebat corruptam ducere; & resoluit author negatiuè. Ergo intentio non operatur Bigamiam, vbi factum non correspondet. Verùm an quamuis non faciat verè Bigamum intentio, faciat tamen vt Bigamum reputari, dicam affirmatiuè infrà sub *num.*31.

20 Ea verò, quæ adducebantur in contrarium, resoluuntur concedendo omnia in foro conscientiæ, & respectu Dei corda inspicientis; sed non respectu Ecclesiæ, quæ non iudicat de internis, & ideò non attendit intentionem, sed inspicit actionem, iuxta quam suas leges, ac pænas præscribit.

21 Non est ergo verè Bigamus in proposito casu Petrus, qui solùm vnius mulieris, scilicet Paulæ fuit maritus per verum matrimonium, quod quia impedit suscipere ordinem, ideò illicitè Petrus fuit ordinatus viuente Paula vxore sua, sicut omnes Doctores docent; validè tamen fuit ordinatus.

22 Nunc, quòd veritas est detecta, & Petrus iam Sacerdos nouit reuera subsistere matrimonium suum cum Paula contractum, potest ne ad vxorem reddire, & in omnibus se gerere vt maritum, etiam quoad petitionem, & redditionem debiti? & hæc maximè difficultatem, ne dicam deformitatem videntur præseferre, si Petrus factus sit Religiosus professus. Resoluo cum ista distinctione: Vel Petrus sciens se deceptum, vult sua sponte ad vxorem reuerti; Vel vxor instat sibi suum maritum restitui. Si Petrus ex se reddire prætendit, dico ei non licere. Ratio est, quia nullum ius Petro superfuit in vxorem, ex quò statum immutabilem, & incompatibilem cum cohabitatione vxoris elegit, tradiditque se Religioni per professionem, aut Ecclesiæ per Ordines; nec potest ab hoc statu resilire, & repetere vxoris cohabitationem, nam ex tunc omni huiusmodi iuri re-
23 nunciauit, & renuntiatione illud amisit. Ideò pariformiter in casu, quo vxor deprehenderetur in adulterio, si illam dimittat maritus, & fiat Sacerdos, vel professus Religiosus, quamuis postea ignoscat adulterij culpam, & vxoris cohabitationem velit, non potest propter adductam rationem, sicut benè docent Ioannes de Triburgo *sum. Conf. l.*4.*c.*22. *q.*14. Pallacios 4. *d.*35. *disp. vnica, dub.*2. Filliucius *tract.* 10. *de matrim. c.*10. *num.*382. Consonant Rosella *verbo diuortium, num.* 14. Syluester *q.*10. Armilla *num.* 8. docentes, fas esse adultero profiteri, si innocens est Professus; quibus & adduntur casus, in quibus Sacros Ordines susciperet.

24 Si vxor instet sibi maritum suum restitui, & maritus postquam professionem emisit, vel Ordinem Sacrum suscepit, cognoscat se fuisse dece-

deceptum, tenetur in foro conscientiæ ad vxo-
25 rem reddire, & cum illa cohabitare. Quòd si veritas iuridicè sit probata, tenerentur Religio, & Ecclesia eum vxori restituere, etiam si antea lata esset diuortij sententia. Ità plures Doctores citati, & sequuti à Sanchez *de matrimon. lib. 10. disp. 9. num. 9.*

26 Idem tenendum est, in casu, quo maritus simplex votum castitatis emitteret, & hoc propter dictam rationem, vt dicit Sotus 4. *dist. 36.*
27 *quæst. vnic. art. 5.* Triburgo *loco supracitato*, sicut & similiter dicitur *cap. placuit, de Coniug.* de eo, qui existimans alterum coniugem defunctum esse, professus est.

28 In casu autem, quo Petrus professus, seu Ordine Sacro insignitus reuertatur ad cohabitandum cum vxore, nunquam poterit petere debitum, sed teneretur reddere; cùm enim votum castitatis emiserit, tenetur hoc, quantùm est ex suo arbitrio, & voluntate obseruare, quia ad castitatem se obligauit in quantùm se obligare potuit absquè alterius coniugis præiudicio.

29 Et quamuis Petrus esset Sacerdos, tamen ei non licet celebrare, nec sacras Confessiones audire; quòd si celebret, illicitè, sed validè faciet. Non sic si absoluat, quia semper inualidè absolueret, est enim suspensus ab exercitio Confessarij ob cohabitationem cum vxore, atquè ab illo fuit ablata iurisdictio.

30 In articulo mortis, si alius non inueniretur, poterit validè, & licitè absoluere; & quoad venialia poterit semper validè in sententia aliquorum, sed nunquam licitè. Ità tradit Quintanadueñas *tract. 9. singulari 14. num. 4.*

31 Iam suprà dictum est non esse verè Bigamum in nostro casu Petrum vnius vxoris virum, sed quia secundum matrimonium fecit, rectè examinatur, an saltem Bigamus reputabitur? Ad hoc responsum faciam, non meis verbis, sed verbis Pauli Borgasij *de Irregularit. & dispensat. vbi supra, sed num. 23.* vbi sic quærit, & resoluit. *Vlteriùs, & tertiò quæro, quis habuit duas vxores, vnam de iure, & legitimè, aliam de facto, & vtramque eodem tempore, & in faciem Ecclesiæ, vel diuersis temporibus, ità tamen quòd cum altera non potuit esse matrimonium, nunquid Bigamus reputabitur? Dicunt Doctores sic, non propter defectum Sacramenti, cùm verè Bigamus non extiterit, sed propter intentionis affectum cum opere subsecuto, & de tali loquitur decretalis nuper. de Bigam. ibi, eadem censura, tales videntur inter bigamos reputari, in fi. ibi, licèt in veritate bigami non existant, non propter Sacramenti defectum, sed propter affectum intentionis cum opere subsecuto, facit text. in cap. si quis viduam, 34. distinct.*

32 Ità ille, qui sibi contrarius non est, quamuis antea dixerit, quòd intentio non facit bigamum, prout ego illum adduxi *supra num. 19.* nam ibi loquitur de vera Bigamia, hìc de reputata, de qua dicendum est fuisse locutum Quintanadueñas; & alii cum eo, iuxta prædicta *sub numeris 5. & 12.* tenendum est, quòd sint fortasse intelligendi.

33 Igitur Petrus in casu nostro est Irregularis, nec sinè dispensatióne poterat ordinari, & hoc ratione Bigamiæ, quam contraxit ex duplici matrimonio, vnum de iure, & est illud cum Paula, & aliud de facto, & est illud cum Antonia. Ità expressissimè docet D. Thomas, vndè & optimè id notauit Borgasius *supra sub nu. 31.* non quidem quia sit vera Bigamia defectu Sacramenti, sed quia est Bigamus reputatus, & secundùm iura punitur, vel afficitur iisdem pœnis ac Bigamus verus.

34 Si tandem quæratur, quid dicendum sit, casu quo Votum simplex, vel professionem in Monasterio emisisset etiam Paula? Respondeo, quòd tunc neuter posset reddire ad cohabitandum, cum ambo cesserint iuri suo, & statum immutabilem elegerint. Quidquid igitur dixi supra de Petro *sub num. 22.* erit nunc dicendum de Paula, cum eadem de vtrisque currat ratio.

35 Nec valet dicere, fuisse errorem, qui dedit causam omnibus istis, vndè nihil fuit volitum, quia qui errat non consentit 29 *dist. in summa, in §. consensus.* Nam quemadmodum Professio æquiparatur matrimonio, ità & illa sicut istud non irritatur per quemcunque errorem dantem causam contractui; sed dico, quòd sicut error personæ, vel conditionis irritat Matrimonium, sic error circa substantialia Religionis irritat professionem. Iste autem error daretur si credatur profiteri in vna Religione, & tamen non est illa, sed alia; vel si adesset notabilis deceptio circa institutum, & substantialia Regulæ iuxta in 1. *decis.* Votum verò simplex æquiparatur Sponsalibus, & per multos errores irritatur.

# DECISIO XXVI.

*An validè absoluat Sacerdos, qui misso nuncio, vel epistola ad petendam facultatem, nondum recepit responsum ab Episcopo; & an similiter possit quis vti dispensatione, licentia, vel priuilegio antè notitiam ipsorum an à Superiore sint concessa?*

## Casus, seu Historia XXVI.

### SVMMARIVM.

1 *Casus proponitur.*
2 *In quo expediens fuisset accommodare voluntatem euentui;*
3 *Voluntati nihil imperat.*
4 *Protestatio Authoris.*
5 *Antè notitiam concessionis priuilegij quæsiti, habet suam vim.*
6 *Idem ostenditur.*
7 *Est contraria sententia; sed distinguitur, & probatur.*
8 *Requiritur acceptatio per Nuncium priuilegiarij, vel ipsius priuilegiarij.*
9 *Menochij verba ponuntur.*
10 *Eadem doctrina applicatur Confessario.*
11 *Sed absoluens, an faciat validè, non licitè.*
12 *Si habet moralem certitudinem concessionis, faciet licitè.*
13 *Et sufficit quòd persona fide digna dicat facultatem esse concessam.*
14 *Nec requiritur expeditio litterarum, vt facultas operetur.*
15 *Et hoc etiamsi Episcopus moriatur antè expeditionem.*
16 *Nisi in aliqua diœcesi extaret lex, aut consuetudo exigens litteras.*
17 *Si tamen lex, vel consuetudo prohibeat sinè clausula irritante, validè, non licitè fit.*
18 *Ex dictis intelliguntur aliqui casus.*
19 *Non potest puniri à Superiore ille, qui sequitur sententiam probabilem.*
20 *In criminalibus Iudex tenetur fauere reo.*
21 *In obscuris fauendum est reo.*
22 *Reus dicitur, qui in criminalibus vrgetur: in ciuilibus vocatur conuentus.*

1 EXtat in mea Religione Constitutio prohibens Prioribus, ne ædificent nisi iuxta delineamentum approbatum à definitorio Prouinciali. Debebat igitur Prior Conuentus N. Prouinciæ N. ædificare Ecclesiam, sed volens illam quoad aliquid non facere iuxtà delineamentum approbatum à definitorio Prouinciali, & item nolens licentiam mutationis petere ab eodem definitorio, quia Prouincialis fecerat illud delineamentum, petijt licentiam à Definitorio Generali, cui miserat rationes probantes conuenire talem mutationem, cum subscriptione viginti peritorum in Architectura. Interim aduenit tempus celebrandi Definitorium Prouinciale, & timens ille Prior ne mutaretur de Prioratu Conuentus N. prædicti in alium, statim fecit ædificare prout intendebat, eò quòd facultas iam erat expedita ad eum à Definitorio Generali. Peruenit notitia huiusce mutationis ad Definitorium Prouinciale, ad quod citatur Prior ille, & interrogatus qua facultate id fecerit, aliud respondere non potuit, nisi quòd id fecerat facultate petita à Definitorio Generali, quæ post duos dies à tabellario deferetur, de qua facultate certus existens sibi nō fore deneganda, tunc cæpit ædificare, quando iudicauit concessam fuisse.

Item Pomponius Sacerdos diœcesis N. misit litteras ad Eminentissimum Cardinalem N. Episcopum N. rogans, vt ei concederet iurisdictionem pro audiendis confessionibus; sed idem Sacerdos iudicans sibi iam concessum, quod petebat, quamuis nondum responsum receperit, multos Sacramentaliter audiuit, & absoluit.

Quæritur ergo, an ille Prior licitè ædificauerit antè notitiam licentiæ concessæ, stante certitudine, quòd illam per litteras obtinuerit; & an ille Sacerdos validè, & licitè absoluerit, nondum habita notitia iurisdictionis sibi demandatæ; an verò vterque possit puniri?

2 Vt respondeam primò ad casum illius Prioris, dico, quòd aliud si non obstet, debuisset potiùs ab ædificatione desistere, quàm in ea iuxta propriam volitionem cum licita violentia persistere. Ità opinor cum Stobæo, qui aiebat *voluntatem euentibus accommodādam*; quapropter euentus delineamenti dati à Superiore, à quo & fuerat efformatum, & à quo an norma eius in praxi excederetur iudicium expectabatur, exigebat vel nolle illo vti, vel voluntati Superioris conformari, sicque euentui accommodari.

3 Verùm quia *omnis spiritus laudat Dominum* vt Dauid cecinit in *Psalm.* 150, ideò autumo Priorem illū in sua processisse voluntate, vtpote quæ erat talis, qualis à D. Bernardo *in epist.* describitur hisce verbis: *Voluntati nec leges imperant,*

*perant, nec Principes dominantur, libera est, & maxime si spiritu ducitur: quia vbi spiritus, ibi libertas.*

4 Sed agendo de facto, an scilicet licitè ædificauerit ante notitiam licentiæ concessæ; seu an propter hoc possit à Superiore puniri; puto mihi non conuenire proferre sententiam nec fauore Superioris contra Priorem Magistrum meum; nec fauore Prioris contra meum, & illius Superiorem. Sed nec prætermittam responsum dare ad mihi propositam quæstionem, quæ vt decisa à me, non à me remaneat, producam Doctores aliquos, qui per me loquantur, vt mea doctrina non sit mea, sed eorum, qui mihi omnia de verbo ad verbum dictabunt, sicque salua in me semper sit Superiori, ac Magistro illa, quam illis debeo reuerentia, ac submissio.

5 Naldus *in summa verb. Priuilegium, num.* 7. primus est, qui dicit sequentia. [Priuilegium an prosit, & suffragetur, antequam ipsius notitia habeatur, non conueniunt inter se DD. communiter tamen tenere videntur, quòd tunc prosit, quando est purè gratiosum, & non respicit damnum alterius: exemplum sit in restitutione deportati, quæ ei proderit ante illius scientiam.

Et similiter dicunt, illud valere à die concessionis, & non scientiæ tantùm, quando illud obtinetur ad petitionem, & instantiam eiusdem priuilegiati, seu ipsius procuratoris; vndè si Sacerdos alienus assistit matrimonio post habitam facultatem à Parocho, mediante ipsius nuncio, & procuratore, quamuis idem Sacerdos nondum notitiam de concessione habuerit, tenet matrimonium. Pro his faciunt notata per Guttier. canon. qu. in fin. alleg. 3. n. 16. Sanchez to. 1. f. 326. lib. 3. disp. 36. & Gonzal. in 8. regul. Cancell. §. 5. proœm. n. 95.]

6 Idem Naldus *loc. cit. verb. Actus, n.* 27. ponit aliqua, quæ non tenent, seu non valent, nisi post habitam notitiam, sed postea concludit sic: [Prædicta tamen non pari passu procedere in priuilegijs, cùm imò ipsa prosint, maximè si sint purè gratiosa . . . . Et similiter, quòd prorogata iurisdictio suffragetur, etiam antè illius notitiam, eò quia cùm principale non ignoretur, idest commissa iurisdictio, non inconuenit, eius accessorium, idest prorogationem accrescere ignoranti.] Hucusque Naldus.

7 Azorius ad rem, ità habet. *Institut. Moral. part. 1. c. 3. lib. 5. q. 5.* [Quintò quæritur an Priuilegia suam vim, & auctoritatem habere incipiant, cum primùm conceduntur à Principe, an verò postquam nota sunt ei, cui conceduntur. Duæ sunt opiniones, prima docet à die notitiæ, non à die priuilegij dati, acquiri ius ei, in quem priuilegium confertur. Sic Glossa, sic Ioannes Monachus, Ioannes Andreas, Ancharanus; Dominicus in c. 1. de concess. præben. in 6. Sic etiam Cardinalis, Abbas, Decius, Albericus, & Iason, quos omnes citant, & sequuntur Felinus, & Beroius in c. cognoscentes, de constit. eò quòd beneficium, priuilegium, & fauor auctoritate Principis cùm alicui conceditur, videtur dari tacita conditione, si ipse illud ratum, & acceptum habeat. Opinio secunda tradit, à die dati priuilegij, statim ante notitiam acquiri ius absenti, cui conceditur Priuilegium, sic Bartolus, Inno. Host. Arch. Paulus, Vitalinus, quos in medium producunt Felinus, & Beroius loco citato, nam legatum acquiritur absenti, l. magis puto, §. Fundum ff. de rebus eorum, qui sub tutel. & l. Legatum ita, ff. de legat. 2. & l. cum pater, §. surdo, ff. de legat. 2. libertas quoquè statim acquiritur; si seruus absens ex testamento Domini manumittitur, & restitutio deportati statim absenti acquiritur: ergo & priuilegium, nam gratiæ æquiparantur legatis. In decisione 14. p. 2. n. 2. definitum, aut iudicatum est in Rota, priuilegium impetratum per nuncium, vel procuratorem, vel litteras ad id missas statim vim suam transferre ad absentem, à die quo datum est, quamuis illud ipse repudiare queat, cùm rescierit sibi datum, vt si Titium absentem Princeps in suum familiarem admittat. Item, si tibi absenti conceditur priuilegium, vt sis à tributo, vel alio onere immunis, & liber. Item, si tibi conceditur, ne possis ab Episcopo pœna aliqua puniri. Vndè communis est Ciuilis, & Canonici Iuris interpretum opinio, quam referunt Ioannes Imola, & Felinus in c. Cognoscentes, de constitutionibus, statim suam vim Priuilegia sumere, à die quo sunt auctoritate Principis concessa: citatque Felinus Innocentium, Hostiens. Archid. Abbatem, Io. Andream, Geminianum, & alios plures. Verùm nonnulli hanc sententiam intelligunt hoc sensu. Priuilegium confestim atque est à Principe concessum absenti, & ignoranti, vim suam habere, ità vt nequeat reuocari ante consensum eius, cui conceditur, qui absens, & ignorans continuò acquirit ius ad rem, non tamen acquirit semper ius in re: ad hoc enim comparandum requiritur consensus absentis, quo acceptum, & ratum habeat priuilegium sibi concessum, vti dedu-

deducitur ex capite, Si tibi absenti, de præbendis in 6. quod & annotauit Decius in c. cognoscentes, de constitutionibus. Cæterùm, in eo capite solùm agitur de Beneficio Ecclesiastico, quod Ordinarius in absentem Clericum confert. Non video cur Princeps supremus non possit reuocare priuilegium, quod absenti, & ignoranti concedit, antequam priuilegiarius per se, vel per Procuratorem, vel nuncium, vel litteras ratum, & acceptum habeat. Duo ex Doctoribus colliguntur: vnum est, quando Princeps nutu suo, & motu Priuilegium concedit alicui absenti, & ignoranti, prodest illi à die quo datum est, in eo, in quo alius potest priuilegiario nocere: vt si Romanus Pontifex concedat Titio, ne in eum Episcopus possit anathematis sententiam ferre: vel si Rex concedat Caio, ne cogi possit tributa soluere, nec in carcerem mitti, nec torqueri; non tamen prodest absolutè in cæteris, nisi postquam priuilegiarius consenserit. Alterum est, quando quis auctoritate Principis impetrat priuilegiū per litteras ad id missas, vel procuratorem ad id destinatum, gaudet priuilegio à die, quo datum est; secus verò quando absens, & ignorans aliter impetrat, tunc enim eo non gaudet, donec ad ipsum peruenerit. Sed de hac quæstione iterum agam inferius, cùm de priuilegijs disputabo.] Hactenus ille.

Igitur inferius agens de Priuilegijs idem Azorius *loco citato, sed cap. 23. q. 12.* ita scribit: [Duodecimo quæritur, quandonam priuilegium incipiat vim, & auctoritatem habere: v.g. Titius per Caium procuratorem à Romano Pontifice impetrat priuilegium ne à quonam excommunicari queat: aut impetrat à Rege, vel Principe, vt sit à tributo immunis, ac liber. Respondeo cum Innocentio, & Hostiensi, quos refert Silu. priuilegium, q. 16. Aut Titius absens priuilegium per litteras, aut per suum procuratorem, nuncium, vel alium quemlibet ad id destinatum, seu missum impetrat; aut proprio motu, & arbitratu à Romano Pontifice, vel alio Principe concessum acquirit. Si primo modo, statim à die, quo Princeps id concedit incipit valere priuilegium, etiamsi Titius ignoret esse impetratum. Si secundo modo, Priuilegium vim non habet, nisi postquam in Titij potestatem peruenerit.] Ita Azorius.

Adeò luculenter, & abbundè mihi videtur Azorium in prædictis loquutum fuisse pro præsenti casu, vt nihil vltra possit desiderari. Nam optimè distinguit cum Doctoribus de modo, quo priuilegium obtinetur. Insuper & circa dubium, an possit quis puniri antequam sciatur num Princeps gratiam concesserit, ibi: *prodest illi à die quo datum est, in eo, in quo alius potest priuilegiario nocere*, docet author, quid fieri queat in casu nostro.

8 Bonacina *in tractat. de Legibus. disp. 1. qu. 3. puncto 3. nu. 1.* dicit. [Priuilegium, vel dispensatio validè potest obtineri absquè mandato, vel scietia illius, in cuius fauorem obtinetur. Ratio est, tum quia Priuilegium, vel dispensatio pendet à voluntate concedentis, & hæc iure naturæ sufficit: ergo. Tum quia nullo iure sufficienter probatur, irritum esse priuilegium, vel dispensationem obtentam sinè mandato, vel cognitione illius, cui conceditur. Ità Nauarrus lib. 1. de rescriptis, cons. 2. 3. & 4. Emanuel Sà verbo Gratia, n. 23. Salas de Legibus dis. 20. sect. 14. n. 108. Sanchez lib. 8. d. 27. n. 4. Rebuffus, & alij apud eundem Sanch. contra Baldum l. illud. §. si talis, n. 1. Panormitanum cap. Innotuit, de electione, num. 10. & alios.]

Sic Bonacina, qui in fine numeri eiusdem, *loco citato*, se explicat, dicens: [Obserua tamen Priuilegium, vel dispensationem non prodesse, seu non posse executioni demandari, donec acceptetur, iuxta ea, quæ in secunda Propositione dicam.] Et postea in tali secunda Propositione *sub numero* 5. ità dicit. [Priuilegium non habet vim, donec acceptetur ab eo, cui conceditur, aut ab ipsius Nuncio, vel Procuratore, qui vicem ipsius gerat. Hoc tamen ab aliquibus intelligitur de priuilegijs concessis gratiosè, & per modum rescripti, non verò de priuilegijs concessis per modum statuti, & constitutionis, seu legis, vel in remunerationem operis præstiti.] Et pro hac sententia adducit idem Author multos Doctores Canonistas, Morales, & Scholasticos, post quorum citationem subdit. [Ratio patet, tum argum. text. cap. Si tibi absenti, de præbendis in sexto, vbi deciditur, ius in beneficio, quod confertur absenti non acquiri donec absens ratam habuerit collationem: Tum ex ratione Priuilegij, quod censetur concedi sub hac tacita conditione, si priuilegiarius acceptet, priuilegium enim est veluti quædam donatio, donatio autem acceptari debet à donatario, vt patet ex dictis de Contractibus.] Hæc Bonacina, qui dum requirit acceptationem per Nuncium, aut per Procuratorem, crederem sufficienter acceptatum priuilegium per virtualem comparitionem ipsius priuilegiarij in litteris demandatis ad gratiam postulandam, quibus

Princeps

Princeps facit fauorabile responsum; & sic etiã ante concessionis notitiam Priuilegium habet suam vim a die concessionis, vt supra docebat Azorius ibi: *si per litteras fuit petitum*.

9 Et ne desideretur opinio alicuius Iurisconsulti, ponam hic quod ad rem nostram scribit Iacobus Menochius *de arbitr. iudic. lib. 2. centur. 2 casu.* 184. *sub n.* 39. *& seq.* vbi refert sententiam, quòd priuilegium ad fauorem, & commodum concessum, tunc vim obtinet, cùm is, ad cuius commodum concessum est, scit. Postea *num.* 42. *& seq.* ità dicit, [Contra tamen hanc Doctorum receptam opinionem, aduersari videtur doctrina Barto. in l. omnes populi, num. 37. de iust. & iure, dum affirmat: Statutum priuilegiatiuum, quod commodum continet, statim absquè aliqua scientia eius, ad cuius commodum editum est, suum effectum operari, & eo loci Bartol. num. 38. inquit, quòd ille, qui bannitum capit, debet habere præmium à statuto propositum, quamquam statuti dispositionem ignorauerit, & cum Bartolo idem ibi sensit Ioan. Crotus, num. 127. Huic difficultati multis modis satisfacere nostri tentarunt. Imol. in c. cognoscentes, inquit, aliud esse in priuilegio concesso per modum legis, vel statuti, aliud per modum rescripti, quam responsionem confirmat Decius ibidem nu. 17. versic. sed aduertendum, quia statutum æquiparatur vltimis voluntatibus, vt scribit Bartol. in l. 1. C. de ijs, quibus vt indig. & latè tradit Tiraquell. tract. de retractu consang. in fine, num. 13. Crauet cons. vlt num. 13. & Socin. iun. cons. 181. num. 38. lib. 2. quò circa Bartol. in d. l. omnes populi, num. 37. argumentatur à legato ad hæc statuta.] Ità Menochius, à cuius verbis concluditur non requiri scientiam in priuilegiario, vt ei prosit priuilegium, si hoc est concessum ad modum rescripti, prout est in casu nostræ præsentis difficultatis.

10 Ad secundum casum propositum, videlicet an Sacerdos validè, & licitè absoluat antè notitiam Iurisdictionis sibi ab Episcopo concessæ, dicit Bonacina *vbi suprà, sed num.* 7. validam esse Confessionem factam Sacerdoti ignaro concessionis sibi ab Episcopo factæ ad excipiendas Confessiones, si concessio facta fuerat Sacerdoti, & acceptata à Nuncio, vel Procuratore ipsius Sacerdotis, misso ad illam petendam. Si verò Episcopus concessit Sacerdoti facultatem audiendi Confessiones motu proprio, vel ad instantiam alterius, quàm nuncij missi ab ipso Sacerdote, non valet concessio facta huiusmodi Sacerdoti ignoranti concessionem, aut illam scienti per alium, quàm per litteras, vel per nuncium ad hoc destinatum à concedente, vel missum à Sacerdote ad facultatem obtinendam. Ità Reginaldus, Sanchez, & alij apud eumdem Bonacinam, qui nihil dicunt, an id licitè fiat, sicut validè fieri affirmant.

11 Dico tamen, quòd licitè non absoluit ille Sacerdos ignarus sibi concessæ facultatis, quãuis validè absoluat. Habeo mecum in hac sententia P. Antonium à Spiritu Sancto, qui *in director. confess. de Sacram. Pænitentiæ, tract. 5. disput. 11. sect. 8. num.* 778 *& seq.* dicit, quòd non desunt DD. qui putant non esse necessariã notitiã priuilegij, etiam quando priuilegiũ concessum est alicui particulari, ad hoc vt à tẽpore cõcessionis prosit, & vt actus absolutionis sit validus, *licet aliàs taliter absoluendo peccet*: ità Archidiaconus, Cynus, Albericus, Paul. Veracruz, Ludouicus Lopez, Angelus, quos refert Tancredo *tract. 2 d. 2. q.* 17. Limitanda tamen est hæc doctrina.

12 Ideò cum distinctione est intelligenda; Aut enim Sacerdos absoluit antè notitiam facultatis sibi datæ, sed cum morali certitudine concessionis: aut absoluit sinè tali morali certitudine. Si primo modo absoluit, validè, & licitè absoluit: si secundo modo dat absolutionem, hæc est quidem valida, non tamen fuit licita. Ratio autem, quare licitè absoluat cum illa morali certitudine est, quia ad licitam administrationem Sacramenti Pænitentiæ, sufficit licentia præsumpta de præterito: Sed hic Sacerdos absoluit cum licentia præsumpta de præterito, supposito quòd moraliter sit certus iam licentiam fuisse datam, & acceptatam ab eius Nuncio ad hoc misso: ergo licitè, & validè absoluit, & sic tenet Tancredo *loco supracitato*.

13 Placet mihi hic aduertere, non semper esse necessarium, vt sit Nuncius, vel persona ad deferendam facultatem concessam destinata à Superiore, vel à priuilegiario missa, illa, quę priuilegiarium de concessione admoneat, itaut nulla sit, nec suffragetur admonitio, aut notitia data priuilegiario eidem à tertia persona, quæ propria sponte talem afferat notitiam, vt vult Bonacina *vbi supra n.* 8.

Dico enim, quòd in sententia exigente notitiam Priuilegij, ad hoc vt illud valeat, & possit vti, vt v. g. quando Confessarius iam habuit ab Episcopo iurisdictionem, sed hanc adhuc ignorat, sufficit quòd sciatur iam fuisse datam licentiam per aliquam personam fide dignam, quæ vel eam vidit, vel audiuit, si aliàs Episcopus

pus interim non mutauit animum, quod præsumi non debet. Ratio est, quia id satis est ad donationem, vt docent Lopez, Azebedus, Baldus, & alij, quos refert Tancredo *vbi suprà*: ergo etiam valebit in ratione donationis priuilegij: ità idem Tancredo, qui tamen oppositum probabilius iudicat, sed probabile est id, quod iam dixit, & Bonacina *vbi suprà, dict. n.*8. approbat hoc in priuilegijs petitis.

14 Et si quæratur, an debeant priùs ab Episcopo expediri litteræ concessionis, antequam illa possit vti Confessarius, qui habuit notitiam de illa; respondeo non requiri, quòd litteræ expediantur, nam hæc licentia, est gratia quædam, & donatio ab Episcopo concessa: sed donatio est perfecta statim, ac fit, licèt non perfecta scriptura: ergo Sacerdos tali licentia sinè scriptura absoluens, validè, & licitè absoluit: ità Graffi, Nauarrus, Mascardus, Henriquez, Sà,

15 quos refert, & sequitur Tancredo *tract.*1. *disp.* 2. *quæst.*16. quod verum est etiamsi nondum litteris expeditis Episcopus moriatur, nam illa concessio durat, donec reuocetur, cùm sit iam perfecta secundùm Mendosium, Felinum, Brenum, Baldum, Syluium, Tabienam, & alios

16 apud eumdem Tancredo *loco citato*, vbi limitat hoc, & excipit casum, in quo in aliqua Diœcesi detur lex, aut consuetudo, vt non censeatur data licentia, nisi litteris expeditis, & receptis.

17 Insuper idem Tancredo *ibi* cum Diana, docet secus esse dicendum, si consuetudo, vel lex tantùm sit, ne confessarij audiant confessiones antè litterarum expeditionem; nam cùm non apponat clausulam irritantem, vel tollentem licentiam, vt in præcedente, sed tantùm prohibentem, absolutio erit valida, sed illicita.

Sed contra allegata *à num.*10. vsquè ad præsentem obijcies, quòd Innocentius Vndecimus in prima ex propositionibus, quas damnauit, vult esse sequendam sententiam tutiorem in Sacramentorum collatione quoad eorum validitatem; non est autem iuxta sententiam tutiorem, si absolutio detur sequendo doctrinam, & Doctores allegatos *à d. num.*10. cùm tutiùs sit expectare notitiam facultatis concessæ, vt ex se patet.

Respondetur, quòd quamuis sit tantùm probabile, validã esse absolutionẽ datam à Confessario habente solam probabilitatem propriæ iurisdictionis; tamen quia agitur de re, quæ ab alio potest certò suppleri, sicuti Ecclesia potest supplere iurisdictionem in nostro casu, propterea Confessarius operans cum probabilitate suę iurisdictionis, si hæc de facto non subsistat, certò nihilominus suppletur ab Ecclesia, & sic absoluit, seu Sacramentum confert tutiori modo quantùm ad iurisdictionem. Hæc doctrina est à Confessarijs valdè notanda, eaque docetur à Lessio, Suarez, Sanchez, Henriquez, Coninchо, & ab alijs, quos refert, & sequitur Bonacina *de pænit. disp.*5. *quæst.*7. *punct.* 5. §.4. *num.* 4. *&* 5. quatenus contra Nugnum *in additionibus, quæst.*8. *art.*5 *dub.*3. *versic. ista sententia*, docent validè absoluere à reseruatis, qui habet solam probabilitatem propriæ iurisdictionis circa reseruata; sed eadem est ratio etiam respectu non reseruatorum. Ducuntur, quia interueniente opinione probabili, Ecclesia supplet iurisdictionem, sicut eamdem supplet, quando aliquis titulo colorato, & errore communi vulgi habetur pro legitimo Iudice, vel Parocho, quamuis reuera non sit Iudex, nec Parochus. Ità constat etiam ex *l. Barbarius, ff. de officio Prætoris*.

Hinc Bonacina *ibid.* ita loquitur: [ Ex quo infertur eum, qui sequitur opinionem probabilem Doctorum sentientium, ipsum habere iurisdictionem absoluendi à reseruatis, seu priuilegium absoluendi non esse reuocatum, validè agere, quæ agit, ac si re ipsa iurisdictionem haberet, & priuilegium nondùm esset reuocatum, etiamsi fortè opinio illa probabilis à parte rei non subsistat, sed falsis realiter nitatur fundamentis, nam Ecclesia supplet iurisdictionem, alioquin sequerentur eadem incommoda quæ sequerentur Ecclesia non supplente iurisdictionem, quando adest error communis, & titulus coloratus. ] Ità ille.

Audiatur etiam Lessius *de iustit. & iure, lib.* 2. *cap.*29. *dub.*8. *num* 67. vbi habet hæc verba: [ Sextò sequitur, supradicta locum habere, non solùm in foro contentioso, sed etiam in Sacramentali, vt docet Paludanus circa quartam opinionem, Nauarrus suprà, & alij passim, quia eadem ratio boni communis id postulat; & Ecclesia defectum iurisdictionis non minùs hìc, quàm in foro externo supplere potest, & vult, concurrente titulo colorato, & communi errore. Nec obstat, quòd expressum ius hac de re non habeatur; quia quod iura disponunt in vno casu, id etiam intelligendum in alijs, vbi est par, vel maior ratio, vt est in proposito; quod confirmatur, quia supposita potestate Ordinis in reliquis, vtriusquè fori est paritas, nec plus requirit hoc forum, quàm illud, sufficit enim vtriquè eadem iurisdictio; vndè supposita Ordinis potestate, quicunquè potest soluere, & ligare in foro externo, potest etiam in inter-

interno.] Hæc Less. cuius sententia adeò tuta est, vt (quantùm scio) ab omnibus teneatur; quare si quis docet, vt Nugnus *loc. cit.* nō posse absoluere, qui solam probabilitatē habet propriæ iurisdictionis, debet intelligi, non posse quidem ex vi solius probabilitatis, secus si Ecclesia supplens det certam iurisdictionem, quam de facto dare ostensum est.

18 Ex dictis possunt deduci alij casus, in quibus non requiratur notitia, nec scriptura priuilegij concessi; ac in quibus requiratur. In mea autem Religione cùm requirantur litteræ patentes pro itinerando, non potest Religiosus aliquis petere licentiam eundi v. g. ad Domum Lauretanam, & iter versùs ipsam arripere antè notitiam, & antè expeditionem litterarum patentium, cùm hoc esset contra consuetudinem. Sed quoad dispensationem circa mutationem delineamenti, prout in casu nostro agitur, non exiguntur litteræ patentes, sed conuenit eas recipere, ad veritatēm ostendendam nolenti credere.

19 Tandem addam, quòd quia Prior ille, & ille Confessarius non habent nisi sententiam probabilem, eis licere vti licentia, seu priuilegio petito, antequam sciant concessionem, quam sententiam, non tenent, sed contrariam sequuntur Episcopus, & Prælatus superior, non tamen ideò potest ab ipsis subditus puniri.

20 Ratio est, quia hìc agitur de casu criminali; in criminalibus autem tenetur Iudex proferre sententiam iuxta rationes, etiam minus probabiles in fauorem rei, siuè hæ rationes sint circa

21 factum, siuè sint circa ius: ità Merolla *tom. 1. d. 3. c. 4. n.* 180. & eò ipso, quòd rationes sunt probabiles, iura partium obscura sunt, in qua obscuritate fauendum est Reo, non Actori: *Reg. 11. de reg. iuris in 6. Reo*, inquam, non quia

22 deliquerit in aliqua re, sed quia sic vocatur in criminalibus; sicut in ciuilibus, qui vrgetur, vocatur *conuentus*.

Nec dictis *à num.* 20. obstat Propositio dicens: *Probabiliter existimo, Iudicem posse iudicare iuxta opinionem etiam minus probabilem*, quæ propositio est secunda in ordine damnatarum ab Innocentio Vndecimo. Respondetur enim dictam propositionem fuisse meritò damnatam vt iacet, ac in sua generalitate, ratione cuius docet licere Iudici tum in criminalibus, tum in ciuilibus sequi sententiam etiam minus probabilem; sed hoc in ciuilibus est omninò falsum, & scandalosè edoctum, & ideò in hoc sensu stat damnatio, quia sic Iudex non faceret veram iustitiam, sed potiùs iniustitiam ipsi habenti maiorem probabilitatem, vt ex se patet. In criminalibns verò relinquitur disputationi Doctorum; sed nos sentimus esse fauendum reo iuxta dicta *num.* 20.

---

# DECISIO XXVII.

*An Canonicatus solas distributiones habens, possit renunciari cum pensione; vel cum obligatione faciendi expensas ipsi renuncianti, vita eius durante.*

## Casus, seu Historia XXVII.

### SVMMARIVM.

1 *Casus proponitur.*
2 *Est Simoniacum, si detur Beneficium in renunciationem, cum obligatione sustentandi renunciantem.*
3 *Probatur.*
4 *Pactio requiritur ad Simoniam.*
5 *Regula generalis ad cognoscendam Simoniam.*
6 *Explicatur exemplo notando.*
7 *Sufficit si commodum terrenum sit in vno ex contractantibus.*
8 *Simonia portat excōmunicationem Papalem; irritationem electionis; inhabilitatem ad tale Beneficium, & alia.*
9 *Nec tollit Simoniam, si detur Caio beneficium, vt Caij frater det quid temporale.*
10 *Declaratur quomodò possit fieri renunciatio prætensa in præsenti casu.*
11 *Via perueniendi ad intentam renunciationem licitè.*
12 *Pensio quid sit.*
13 *Quando Beneficium habeat fructus.*
14 *Distributiones quotidianæ distinguuntur à valore Beneficij.*
15 *Valor Beneficij habet rationem fructus, non distributiones quotidianæ.*
16 *Quomodo valor dicatur fructus.*
17 *Obijcitur, & respondetur.*
18 *Annui redditus computantur inter bona immobilia.*
19 *Pensio potest constitui, etiamsi beneficium habeat solas distributiones.*
20 *Pensio assignata super fructibus, non intelligitur assignata super distributionibus quotidianis.*
21 *Nisi beneficium non habeat, nisi solas distributiones quotidianas.*
22 *Pensio potest constitui super solas distributiones quotidianas.*

23 *Pensio non soluitur pro tempore, quo vacat beneficium.*
24 *Hoc probatur.*
25 *In condemnatione fructuum non veniunt distributiones quotidianæ.*
26 *Nisi beneficium cõsistat in solis distributionibus.*
27 *Pensio potest dari soluenti vt sustentet pensionarium.*
28 *Semper Papa potest constituere pensionem.*
29 *Potest etiam Episcopus ex iuxta causa.*
30 *Causæ vt possit Episcopus constituere pensionem.*
31 *Etiam in resignatione.*
32 *Et durabit ad vitam pensionarij.*
33 *An possit dari Beneficium cum obligatione vt accipiens illud sustentet vnum titulo Charitatis?*
34 *Duæ in tali casu sunt difficultates.*
35 *Non potest dicta obligatio imponi, vt fiat eleemosyna ipsi obliganti.*
36 *Dicitur circà idem.*
37 *Executor testamenti debens dare eleemosynam, potest dare sibi si sit pauper.*
38 *In titulo eleemosynæ dari potest Simonia.*
39 *Quare hoc.*
40 *Excepta obligatione dandi pensionem, videtur omnis alia obligatio aliena à ratione dandi, vel resignandi beneficium.*
41 *An sit Simonia certiorari de spe gratitudinis, non obstantibus propositionibus damnatis.*
42 *Quę probantur scandalosa.*
43 *Nisi limitatè sumantur.*
44 *Licet sperare gratitudinem.*
45 *Et certiorari citra pactum.*

1 DOminus N. Canonicus insignis Ecclesiæ N. in Ciuitate N. considerans se ipsum senio confectum, ac omninò inhabilem ad frequentationem Chori, cogitat Canonicatum renunciare cuidam amico suo, qui teneatur ipsum renunciantem alere quoad viuat, ac in omnibus expensas ei facere, cùm aliunde nihil habeat, nisi quod à Canonicatu percipit. Et quia Canonicatus non reddit nisi solas distributiones, quarum quantitas est incerta, ideò putat non dari redditus, propter quos possit pensionem pro se reseruare.

Quæritur ergo primò: an sit Simoniaca renunciatio Beneficij propter commodum recipiendi expensas? Secundò, an quamuis Beneficium reddat solas distributiones, possit tamen illud renuncians apponere pensionem, & hoc an cum facultate, vel sinè facultate Papæ, seu Episcopi?

2 Ad primum respondeo, quòd reuera Simoniaca sit renunciatio Canonicatus, seu alterius Beneficij facta cum obligatione in eo, cui renunciatur, vt renunciantem alat, sustentet, ac in omnibus pro vita sua prouideat. Ratio est manifesta, & fundatur in essentia Simoniæ, quæ in omnium Doctorum sententia est studiosa voluntas emendi, aut vendendi pretio temporali aliquid spirituale, vel spirituali annexum: Diuus Thomas 2. 2. *qu.* 100. *art.* 1. Layman. *lib.* 1. *tract.* 10. *cap.* 8. Sed in casu nostro totum essentiale Simoniæ verificatur: ergo est Simoniaca ista renunciatio.

3 Et quòd totum essentiale Simoniæ reperiatur in nostro casu, probatur, nam hìc adest *voluntas studiosa*, idest plena, & deliberata *emendi*, scilicet faciendi contractum onerosum, siuè sit venditionis, siuè locationis, siuè permutationis, aut renunciationis, vt DD. communiter explicant, qui contractus renunciationis est de danda *re spirituali*, nempè Beneficium *pretio temporali*, quale est expensas sustentatiuas renuncianti subministrare ex pacto inito, quia 4 Simonia non subsistit sinè pactione aliqua tacita, vel expressa, & obligatione ex pacto; ergo vera Simonia committitur in renunciatione Beneficij pro receptione expensarum vitæ renunciantis.

5 Confirmatur, nam regula generalis ad dignoscendam Simoniam est, si spirituale detur pro temporali, quamuis id esset solùm aliquod commodum temporale, prout fieret si mutaretur Beneficium Petri cum illo Pauli, quia 6 redditus Beneficij Pauli consistunt in prædijs contiguis prædijs Petri & sic commodiùs Petrus sua prædia haberet vnita; & ità docet D. Thomas 4. *dist.* 25. *quest.* 3. *art.* 3. *in corpore*; & idem est de annexo ad spirituale, si detur pro temporali: Sed D. Canonicus renuncians, vt recipiat expensas, ac omnia temporalia pro vita sua, manifestè dat spirituale pro re, & pro commodo temporali: ergo Simoniam incurret tum ipse, tum ille cui fit renunciatio.

7 Et vt Simoniaca dicatur actio dans spirituale pro solo commodo temporali, seu terreno, sufficit si fiat pro commodo vnius ex contractantibus; & à fortiori si pro commodo vtriusquè, iuxtà eumdem D.Thomam *loco cit.* & ego iam dixi suprà *in decis.* 9. *n.* 20.

8 Non est igitur facienda renunciatio Canonicatus alicui, à quo renuncians ex obligatione per renunciationem debeat in posterum sustentari, totũ enim esset Simoniacũ, ac ex consequenti afferret Excõmunicationem Papalem, & irritationem electionis, præsentationis, confirmationis, & institutionis, vndè fructus perci-

pi non

pi non possent, & ad idem Beneficium redderetur inhabilis, etiam per dispensationem Episcopi. Lessius *de Iust. & iur. lib.2.cap.35. dub. 31.* Layman. *lib. 4. tr. 10. cap. vlt.* & alij.

9 Nec suffragatur pro expurganda a labe Simoniæ illa renunciatione, quòd D. Canonicus renunciet Beneficium suum Titio absque vlla obligatione, sed quòd Caius Titij frater teneatur renunciantem pro vita sua expensare. Hoc inquam non suffragatur, quia non tollit Simoniam, quæ semper committitur quando datur spirituale pro temporali, quamuis hoc temporale non sit dandum ab eo, cui spirituale datur, sed ab alia tertia persona: ità Lessius, Layman, & alij *vbi supra*.

Hæc satis sint pro responsione ad primum quæsitum, quod aliter à nonnullis etiam ex recentioribus scio resolui, nam admittunt non committi Simoniam, dum pro obligatione actionis spiritualis accipitur aliquid titulo sustentationis. Probant istam opinionem tripliciter: Primò, quia sustentatio est debita iure naturæ; vt autem simonia admitteretur, deberet pro spirituali dari temporale indebitum. Secundò, quia qui negotia alterius gerit, potest sustentationem ab eo exigere. Tertiò, quia Sacerdotes apud Egyptios publicis sumptibus alebantur. Ità sentire Doctores ferè communiter notat Bonacina *de Simonia, qu. 6. punct. 2. num. 1.*

Sed quidquid sit de veritate huius sententiæ pro tempore antiquo, quamuis ea obligatio sustentationis deduceretur in pactum: certè non video posse hodie approbari, stante Doctrina damnata ab Innocentio XI. vt videbimus *infra n. 41. & seqq.* Si enim propositiones adducendæ dicto *num. 41.* fuerunt damnatæ, quia vt iacent, & in eorum generalitate approbant licere titulo gratitudinis pacisci de danda re temporali pro spirituali, cùm tamen iure naturæ sit debita gratitudo; consequenter erit etiam simonia pacisci de sustentatione iure naturæ debita, sicque corruit prima probatio contra nostram opinionem. Nec probat intentum contrariorum secunda, & tertia ratio: non secunda, quia valet solùm in gerēte negotia temporalia: non tertia, nam Sacerdotibus sustentatio quidem debetur, cùm *qui seruit altari de altari viuere debeat*, nihilominus id est intelligendum in casibus admissis, atquè eo modo, quo sunt admissi ex communi consuetudine valente derogare iuri Canonico, vt docent Sotus *lib. de iustit. quæst. 6. art. 1.* Lessius *de iustit. lib. 2. cap. 35. dub. 8. num. 49.* Suar. cum alijs, quos tacito nomine refert, & sequitur Bonacina *loc. cit. num. 3. in fin.* Quare in casu nostro, ac in similibus non excluditur Simonia si deducatur in obligationem sustētatio ipsius renunciantis beneficium, si enim renunciat, non seruit altari, &c. Videatur *à nu. 41.* vsque in finem huius decisionis.

10 Ad secundum, quod quærebatur, dicendum est Dominum Canonicum duplicem habere viam perueniendi ad intentum suum cum licita renunciatione. Prima est, quod debet, & potest tuta conscientia sic se gerere. Primò: Habeat alium, qui velit renunciationem recipere pro se, sed cum pensione, quamuis propter amicitiam ipsi renunciet, quia hoc motiuum amicitiæ non inducit Simoniam. Secundo: Deinde facta, & stabilita renunciatione, det pensionem in pretium sustentationis eidem vel alteri ab alio, cui renunciauit, à quo in omnibus temporalibus prouideatur. Tertiò: Ad constituendam talem pensionem, quæ duret ad durationem vitę pensionarij, recurrat ad Episcopum, à quo potest pro casu nostro constitui.

11 Hæc tria, quæ dixi posse licitè fieri, vt D. Canonicus renunciet, nec priuatus remaneat subsidijs pro vita sua, debent à me probari; & ideò sigillatim examinabo tria sequentia, quæ sunt vna via perueniendi ad intentum. Primum est, an possit assignari pensio, quando Beneficium non habet alios redditus, præter destributiones quotidianas?

Secundum, an sit aliquid non licitum in casu, quo facta pensione, illam det eidem cui beneficium renunciatur, vt ab eodem sustentetur? Tertium, an ad Papam, vel etiam ad Episcopum spectet pensionem constituere?

## §. I.

### *Respondetur ad primum quæsitum numero antecedenti.*

12 VT ad primum respondeam, obseruo, quòd pensio est *Ius percipiendi fructus ex alieno beneficio*, quę pensionis definitio, est communis inter DD. ergo vbi erunt fructus beneficij, poterit pensio assignari.

13 In casu igitur nostro sic argumentor: Canonicatus de quo agitur, habet fructus; ergo potest super ipso assignari pensio. Quòd habeat fructus probatur, nam habet redditus ex massa cōmuni omnibus alijs concanonicis, quæ massa distribuitur in fine anni, vnicuiquè Canonico dans partem illi contingentem; sed di-

stributiones ex massa communi sunt fructus Canonicatus, vel Beneficij, vt tradit Calderin. *cons.* 221. *quod est vnicum de Cleric. non resid.* apud Card. Tusch *litt. D. verb. Distributiones, concl.* 511. *n.* 4. ad distinctionem massæ minutæ, quæ non venit appellatione fructuum, prout venit illa massa grossa secūdùm eosdem Cald. & Tusch. *loc. cit.* ergo potest pensio assignari in casu nostro.

14 Notandum est ergo, quòd aliud est loqui de valore Beneficij, & aliud est loqui de distributionibus quotidianis; etenim istæ debentur propter operam personæ, & non augent valorem Beneficij, quia cum pendeant ab incerto, & ab opere personali, non considerantur in valore Beneficij, vt docuit Oldrad. *cons.* 118. Egid. Bellam. *cons.* 34. *n.* 4. *vers. ad quartum dubium;*
15 quapropter fructus beneficiorum differunt à distributionibus quotidianis: Tusch. *concl.* 301. cum alijs, quos fusè affert Io: Aloysius Riccius *Collect. decis. part.* 4. *collect.* 892. At valor Beneficij habet veram rationem fructus, quam rationem non habent distributiones quotidianæ; & ideò vbi adest valor Beneficij, adest & & ratio fructuum, in quibus pensio potest fundari: Sed in nostro casu adest valor Canonicatus, qui valor comprehenditur in massa grossa, quia duo millia scutorum sunt valor, ac redditus omnium Canonicatuum illius Ecclesiæ: ergo Canonicatus de quo in casu, habet fructus, in quibus pensio fundari potest, qui fructus, sunt illa pars contingens vni Canonico extrahenda distributiuè à massa duorum millia scutorum, quæ massa si v. g. esset inter decem
16 Canonicos distribuenda, conclusum clarè remanet, quòd valor vnius Canonicatus sit summa 200. scutorum, quæ summa dicitur fructus
17 illius Canonicatus. Nec valet dicere in contrarium, quòd valor rei sit certus, & tamen non est semper certum, quòd per singulos annos colligantur duo millia scutorum: respondeo enim, quòd si hoc destrueret rationem valoris Beneficij, nullum beneficium haberet propriū valorem, cùm semper beneficiorum redditus pendeat à temporum mutationibus, & sic & redditus varientur: non ergo refert incertitudo colligendi æqualiter redditus per singulos annos, ad hoc vt possit dici, nec ne, quòd valor vnius Canonicatus sint 200. scuta; attenditur enim quid regulariter v. g. prædia possint reddere, seclusis infortunijs, ac tēpestatibus, &c.

18 Imò licèt per accidens mutentur annui redditus, nihilominus computantur inter bona immobilia, & hoc maximè si sint perpetui, vel ad longum tempus, & sic possunt esse certus valor alicuius beneficij. Tiraquell. *de retract. consanguin.* §. 1. *gloss.* 6. *num.* 7. Menochius *de arbitrar. iud. casu* 233. *num.* 2. Guttierez *pract. quæst. lib.* 5. *cap* 83. *num.* 3. Iacob. Venent. *de annua præstation. part.* 2. *quæst.* 39. *vers. & hoc primo intellige*. Roderic. *de annuis redditibus, lib.* 1. *quæst.* 3. *num.* 10. cum alijs multis apud Cencium *de censibus, part.* 1. *cap.* 3. *quæst.* 1. *art.* 2. *num.* 20. 21. & 22. ergo de primo ad vltimum Canonicatus in præsenti nostro casu habet suū valorem, qui dicitur fructus illius, ergo & pensio potest super illum institui.

19 Probatur etiam, quòd possit pensio institui, etiamsi in beneficio nulli darentur fructus, aut valor, quàm solæ distributiones, & hæc probatio est ab auctoritate, quæ tollet omnem scrupulum in casu nostro. Naldus *in summa, verb. pensio Ecclesiastica, num.* 3. sic loquitur: *Potest etiam constitui*, idest pensio, *super fructibus, quamuis omnes in distributionibus consisterent, quoniam licèt appellatione fructuum non veniāt distributiones, tamen Leonis tempore ità imponi consueuisse, apparet ex decis. super fructibus* 8. *de pensionib Rot. Rom. Achillis de Graffis*. Clariùs ad rem nostram dicere non poterat; ergo & potest constitui pensio in casu nostro, quamuis aliud non habeat Canonicatus, nisi distributiones.

20 Confirmatur, nam si à Romano Pontifice assignetur pensio super fructibus alicuius beneficij, non censetur imposita super distributionibus quotidianis, cùm istæ habeant diuersam naturam à fructibus, & illorum appellatione non veniant, prout in specie concludit Couar. *lib.* 3. *vers. resol. c.* 12. *num.* 1. Gonzal. Mendez. Vasconcel. *lib.* 2. *diuers. iur. argum. c.* 14. *num* 31.
21 Sed dato casu, quod beneficium fructus non haberet, sed totum eius emolumentum consisteret in distributionibus quotidianis, tunc censebitur pensio constituta super distributionibus, prout in Ecclesijs Cathedralibus Lusitaniæ seruari dixit Vasconcell. *ibid. num.* 31. *in fi-*
22 *ne*. ergo sufficit, quòd dentur distributiones saltem quotidianæ ratione beneficij, vt super ipsis possit pensio constitui.

23 Item Vasconcell. *loco citato, sed num.* 37. cum Nauar. *cons.* 47. *lib.* 4. Guttier. *canon. quæstion c.* 1. *num.* 129. apud Gratianum *tom.* 1. *disceptation. forensium, cap.* 166. *nu.* 27. docent, quòd pensio constituta super fructibus, & distributionibus quotidianis non est soluenda per Canonicos pro tempore, quo vacauit beneficium: ergo est dabilis pensio super solis distributio-

butio-

butionibus, si beneficium alios fructus non
24 habeat, & hoc colligitur de consequenti ex doctrina Gratiani, & aliorum *vbi suprà*, nam si super distributionibus quotidianis non posset pensio constitui, non dixissent non esse soluendam vacante beneficio pensionem constitutam super distributionibus quotidianis.

25 Confirmatur, quia in condemnatione fructuum, non veniunt distributiones quotidianæ, iuxta quòd tradit Rota *diuers. decis.* 618. *part.* 1. intellige si non sint perceptæ, aliàs secus, dicit Bal. *in decis.* 37. quia distributiones non dicuntur de corpore beneficij, & hæc est ratio, cur in condemnatione non veniunt. Rota *decis.* 402. *part.* 1. Boer. *in decis* 340. Veral. *in decis.* 29. *par.* 1. Card. Put. *in decis.* 383. *lib.* 1. Rot. *decis.* 170. At his non obstantibus, quando benefi-
26 cium non consisteret in alijs fructibus, nisi in distributionibus, tunc deberentur distributiones, saltem illæ, quæ residentibus dantur: ità Mohed. *in decis.* 6. *de prabend.* Caputaquen. *in decis.* 29. Put. *in decis.* 375. *lib.* 2. omnes apud Ioan. Aloysium Riccium *collect. decis. part.* 4. *collect.* 892. *ante fin.* ergo deficientibus fructibus propriè talibus Beneficij, subrogantur distributiones etiam quotidianæ, & hoc in condemnatione, scilicet in odiosis: ergo à fortiori subrogantur in fauorabilibus tum Beneficij, tum Beneficarij: ergo super illis distributionibus poterit pensio constitui, vt Beneficiarius ineptus renunciet, & sic alter aptus seruiat Ecclesiæ cum tali Beneficio.

### §. II.
#### *Soluitur secundum, & tertium quæsitum numero* 11.

27 SEcundum, quod quærebatur, nempè, an constituta pensione, possit postea hæc dari eidem, qui illam soluere deberet, vt alat, & sustentet ipsum, qui renunciauit, & cui pensio est soluenda; respondeo, esse manifestum, quòd hoc liceat, cùm pensio ideò detur renuncianti inepto, vt alatur. Et quòd alatur ab vno, vel ab vna, vel ab hoc, vel ab alio, vel etiam à sibi debente pensionem, perinde est, ac per accidens, & non consideratur, quia vitium Simoniæ, aut alterius generis indè non sequitur; nec de hoc dari potest vrgens dubitatio.

28 Tertium, quod erat examinandum, videlicet, an ad Papam, vel ad Episcopum spectet pensionem constituere; dico, quòd potestas constituendi pensionem est semper in Summo Pontifice, ad quem plenaria dispositio beneficiorum noscitur pertinere: vt habetur *cap.* 2. *de prabend. in* 6. *& Clement.* 1. *in fine*: *vt lite pendente*.

29 Dico etiam, quòd Episcopus potest pensionem constituere, si causa iusta subsit. Ità Gigas *q.* 6. qui pro hac sententia citat Oldradum, Felinum, Antonium de Butrio, Innocentium, Imolam, Petrum Ancharanum, Decium, & Caccialupum.

30 Causa autem iusta erit: Primò, si assignatur Parocho seni, non valenti ampliùs seruire, vt alatur. Secundò, si causa translationis in lite, vt patet *cap. nisi essent.* 21. *de prabendis*, *& c. audiuimus.* 3. *de collatione detegenda*: Ità Lessius *de iust. & iur. lib.* 2. *cap.* 34. *dubit.* 38. *nu.* 205. Ergo & in casu nostro erit causa iusta, ob quam Episcopus possit pensionem constituere, ipsa decrepitas, & totalis ineptitudo Canonici renunciantis pro inseruiendo Ecclesiæ, frequentando Chorum, &c.

31 Confirmatur, quòd Episcopus in casu nostro possit pensionem constituere, nam Doctores docentes non posse Episcopum pensionem constituere causa simplicis resignationis, limitant, nisi resignans esset senex, & ad præstandum officium ineptus, vel nisi alia rationabilis causa
32 interueniret; & in prædictis casibus non posset eam Episcopus constituere, nisi ad vitam eius, cui assignatur, vt dicunt Gigas, Oldradus, Ancharanus, & Lessius *loco citato*; ergo cùm in casu nostro omnia verificētur, potest Episcopus assignare pensionem dandam ipsi renuncianti, quamuis Canonicatus solas haberet distributiones, vel annuas, vel quotidianas, vt suprà probaui; & sic poterit posteà renuncians dare illi cui renunciauit beneficium ipsius pensionē, vt alatur. Igitur ecce qua via, seu quo modo potest licitè fieri renunciatio prætensa in nostro casu.

### §. III.
#### *Examinatur quidam modus renunciandi, an sit Simoniacus?*

33 VIderi posset deniquè, posse etiam per secundam viam perueniri ad intentum renunciationis, prout in casu, si D. Canonicus renunciet Beneficium alteri cum obligatione sustentandi, & expensas faciendi vni personæ titulo solius Charitatis, nam in hoc casu datur spirituale pro spirituali, scilicet pro virtute Charitatis, quod licere, & non esse Simoniam colligi videtur ex D. Thoma 4. *sent. dist.* 25. *quæst.* 3. *art.* 3. vbi dicit, quòd si fiat mutatio beneficij

cum

cum alio propter commodum terrenum, est Simonia, non verò si fiat propter commodum spirituale, vt esset, quia meliùs posset vacare Deo cum tali beneficio, quàm cum alio, nam hoc vacare Deo est quid spirituale: ergo nec videtur Simonia, dare beneficiũ cum obligatione faciendi Charitatiuas expensas vni personæ quoad viuat, quia Charitas est quid spirituale: sic fortasse videbitur alicui posse affirmari, at immeritò, vt constabit ex dicendis.

34 Igitur secundùm hoc Charitatis exercitium, duas video difficultates: Vna est, an renuncians possit obligare eum, cui renunciat, vt titulo Charitatis sustentet ipsummet renunciantem, & non alium. Altera est, an renuncians velit omninò pauper fieri, & pro Dei amore ex eleemosyna viuere, ad quam eleemosynam obligauit illum, cui facit renunciationem. Insuper erit examinandum, an talis obligatio possit poni.

35 Circa primam censeo, non posse renunciantem obligare eum, cui renunciat, vt titulo Charitatis, vel eleemosynæ illum alat; ratio est, quia Eleemosyna est ad alterum; vel etiam sibi, dummodò sit de aliena substantia, & non de propria; & neque potest esse cum obligatione, cùm eleemosyna sit actus, quo alteri aliquid datur ex compassione, qui actus imperatur à Charitate; sed si quis obliget alium ad dandum eidem obliganti eleemosynam, dabit non ex compassione imperata à Charitate: ergo non erit vera eleemosyna, sed vera solutio temporalis, ac per consequens faciet Simoniacam illam renunciationem cum tali obligatione factam. Quòd autem Eleemosyna sibi non possit fieri, docuerunt ambo Sanchez, scilicet Ioannes *in selectis, disput.* 14. *num.* 18. alter *in summa, tom.* 1 *lib.* 4. *cap.* 49. *num.* 6.

36 Ad secundam difficultatem dico pendere ab arbitrio renunciantis, si facultatibus priuari velit, & pauper omninò fieri pro Christo, itaut ex eleemosynis viuat. Tamen non potest obligare eum, cui renunciat, vt mox antè dicebatur, vt ipsimet faciat Charitatiuè expensas; sed an faciat alteri? Dicam infrà *num.* 38

37 Posset quis dicere, quòd sicut Executor testamenti potest sibimet facere eleemosynam si sit pauper, & sic adimplere intentionem testatoris, qui eleemosynam legauit; ità & possit sibi obligare eleemosynam faciendam ille Canonicus in præsenti, supposito quòd renunciet, vt dictum est. Respondetur enim, benè posse fieri primum, quia ibi fit eleemosyna cum aliena facultate, & ad alterum, scilicet cum facultate defuncti ad alium à defuncto. Sed in casu istius Canonici, ipsi daretur quod suum est; & alter non daretur; nam intantùm potest alium obligare ad dandam eleemosynam, inquantùm ei dat, cum qua pecunia illam faciat; ergo si obligat ad dandum sibi, induceret obligationem non virtuosam, & spiritualem, sed temporalem; esset enim solutio taxata, & non eleemosyna, vt per se notum est.

38 Modus renunciandi iuxta hanc secundam viam, idest si renunciet cum obligatione in eo, cui renunciat, vt sustentet vnum in omnibus quoad viuat, & hoc titulo Charitatis, & eleemosynæ, siuè sit facienda ipsimet renuncianti, siuè sit facienda alteri, dico quòd est Simoniacus. Ratio est, quia quamuis Charitas, & eleemosyna sint virtutes spirituales, tamen sunt inseparabiliter vnitæ cum temporali; ergo daretur beneficium cum obligatione Simoniaca. Ideò enim beneficium est spirituale, licèt habeat fructus temporales; quia isti non sunt de corpore beneficij, vt dicunt communiter Doctores, & eleemosyna est virtus quidem, sed sinè temporali stare non potest (agendo tamen de eleemosyna eroganda pro sustentatione vitæ, nam eleemosyna facta pro anima saluanda, recitando coronam, &c. de hoc est aliter discurrendum.)

39 Hinc patet, responsionem esse dandam paritati suprà allatæ ex D. Thoma *sub num.* 33. quia velle commodum vacandi Deo, est totum spirituale; sed velle eleemosynam pro sustentatione, est spirituale inseparabile à temporali, & sic est temporale spirituali annexum, quod inducit Simoniam, si pro ipso daretur beneficium, vel renunciaretur, & sic tradit Bonacina *de Simonia fusè*, cum alijs.

40 Deindè, beneficium est dandum, vel resignandum, vel renunciandum liberè, aut cum pensione, & non cum obligatione alia, quæ potius est testantis, aut alium contractum facientis: ergo non potest à renunciante illa obligatio Charitatis constitui.

41 Sed potest inquiri, an Beneficii renunciatio possit fieri sinè reseruatione pensionis, sed cum spe, quòd ille, cui fit renunciatio gratus erit renuncianti, huic quotannis tantam partem fructuum ad suam sustentationem dando gratitudinis ergo propter renunciationem sibi factam, itaut de hac sua spe posit renuncians certiorari? Vt huic quæsito satisfaciam, necesse est afferre duas propositiones, quæ in serie damnatarum ab Innocentio XI. sunt 45. & 46. Vna dicit sic: ***Dare temporale pro spirituali non est simonia, quando temporale non datur tãquam par-***

*pretium, sed dumtaxat tamquam motiuum conferendi, vel efficiendi spirituale, vel etiam quando temporale sit solùm gratuita compensatio pro spirituali, aut è contrà.* Altera subsequens est ista: *Et id quoquè locum habet, etiamsi temporale sit principale motiuum dandi spirituale: imò etiamsi sit finis ipsius rei spiritualis, sic vt illud pluris æstimetur, quàm res spiritualis.* Ambæ istæ propositiones sunt meritò damnatæ, vt iacent, atquè propter earum generalitatem, quia nimis amplè loquuntur, eò quòd per verbum *dare* absolutè scriptum, non distinguatur de dando cum pacto, vel sinè pacto, seu cum obligatione, ac sinè obligatione; sicque id scandalosè docetur, cùm certè simonia sit dare pro spirituali temporale ratione pacti, licèt non vt pretium, sed vt motiuum, vel ingratitudinem iuxta pactum detur.

42 Hinc ex vi doctrinæ datæ in allatis propositionibus, posset etiam aliquis inferre, nullam admitti simoniam, quoties exclusa formalitate pretij, datur pro spirituali temporale cum aliquo pacto contractus onerosi. Igitur meritum damnationis harum propositionum patet ex earum amplissima significatione, ex vi cuius licitam faciunt quamcunq; dationem rei spiritualis pro temporali siuè cum pacto, siuè sinè pacto detur, modò temporale non detur tamquam pretium rei spiritualis, aut è contra. Hæc sunt tenenda circa primam ex his propositionibus, & consequenter etiam circa secundam, quæ tamen aliquid ampliùs scandalosè dicit eò ipso quòd idem affirmat propositionis præcedentis in illis verbis: *Et id quoquè locum habet*; deinde subdit nouam doctrinam, dum dicit vera esse, & locum habere præcedentia, *etiamsi temporale sit principale motiuum dandi spirituale; imo etiamsi sit finis ipsius rei spiritualis*, in quibus verbis non rectè distinctione vtitur, scilicet limitando, dummodò sinè pacto totum fiat, vt dicebam suprà esse dicendum, ne propositiones istæ essent scandalosè prolatæ. Iam constat de sensu animarum saluti pernicioso, quem faciunt dictæ propositiones ex vi earum generalitatis, ob quam debuerunt per Pontificiam damnationem de medio tolli.

43 Quòd si agamus, an sit simonia dare titulo gratitudinis, vel ad mouendum collatorem beneficij, vel alio fine dando temporale pro spirituali, vel è contra; sed non vt pretium, omnique excluso pacto, seu obligatione, relinquitur etiam hodie disputationi Doctorum, non minus ac ante damnationem allatarum propositionum liberum erat de hac materia, & cum debita limitatione prædicta disputare.

44 Nunc ad quæsitum patet responsio, quæ est licere beneficium renunciare cum spe gratitudinis ab eo, cui fit renunciatio, expectatæ vt exerceatur erga renunciantem; nam spes illa non admittit pactum, nec obligationem, sed ex sola liberalitate alterius pendet. Ità Doctores communiter: Videatur Bonacina *de simonia, quæst.6.punct.1.num.3.*

45 Circa petitionem, an renuncians possit de sua spe certiorari, dico negatiuè; nam vt quis certus sit, exigitur aliqua promissio, seu pactum, aut obligatio. Nihilominus si pro certitudine suæ spei intelligatur quædam humana fides, idest assecuratio ex vi solius indolis gratæ illius, cui datur spirituale, citra tamen omne pactum, seu obligationem, nulla erit simonia, quamuis verbis, aut scriptis exprimat se semper fore gratum propter acceptam rem spiritualem. Ita Bonacina cum communi opinione Doctorum *loc.cit.*

# DECISIO XXVIII.

*An licitè fiat compensatio propter ablata ab eo, qui fraudabat Gabellam? & an possit absolui, nolens abstinere?*

## Casus, seu Historia XXVIII.

### SVMMARIVM.

1 *Casus proponitur.*
2 *Ex Sacra Scriptura est soluenda Gabella.*
3 *Lex iusta humana obligat in conscientia.*
4 *Pæna adiecta probat dictam obligationem.*
5 *Pæna ponitur, vt reus puniatur.*
6 *Nulla ratione credi potest conditorem legis nolle vt obliget.*
7 *Pæna adiecta legi obligationem denotat.*
8 *Emens à fraudante gabellam non peccat.*
9 *Sed hoc non probat, quòd non obliget.*
10 *Est peccatum, & furtum, fraudare gabellam iustam.*
11 *Princeps tenetur curare subditos, & subditi tenentur ei dare.*
12 *Grauiter lædit emptorem Gabellæ qui illam fraudat.*
13 *Frandans Gabellam, non potest sibi compensare contrà Exactorem.*
14 *Et multò minus cum facultatibus Principis.*
15 *Gabella obligat semper ad pænam,*

16 Non

16 *Non est absoluendus nolens abstinere à compensatione, nec restituere iam accepta, propter merces sibi ab Exactoribus ablatas.*
17 *Datur sententia docens non esse sub obligatione conscientiæ soluere gabellam.*
18 *Ideò respondetur ad argumenta in contrarium.*
19 *Ementes gabellas sibi imputent, si non inuigilantes defraudantur.*
20 *Iuxtà hanc sententiam, non peccat, nec tenetur restituere defraudans gabellam.*
21 *Et sic est absoluendus talis fraudator.*
22 *Sed adhuc non licet facere compensationem, etiam in hac sententia.*
23 *Confessarij non debent vrgere ad restituendum, qui fraudant gabellam.*
24 *Antiquæ gabellæ, secundùm aliquos sunt soluendæ.*
25 *Non sic de nouis gabellis.*
26 *Nec est soluenda gabella, nisi petatur.*
27 *An debeat gabellam soluere defraudans, etiamsi merces ei tollantur?*
28 *An teneatur fideliter soluere omnia, quæ defert ille, cui Exactores remittunt, vt ex se dicat quid portet?*
29 *An sit soluenda gabella, si deficit causa impositionis.*
30 *Quando talis gabella sit soluenda?*
31 *Quid dicendum sit, si gabella est dubia de ipsius iustitia?*
32 *An Christiani teneantur gabellis Infidelium?*
33 *Aliqui affirmant.*

1 FRanciscus magnam quantitatem sericorum cum fraudatione gabellæ introduxit in Ciuitatem, sed detecta eius fraude, perdidit omnia, quia gabellæ Exactor illa accepit. Erat Franciscus minister reddituum Ducis eiusdem Ciuitatis, & ideò propter deperdita sibi compensabat cum retentione partis eorumdem reddituum Ducis cum animo perseuerandi donec in integrum haberet, quod perdiderat ob fraudationẽ gabellæ, quã soluere non tenebatur saltem iuxta sententiam probabilem; vnde & iniustè expoliarũ ab Exactore se reputabat. Accessit ad Confessarium ipse Franciscus, qui absolutionem obtinere non potuit, quia à tali compensatione nolebat abstinere, neque restituere Duci ablata, prætendens iniustè sibi rapta sua serica à Ministro gabellæ.

Quæritur primò: An liceat gabellam fraudare? Secundò: An dicta compensatio poterat fieri? Tertiò, an esset absoluendus Franciscus noles abstinere à dicta compensatione, nec volens aliquid restituere?

2 Respondeo ad primum, quòd iuxta dictum Christi Domini in Matthæi Euangelio *cap. 22. Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari*, videtur non licere gabellam fraudare. Id confirmatur ex D. Paulo scribente *ad Romanos 13.* vbi iubet, vt reddamus omnibus debita; cui tributum, tributum; cui vectigal, vectigal.

3 Item probatur, quia si gabellæ sunt iustæ, & lex præcipiat statuẽdo, vt gabella soluatur, tũc obligatio est in conscientia soluendi gabellam. Ratio est, nam lex humana, quæ est iusta, vim habet obligandi in conscientiã: ità DD. communiter: ergo iusta gabella illicitè fraudatur.

4 Confirmatur, quia sub quacunque forma verborũ loquatur lex imponens gabellam, vim habet obligandi in conscientia, si iusta est talis lex, cuius obligationis signum est pœna per legem adiecta; vt docet Azorius *instit. moral. part. 3. lib. 5. cap. 22. § Secundo dicimus.* Quòd si dicatur, legem pænalem, nullam habere vim
5 obligandi in conscientia, seu sub pæna peccati; respõdetur, quòd pæna non apponitur, vt transgressor excusetur à culpa, sed potiùs, vt tamquam reus culpæ puniatur: ità Azorius *ibidem*.

6 Et si iterum obijciatur cum Nauarro, tunc solùm gabellas esse in conscientia soluendas, quando conditores legum, gabellas imponentes, habent animum, & intentionem obligandi sub pæna peccati; at probabiliter credimus, eos non habuisse huiusmodi animum, & mentem. Respondetur, quòd nulla ratione cogimur ad credendum, eos non habuisse animum obligandi, siquidem præcipiunt, vt gabellæ soluantur, & pænam imponunt non soluentibus, & puniunt defraudantes gabellas, & inter-
7 dum etiam duplo, vel quadruplo. Item facit contra Nauarrum, quòd pæna legi adiecta, solet esse indicium obligationis per legem constitutæ.

8 Neque probat, quòd lex gabellæ non obliget in conscientia, id, quod docet idem Nauarrus *lib. 3. cap. 1. 269.* Lessius *de iust. & iur. lib. 2. cap. 33. dub. 9.*, videlicet non peccare eum, qui emit à fraudante gabellã; ergo signum est, gabellam non esse soluendam in conscientia, quia si adesset obligatio conscientiæ, non posset emi res ablata à fraudante gabellam contra obligationem. Resp., quidem licere sinè pec-
9 cato emere à fraudante gabellam, sed hoc non probat, eam non obligare in conscientia, quia si est iusta obligat, & tamen emens à fraudante non peccat, nam non tenetur ex iustitia reue-

lare

lare fraudantem (supposito quòd non sit officialis, vt notat Naldus *in summa verb. Fraus n. 2.*) nec tenetur ex charitate, quia non tenetur se priuare vtilitate, & commoditate, quam habet in emptione cum eodem celebrata.

10 Igitur, quando gabellæ sunt iustæ, lex soluendi eas obligat in conscientia, & sic defraudantes gabellas iustas, non solùm mortaliter peccant, sed etiam furtum committunt, & sunt in obligatione restituendi Reipublicæ, vel Principi, aut illi, qui conduxit gabellam. Ità Syluester *verb. gabella 3. qu.* 8. Gabriel *in 4. dist. 15. art. 2. conclus.* 7. Couarruuias *in regul. peccatum par. 2. §. 5.* Castrus *lib. 1. de lege pænali cap. 10. & lib. 2. cap. 2.* Corduben. *in summa, quæst. 95. dub. 1.* Tabiena *verb. Pedagium quæst.* 8. Rosella *eod. verb. num.* 8. Armilla *eodem verbo num. 6.* & Ortiz, Homobonus, Vegha, Rodriguez, Graffius, Fernandez, Megala, Molfesius, Salas, Ledesma, Suarez, Guttierez, & alij, qui omnes dicunt esse faciendam restitutionem, & esse peccatum lethale, si tamen materia est grauis, quæ sufficiat ad pecca-
11 tum mortale. Rationes probantes hanc opinionem sunt duæ: prima est, quòd sicut Princeps debet curare Rempublicam, & in eius bona vigilare; ità & Respublica debet Principi
12 iustum subsidium. Secunda est, quòd grauis fraudatio grauiter præiudicat ementibus gabellam.

13 Data veritate prædictæ opinionis, dico non fuisse licitum facere compensationem, prout in casu præsenti exponitur fecisse Franciscum, vt sic sibi acciperet id, quod fraudans gabellam perdiderat. Ratio est, nam compensatio non licet nisi aliundè non possit haberi suum; sed amissa in fraudatione gabellæ non sunt eius, qui ea perdidit, cùm ab eo iustè, & in pænam authoritate Principis fuerint ablata; ergo Franciscus non habet ius ad sibi compensandum.

14 Et multò minus potuit sibi compensare, hoc ipso quòd de bonis Principis sibi accipiebat; nam oportet videre an Princeps, vel conductor gabellæ sibi retineant id, quod tollunt fraudantibus; vel an ablata diuidantur inter Principem, & Conductorem gabellæ, vel etiam inter alium Ministrum. Quare dato, quòd Franciscus possit sibi compensare, non debet totum à solo, Principe accipere, si Princeps totum non habuit; sed deberet partim ab vno, partim ab alio inter quos res ablata diuisa fuit. Hæc dixi, dans,
15 sed non concedens esse licitam hanc compensationem, cùm semper sit illicita, etiamsi gabella sit non obligans in conscientia, obligat enim saltem, & semper ad pænam soluendam, & ideò iustè punitur fraudans gabellam, ab eo auferendo merces, quæ ablatæ fiunt alterius, & sic non sunt ampliùs illius, qui illas perdidit, ac proinde iste non habet ius ad sibi compensandum, sed accipiens, accipit rem alienam.

16 Franciscus ergo accedens ad Confessarium, & nolens abstinere à tali compensatione, imò & nolens iam ablata restituere, meritò sinè absolutione dimittitur, vtpote non dispositus; quæ omnia verificantur sequendo prædictam sententiam docentem, quod lex gabellæ soluendæ obligat in conscientia.

17 Est nihilominus opinio contraria, & ipsa est probabilis, & eam tenent Henr. *quolibet 3. qu. 22.* Castrus *de potest. leg. pænal. cap. 9.* Angelus *verb. pedagium n. 6. & verbo Inobedientia n. 1.* Nauarrus *in Manuli cap. 17. n. 200. & cap. 23. n. 54.* Beia *in respons. p. 1. cas. 3.* Duardus *in comment. Bull. Cænæ lib. 2. cap 15.* Ratio in qua hæc sententia fundatur est, quia probabile est, quòd leges humanæ puræ pænales non obligant in conscientia; sed lex gabellarum, est humana pænam imponens; ergo non obligat in conscientia; ergo fraudans talem legem, non peccat, nec tenetur ad restitutionem.

18 Ad rationes contrariæ sententiæ facilis est responsio. Nam ad id, quod dicebatur, deberi tributa Principibus iure naturali, respõdetur, quòd fraudantes gabellam non intendunt contrauenire iuri naturali, sed quia agitur de lege purè pænali, eorum arbitrio committitur, an velint soluere gabellam, vel illam fraudare, se periculo exponentes soluendæ pænæ cum magno Principis lucro. Eadem est responsio danda, si gabella fraudetur cum periculo copiosi emolumenti pro conductore, & ministris gabellæ, prout suprà dicebat opinio huic opposita, *sub num.* 11 & 12.

19 Ideò dicendum quoquè est pro ementibus gabellas, eis esse imputandum si non inuigilent, ne fraudentur; nam cum tali conditione illas emunt, vt si cum vno amittunt, cum alio lucrentur propter pænam contrauentionis. Ità Diana *part. 1. tract. de Legibus, resolut. 19.*

20 Non ergo peccant, nec ad restitutionem tenentur fraudantes gabellas, seu vectigalia, quamuis sint iusta; & hæc opinio non est improbabilis, vt putat Lessius *de iust. & iur. lib. 2. cap 33. dub. 8. num 55.* & Bonacina *de contract. disp. 2. quæst 9. punct. 1. num. 3.* qui vocant tantùm probabiliorem sententiam contrariam.

21 Hinc deducitur, quòd Franciscus fraudans gabellam, cùm non peccauerit, nec ad resti-

tutionem teneatur, potest absolui à Confessario, quamuis protestetur Franciscus se nihil
22 velle restituere, ob fraudationem factam. Sed magis vrget, an secundùm istam opinionem, possit fieri à Francisco compensatio; & videtur affirmatiuè respondendum, eò ipso quòd Publicani ab ipso abstulerunt, cùm ipse illis nihil teneretur soluere, & aliter sua per Exactorem ablata recipere non possit, nisi per viam occultæ compensationis. Nihilominus absolutè neganda est talis compensatio, etiamsi non teneretur soluere; nam lex gabellæ est conuentionalis, & facit sensum, quòd si quis transferat merces per certam portam, pontem, aut viam, soluat certam pecuniæ quantitatem, aut soluat illam pænam taxatam, si deprehendatur fraudare solutionem modicam pro mercibus: ergo fraudans si mulctatur cum pæna, hæc ab eo iustè exigitur, vtpote ab illo, cum quo conuenit, v.g. Publicano, vt soluat pro merce, vel pænam pro fraude; ergo non potest facere sibi compensationem, si iustè punitur, & perdit in pænam, sibi namque imputet, quòd nolens parum soluere, multum voluit perdere, & hoc quod perdidit, non est ampliùs suum, quia non est pura perditio, sed est iusta pæna, ideò non habet ius ad compensandum.

23 Non esset Franciscus iste absoluendus; si à compensatione nollet abstinere, neque vellet restituere ablatum titulo compensationis, quia hæc ipsi non licebat, vt dictum est. Tamen aliter dicendum est de pænitentibus nolentibus restitutionem facere propter defraudationem vectigalium; vndè Emmanuel Sà Societ. Iesu *verbo gabella*, *num. 6.* asserit non debere tales pænitentes à Confessarijs vrgeri ad restituendum; & idem docuit Episcopus Malderus *in 2.2.tract.5.c.6.dub.* 15. ideò nolentes restituere possent licitè absolui, sequendo hanc secundam opinionem probabilem.

24 Pro plena notitia eorum, quæ in hac materia possent desiderari, ponam hìc compendiosam resolutionem multarum difficultatum. Prima sit, an dato, quòd Gabella sit soluenda, intelligatur hoc etiam de nouis gabellis, & pedagijs? Respondeo dari duas opiniones: vna docet esse soluendas gabellas antiquas, de quarum initio non est memoria, quia sic censentur iustæ, etiamsi illarum causa non constet: At verò gabellas, & pedagia noua, probabiliter credi esse iniusta, nisi manifestè constet causa, cur iustè imposita sint. Id probatur *ex c. quamquam, de censibus in 6.* vbi apertè dicitur, noua pedagia, tam iure ciuili, quàm canonico esse prohibita. Docent etiam dictam sententiam Angelus, Caietanus, Hostiensis, & alij.

25 Altera opinio est, dicens, non credi probabiliter iniusta noua pedagia, siuè antiqua, nisi quando de eorum iniustitia manifestè constet: ità Syluester, Gabriel, Tabiena, & hæc est opinio probabilior.

26 Secunda difficultas sit, an gabellæ, pedagia, vel collectæ, si non petantur, sint soluendæ? Dico, non esse soluendas, nisi petantur, vt tenet Sotus *lib.3.de Iustit.q.7. art.7. & lib.4. q.6. art.4.* & Tabiena. Sed in sententia Couarruuiæ, & Cordub. *in summ. q.5. dub.1.* sunt in conscientia soluendæ.

27 Tertia difficultas sit, an soluta pæna cum amissione mercium ab eo, qui defraudauit gabellam, debeat nihilominus gabellam soluere? Dico, debere attendi an gabellarum exactores sint contenti sola pænæ solutione, tunc enim ad nihil ampliùs tenetur: censentur autem contenti, quando pæna est commissi, scilicet amissionis rerum, quæ deferuntur, vel quando pæna est quadruplo, vel duplo maior, quàm sit debita gabella.

28 Quartò quæritur, an quando Exactores gabellæ remittunt, & relinquũt verbo deferentis merces, vt dicat quid deferat, teneatur tunc omnia fideliter propalare? Dico teneri, si iurat, vel eius conscientiæ totum remittitur. Si verò ex modo, quo Exactores quærunt à deferente merces, vt ipse dicat quid habet, cognoscitur eos non curare, an dicat, vel non dicat omnia, vel quia est amicus, vel quia sæpè transit, vel ex vsu, vel alia de causa, tunc sufficit si ex parte propalet, & soluat, quia in tali casu eis remittitur debitum earum rerum, quas fortè occultat.

29 Quintò quæritur, an teneatur quis soluere gabellam impositam ad v.g. reficiendam viam, quæ tamen non reficitur; seu ad alium finem, qui tamen non adimpletur? Dico non teneri, quia deficiente causa, ob quam promittitur gabella, deficit etiam gabellæ soluendæ obligatio.

30 Limitandum hoc est, dummodò facilè non sit, vt iterum talis causa insurgat, quia in tali casu esset soluenda gabella. Item limitari debet, nisi aliæ causæ insurgant, ob quas nouæ gabellæ essent imponendæ; nam & in tali casu oporteret soluere. Hæc, quæ dixi in duobus numeris istis, videlicet in 28. & 29. dico esse intelligenda de subditis, non verò de ipsis Exactoribus, cùm de istis sint speciales difficultates.

31 Sex-

31 Sextò quæritur, an in dubio de iustitia gabellæ, hæc sit soluenda? Respondeo, si dubium est æquale pro Principe, & subdito, possidet Princeps, & sic est soluenda. Si verò consultis viris doctis dignoscitur gabella iniusta, tunc non est soluenda.

32 Septimò, potest quæri an Christiani teneantur soluere gabellas, quando deferunt merces per terras Infidelium? Negant Syluester *verb. gabella 3. q. 4.* Angelus *verb. pedagium, num. 7.* & Rosella cum Hostiensi: ratio est, quia Christiani non subijciuntur statutis infidelium; præsertim Turcarum, seu Saracenorum, qui vi, & armis occupant terras Christianorum.

33 Alij tamen volunt esse soluendas, vel quia fideles sua sponte se subijciunt statutis infidelium circa gabellas: vel quia ab infidelibus eis conceditur secura via ad deferendas merces; vel quia eis dant tutum portum, & ciuitatem, ad quam merces deferunt.

---

# DECISIO XXIX.

*An post mortem emptoris, possit venditor rem suam non solutam tollere, antequam soluantur creditores anteriores, & antequam à facultatibus defuncti extrahatur dos filiæ ipsius iam nuptæ: Et an venditori sit restituenda res non ei soluta à mortuo emptore, si ab alio creditore tollatur?*

## Casus, seu Historia XXIX.

### SVMMARIVM.

1 *Casus proponitur.*
2 *Tres difficultates proponuntur.*
3 *Res vendita, & non soluta, non remanet obligata venditori.*
4 *Res vendita, non est verè pignus etiam post traditionem, sed antè solutionem.*
5 *Venditori præferuntur creditores.*
6 *Per rei venditionem transfertur dominium.*
7 *Vndè debent venditores vti cautela, ponendo pactum in venditione impediens translationem dominij rei, donec soluatur.*
8 *In quo casu venditores præferentur anterioribus creditoribus emptoris.*
9 *Quod intelligitur, dummodò res extet.*
10 *Res furata si extat, est restituenda primo loco, & antequam alij creditores soluantur; & an non soluta, eius dominium sit penes venditorem.*
11 *Venditor potest in venditione ponere legem.*
12 *Pactum positum in venditione, censetur pars pretij.*
13 *Nullum ius naturale probat, rem venditam, & nondum solutam, non transire in dominium emptoris.*
14 *Et neque nullum ius ciuile.*
15 *Tamen aliqui docent contrarium.*
16 *Sed aliqui dicunt esse de iure ciuili, alij de iure naturali.*
17 *Nauarrus dicit rem venditam transire in dominium emptoris; sed donec extat, remanere obligatam.*
18 *Sed dicendum est, personam emptoris remanere obligatam.*
19 *Et sic res empta computatur inter bona emptoris; quamuis eam nondum soluerit.*
20 *Ideò qui rem talem vendidit, æquabitur alijs creditoribus.*
21 *Nam ratio antiquitatis temporis nullo iure ciuili concedit prælationem creditoribus si cætera sint paria.*
22 *Et hæc opinio est verior.*
23 *Vndè non est postponendus alijs ille, qui vltimus vendidit.*
24 *Nec obstat regula:* Prior tempore, est potior iure.
25 *Ratione priuilegij, vel hypothecæ res manet obligata venditori.*
26 *Qui non habet rem à se venditam sic obligatam, non potest prætendere ab emptore, nisi æqualiter cum alijs creditoribus.*
27 *Aliter si plus tollit, minuit creditoribus.*
28 *Debitor non potest minus dare vni, quàm alteri.*
29 *Opinio Lessij reijcitur.*
30 *Quia videtur posteà sibi contrarius.*
31 *Loco pretij, censetur dari* fides emptoris.
32 *Res non est emptoris, donec eam soluat.*
33 *Nisi det promissionem loco pretij.*
34 *Venditor rei nondum solutæ, an possit sibi compensare.*
35 *Venditores ponant pactum, & res erit sua donec soluatur.*
36 *Dos constituta à patre, consideranda est, an sit de bonis liberis, an de debitis.*
37 *In vera dote intercedit semper hypotheca.*
38 *Ratione hypothecæ, datur in dote ius prælationis.*
39 *Dotis hypotheca, quibus præferatur.*
40 *An præferatur omnibus hypothecis.*
41 *Quid si detur statutum.*
42 *Pater debitis inuolutus, non potest filiæ constituere dotem.*
43 *Dos non constituitur, nisi soluto ære alieno.*
44 *Dos constituitur iuxtà æqualitatem, & quantitatem*

*tatem facultatum patris.*
45 *Vbi non est ens, nulla sunt qualitates.*
46 *Hypotheca vera dotis, valet à tempore promissionis.*

1 RAnulphus emerat prædia, & animalia multa à Parisio, sed post quindecim dies à die huiuscemodi emptionis mortuus est emptor ille, qui prędia, & animalia empta dederat in dotem filiæ suæ nuptæ intrà illos quindecim dies. Post mortem ipsius Ranulphi, insurrexerunt multi creditores, qui à multis annis mutuo dederant ei pecunias, nec non & res ad commodum, ornatum, & vsum domus. Parisius cùm nondum ei fuerit facta solutio de venditis Ranulpho, iuit, & ex se recepit animalia aliqua ex ijs, quæ illi vendiderat; imò & accepit in sui possessionem prædicta vendita prædia, itaut omnium creditorum vltimus, primus fuerit in se soluendo. Alij creditores acceperunt quidquid potuerunt, imò & de animalibus Parisij nonnulla abstulerunt, ac tandem pro sponso filiæ defuncti nihil superfuit; in quo facto, interrogor quid sentiam?

2 Respondeo, me in hoc casu plures adinuenire difficultates. Prima est; Parisius an potuerit sibi reaccipere res venditas, sibique sic satisfacere, cùm inter creditores defuncti vltimus numeretur? Secunda est, an alij creditores licitè acceperint de animalibus Parisij? Tertia est, quid sit dicendum de dote iam assignata filiæ iam traditæ sponso, cùm dos tota esset de bonis emptis, sed non solutis, & post patris mortem reacceptis à venditoribus.

3 Quantùm ad primam difficultatem, nego potuisse Parisium res à se venditas licitè reaccipere, antequam creditores anteriores sint satisfacti. Ratio est, quia res vendita, non remanet obligata venditori pro pretio *l. quamuis*
4 *de in rem. vers. leg. 1. in fin. de reb eor.* Et quamuis res vendita possit dici quasi pignus, quia antè traditionem potest retineri; tamen non est verè pignus, nam re tradita non conceditur auocatio: *gloss in l. Iulianus, §. offerri, in verb. retinere, ff. de action. empto.* Baldus *in l. vlt. in fin. C. commend.* Bartolus *in l. si cùm dotem, §. si*
5 *solu. matr.* Surdus *decis. 220. num. 33.* vbi ex hoc inferunt, quòd in mercibus venditis præferuntur venditori creditores anteriores, quãuis habeant solùm actionem personalem. Iason *in l. crditor, n. 5. col. 1. vers. nota tamen diligenter*: vbi de communi. *si cert. pet. Negus. de pignor. 4. memb. 5. p. nu. 3.* ergo Parisius non poterat rem venditam iterum reaccipere, sed contra emptoris personam agere, vel contra facientem pro mortui emptoris persona.

6 Confirmatur, nam per venditionem transfertur dominium in emptorem. *§. vendita, vers. sed si is. instit. de rer. diuis.* ergo venditor habet solùm actionem personalem ex vendito ad pretium consequendum, quæ non sequitur rem. *l. procuratoris, §. planè, vers. quod si dedi. de tributor. action.* & est opinio communis. Gomes. *var. resol. c. 2. tom. 2.*

7 Quare necessaria est in venditore cautela, vt faciat sibi obligari rem venditam pro solutione pretij, & tunc præferetur omnibus creditoribus anteriorem hypothecam habentibus; seu apponat pactum impediens translationem dominij, quoadusque pretium fuerit solutum. Rip. *in l. Priuilegia, num. 32. de priuil credit. col. 6. ad med. vers. nono fallit.* Gomes, & alij. Si ergo Parisius non absolutè vendiderat res suas, sed cum appositione alicuius pacti impeditiui trãslationis dominij in emptorem; tunc ipse non habebat solam actionem in personam, sed etiã in rem, cuius per pactum cum cautela positum in actu venditionis, remanet dominus, donec soluatur; & in hoc statu, si non poterat aliunde solui, poterat rem suam sibi accipere, nil curans an dentur anteriores creditores.

8 Et quòd si res reseruetur obligata venditori donec pretium detur, venditor possit antecessoribus creditoribus præferri, ostenditur ex simili de fructibus perceptis ex fundo locato, qui fructus cùm tacitè sint obligati Domino pro pensione, ideò præfertur anterioribus creditoribus. *l. in prædij 7. ff. quib. mod. pignor. vel hypoth. tacit. contrah.* & ibi Bart. & Ang. *in princ.* Idem Bart. *in l. si seruus communis. 63. §. locaui. de furt.* vbi etiam Ang. *in princ.* Iason *in l. item quia, num. 15. § de pact.* Surdus *decis. 97. num. 4.*
9 & alij, quamuis intelligi hoc debeat de extantibus fructibus, siuè naturalibus, siuè industrialibus, vt dicit Negus. *de pignor. 4. m. 2. p. num. 147. vers. Illud tamen, & num. 148. in fin. vers. Vndè vera est conclusio*: ergo & in nostro casu si res vendita extiterit obligata domino, dominus est præferendus anterioribus creditoribus.

10 Probatur eadem veritas ex Theologorum doctrina tradentium, quòd quandocunque res furata extat in se ipsa eadem numero, vt dicunt Philosophi, vel eadem in specie, vt loquuntur Iurisconsulti, illa est primo loco restituenda, quia est res aliena, nec aliquod illius dominiũ transiuit in possessorem. *l. si ventri. §. in bonis. vers. si tamen. ff. de priuil. creditor.* ergo

& res

& res vendita cum pacto impediente translationem dominij, erit domini, donec pretium sit ei datum.

11 Et optimè potest venditor in venditione rei suæ ponere conditionem magis sibi visam, & legem quam maluerit, itaut emens teneatur cum illo onere acceptare, vel in totum repudiare. *l. quoties. C. de dom. quæ sub mod.* & idem dicit Iason *in l. si contra, §. si filius in 4. notab. de pact.* cum alijs per Surdum *decis. 344. nu. 25.*

12 præsertim cùm illud pactum censeri debeat pars pretij. *l. fundi partem 79. de contrah. empt.*

13 Probatur idē ex Couar. *lib. 1. var. res. c. 7. n. 3.* nam nec iure naturali, nec iure ciuili nascitur prælatio cæteris creditoribus in illo, qui rem vendidit, sed pretium non recepit: ergo. Et quidem non ex iure naturali, quia non est maior ratio, cur huiusmodi debitum priùs solui debeat, quàm cętera, cùm res vendita iam transierit in dominium emptoris, sicut etiam cætera debita: nec idem ius naturale dictat rem veditam manere per hypothecam tacitam obligatam solutioni, quia non est maior ratio, cur ea res maneat obligata, quàm alia quæcumque res empta, cuius dominium in debitorem transiuit.

14 Ex alio etiam capite Iuris ciuilis, nulla lex extat, quæ tribuat ius prælationis anterioribus creditoribus huic debito: ergo etiamsi res vendita extet in specie, seu numero in domo emptoris defuncti, venditor, qui illam sinè pacto liberè vendidit non habet ius in illam; consequenter nec habet ius prælationis inter creditores soluendos; talis enim res est propria em-

15 ptoris, nec amplius est venditoris. Inuenio tamen Caietanum, Nauarrum, Armillam, Syluestrum, Rosellam, Antoninum, Angelum, Tabienam, & alios, quos citat Azorius *instit. moral. part. 3. lib. 4. cap. 36.*, qui docent, & tenent sententiam contrariam. Igitur iuxa horum Doctorum opinionem, si Parisius vendidit Ranulpho prædia cum animalibus, itaut per venditionem res vendita transierit in dominium Ranulphi, & pretium Ranulphus nondum soluerit, sed se tantum obligauerit ad pretium soluendum, & Ranulphus habeat plures creditores certos, primum omnium tenetur soluere Parisio pretium, quod promisit pro prædijs, & animalibus. Rationem aliquam non video ad-

16 ductam ab his Doctoribus, sed solùm inuenio eos inter se discrepare, ex eò quòd aliqui dicant id esse de iure naturæ; alij asserant esse de iure ciuili, cùm tamen nullam citent legem, excepto Nauar. *c. 17. n. 49.* vbi affert *l. 2. & 3. ff.* *ex quibus cau. pign. vel hypoteca tacitè contrah.* at ex ista lege, non videtur satis apertè colligi id, quod Nauarrus intendit, prout notat Azorius *instit. moral. part. 3. lib. 4. cap. 26. quæsito 1.*

17 Quod autem idem Nauarrus *loco cit.* dicit per modum rationis ad probandam suam opinionem est, quod quamuis res vendita transeat in dominium emptoris per *l. traditionis, C. de pact.*, tamen remansit obligata pro satisfactione solutionis, quoadusque in sua specie, & forma reperitur in potestate emptoris; ergo, dicit Nauarrus, satisfaciendum est venditori, cum cæteris creditoribus præferendo.

18 Sed respondetur, negando, quòd talis res vendita, & nondum soluta remaneat obligata pro solutione; sed dicendum est, quòd sola persona emptoris remaneat obligata, in cuius dominium transiuit res illa, & sic venditor habet actionem in personam, vt fusè suprà dicebatur.

19 Ideò magis placet sententia prima, quæ tenet, quòd res vendita sit incorporata cum facultatibus emptoris, quamuis iste rem nondum soluerit; ac proindè venditor non potest rem illam adhùc extantem sibi accipere, licèt ex numero creditorum meritò dicatur.

20 Et ne in omnibus videar esse contra Parisium venditorem, de quo agitur in hac decisione, conor fauere ipsi, sed solùm illi fauere scio in hoc, quòd illum cæteris creditoribus parifico. Non ergo refert, quòd vltimus sit in contrahendo cum Ranulpho, qui multis est debitor, sed cætera paria si sint ex parte creditorum ipsius Ranulphi, æqualiter participare debet de Ranulphi facultatibus ipse Pari-

21 sius, ac quilibet ex alijs creditoribus. Ratio est, quia nullo iure ciuili conceditur ius prælationis inter creditores, ratione antiquitatis, seu anterioritatis tēporis, quo aliquis euasit creditor, exceptis casibus hypothecæ, siuè priuilegij: ergo in casu nostro, cùm cætera sint paria, Parisius æqualis erit in creditoris ratione cum alijs creditoribus etiam tempore antiquioribus. Quòd autem in conscientia nullum habeat ius creditor tempore prior, si cætera sint paria, docuit Nauarrus *cap. 17. num 52.* Syluester, Antonin., & Glossa *in l. priuilegia, ff. de*

22 *priuil. creditorum*, quæ opinio vocatur verior opinione contraria ab Azorio *instit. moral. par. 3. lib. 4. cap. 36. qu 5.*

23 Ex hoc autem, quod est æqualis, nō est postponendus, sed bona debitoris æquali portione sunt distribuenda inter creditores, quorum nullus habet hypothecam, nec prioritatis priuilegium; & hæc iuxta sententiam docentem, nullum

lum dare ius creditori anterioritatem temporis, si in cæteris est par cum alijs creditoribus.

24 Nec contra militat *regula iuris in 6. Qui prior est tempore, potior est iure*: quæ regula desumpta est *ex l. quoties vtriusquè, ff. de regul iuris*: respondetur enim, quòd quamuis regula citata sit vera in multis, vt est, quòd antiquiores habeant ius prælationis in sedendo, in dicendo sententiam, in subscribendo; sicut & qui prior tempore litteras Apostolicas impetrauit, solet alijs præferri: nihilominus in iure, & in præsenti negotio verificatur tantùm in creditoribus habentibus hypothecam, aut priuilegium, prout tradunt Doctores supra addu-

25 cti pro hac opinione. Quòd si aliud addatur argumentum in contrarium, facilè dissoluendum est cum hac eadem responsione, quòd prælatio debeatur habentibus priuilegium, & hypothecam, nam illis res manet obligata, non tamen alijs ex sola temporis antiquitate.

26 Cogitet ergo Dominus Parisius, an in venditione rerum suarum facta Ranulpho eas hypothecauerit donec soluerentur; aut an priuilegium habeat; & si aliquid horum habet, ipse erit præferendus; & si ex sua sponte tollat quod sui est, quia aliter habere nō potest, benè facit. Verùm si accepit vel totum quod vendiderat, vel partem, dico teneri ad restitutionem illius quantitatis excedentis summam, quæ ei potest contingere, facta æquali parte pro singulo creditore de bonis Ranulphi debitoris. Ratio est,

27 quia sic detraxit, & minuit saltem ex parte id, quod alteri creditori debebatur; & ideò nec ipse debitor potest totum dare vni creditori, si

28 non habeat vndè, & satisfaciat alteri; imò nec potest plus dare huic, quàm illi, cùm hoc sit tollere vni, vt alteri detur; ergo nec ipse creditor ex se poterit sibi tollere totũ, de quo erat satisfaciendus, quia illud totum erat emptoris, cuius bona debent æqualiter inter creditores diuidi, ac distribui. Videatur Azorius *vbi supra, quæsito 6. §. cæterum*.

29 Nec in præsenti curo examinare, an res Ecclesiæ vendita, & nondum soluta sit primo loco soluenda, vel, si extat, restituenda? Lessius enim dicit talem rem esse primo loco soluendam, vel restituendam: *de iust. & iur. lib. 2. c. 15. dub 2. n. 7.* & statim *n. 8.* idem docet etiam de re non Ecclesiæ, & fundatur *in Institut. de rerum diuisione, §. vendita*, vbi dicitur. *Vendita verò res, & tradita, non aliter emptori acquirantur, quàm si is venditori pretium soluerit, vel alio modo ei satisfecerit, veluti ex promissione, aut pignore dato*: Ergo, dicit Lessius, res vendita, & non soluta, non est adhuc emptoris: Ergo secundùm Lessij doctrinam videtur potuisse Parisium rem venditam, vt suam, reac-

30 cipere. Sed huic doctrinæ, seu opinioni Lessij, videtur apertè non esse adhærendum, nam ipsemet videtur contrariare sibi, dum statim subdit contra suam sententiam hæc verba *eiusdem §. Instit. Sed si is, qui vendidit, fidem emptoris, secutus fuerit, dicendum est statim rem emptoris fieri*: ergo res vendita, & non adhùc soluta, dicenda erit emptoris. Respondet statim *n. 9.* ipse Lessius; tunc censeri sequi *fidem emptoris*, quando ipsius nuda promissione est contentus, perinde ac si pretium esset solutum.

31 Nũc subdo ego: sed sic est, quòd vendens rem, de qua statim non soluitur, semper tamen habet, & consequitur *fidem emptoris promittentis*, soluere: ergo semper res acquiritur emptori, scilicet transit in illius dominium, eò ipso quòd modo dicto ei venditur, & traditur.

32 Et quia idem Lessius *loco cit. sed num. 11.* citat Caietanum, Syluestrum, Fumum, Medinam, Nauarrum, Archidiaconum, Baldum, & alios suppresso nomine, docentes rem esse semper venditoris, donec eam emptor soluerit, quia hoc videtur æquum rationi, & iuxta ius

33 gentium; respondendum est, totum verum esse, si nulla daretur satisfactio venditori; & nequè extaret lex in contrarium: sed ex dictis constat dari satisfactionem venditori, donec soluatur, si ei datur promissio, & ita decernit lex prædicta, *ex instit. de rerum diuisione §. vendita*: ergo & ratione legis sic statuentis, & ex data satisfactione per promissionem, res empta fiet statim emptoris.

34 Dicta sufficiant pro decisione dubitationis circà reacceptionẽ partis earum rerum, videlicet prędiorum, & animalium venditorum Ranulpho à Parisio, qui mortuo ante solutionem emptore, talem fecerat reacceptionem. Non poterat Parisius sibi tollere, quod reaccepit vtpote res emptoris, distribuendæ æqualiter inter omnes creditores defuncti. Si ergo non sunt res vēditoris, hic debet restituere non suum; sicut & tenentur restituere alij creditores, qui sibi aliquid non suum acceperunt de facultatibus defuncti.

35 Discant hinc venditores, qui pretium non statim recipiunt ab emptoribus, discant inquam rem venditam hypothecare donec pretium eis detur, & tunc re adhuc extante post mortem debitoris, erunt alijs præferendi, & vel rem ipsam, vel illius pretium debebunt habere, vt iam supra dixi.

36 Re-

36 Remanet nunc dicendum, an Sponsus filiæ defuncti Ranulphi sit alijs præferendus, vt dotem recipiat, & hanc ex toto, & non iuxta æqualem distributionem faciendam inter omnes Ranulphi creditores? seu an prædia, & alia assignata pro dote, sed nondum à Sponso accepta, quamuis acceptata, sint ei integrè danda, vel soluenda? Respondeo, quòd duo debent in hoc considerari. Primum est, an dos à Ranulpho constituta pro filia, fuerit de facultatibus liberis Ranulphi, an verò de facultatibus ipsius, sed debitis inuoluti, ità vt omnes facultates, quas pater habet debeantur creditoribus. Secundum est, an dos sit hypothecata statim ac promissa, & si non data, constituta tamen de facultatibus proprijs patris Sponsæ.

37 Loquendo igitur de vera dote, statuitur *in l. vnic. 6. de rei vxoriæ actione*, vt pro dotis obligatione debitoris bona ex vtraquè parte hypothecæ subijciantur, hoc est, tū mariti ad restitutionem dotis, quam accepit; tum mulieris pro ipsa dote præstanda, nec non etiam cæterorum, qui aut dotem pro marito susceperunt, aut dotem pro muliere promiserunt.

38 Et supposito, quòd à iure statuatur doti hypotheca, vt dictum est quòd à iure *loc. d.* statuitur, sequitur dari in dote ius prælationis. Et
39 quia hæc dotis hypotheca dicitur tacita, difficultatur an sit præferenda alijs hypothecis anterioribus. Alij dicunt, præferri tacitis, non expressis: Syluester *verb. Dos qu. 12. & verb. restitutio 6. qu. 5.* Angelus *verb. Dos num. 11.* Couarruuias *lib. 1. variar. resol. c. 7. n. 1. & 2.* vbi citat Azonem, Dynum, Glossam *in l. assi-*
40 *duis, C. qui potior. in pignor habeantur*. Alij tenent præferri omnibus hypothecis anterioribus, siuè tacitis, siuè expressis: sic tradit Martinus Glossator antiquus, citatus à Glossa *in l. assiduis supra citata:* sic Petrus de Bellapertica, Aretinus, Cynus, Faber, Andreas, & alij, quos refert Syluester: Sic Cardinalis *in capit. & ex litteris, de pignor.* & Panormitanus *ibid.* Fundamentum huius opinionis est, quòd *in l. assiduis, & Authentica de æqualit. dotis*, præfertur anterioribus; & qui totum dicit, nihil exclu-
41 dit. Limitandum tamen est, dummodò non habeatur alicubi statutum in contrarium, sicut non habetur in loco Ranulphi, nec Parisijs, prout in nostro casu, habetur tamen in Hispania *in l. 33. tit. 13. partita 5.*, quòd præferatur hypothecis tacitis, non tamen expressis.

42 Sed quia dos ista in nostro casu, fuit à patre inuoluto debitis constituta, ideò quærendum est, an potuerit filiam dotare. Et respondeo, quòd non, nam pater debitis inuolutus, non potest filiam dotare, si tamen filiæ dotem ille constituat, non tenet talis dotis constitutio. Bald. *in l. fin. col. pen. in princ. v. sed quid si pater, nu. 10. C. de dot. promiss.* cùm dos non debeat
43 constitui, nisi soluto ære alieno *l. vlt. in princ. ff. quæ in fraud. credit.* & notat etiam Rom. *in l 1. ff. solut. matrim.* Iason. *in §. fuerat, nu. 116. institut. de action.* Rebuff. *de congr. portion. nu. 102. to. 15. pag. 2. f. 245.* Et est ratio, quia dos
44 debet constitui secūdùm qualitatem, & quantitatem facultatum patris *l. quæro, de iur. dot. l. non potest §. gener. ff. eod. tit. l. si filia de leg. 3.* Vndè si non adsunt facultates, nequè potest
45 cadere dotis constitutio, cùm non entis nullæ sint qualitates *l. eius, qui in prouincia, ff. si cert. pet.*

46 Si autem dotis constitutio fiat de bonis patris non inuoluti debitis, valebit ita vt intelligatur tacitè hypothecata statim à tempore promissionis, non verò traditionis: ità Mohe. *decis. 51. per l. balneum. & l. potior qui pot. in pig. hab.* Gome. *in l. 50. Taur. num. 38.* & alij apud Gratianum *tom. 1. discept. forens. cap. 53. nu. 2. & 3.*

Postquam in superioribus docuimus, cuinam bona aliqua spectent, & debeantur; restat vt dicamus quomodo res propria possit tueri, & accipi vbi inuenitur. Quocirca scire oportet Innocentium XI. damnasse tres sequentes propositiones, quæ in ordine damnatarum à dicto Pontifice, sunt 31. 32. & 33. Prima est ista: *Regulariter occidere possum furem pro conseruatione vnius aurei*. Secunda est: *Non solùm licitum est defendere defensione occisiua, quæ actu possidemus, sed etiam ad quæ ius inchoatum habemus, & quæ nos possessuros speramus.* Tertia est: *Licitum est tam hæredi, quàm legatario contrà iniustè impedientem, ne vel hæreditas adeatur, vel legata soluantur, se taliter defendere, sicut & ius habenti in cathedram, vel Præbendam contrà eorum possessionem iniustè impedientem*.

Sanè animarum saluti apertè perniciosæ sunt in earum ampla, & generali significatione, ac vt iacent adductæ propositiones: Sic prima est falsa, quia licèt contingere possit, quòd quis pro conseruatione vnius acus ratione summæ indigentiæ furem cum debito moderamine licitè occidat; tamen non benè docetur tamquā regula ordinaria, quòd fur possit interfici pro conseruatione vnius aurei; ideoque propositio fuit prohibita, & damnata, vt iacet, quia cum requisitis limitationibus non loquitur, secundùm quas statuēdum est à Doctoribus, quando

pro

pro vitæ, vel etiam pro facultatum conseruatione, fas erit iniustum inuasorem occidere, vel quando id erit illicitum, sicuti illicitum aperte erit, si diues vellet occidere furem pro conseruatione vnius aurei,

Secunda ex dictis propositionibus, sicuti & tertia similiter damnatæ sunt vt iacent, quia sic nimis ample loquuntur, statuendo eam generalem, & absolutam doctrinam, cùm reuera discurrendum sit de istis, sicuti diximus de prima. Quis enim non videt, quòd res, & iura nostra possumus tueri per Iudicem competentem, absque occisione alicuius? Quis item nescit, interdum esse leuis momenti iura, & res, itaut nõ præponderent vitæ proximi? Ergo scandalosè docetur, licitum esse defendere defensione occisiua res, ac iura siuè modici momenti, siuè magni, ac deniquè sinè aliqua distinctione.

Hęc sufficiant, vt cautè rem suam accipiat ille, de quo in pręsenti decisione actum est. Quid autem dicendum sit de compensatione, videatur *Decis. 94. à n. 35.*

---

# DECISIO XXX.

*An acceptans dona ab eo, qui debitis est inuolutus, teneatur ea restituere? Et quid si acceptans sit meretrix? Et quid si titulo gratitudinis donauerit?*

## Casus, seu Historia XXX.

### SVMMARIVM.

1 *Casus proponitur.*
2 *Debitis inuolutus quando potest donare.*
3 *Nisi prohibeatur à iure.*
4 *Potest si donatio sit remuneratoria.*
5 *Prodigus nequit donare.*
6 *Debitis inuolutus an possit dare ob gratitudinem, ac meretrici.*
7 *An accipientes teneantur restituere.*
8 *Debitor non potest donare, si fiat impotens ad soluendum.*
9 *Res debitoris sunt creditoris.*
10 *Pater debitor non potest instituere dotem filiæ.*
11 *An possit donare ille, cuius bona sunt publicanda.*
12 *Non potest donare, qui cadit in commissum.*
13 *Non potest donare, cuius bona sunt danda creditoribus.*
14 *Accipiens ab obligato restituere an teneatur ad restitutionem.*
15 *Aliqui distinguunt.*
16 *Donans est dominus donandi sua.*
17 *Proponitur obiectio.*
18 *Respondetur.*
19 *Accipiens vtitur iure suo.*
20 *Satisfit primo argumento.*
21 *Satisfit secundo.*
22 *Satisfit tertio.*
23 *Inducens ad donandum an teneatur restituere.*
24 *Quando non tenetur.*
25 *Ponitur exemplum.*
26 *Aliud exemplum.*
27 *In casu nostro currit obligatio.*
28 *Quia donans non potest lucrari.*
29 *An teneatur donatarius restituere.*
30 *An creditores habeant actionem contra donatarium.*
31 *Donatarius quando teneatur restituere.*
32 *Quando teneatur solùm si res extet, vel ex ea sit factus locupletior.*
33 *Quid dicendum in nostro casu.*
34 *Valet donatio gratitudinis, & remunerationis mercedis meretricij.*
35 *Data ob remunerationem, & meretrici, dantur titulo oneroso.*
36 *Acceptantes tali titulo, ad quid tenentur, si sciunt reddi impotentem ad soluendum.*
37 *Et ad quid si nesciunt.*
38 *Quid dicendum sit de meretrice acceptante à debitis inuoluto, si sciebat esse talem.*
39 *Quid si nesciebat.*
40 *Accipiens titulo gratitudinis à debitis inuoluto, an debeat restituere.*
41 *Confessarius ad quem talis casus veniret, quomodo debeat se gerere.*

1 ANtonius mercator in Ciuitate, fuit carceribus traditus propter multitudinem debitorum, quibus erat inuolutus. Instant illius creditores, vt soluantur, sed id omninò impossibile est, cùm Antonius nihil habeat, vndè soluere valeat. Donauerat idem Antonius cuidam meretrici non modicam argentorum quantitatem; sed nec meretrix obtinuit absolutionem à Confessario, qui illam absoluere noluit, tantùm ex eo motiuo, quòd noluerit talia dona ab Antonio accepta restituere: Donauerat quoquè idem Antonius quinquaginta scuta cuidam, titulo gratitudinis; sed & hunc alter Confessarius noluit absoluere, nisi dicta scuta restituat. Quæritur, an Antonius potuerit donare; & an accipientes ab eo dona, teneantur restituere?

2 Ad casum istum videtur ex parte facilis responsio

ponsio, & ex parte difficilis. Facilis est ex ea parte, quòd donans sit debitis inuolutus; nam donando vel fit impotens ad soluendum creditores, vel non fit impotens, quia habet & vndè donet, & vndè soluat: si non fit impotens potest liberè donare, cùm omnes habentes rei proprietatem, & dominium possint donare iuxta omnes Doctores, dummodò donare non prohibeatur eis à iure, quia tunc non
3 possunt: Armilla *verb. donatio, num. 3.* & alij:
4 & dummodò donatio non sit remuneratoria, quia de ista est specialiter, & diuersimodè lo-
5 quendum. Igitur Antonius, (supposito quòd non esset prodigus, cùm prodigi donare nequeant in communi sententia) si non reddebatur impotens ad satisfaciendum creditoribus suis poterat liberè donare, tum meretrici, tum alteri, titulo etiam gratitudinis, ac proin-
6 dè nec meretrix illa, nec ille gratificatus te-
7 nentur ad restitutionem; imò & possunt, imò & debent, si aliud non obstet, à Confessario absolui.

8 Difficilis deindè redditur hic casus, ex parte illa, qua Antonius fit impotens ad soluendum, ratione donorum, quæ liberaliter dedit, vndè sequitur meritò esse difficultandum, an donatarij teneantur restituere. Dico, esse prohibitum, & illicitum donare, si donans sit adeò inuolutus debitis vt per donationem reddatur
9 impotens ad soluendum creditores suos. Ratio est, quia res, quæ omnes essent dandæ pro debitorum solutione, non sunt debitoris, sed creditorum: ergo debitor non potest ea donare, cùm nemo possit sua sponte facere donationem cum re aliena: Consequentia est per se nota, data veritate, quòd res illæ sint cre-
10 ditorum; ideò probatur ex doctrinis supra allatis in antecedente Decisione *sub num. 42. vsquè ad 45. inclusiuè:* vbi dictum est, quòd pater inuolutus debitis, non potest constituere dotē filiæ, quia non habet facultates, sed quas habet sunt creditorum; & sic si dotem constituit, non tenet, propterea quòd ex non ente, nullæ sunt qualitates: ergo & in casu faciendi donationem, hæc non valebit, si fiat ex rebus solutioni obnoxijs, quales sunt illæ alicuius mercatoris adeò debitis inuoluti, vt quidquid habet, sit de necessitate dandum titulo solutionis debitorum.

11 Item facit contra libertatem donatoris, quòd donare prohibeatur ille, qui capitale crimen commisit, propter quod eius bona veniūt publicanda; quod intelligitur post condemnationem, licitè tamen posset donare ante condemnationem; vt constat *ex l. post contractum, ff. de don.* ergo nec poterit donare ille, qui propter debitorum multitudinem, habet omnia sua bona iam debita, & vt ità dicam, iam publicanda non sua, sed creditorum suorum.

12 Confirmatur, nam donare non potest ille, qui in aliqua re cadit in cōmissum, quia quod commissum est, statim desinit esse illius, qui crimen contraxit. Armilla *vbi suprà*: ergo & donare non poterit ille, cuius res, & facultates desinunt esse ipsius, qui debita dicta contraxit, eadem enim est paritas, & ratio.

13 Igitur tamquam certissimum tenendum est, non posse donare illum, qui tot habet debita, vt bona ipsius sint tota impendenda pro creditoribus, ita vt si aliquid ex ijsdem bonis debitor donet, reddatur impotens ad soluendum.

14 Hinc fit, quòd ille, qui accipit donationem ab eo, qui ex tali donatione redditur impotens ad soluendum, tenetur ad restitutionem. Ratio est, quia accepit in fraudem creditorum; ergo contra iustitiam accepit; ergo tenetur restituere: sic absolutè docent multi Doctores, vt notat Lessius *de iust. & iur. lib. 2. cap. 20. dub. 19. nu. 167.*

15 Nihilominus censeo esse procedendum cum distinctione; & sic dico: vel tu inducis illum ad donandum, vel alienandum; vel non inducis. Si non inducis, non teneris posteà ad restitutionem in foro conscientiæ, etiamsi apertè scias ipsum per hanc donationem, vel alienationem fieri impotentem ad soluendum suos creditores. Ità tenet Petrus Nauarr. *lib. 3. cap. 4. num. 218.* Molina *disp. 327.* & colligitur manifestè ex *l. vltima, §. 4. ff. quæ in fraudem creditorum.*

16 Probatur etiam, nam illæ res illius debitoris nemini sunt obstrictæ, & ipse est dominus illarum, nequè datur lex, quæ ipsum reddat inhabilem ad transferendum dominium; ergo si de facto donat, vel alienat, transfert dominium rei suæ in alium, quod præstare potest.

17 Dices in contrarium: ille reddens se impotentem ad soluendum creditoribus, peccat; ergo tu non potes cooperari ad peccatum il-
18 lius, acceptando id, quod tibi donat. Respondeo, quòd optimè potes accipere, non enim es causa, cur ille velit donare: vndè ex hac parte nihil mali facis. Deinde nec malè facis ac-
19 ceptando, supposito quòd sua sponte ille velit dare, quia vteris iure tuo, cùm nec ex iustitia, nec ex charitate in hoc casu tenearis negligere, & nolle tuum commodum, quamuis per accidens sequatur alteri tantumdem damni.

ni. Lessius *loco citato*.

20 Ad argumenta in contrarium adducta, & probantia, non posse debitis inuolutum alienare, respondeo, & primò ad illud *sub num. 9. & 10.* dico, aliud esse de constitutione dotis, & aliud de libera alienatione, quæ fit à debitis inuoluto; nam dos non potest constitui, nisi soluto alieno ære. *l. vltim. in princ. ff. quæ in fraud. credit.* & sic obstat lex, cùm tamen lex alia non detur obstans, ne debitis inuolutus alienet sua sponte, & si alienat, alienatio nulla sit, & recipiens teneatur restituere.

21 Ad secundum *sub nu.* 11. dico, quòd item lex obstat, ne donet ille, qui ob crimen capitale habet sua bona publicanda; & sic *eodem numero* obseruabam, hoc esse verum post condemnationem, non ante; sed si lex alia, aut iudicis condemnatio daretur, per quam bona debitoris sint publicanda creditoribus applicata, ità nec sua sponte posset post talem condemnationem ipse debitor de bonis suis alienare, nec alter acceptare.

22 Ad tertium, respondendum est eodem modo, scilicet totum verificari, si datur lex, aut condemnatio contra debitorem, sicuti datur contra illum, qui pro aliqua re cadit in commissum. Ex dictis clarè inferretur, quando acceptans donationem teneatur restituere, vtpotè quia donans donare prohibebatur.

23 Iustè ergo acceptatur id, quod spontè donatur à debitis inuoluto, videlicet quando acceptans non inducit ad dandum; nam si induceret, teneretur ad restitutionem, si putans eum per talem donationem fieri impotentem impotentia, quæ sit causa non soluendi, adhuc induceret ad donandum. Ratio est, quia qui dat causam damni, & damnum dedisse videtur; sed qui dat damnum, tenetur damnum resarcire, vt docent communiter DD.; ergo & restitutio debet fieri ab huiusmodi causa damni, seu à damnificante.

24 Notanter dixi, *impotentia, quæ sit causa non soluendi,* nam, si impotentia non est causa, cur debitor non soluat, tunc non tenetur ad restitutionem ille, qui illum induxit ad donandum.

25 Exemplum ad cognoscendum, an debitor sit impotens ad soluendum, itaut ratio impotentiæ sit causa, quòd non soluat, est: si ille talem haberet industriam, vt tantum posset lucrifacere, quantum tu facis tibi donare, tunc si non soluat ratione impotentiæ, non est propter impotentiam causatam à te, sed à se ipso, cùm nolit industriam exercere, quam applicare posset.

26 Aliud exemplum est, si debitor proposuit non soluere, & tu facis tibi donare; in hoc euentu impotentia non est à te causata, quia induxisti ad donandum, sed est ex illo prauo proposito non soluendi; vndè creditores cùm nihil expectent à nolentibus soluere, neque sibi ascribunt iniuriæ, quòd aliquis faciat sibi donare à talibus debitoribus.

27 Sed agendo in casu nostro, in quo Antonius debitor carceratus detinetur donec soluat, dico, quòd si quis ab eo accepit dona, ad quæ danda illum induxit, tenetur illa restituere, nam fuit causa impotentiæ cur non posset sol-
28 uere. Nec valet confugium facere pro non restituendo, asserendo posse Antonium per industriam lucrari, & soluere; respondetur enim quòd supposita eius carceratione, non est impotens ex negligentia nolendi industriam adhibere, cùm in vinculis constitutus non possit; ergo est impotens ratione donorum, quæ dedit, & sic hæc sunt restituenda, cùm donatarius sit causa talis impotentiæ.

29 Idem dicendum est, si inducens ad donandum putabat creditores donantis publica authoritate esse occupaturos illius bona; nam in hoc etiam casu donatarius esset causa, quòd creditores minùs inueniant in bonis debitoris: Sed de facto Antonius publica authoritate carceratus, fuerunt quoquè eius bona eadem authoritate occupata: ergo & restituenda sunt habita in donationem. Ità Lessius expressè *loco supracitato, sed num.* 171.

30 In eum, qui est donatarius Antonij, si titulo gratuito accepit, conceditur à iure ciuili actio creditoribus, qua possint repetere habita
31 dona. Imò si talia dona accipientes, sciebant fore impotentem ad soluendum, tenentur restituere, quamuis nec res extet, nec in aliquo
32 facti sint locupletiores: Si verò non sciebant, tenentur solùm quatenus res extat, vel ex ea facti sunt locupletiores: ità patet *ex l. quòd autem. 7. ff. quæ in fraud. creditor.* Martinus Nauarrus *in manual. cap. 17. num.* 105. & alij.

33 Videat Antonius, an aliquos habeat donatarios generis prædicti, & illos conueniat, vt restituant accepta, quatenus sic fiat potens ad soluendum creditoribus, sicque de carcerum viribus se redimere queat. Sed circa donata meretrici, & alteri titulo gratitudinis, est specialiter inquirendum, cùm hæc videantur non dona gratuita, sed data titulo oneroso, & acceptata sint sub tali titulo.

34 Et certè donatio facta ob gratitudinem non est vera, & propria donatio; quapropter ille

cui

cui prohibetur donare vel simpliciter, vel sub modo, potest dare donationem remuneratoriam, dummodò donatum non superet meritum: sic Azorius *instit. moral. part. 3. lib. 11. cap. 3. q. 3.* ergo aliter discurrendum est de illo, cui Antonius dederat quinquaginta scuta ob gratitudinem, ac de alijs donatarijs. Item & de datis meretrici, cùm meretrices pro actu turpi recipiant mercedem, eo tamen modo, quo Doctores tradunt, & referuntur à Diana *par. 2. tract. 2. resol. 38.* est specialiter discurrendum, & non conformiter ad doctrinam de simplicibus donis.

35 Cùm igitur donatio remuneratoria non sit vera donatio, dico quòd id, quod datur tali titulo, dicitur dari titulo oneroso; & idem est de eo, quod datur meretrici, nam vtrumque datur ob motiuum aliquod, quale est meritum in vno, & voluptas præstita ab alia. Illi

36 ergo, qui acceperunt titulo oneroso à debitore Antonio, si sciebant illum sic reddi impotentem ad satisfaciendum creditoribus, tenentur restituere rem, non restituto pretio, nisi quatenus indè aliquid extat in bonis debitoris, vt patet *l. 7. 8. & vltim ff. quæ in fraudem creditorum*, & ad restituendum coguntur. Si ve-

37 rò nesciebant, non datur actio creditoribus contra illos; sic enim traditur *d. l. quod autem 6. d. tit.* vbi dicitur: *Si quid in fraudem creditorum factum sit, si tamen is, qui cepit, ignorauit, cessare videntur verba edicti*. Hinc fit, quòd si Antonius vendidit domum, vel agrum, vt ex recepta pecunia conuiuaret, luderet, meretrices adiret, &c. si emptores ignorabant Antonium reddi impotentem ad soluendum creditores, non possunt eorum contractus rescindi, nec aliquid emptores debent restituere.

38 Iam satis constat, an meretrix teneatur restituere, nec ne accepta argenta ab Antonio, si ipsa nesciebat eum reddi impotentem ad satisfaciendum creditoribus; nam si data argenta sunt vera dona, quia v. g. licèt sit meretrix, tamen de turpi actu non fuit conuentio cum Antonio, qui nec actum turpem vnquam intendit; & ad talia danda dona, fuit ipsa inductrix, vel non fuit; dictum est suprà quid sit faciendum. Recole *num. 15. & 23. cum seq.*

39 Si verò argenta accepta sunt pretium voluptatis præstitæ, & nesciebat dantis impotentiã subsequentem ad soluendum creditores, non potest cogi illa meretrix ad restituendum, nec restituere tenetur. Limita tamen, dummodò accepta non excedant sufficientem mercedem sibi debitam; aliàs excessus in acceptis argentis esset detrahendus à debita mercede, & restituendus iuxtà prædicta *sub num. 31.* si sciebat futuram impotentiam; *vel sub numero 32.* si ignorabat.

40 Eodem modo dicendum est de illo, qui accepit 50. scuta titulo gratitudinis; & sic si tot meretur, & accipiens nesciebat impotentiam futuram in Antonio pro soluendis creditoribus, ad nihil tenetur, nec cogi potest. Si verò accepit vltrà merita, id quod est vltrà, est donatio vera, ac proindè se gerat iuxta dicta *num. 15. & num. 23. & seq.*

41 Dicta ostendunt Confessario, an posset, vel non posset absoluere, tum illum qui acceperat 50. scuta, tum meretricem. Videat ergo & attentè consideret, an teneantur aliquid restituere iuxta prædictas doctrinas, vel an ad nihil teneantur, prout fortasse non tenentur, ex eò quòd titulo oneroso acceperint ad æqualitatem meritorum, ignorantes impotentiam Antonij pro soluendis creditoribus debitis; & iuxta quod compererit teneri, vel non teneri, absoluat, vel non absoluat. Absoluat inquam si non tenentur; vel si obligationes suas adimplent, casu quo ad aliquid teneantur. Non absoluat, si nolint id ad quod tenentur adimplere.

---

# DECISIO XXXI.

*An facto concursu, & approbato vno, imò & ad possessionem Beneficij misso possit priuari, si detegatur iuramenti defectus in vno ex Examinatoribus?*

## Casus, seu Historia XXXI.

### SVMMARIVM.

1 *Casus proponitur.*
2 *Examinatores synodales debent iurare.*
3 *Quod iuramentum non videtur de necessitate.*
4 *Concilium non inualidat acta per Examinatorem, qui non iurauit.*
5 *Iuramentum datur circa accidentalia.*
6 *Et sic remanet validus actus, quamuis aliquid patiatur in modo.*
7 *Leuis transgressio formæ non inualidat actum.*
8 *In casu nostro est modici momenti iuramentum omissum.*
9 *Et equipollens in casu nostro valet.*
10 *Præparatoria ad processum omissa, vel præposterata, non inualidant.*

11 *Quomodo Tridentinum exigat iuramentum.*
12 *Est extrà substantiam actus.*
13 *Ostenditur idem.*
14 *Probatur.*
15 *Alia ponitur probatio.*
16 *Suadetur idem cum paritate.*
17 *Mens legis attenditur potiùs quàm verba.*
18 *Idem confirmatur.*
19 *Electus non poterat amoueri à sua possessione defectu iuramenti.*
20 *In dubio de nullitate, profertur pro validitate.*
21 *In dubio melior est conditio possidentis.*
22 *Et poterat actus reualidari in casu nostro.*
23 *Probatur exemplo.*
24 *Nec sic fit iniuria concurrentibus.*
25 *Coniux dubius, an sit restituendus.*
26 *Expediret vt electus cederet iuri suo.*
27 *Et posset quæri dispensatio à Papa.*
28 *Sed in casu nostro potest Episcopus dispensare.*

1 VAcante Ecclesia Parochiali Terræ N. suo Parocho, factus fuit concursus prætendentium obtinere dictum Parochi officium, & cùm sex fuerit examinati, & omnes æqualiter approbati, Illustrissimus Episcopus elegit vnũ, cui & Beneficij possessionem dedit. Post vnum diem, venerunt Episcopus, & Examinatores in cognitionem, quòd vnus ex ijsdem examinatoribus nondum dederat Iuramentum requisitum à Concilio Tridentino, & ob id iudicauerunt fuisse nullum primum illud examen, sicque detruso à sua possessione Parocho illo, aliud indixerunt examen faciendum. Contigit vt in hoc secundo examine non fuerit approbatus ille, qui iam habebat beneficij possessionem, & ideò alteri fuit datum idem beneficium. Quæritur nunc, quid resoluendum sit in tali casu; & an rectè fuerit detrusus à suo Beneficio ille iam approbatus; & an primi, vel secundi electi debeat iudicari esse Beneficium istud Parochiale?

2 Respondeo, quòd tota ratio difficultandi fundatur in verbis Concilij Tridentini, quod *sessione 24. cap.* 18. statuens Examinatores debere eligi à Synodo Prouinciali, dicit: *iurentque omnes ad Sancta Dei Euangelia, se quacunque humana affectione postposita, fideliter munus executuros*; vndè quia in casu nostro, interfuit quidam Examinator, qui tale iuramentum non dederat, iudicatum fuit, non fuisse rectè electum ad vacantem Ecclesiam Parochum examinatum ab examinatoribus, quorum vnus defectu iuramenti non præstiti, irritum reddidit illud examen.

3 Nihilominus non video ego, quòd iuramentum exigitum à Tridentino, sit adeò de necessitate, vt si deficiat, inualidet acta. Nam credendum est, voluisse Patres Tridentini, vt tales examinatores iurent posthabere humanam affectionem, ad hoc vt electio Parochorum purior fiat, & non attenta ratione amicitiæ, aut consanguinitatis, vel aliorum huiusmodi; non tamen inualidat acta, etiamsi constaret, quòd electus quis fuerit medio examine acto ab examinatore amico electi;
4 Ideò si quis ex examinatoribus contra suum officium non benè se gerat, remittit Concilium arbitrio Synodi eũ punire, *ibi loco citato: si quid contra officium eos fecisse compertum fuerit grauiter eius*, scilicet Synodi, *arbitrio puniri possunt*; non ergo irritatur à Concilio factum contra formam præscriptam, sed contrafacientes subijcit iudicio Synodi.

5 Idem confirmatur ex qualitate iuramenti, quod exigitur ad robur addendum super accidentalia, faciendo valere actum omni meliori modo, non super substantialia, secundùm quæ iuramentum intelligitur, vt tradit Seraphin. *priuileg. iuram.* 153. *ad fin. & priuil.* 74. *n* 192. *vers. quartò allegatur*. Ergo iuramentum volitum à Concilio, est circa accidentalia, quæ sunt examen, & approbatio aliena ab affectione, à consanguinitate, &c. vt credatur postea quòd examen, & approbatio, & electio, quæ omnia sunt substantialia, & subsistentia, facta sint sinè labe; quòd vt certum reddatur tamquam quid accidentale, ideò iuramentum exigitur, quod iuramentum si deficiat, cùm lex non inualidet actum, erit validus, & ratione iuramenti erit factus, vel censendus erit factus,
6 omni meliori modo; & cùm modus sit accidens, secundùm philosophos, signum est, quòd iuramentum si factum fuit, actus est factus omni meliori modo, & sic erit semper validus, quamuis non detur iuramentum addens robur ad modos eiusdem actus; ex quibus, sequitur totum fuisse validè factum, quamuis vnus examinator non iurauerit, propterea non est detrudendus à possessione Beneficij Parochus iam electus.

7 Probatur etiam, nam quando lex præscribit formam seruandam in actu, non vitiatur actus, si forma illa, quæ omittitur esset modici momenti, vt habent Dec. *in c. nouit. nu.* 22. *de iudic.* & Felina apud Naldum *in summ. verb. Actus n.* 33. Sed dato, quòd iuramentum examinatoris synodalis esset de forma à iure præscri-

scripta vt seruaretur, esset modici momenti: ergo non vitiat si abest iuramentum. Quòd sit
8 modici momenti, probatur ex eo quòd parum referat, quòd examinator iurauerit, nec ne, cùm si sit vir probus, teneatur suapte natura rectè se gerere in examine,& iuxtà merita examinandorum: si verò è contra sit improbus, nõ aspiciet,& ad iuraměti obligationem, sicuti non se geret iuxta aliam obligationem, quam ex natura rei habet de æquitate seruanda in illo examine: ergo quamuis bona lex ad melius prouidendum, vt digni eligantur ad animarum regimen, exigat à ministris examinatoribus iuramentum de posthabenda humana affectione; tamen si tale iuramentum examinator non fecerit, & examinauerit, dicenda est modici momenti obligatio per iuramentũ relicta, cùm iam alia æquiualens obligatio in examinatore reperiatur.

9 Nec valet dicere, quòd æquipollẽs nõ sufficit; nã respondetur, id verum esse quando traditur aliquid per clausulam negatiuam, vel annullatiuam: Concil. Trid. *sess. 21. c. 2. de reformat.* Iason. *l. si quid nominatim*. Felin. *in c. cùm delicta. de rescr.* at in casu nostro lex exigens iuramentum, non traditur per clausulam negatiuam, neque annullatiuam: ego obligatio examinatoris se iustè gerendi in officio, cùm æquiualeat alteri obligationi, si hæc deficiat, censetur modici momenti violatio in non seruanda forma actus à iure præscripta.

10 Sed hoc dictum sit dando, non concedendo, esse de substantia actus illud iuramentum, cùm suprà sit ostensum se tenere pro accidentalibus, ob idque actum esse validum adhuc non extante tali iuramento; quod & iterum confirmatur sic: nam præparatoria iudiciorũ omissa, vel prępositerata non reddunt processum nullum, cùm ex ipsis non fundetur iudicium, vt habet Gratianus *tom. 2. discep. forens. cap.* 301. *nu.* 38. vbi multos pro hac veritate citat. Sed iurametum esse dandum ab examinatore synodali, est quid præparatorium ad iudicium faciendum de examinandis; ergo si omittatur non annullat factum processum, videlicet examen, sed sufficiet si postea tale iuramẽtum apponatur; & sic etiam non fundatur examen in iuramento examinatoris, sicuti non fundatur iudicium in præparatorijs; ergo si ista omissa non vitiant processum, neque vitiabit examen iuramentum omissum ab examinatore prout in casu.

11 Probat insuper, esse extrinsecum quid à substantia actus examinandi illud iuramentum, ipse modus, quo Concilium Tridentinum *loc. cit.* loquitur; etenim dicens quòd examinatores super Dei Euangelia iurent; intelligit
12 prout fit, quòd hoc faciant coram gremialibus Synodi, dũ actu ipsa celebratur, seu antequam dissoluatur: Sed aliquando eligitur in huiusmodi examinatorem v. gr. Prior pro tempore existens talis Conuentus Carmelitarum discalceatorum, quod & posse fieri, & de facto practicari obseruat Tancredi *de Religion. tract. 2. lib. 4. disp. 17. qu. 2. n.* 10. in quo casu non potest quilibet Prior futurus iuramentum dare in Synodo actuali, & Concilium Tridentinum non assignat tempus pro dando iuramento: ergo videtur esse extra substantiam actus, licèt dicat Concilium, quòd examinatores iurent.

13 Quòd si Domini examinatores dent tale iuramentum in initio sessionis, qua incępta superueniat serò alter examinator, qui nunquã iurauerit, nec ad iuramentum faciendum nemo animaduertat, non videtur id taliter esse contra mentem legis, vt si hoc animduertatur post datam possessionem beneficij vni approbato, sit beneficio priuandus, & dicatur nullũ illud examen. Igitur resoluitur rationabiliter, quòd illa omissio iuramenti vnius ex examinatoribus, sit modici momenti, ac proinde non annullat, nec vitiat actum, vt suprà dictum est *sub num.* 7. & hoc dando, non tamen concedendo, quòd tale iuramentum sit de substantia actus faciendi; sed iam declaratum est non esse, nisi circa accidentalia, &c.

14 Deinde ad aliam confirmationem adducendam, facit huiusmodi discursus, vel potiùs hæc ratio. Si examinator post factum requisitum iuramentum, illud violaret, & iuxta humanam affectionem approbaret aliquem, qui posteà de facto obtinet Beneficium; in isto casu ego peto: esset validum illud examen, an non? si negetur esse validum, teneretur ille examinator suam malitiam propalare, ne cõtra iustitiam excludantur alij, quorum damna teneretur compensare ad mensuram damni illati iuxta quantitatem spei, vel aliarum circumstantiarũ, ob quas iam ius ad beneficium habebant cæteri examinati, prout communiter docent DD. & ità esset auocandus à Beneficio ille iam electus; ac tãdem varia orirentur inconuenientia, quæ tamen non sunt admittenda, vndè nec est dicendus inualidus actus examinis facti cum illa malitia contra iusiurandum vnius examina-
15 toris. Si verò affirmetur, quòd non obstante violatione iuramenti, actus examinis peracti sit validus; nunc ego concludo: ergo Concilium

exigit

exigit iuramentum, sed non tamquam spectans ad actũ, vt fiat rectè secundùm suam naturam, sed vt secundùm accidentalia fiat posthabita humana affectione ex vi iuramenti: en igitur iuramentum examinatorum synodalium, qualiter à lege non requiratur tamquam de substãtia actus, quapropter si deficit, non annullat actum ob non seruatam formam à lege præscriptam.

16 Suadetur hæc veritas cum paritate examinatorum pro approbandis ad Episcopatum. Tales examinatores debent dare iuramentum non dicendi nec in genere, nec in specie puncta interrogatoria, quæ dicent examinandis; & de tali iuramento præstando extat statutum: at si contra iuramentum istud, prædiceret examinator examinando interrogatoria, ac deinde examinatus propter optima responsa eligeretur, & Episcopatum obtineret, certè talis electio non esset inualida: Ergo signum est, quòd iuramentum non dandi interrogatoria exigitur à statuto tamquam extra actus substantiam, & solùm vt in annexis actui per modum accidentium fiat examen sinè labe affectionis humanæ: Ergo pariformiter dicendum est de Examinatore synodali, quòd à lege Concilij Tridentini exigatur ab eo iuramentum de non attendenda humana affectione, itaut dictum iuramentum se teneat ex parte accidentalium ad substantiam actus examinatorij, qui actus non annullatur per defectum talis iuramenti. Circa iuramentum nõ dandi interrogatoria examinandis pro Episcopatu, videatur Diana *part.* 10. *resol.* 37. *tract.* 16. §. *notandum*.

17 Noua ratione probatur opinio asserens fuisse validum examen, de quo difficultatur; nam mens legis magis est attendenda, quàm verba eius, vt communiter traditur, & notatur à Nauarr. *lib* 3. *consilior tit. de Paroch. & alien. Parochian. cons.* 2. *n.* 2. sed mens Tridentini exigentis iuramentum ab examinatoribus synodalibus, est vt se gerant longè ab humana affectione in eorum officio; ergo poterit iuramentum dari facto examine, & tunc iudicare ad mentem legis: sed id, quod potest interuenire post actum, non est de substantia actus, vt docet Naldus *in summa, verb. æquipollens nu.* 1. ergo examen factum antequam examinator iurauerit, est validum.

18 Quòd si dicatur exigi, & requiri iuramentum, vt etiam interrogatoria fiant longè ab humana affectione; ex quo sequitur non sufficere, quòd iuramentum ponatur post examen: respondetur, quòd examen illud vel fuit factum cum humana affectione, vel sinè; si sinè, iam nihil est in contrarium: si cum affectione, hoc videtur per accidens, potest enim benè examinator cognoscere veritatem talenti, & doctrinæ ipsius examinati, & sic facto iuramento post examen, dare iudicium rectum. Ergo semper verum est, quòd iuramentum non requiritur à Concilio, nisi tamquam quid non inualidans actum factum ante iuramentum, vel sinè iuramento.

19 Igitur concludendum est, quòd illud primum examen fuit cum qualitatibus de substantia requisitis celebratum; & ideò à possessione beneficij non potest amoueri electus.

20 Sed dato, quòd actus examinatorius dubietatem habeat de nullitate, deberet pro validitate iudicium proferri, quia contra nullitatem in dubio, est pronunciandum pro validitate actus *l. quoties, quæ est l.* 13. *ff. de reb. dub. l. si quando* 112 *in princ. ff. de l.* 1. Rimin. iun. *cons.* 561. *n.* 3. Bertazzolus *cons.* 385. *n.* 10. & alij.

21 Tandem nec debebat detrudi à sua possessione Parochus electus, quia cùm ad maximum agatur contra ipsum dubiosè, in dubio melior est conditio possidentis, vt iura concedunt, & docetur ab omnibus.

22 Et si daretur, quòd de facto subsisteret nullitas examinis, electionis, & possessionis, adhuc esset modus reualidandi inualida; posset enim fieri ab examinatore iuramentum, & tunc addito, quod deerat, iterum Episcopus, & examinatores confirmare iam facta, & datum beneficium, quæ confirmatio esset quasi nouus actus, ac noua largitio, quæ sinè dubio valeret, cùm nihil desit, & confirmans dicitur de nouo dare, quando actus esset nulliter factus *l* 1. §. *omnia, Cod de vet. iur. enucleand.* Paris. *cons.* 3. *n.* 40. *lib.* 4. Felin. *de tre.* & *pact cap.* 1. & alij.

23 Exemplum euidens dictorum in hoc numero immediatè antecedente sit, quòd electio, puta Papæ, nulliter facta, quia per vim fuit electus, si postea sponte eligentes admittunt, & coronant, purgatur, & conualidatur illa electio, quæ nulla erat. Bald. *in tract. de schismate, qui est sub tit. si quis aliquem testa. prohib.* §. *sed in contrarium n.* 7. Vndè & poterat similiter fieri in casu, quo nulla fuisset Parochi electio, vt præfatum est.

Quòd si contra dicta opponatur prima ex propositionibus damnatis ab Innocentio XI. qui vult esse sequendam sententiam tutiorem in collatione Sacramentorum quoad eorum validitatem, iuxta quàm sententiam videtur

non

non posse se gerere Parochum in casu nostro, casu quo tantùm probabiliter sit legitimè electus, vndè fortasse non est verè Parochus: videatur responsio *in Decis. 26. nu. 17.*

24 Nec sic faciendo fit iniuria cócurrentibus, quia totum fit, prout fuisset faciendum, dato quòd defectus, aut omissio non interfuisset in iam actis, quæ acta nunc conualidantur.

25 Et quia primus electus ad Parochiam, cuius iam possessionem tenebat, habebat ius in eam, ideò si sinè suo placito fuit detrusus, est restituendus, dummodò alter iam non reperiatur substitutus per viam, nullum admittentem dubium. Ratio est, quia Parochus datus Ecclesiæ, est sponsus illius; & si coniux dubius de suo matrimonio an valeat, contrahat cum alia, & faciat matrimonium certum, tunc hoc secundum certum præualet dubio, vt habet Sanchez apud Thomam Tamburinum *in præcep. Decal. lib. 1. cap. 3. § 7. verb. matrimon. n. 11.* ergo pariter præualet Parochus certè talis alteri Parocho dubiosè tali, quamuis agatur de eadem Ecclesia, quæ potest duobus dari, scilicet vni, viuente primo amoto, quod non est de sponsa corporali, nisi prout dictum est, & currit paritas cum Parocho, ac eius Ecclesia, sicut cum coniuge dubio, nubente cum certitudine cum alia; & ista fuerunt tacta in superioribus *Decis. 24. n. 42.*

26 Expediret igitur, (vt omnia iura saluarētur) expediret procurare, vt Parochus, qui est iam in possessione, cedat iuri suo, si quod habet, & tunc procedere ad nouum examen; vel si Parochus ille nolit, & velit perseuerare, posset se defendere. Sed hæc sint addita ad complementum Decisionis.

27 Et stante ratione matrimonij inter Ecclesiam, & eius Parochum, si hic inualidè daretur eidem Ecclesiæ, sufficeret dispensatio in impedimento facta per Pontificem, ad quem etiam recurritur ad validanda matrimonia irrita propter impedimentum dirimens.

28 Sed cum suprà dictum sit, esse quid modici momenti, quòd vnus inter omnes examinatores, & alia præstanda pro collatione Beneficij, nō dederit iuramentum; ideò erit in potestate Episcopi dispensare, quia potest in rebus leuibus spectantibus ad superiorem Papam dispensare, quamuis non possit in maioribus, vt docuit Caietanus. Vide Dianam *sub verb. Episcopus, & p. 8. tract. 3. ref. 12. §. secundus casus est*, & maximè §. *& tandem.*

# DECISIO XXXII.

*An valeat qualibet actio facta contra Iuramentum non faciendi eam.*

## Casus, seu Historia XXXII.

### SVMMARIVM.

1 *Casus proponitur.*
2 *Ponitur epistola Comitissæ.*
3 *Factum contrà iuramentum, est nullum iuxtà vnam opinionem.*
4 *Altera opinio distinguit.*
5 *Tertia opinio limitat.*
6 *Actus validi contrà iuramentum.*
7 *Quid de prima opinione.*
8 *Quid circà secundam.*
9 *Quid de tertia.*
10 *An stet res contrà iuramentum.*
11 *Si factum contrà iuramentum est inualidum, non validatur à iuramento.*
12 *Donatio, seù alienatio rerum dotalium non valet etiam per iuramentum.*
13 *Duo sunt iuramenta in casu.*
14 *Et semper dantur in actu inualido.*
15. 16 *Donatarius an teneatur restituere.*
17 *Iuramentum non validat actum.*
18 *Data propter nuptias, sunt mariti.*
19. 20 *Donatio in præsenti fuit inualida.*
21 *Propositiones damnatæ circa iurare.*
22 *Non obstant in casu nostro.*
23 *Iurare rem indifferentem non licet.*
24 *Quid si res sit peccaminosa.*
25 *Quid in casu nostro.*
26 *Fictè iurare est lethale.*
27 *Propositio alia damnata.*

1 Illustrissima Domina Comitissa N. ipsa die nuptiarum suarum, dum multa dona à Sponso propter nuptias reciperet, iurauit se nunquam alienaturam bona ista sibi donata, neque alia dotalia, quæ habebat. Successu temporis, cùm multæ essent exortæ rixæ inter ipsam, & sponsum suum, illa iuratam fecit donationem cuidam amico suo contra iuramentum factum. Accessit ad Confessarium donatarius iste, & exponens tamquam peccatum à se cōmissum, quòd fuerit cooperatus periurio illius matronæ, vt ipse aiebat, Confessarius addidit, eum quoquè teneri restituere huiusmodi donata; quia illa donari non poterant à Domina Comitissa. Renuit donatarius restitutionem facere, putans posse iure omnia tenere, & ideò

sinè

sinè absolutione fuit dimissus. Accessit idem donatarius ad alium Confessarium, à quo fuit absolutus, & edoctus posse omnia tenere. Domina Comitissa à Confessario suo intellexit esse inualidam illam donationem, vndè cùm eadem Domina repetat à donatario dona ei iniustè data, donatarius persistit, se ea nolle restituere, vtpotè verè sua.

Quæritur quid resoluendum sit in isto facto pro foro tum animæ, tum contentioso.

2 Casui isti mihi olim idiomate italico proposito, italica resolutione respondi, vt sequitur. Illustrissima Domina, vt suis pareamiussionibus,non grauabor inter meos labores quotidianarum concionum in hac Cathedrali N. surripere somno tempus faciendi responsum quæsitis, vt Illustriss. Dominatio sua optat. Non respondeo, negans simpliciter, vel affirmans esse, vel non esse validam donationem; præuideo enim fore opportunum, vt scripto veritas pateat, quatenus donatum Dominatio sua sibi repetat, nam concludam fuisse totum inualidè factum; sed paucis verbis me explicare nequeo, ideò excusabor si fusiùs quàm par sit, fortassè scribam,vndè & infirmitati Dominat. suæ molestiam addam. At non vt molestus sim prolixitate vtar, sed vt quantùm sinè fine suæ inseruire Dominationi desiderem,prolixitas præsens testetur.

3 Igitur pro solutione dubij, inuenio, quòd in quæsito, An id, quod fit contra promissionem iureiurando firmatam, sit ratum, & firmum, tres dantur opiniones: Prima vniuersaliter, & sinè aliqua distinctione asserit, id nullius esse firmamenti, aut validitatis; & sic dicunt Hostiensis, Speculator, Archidiaconus, & Gaspar Calderinus, prout testatur Syluester *verb. iuramentum 4.q.12.*

4 Secunda opinio procedit distinguendo, & dicit: Vel id, quod fit pertinet ad genus rerum, aut bonorum temporalium; vel est de genere bonorum, vel rerum spiritualium. Si spectat ad temporalia, vt esset si tibi quis iuraret venditurum agrum, & posteà alteri venderet, tunc iusiurandum subsistit, & venditio reuocari nequit. Si verò idem fit in spectante ad spiritualia, tunc id, quod contra iuramentum fit, non valet, & sic habetur *ex cap. Dilecto, de præbend.* vbi Pontifex constituit esse innane, si à Canonicis augeatur Canonicorum numerus contra statutum ab ipsis editum, & iuramento firmatum. Hoc idem docent Innocentius, Antonius Imola *in cap. Dilecto, de præb.* vt refert Couarruuias *in cap. Quamuis, de pact. in 6. part. 2. §. 2. num. 5.*

5 Tertia opinio generatim ait, id quod fit contra promissionem iureiurando munitam consistere, nisi in certis causis iure ipso exceptis. Hæc sententia vocatur communis à Panormitano *in cap. Dilecto, de præb.* Iuxta hanc opinionem erunt firma, etiamsi fiant contra iura-

6 mentum: 1. Matrimonium factum cum Berta ab eo, qui iurauerat se non esse ducturum nisi Lucretiam; & habetur *cap. sicut ex litteris, de sponsalibus.* 2. Venditio facta Titio ab eo, qui iurauerat se non venditurum, nisi Caio *l. quoties, C. de rei vindicatione.* 3. Reuocatio Procuratoris facta ab eo,qui iurauerat se non reuocaturum Procuratorem destinatum ad matrimonium contrahendum. *Glos. in cap. vltim. de procuratoribus in 6.* 4. Reuocatio testamenti contra iuramentum non reuocandi, valet, vt fusè probat Couarruuias *in Rubrica, de testam. p. 2. n. 9.* 5. Si collator Beneficij iurauerit se non daturum beneficium nisi Petro, & posteà dat illud Paulo,firma est talis collatio,ità Ioan. Selua *tract. de benefic. p. 3. q. 27.* & Couar. *loco citato.* 6. Si Episcopus contra iuramentum de non alienanda re Ecclesiæ suæ, posteà alienet, tenet illa alienatio: ità Archidiaconus, & Gaspar Calderinus citati ab Abbate *in c. Intellecto, de iureiurand. n. 6.*

7 Tres suprà allatæ sententiæ suam habent veritatem, si quatenus sunt intelligendæ, intelligantur: Prima est vera, si id, quod iuramento firmatur est in se inualidum; nam iuramentum firmare, ac reddere validum non potest id, quod ex sui natura firmitatem, nec validitatem habet.

8 Secunda opinio,communi consensu improbatur, vt dicit Panormitanus; & ideò non benè vtitur distinctione illa, asserens iuramentum firmare rem iuratam si sit temporalis; non tamen si sit spiritualis. Et quòd adducit in sui fauorem, nempè *ex cap. dilecto*, quòd Pontifex dicat, non posse Canonicos augere numerum Canonicorum contra statutum ab ipsis editum, & iureiurando firmatum; non dicit nullam esse noui Canonici electionem, sed quòd talis electio fieri non poterat licitè, ratione iuramenti. Ergo & hæc secunda sententia, si à deceptione purgetur, docet stare rem iuratam, si tamen in se valida erat etiam sinè iuramento.

9 Tertia opinio, videtur conformis intellectui dando primæ, & secundæ opinioni, vt dictum est. Docet enim, & vult hæc tertia, vt non obstante iuramento de non facienda ali-

qua

qua re, sit firma, & valida, nisi à iure excipiatur, idest nisi ex sui natura, vel ex lege prohibente sit inualida.

10 Hinc vna deducitur vera, & amplectenda opinio ad rem præsentem, videlicet: Si res, seù actus, qui fit contra iuramentum, talis sit, vt per se sinè iuramento factus, sit validus, manet validus, etiam dum fit contra datum iuramentum de illo non faciendo, periurus tamen est ille, qui sic contra iusiurandum operatur. Ità Couarruuias *loco citato*, & alij Doctores passim. Ratio euidens est, quia Iuramentum non reddit inhabilem personam ad faciendum id validè, quod in se est validum, sed solùm ligat, & obligat ad non faciendum illud, nisi

11 velit esse periura. Si verò actus, qui contra factum iuramentum fit, sit per se inualidus, inualidus adhuc remanet, & iusiurandum adiectum de illo non faciendo, non facit esse validum, si fiat. Ratio item est patens, nam iuramentum non habet habilitare personam ad faciendum validè actum in se inualidum, sed solùm cogit in conscientia ad illum non faciendum sinè culpa periurij.

12 Nunc liquet resolutio præsentis casus, quæ est, inualidam fuisse donationem factam à Domina Comitissa, quamuis antequam illam faceret, nõ iurasset eam se nunquam facturam; & quamuis post factam, eam firmauerit iuramento. Ratio est, nam iuramentum non validat aut inualidat actum, vt dictum est; sed illum relinquit in sua qualitate; atqui donatio, seu alienatio rerum dotalium, atquè donatarum propter nuptias, non valet, etiamsi iuramento confirmetur, vt docet Glossa *in cap. licèt 2. de iureiurando in 6.* quia per se iure est irrita, nisi fiat authoritate Iudicis, vt patet *l. Iulianus 5 ff. de fundo dotali*, & Authentic. *siuè à me, C. ad Senatus consultum Velleianum*: ergo semper inualida est talis alienatio facta per Dominam Comitissam, non obstante quolibet adiecto iureiurando.

13 Petes: si ergo inualida fuit donatio, & per iuramentum non reuocandi eam contra primum iuramentum nõn alienandi, non validatur, licebit ne sinè peccato periurij illam reuocare? Respondeo, quòd duo periuria hìc intercedunt: vnum est, non alienandi iuramentũ, quod tamen violatur, quamuis alienatio non subsistat: aliud est iuramentum factum non reuocandi, cùm tamen reuocare teneatur, vt obseruet primum iuramentum non alienan-

14 di: Sed hoc verificatur in actu inualido, quia si est validus, non committitur periurium, si iuretur non reuocare, quia nec reuocari potest contractus validè factus, etiam contra datum iuramentum non faciendi illum.

15 Donatarius Dominæ Comitissæ tenetur restituere accepta, cùm sint data à non habente facultatem dandi, non enim vxor potest donare, vt iura clamant, & iam dictum est. Nec video, cui innixus fundamento potuerit à Confessario absolui, dum persistebat in nolitione restitutionis, prout rectè ei fuerat denegata absolutio à primo Confessario. Fortassè ille, qui absoluit innitebatur sententiæ secundæ, dicenti iuramentum adiectum, firmitatem dare temporalibus, sicut *sub num.* 4. notabatur; sed cùm *sub num* 8. explicatum sit, qualiter debeat intelligi, dummodò actus sit in se validus, aliàs sententia illa manifestè improbatur, ideò absolutionem concedere non poterat nolenti non sua restituere, sicut iste Confessarius se retractauit etiam cum ipso donatario, ex venia habita ab ipso, vt loqui posset de Confessione.

16 Benè consuluerant & Donatarium, & Comitissam ambo illi Confessarij; alter docendo restitutionem donatorum fieri debere: alter asserendo Dominæ donanti, quòd sua sint omnia donata, inualidè enim donata fuerunt, non obstante qualicunque superaddito iuramento non reuocandi ea.

17 Insuper fauet in casu nostro Dominæ Comitissæ doctrina generalis circa duos actus contrarios eiusdem rationis; nam si primus actus est validus, secundus erit inualidus, quamuis iuramento muniatur. Hinc fit, quòd si aliquis promisit Deo, vel alicui rem dare; deinde eamdem rem vni tertio item promittat, præualet prima promissio. Sic sponsalia iurata cum secunda, non obligant contra prima facta etiam sinè iuramento, & simpliciter. Sic venditio domus facta vni, præualet venditioni factæ alteri, si tamen huic secundo domus non tradatur, quia in hoc casu transfertur dominium. Ratio prædictorum est, quia sinè peccato non potest adimpleri promissio, quæ affert iniuriam alteri: sed promissio rei dandæ alicui, cùm iam priùs alteri fuerit promissa, non potest cum secundo adimpleri sinè iniuria primi, cui promissio fuerat facta; ergo etiam sinè iuramento, erit per se inualida. Idem igitur est omninò dicendum de donatione facta alicui, vt per se

18 patet; ergo cùm per matrimonium fiant mariti bona dotalia, seù alia data propter nuptias, inualida erit donatio facta vni secundo, seù alteri à marito per huius vxorem, quæ à fortiori non potest donare, quia à iure prohibetur, vt prædictum

dictum est. Vide Less. *lib.2.c.17.dub.7.n.56.*

19 En quomodo tum ex natura donationis rei priùs datæ alteri; tum ex Iuris prohibitione, inualidè dederit,& alienauerit Domina Comitissa dona dotalia, & nuptialia, vndè consequenter nihil validum factum est ex iuramen-

20 to superueniente; proindeque sunt iniustè acceptata à donatario, qui iuxta obligationem vtriusquè fori cogitur illa restituere,& ad hanc restitutionem debet illum condemnare, vel potiùs condemnatum esse certum reddere vterquè Iudex, idest Confessarius, & alter fori contentiosi.

21 Demum obseruo, quòd cuncta hactenus dicta de iuramento, supponunt Dominam Comitissam verum iuramentum emisisse, & ideò in præallegatis nihil est contra damnationem duarum propositionum circa iuramentum, quæ sunt 24. & 25. in ordine damnatarum ab Innocentio Vndecimo. Prima est ista: *Vocare Deum in testem mendacij leuis, non est tanta irreuerentia, propter quam velit, aut possit damnare hominem*. Secunda est: *Cum causa licitum est iurare sinè animo iurandi*. Non addo duas sequentes propositiones item damnatas, scilicet 26. & 27. quæ sunt de iuramento amphibologico, quia non faciunt pro casu præsenti, erunt tamen ponendæ necessariò infrà in Decisione 72 vbi aliqua dicemus de Proposit. 28.

22 Sciat ergo Domina Comitissa, quòd licèt eius iuramentum fuerit promissorium, doctrina damnata stat etiam pro eiusmodi iuramento & non tantùm pro assertorio; nam in promissorio semper reperitur ratio assertorij, quatenus qui aliquid iurat facere, si iurat sinè animo adimplendi, iurat sinè veritate, & sic iurat, seu vocat Deum in testem mendacij, vndè facit Deum mendacem tum in assertorio, tum in promissorio iuramento mendaci,quidquid sit, quod leue sit mendacium illud, quia non tollit hæc leuitas, quin grauissima irreuerentia irrogetur Deo, dum testis mendacij,& consequenter mendax fit, cùm tamen Deus sit Summa Veritas: ergo scandalosa est illa propositio docens, quòd *Vocare Deum in testem mendacij leuis, non sit tanta irreuerentia, propter quam velit, aut possit damnare hominem*. Facto posteà iuramento promissorio cum veritate adimplendi, si non adimpleatur, delinquitur semper grauiter, si materia sit grauis: si verò sit materia leuis, relinquitur Doctoribus resoluere, num sit peccatum mortale; sed non esse nisi veniale, communior tenet opinio: In casu verò Dominæ Comitissæ agitur de materia graui, & sic si fuisset obligata stare promissis, mortaliter peccasset violando suum iuramentum. Quòad damnationem præfatæ propositionis 24. nihil est spectans ad casum veri iuramenti promissorij, sed postea violati. Et quia in iuramento dantur tria, nempe *Iudicium, Iustitia,& Veritas*; liberum est Doctoribus disputare, an possit dari iuramentum cum defectu *Iudicij*, seu *Iustitiæ*, ita vt non sit tanta irreuerentia, propter quam Deus velit, aut possit damnare hominem. Cæterum si deficiat *Veritas* præsens, omninò damnatum meritissimè est, non esse irreuerentiam dignam damnatione, scilicet æterna: Quòd si deficiat *Veritas* futura,quia non adimpletur promissio iurata, iam diximus non stare pro tali casu latam damnationem.

23 Necesse fuit prædicta sub numero antecedente afferre, vt Domina Comitissa sciat quale peccatum commiserit, iurando cum *veritate*, sed cum defectu *Iustitiæ*, & *Iudicij*; si non poterat illam permissionem facere. Si iurauit bona fide, nullam fortassè ex inuincibili ignorãtia contraxit culpam, quæ si adesset citra erroneam conscientiam de mortali, erit solùm venialis,dato, quòd iuramentum fuerit de materia indifferenti: Ità de assertorio, & promissorio iuramento. Armil.*verb.Periurium,num.3.* Sotus *lib.8.de iust.quæst 2.art.3.conclus.5.* Sayr. *in Claui Regia,lib.5.cap 4 num.36.*

24 Si verò iuramentum sit de facienda re leuiter peccaminosa, seu de præsenti illa iuretur, est item veniale; secus si res sit mortaliter peccaminosa:Sanchez *in decal lib.3.cap.4.n.33.* & quidem peccatum non est tantùm vnum; Vide Sanchez *ibidem*.

25 Hinc concludatur, quòd nullo modo poterat Domina Comitissa donare, seu alienare, vndè iurauit amico suo facere donationem contra primum iuramentum, & hoc fuit iurare rem grauiter peccaminosam, maximè quia materia donanda erat notabilissima,ideoque iuxta Sanchez *loco citato*, grauiter peccauit peccato periurij, & rei peccaminosæ, & interdũ interueniet aliud peccatũ iuxta Sãch.*loc.cit.*

26 Si autem huius Dominæ Comitissæ iuramentum fuit verbale tantùm, idest sinè animo iurandi, dico peccasse mortaliter, & ratio est, qui taliter iurare est lethale, & contra Religionem ex suo genere, vt communiter docent Doctores scribentes super *3.sentent dist.39.* vbi D.Bonauentura *art.3.quæst.1.* & Richard. *art.2 quæst.2.* Caiet.Sot.& Aragon. *2.2.quæst.19.art.7.* Ità censeo generaliter tenendum de huius-

huiusmodi iuramento, quamuis varij varia sub distinctione dicant, nam aliqui considerant an materia sic fictè iurata sit falsa; vel an legitimè iuramentum exigatur, &c. Sed his omnibus opinionibus omissis, hæc vna tenenda est, esse semper mortale. Ratio est, quia nomen Dei sic assumitur ad decipiendum cum vano vsu grauiter pernicioso eidem nomini. Confirmatur, quia est semper mortale si verba blasphema proferantur in Deum sinè animo blasphemandi: ergo &c.

27 Propositio damnata dicens: *Cum causa licitum est iurare sinè animo iurandi*, non probat generatim nostram opinionem, dum diximus esse semper mortale iurare sinè animo iurandi, quia talis propositio fuit damnata vt iacet, & vt iacet non distinguit de causa leui, ac de graui. Quare quamuis Doctoribus remittatur an liceat sic iurare interdum ex grauissima causa, est tamen damnatum id asserere etiam disputatiuè, quoties ageretur de leui causa, & ob rem leuem, sicque in tali generalitate est animarum saluti perniciosa ista propositio meritò in hoc sensu damnata. Ex allegatis habet D. Comitissa quid in vtroquè foro sentire debeat de casu, quem à me quæsiuit, & pro viribus plenè studui respondere omnibus attentè consideratis.

---

# DECISIO XXXIII.

*An valeat promissio ab Abbatissa facta Moniali dandi certam pecuniam alteri Moniali, necnon cuidam Sæculari post obitum illius Monialis; & an in hoc Episcopus possit interpellari?*

## Casus, seu Historia XXXIII.

### SVMMARIVM.

1 *Casus proponitur.*
2 *Subditus nequit testamentum facere.*
3. 4 *Quomodo possit facere schedulam.*
5 *Sententia contraria, quid dicat.*
6 *An Prælatus possit ad hæc dare licentiam.*
7 *An stet promissio facta subdito.*
8 *Status dubij præsentis.*
9 *Irreuocabiliter nequit concedi subdito.*
10. 11. 12. 13 *Nec seruo, excepto vno casu.*
14 *Adducitur lex in contrarium.*
15. 16 *Respondetur pro duplici euentu.*
17. 18 *Tenetur Dominus circa libertatem,*
19. 20. 21 *In foro interno.*
22. 23 *Erga seruum, & subditum, quæ sit obligatio.*
24 *An stet promissio facta subdito.*
25 *Quid in casu nostro.*
26 *Casus, in quo stat promissio Prælati.*
27. 28 *Pactum ponit obligationem naturalem.*
29. 30 *Et cum subdito, salua paupertate.*
31 *Quid de promissione non reuocandi.*
32 *Quid si detur causa contrà promissum.*
33 *Obligatio ciuilis non datur cum subdito.*
34 *Concluditur casus de æquo, & bono.*

1 IAm ad vltimum vitæ suæ diem peruenerat quædam Sanctimonialis, quæ copiosum apud Abbatissam deposuerat peculium. Rogauit illa eamdem Abbatissam, vt post mortem ipsius daret de eodem peculio partem alteri Moniali professæ eiusdem Monasterij, & partem cuidam sæculari. Promisit dare ipsa Abbatissa, sed mortua Sanctimoniali, cui promissum fecerat, noluit aliquid concedere, nec partem peculij dare Moniali, nequè sæculari. Iste recursum habuit ad Episcopum, vt cogeret eam dare iuxta mentem defunctæ, & iuxta promissum ab Abbatissa factum. Dubitauit Episcopus, an posset vt Iudex operari, vel saltem vt Pater, ideò quæsitum est à me, an illa promissio subsistat; & an Episcopus in hoc possit interpellari?

2 Dico non posse Prælatum, (quod idem est de Abbatissa) dare licentiam Monacho, vt schedulam faciat dispositiuam bonorum, quæ apud se habet, si schedula illa vim intelligatur
3 habere testamenti, aut codicilli. Posset tamen talis schedula componi, eo animo, vt Prælatus rogatus, velit omnia disponere prout schedula loquitur; si tamen sic ei beneplacitum pro suo libito erit. Ratio est, quia in tali casu non est Religiosus ille, qui disponat, sed est Prælatus; vndè & hoc licitum est Fratribus Minoribus; sic docuit Nauarr. *summa latina cap.* 27. *n.* 270. *& comment.* 2. *de regular. nu.* 22. *corol.* 10. Graffis 1. *p. decis. lib.* 3. *cap.* 5. *n.* 58. *& part.* 2. *lib.* 3. *cap.* 19. *num.* 14. Manuel. *quæstionum regul. tom.* 3. *qu.* 69. *art.* 2. *fin. & art.* 3. *fin.* Dummodò tamen illa sche-
4 dula nō habeat vim donationis causa mortis: & ità tradunt Nauar. Graffis, & Manuel *eodem art.* 2., qui loquuntur in sententia, non posse Monachum donare causa mortis, nequè de li-
5 centia Prælati; verùm probabilior est sententia opposita, dummodo donet quid modicum, & eo modo, quo donaret de licentia Prælati

inter viuos; & hanc opinionem docent Cynus *authentic. ingress. quæst. vltim. num.* 14. & ibi Bartolus *in 2. lectura n.66.* Petrus de Bellapertica *qu. vlt.* & ibi Tapia *ver. ideoque nec de his, cap.1. nu.4.* Suarez *allegat. 20. nu. 27. fine.*
6 Gratianus *regul. 456. n. 4.* Nec facit, quòd isti Doctores dicant, Prælatum indigere in hoc casu consensu conuentus, nam intelligendi sunt, si Prælatus ex se non possit talem licentiam concedere; sed pro re modica potest dare licentiam etiam inter viuos; ergo & causa mortis.

7 Vt ergo subsistat dubium, an Abbatissa teneatur dare id, quod promisit se daturam iuxta rogationem ei factam à Moniali decedente, debet esse de quantitate, quam possit ex sola sua licentia, & sinè conuentus consensu, ipsa Abbatissa distribuere; aliàs cùm non possit propria authoritate disponere de aliqua re, nequè poterit promittere eamdem rem se alienaturam propria authoritate, vndè nec tenetur adimplere promissum factum subditæ Moniali decedenti, quando agitur vltra authoritatem ipsius Abbatissæ; & ità tenent DD.

8 Dubium est, dum licentia Abbatissæ sufficit, an teneatur stare promissis cum subdita postmodum defuncta? Seu, an Abbas, vel Abbatissa teneantur adimplere dispositionem factam à subdito professo causa mortis, si ei promiserunt eius dispositionem adimplere, quæ tamen dispositio non est testamentum, nec codi-
9 cillus? Et videtur non esse standum talibus promissis, quia Prælatus non potest concedere contra Votum Paupertatis, & concedere irreuocabiliter est concedere contra votum Paupertatis: Sed si teneretur Prælatus dare ex vi promissionis factæ subdito, daret sinè libertate reuocandi, idest daret irreuocabiliter; ergo non tenetur stare promissis; quæ consequentia sequitur ex eò, quòd Prælatus non possit dare nequè vsum rei irreuocabilem, & à fortiori nequè ipsam rem: ità Angelus *verb. Abbas*, §. 17. Syluester *verb. eod. q.3. dicto 7.* Sanchez *lib. 7. decal. cap. 17. nu.28.*

10 Et confirmatur, nam si Prælatus promittat subdito non reuocare rem quampiam ipsi concessam, nihilominus reuocare potest, vt tenet Syluester *verb. Abbas, qu 4. arg. l. interpositas C. de transactionibus*, iuncta Glossa *ver. non posse*, vbi habetur, Dominum cum seruo paciscentem, seu transigentem, obligari non posse, nisi de libertate paciscatur; ergo nequè obligari potest Prælatus cum Monacho, quia à seruo ad Monachum in hoc valet argumentum, & est eadem ratio ex vtraquè obligatione, vt videntur docere Innocentius *cap. cùm olim nu. 3. de priuilegijs*. Bart. *l. 1. in principio n 3. §. si fructuarius nu. 4. ff. de stipul. seruorum*. Abbas *cons. 104. n. 3. vol. 1* & expressè Iason. *l. interpositas num. vlt. C. de transact.* & alij, qui omnes de hoc disputantes, ex vna obligatione inferunt aliam. Ratio est, quia nec Monachus, nec seruus sunt sui iuris, & sicut seruus est sub
11 potestate Domini, ità Religiosus est sub Abbatis, seu Prælati sui potestate; quapropter aut vtraquè subiectio, aut earum nulla impedit oriri obligationem; sed de facto non oritur obligatio domini ad seruum neq; per pactum, ex dictis numero antecedenti; ergo nequè orietur obligatio Superioris ad personam subditam per promissionem. Igitur Abbatissa in nostro casu non tenetur adimplere promissum Moniali, etiam causa mortis.

12 Et vt clariùs pateat, nullam oriri obligationem domini ad seruum, etiam per pactum, ponam hic varios textus id clarè dicentes. *l. interpositas 13. C. de transact.* habetur hæc verba: *Nec dubij iuris est, dominos cum seruis suis paciscentes explicatis teneri, atquè obligari non posse*; & huic textui conformis est *l. reg. 6. titul. 11. part.5.* Et idem videtur decidi *l. cùm*
13 *affirmes 8. Cod. de liberal. caus.* vbi cum dominus accepta pecunia promisisset seruo libertatem, nec stare promissis, dicit textus hic: *aditus Rector prouidentiæ hortabitur eum placito suo stare.* vbi clarè significat id esse tantummodò consilium. Deinde clariùs *l. post cert 36. C. eod. tit.* ibi: *post certi temporis ministerium ancillæ, liberam eam esse, cum ea paciscendo, conuentiones obtemperandi legi domina nullam habet necessitatem.* Ergo ex istis textibus stabilitum remanet, quòd non obstante quocunque pacto, etiam promissionis, dominus non tenetur ergà personam serui; & hoc ampliandum est in Prælato respectiuè ad subditum.

14 Dices in contrarium: extat lex, quæ obligat dominum cum seruo ratione pacti; & hæc est *l. si seruum 70 §. si quis in fin. ff de acquir. hæred.* ibi: *si quis dederit nummos domino, vt manumittatur, puto omni modo huic esse succurrendum*, ergo etiam Abbatissa ex vi promissionis tenebitur cùm subdita. Respondeo, non esse dicendum, quòd textus iuris inter se pugnent, atquè ideò sunt concordandi cum distinctione ab authoritatibus adhibitâ; vndè si pactum domini cum seruo est super quacunquè re, excepta libertate, non valet indistinctè, & sic loquuntur priores textus *sub n. 12. & 13.* si autem pactum est circa libertatem,

valet

15 valet in duplici euentu. Prior est, quando est dubium, an seruus sit, vel potiùs liber, vt con-
16 stat *ex l. final. C. de transact.* Posterior euentus est, quando pactum fit cum domino futuro; & sic intelligitur *d. l. si seruum*, & sic non contradicit textibus alijs citatis, qui dicunt non valere pactum, etiam circa libertatem; nam intelliguntur, quando seruitus est certa, & pactum fit cum domino præsente.

17 Igitur dicendum est, nullum pactum inducere obligationem in domino ad seruum, præterquam circa libertatem, quando seruitutis status cadit sub dubio: Sic ergo sunt textus concordandi, & ità docent: Glossa *ea l. interpositas, verb. non posse, & ea l. cùm affirmes, verb. hortabitur, & d. l. si seruum §. si quis, in fin. verb. si quis.* Bartolus *ea l. interpositas, nu.* 8. Baldus *n.* 5. Angelus *ibi, ad finem* Iason. *num. vltimo*. Corneus *num.* 3. Roman. *in fin.* Salycet. *nu.* 3. *ad fin.* Aretin. *n.* 2. Curt. senior. *n.* 29. Padilla, *n.* 34. *&* 35.

18 Atque dominum non obligari ex pacto inito cum seruo tradunt idem Bartolus *l. est receptum, in principio, ff. de iurisd. omn. iud.* & ibi Angelus, *n.* 2. Iason. *n.* 7. Alexand. *nu.* 4. Alberic. *n.* 1. Fulgos. *n.* 1. Zazius, *nu.* 4. idem Baldus *cap. cùm contingat, nu.* 30. *de iure.* Federic. *cons.* 259. *n.* 2. Archidiaconus, *c. cum pastoris* 2. *qu* 7. *n.* 5. *& cap. final. n.* 2. *fin. & n.* 3. *initio, de offic. ordin.* & ibi Ioannes Andreas *n.* 1. *&* 2. Abbas, *cap. ad nostram n.* 9. *de confirmat. vtil. & inutil. cap. cùm ad monasterium nu.* 11. *fine, & n.* 12. *de statu monach.* Dominic. Franc. Angelus, Syluester, Rebuffus, & alij; ergo & Abbatissa nullam contraxit obligationem ex vi pacti initi cum subdita Moniali, cùm idem sit de istis, ac de dominis cum seruis; & de quocunque Prælato cum subditis, vt iam suprà dictum est, & sic dicunt. Archid. Io. Andr. Dominic. Abb. Rebuff. & alij.

19 Limitanda tamen est prædicta doctrina, quãuis nec textus citati, neq; Doctores explicent, an nulla oriatur obligatio ciuilis, nec naturalis; & dicendum est; quidem non oriri obligationem ciuilem, & quoad forum externum, oriri tamen obligationem naturalem, & quoad forum conscientiæ, quidquid dicatur à Baldo *l. cùm affirmes, statim in principio*, vbi asserit nullam oriri ex pacto obligationem necessitatis, sed solùm honestatis; & sic videtur excludere obligationem etiam naturalem.

20 Et quòd & textus, & Doctores dicentes nullam oriri ex pacto obligationem, sint intelligendi de obligatione ciuili, clarè indicatur à verbis *l 6. reg. tit.* 11. *part.* 5. concordantis cum *d. l. interpositas*.

21 Quòd verò oriatur obligatio naturalis seruandi pactum à domino factum seruo, seu à Prælato factum subdito, vel ab Abbatissa factum Moniali, suadetur ratione, quia licèt domini ad seruum, non sit amicitia, nequè iustitia, potest tamen vtraque esse, ea ratione, quà homo est, vt docet Aristoteles 8. *Ethicorum, cap* 11. & idem probat textus *l. non solum* 50. §. *ignorante, vers. an debitor. ff. de pecul.* ergo cum idem sit de Prælato cum subdito, poterit dari ratio amicitiæ, & iustitiæ, & hæc non quidem in foro ciuili, sed in solo interno, ex vi pacti appositi: ità expressè Glossa *in l. si id quod* 64. *ff. de condict. indeb.* & Bartolus *d. l. initio, & in fine*, ait dominum obligari seruo
22 naturaliter, & subscribit *Paul. ibi. n.* 10. Iason. *ibi. statim in principio*. Baldus *c. cùm contingat n* 30. *de iureiurand.* Anton. *c. quia plerique, nu.* 51. Abbas *de immunit. Eccles.* Decius *l. in personam, n.* 1. *ff. de regul. iur.* ibi Abbas *nu.* 11. quibus adhærere video. Innocentium, Albericum, Syluestrũ, Suarez, Ancharanum, Iacobum de Canibus, Humbertum de Bonanco, Nauarr. Guttier. Molin. Ludouicum Lopez, Molinam Societatis Iesu, Azorium, Rebel. Suarez, & alios; ergo tot Doctorum testimonio, erit in foro conscientiæ obligata Abbatissa stare promissis factis Moniali suæ subditæ.

23 Suarez *in opusc. to.* 1. *tract. de libertate diuina, disput.* 2 *sect.* 2. *n.* 20. dicit, quòd hæc obligatio ex vi pacti exorta inter dominum, & seruum, sit ex fidelitate, non ex iustitia, quia seruus est iustitiæ incapax; at Molina Societatis Iesu, *to.* 1. *de iust. cap.* 4. *dub.* 4. *n.* 6. *&* 17. docet esse ex Iustitia; quia dominus cum seruo paciscens, visus est cedere iuri suo, ita vt ex pacto oriatur obligatio ex iustitia, quod optimè fieri posse tradit Rebell. *de iustit. part.* 2. *lib.* 1. *q.* 8. *sect. vlt. n.* 68. ergo semper verum est dari obligationem in domino erga seruum, ac in Prælata erga subditam monialem, ratione pacti, aut promissionis, quæ obligatio naturalis, & pro foro interno, non pro ciuili, tenenda est.

24 Layman *lib.* 4. *tract.* 5. *cap.* 7. *nu.* 19. admittit hanc obligationem naturalem, sed limitatè loquitur, concedendo eam in Prælato circa subditum, sed pro rebus non spectantibus ad votum paupertatis; & sic concedit Prælatum teneri si promissionem faciat subdito recitandi preces, aut præstandi aliud opus spirituale. Non tamen videt, vt ipse protestatur, quomo-

dò

do possit Prælatus promittere rem temporalem, & contra Paupertatem, nam si teneretur dare, teneretur & non reuocare; & sic daretur casus, in quo liceret subdito habere rem independenter à Prælato.

25 Si vera essent hæc dicta à Layman, non teneretur Abbatissa adimplere promissum factum Moniali, cùm agatur de danda pecunia, de qua certum est, quòd præcipuè cum ipsa violatur Paupertas: ità videbitur alicui posse dici. Sed fateor veram esse doctrinam Layman, quapropter concludenda est præsens Decisio, concedendo ex vna parte, quòd Abbatissa te-
26 neatur adimplere promissum Moniali, quantùm est circa quantitatem pecuniæ dandam sæculari: sed negando ex parte alterius Monialis subditæ eidem Abbatissæ, & hoc propter rationem, & doctrinam ex Layman adductam.

27 Igitur sit vna conclusio, quòd persona Prælata in Religione circa personam subditam obligatur ex vi pacti obligatione naturali, sicuti idem fit in persona domini circa seruum, quia ratio eadem vtrobiquè currit, vt suprà dictum est, & ità docent Abbas, Nauarrus, Iacobus de Canibus, Manuel, & Rebellus *de iust. part. 1. lib. 1. q. 8. sect. 1. n. 14.*

28 Sit altera conclusio, quòd eadem persona Prælata circa personam subditam habet obligationem naturalem, id est pro foro conscientiæ, ex vi pacti initi, dandi, seu distribuendi post vitam eius, cui promissio facta est, prout persona subdita rogauit fieri. Ratio est, tum propter prædictos textus, aut Doctores suprà citatos; tum quia si adest obligatio in conscientia, debet promissum adimplere, vt patet.

29 Sit altera conclusio, quòd hæc obligatio naturalis ex vi pacti, si oritur in persona superiore circa subditam personam in rebus non violantibus, aut tangentibus paupertatem, vt sunt
30 preces, tenetur eam adimplere. Si verò est in re temporali, item debet eam adimplere, dando promissum, dummodò persona, cui est dandum non sit subdita, quia sicut à subdita persona potest superior auferre, ità & non da-
31 re. Item non tenet promissum non reuocandi rem, quia esset manifestè contra paupertatem, quòd persona subdita habeat rem irreuocabi-
32 lem à superiore. Si tandem Superior habet iustam causam, potest non stare promissis, sed reuocare, vt ait Rebellus *ibidem*.

33 Sit altera conclusio, & vltima, quòd nulla obligatio ciuilis, vt dictum est, nunquam ex vi pacti oriatur in Superiore; vndè non potest Episcopus vt iudex interpellari, quatenus sententiam proferat, vt Abbatissa det personæ nõ subditæ iuxta promissa facta Moniali subditæ; ad hoc enim vt possit Iudex interpellari, debet dari obligatio pro foro externo in persona, quæ debet conueniri; sed in casu nostro non datur obligatio talis in Abbatissa; ergo Episcopus nequit causam cognoscere.

34 Ad maximum ergo, accedat Episcopus ad Abbatissam vt Pater, nec non & vt Magister, ac iuxta hanc duplicem venerandam dignitatem, admoneat Abbatissam, se quidem ex vi promissionis factæ Moniali subditę, nullam habere obligationem in foro externo, sed solùm in foro interno, & sic tenetur promissum adimplere, dando sæculari. At verò quoad Monialem subditam, cui item promisit dare, faciat quod libet, & vult, nam agẽdo de pecunia, aut de re simili, non currit obligatio ei, nequè interna, non obstante promissione facta, & sic non obligatur dare, quamuis rogata à Moniali decedente promiserit se daturam. Deniquè, si rationabilem habet causam, absolutè non tenetur promissa seruare, sed potest reuocare. Hæc sunt, quæ Episcopus, si aduocetur, potest de congruo, non de obligatione præstare cum Abbatissa, tum vt satisfaciat sæcularem prætendentem; tum & vt altera Monialis desistat à prætensione promissorum, si ab Abbatissa denegentur; tùm vt Abbatissa quid agere sibi liceat doceatur, & Episcopi sui exhortatione, & textuum præscriptione, & Doctorum decisione.

## DECISIO XXXIV.

***An emens rem cum obligatione soluendi cum pecunijs, quas in ludo lucrabitur, teneatur ludere.***

## Casus, seu Historia XXXIV.

### SVMMARIVM.

1 *Casus proponitur.*
2 *Ludus est quid liberum.*
3. 4 *Emptor tenetur ludere ex pacto.*
5 *An sit teneatur in nostro casu.*
6 *Verba dubia quomodo sumantur.*
7 *In præsenti nulla est ambiguitas.*
8 *Venditor potest ponere legem.*
9 *Ex venditione oritur obligatio.*
10 *Obligatio est iuris vinculum.*
11 *Obligatio quid comprehendat.*

12 *Obli-*

1 TVrpilius solitus ludere, & semper lucrari, voluit emere equum à Sixto, sed protestatus est Turpilius, se de præsenti non habere nummos, quibus equum soluat. Respondit Sixtus, & dixit se cõtentum esse, vt soluat postmodum cum pecunia, quam in ludo lucrabitur. Turpilius cum hoc pacto accepit equum titulo emptionis, sed ampliùs non curans ludere, non ludebat. Petijt Sixtus debitum pro equuo, respondit Turpilius, quando ludam, & lucrabor, tunc soluam iuxta pactum, quo me obligaui; nescio tamen quando ludam, quia ludere scio esse vitium damnabile. Quæsitum fuit an Turpilius teneatur ludere, vt ex ludi lucro soluat id, quod emit?

2 Duo sunt capita, ex quibus videtur non teneri emptorem ad ludum. Primum est, quia ludere est quid liberum: Alterum est, quia ludus est quid periculosum pro salute animæ, & pro bonorum temporalium iactura; ideò emptor putat à ludo recedere posse, imò & fortasse teneri.

3 Nihilominus secundùm veritatem, & obligationem suam, emptor iste, debet ludere supposita emptione prout in casu, nam contractus emptionis indispensabiliter comprehendit obligationem, quæ vocatur mixta, quæ obligatio ad distinctionem obligationis purè naturalis, aut purè ciuilis, producit actionem, & exactionem, ità vt per actionem empti vendi-
4 tor cogatur tradere rem venditam. *l. exempto. 11. ff. de act. empt.* & insuper emptor per actionem ex vendito cogatur numerare pretium.
5 *l. Iulian 13. §. ex vendito. ff. de act. empt.* Et quòd emptor in casu nostro teneatur tali obligatione mixta, solùm potest dubitari ex verbis dubijs appositis ambiguè in celebratione con-
6 tractus; at in dubio verba sunt accipienda in potiori significatu *l. 1. § qui in perpetuum, iuncta glos. in vers. Domini, ff. si aper. vect. vel emph. pet. & c. pen. ext. de sent. excom:* sed potior obligatio est mixta, quæ concedit posse se inuicem cogere, scilicet venditor emptorem, & emptor
7 venditorem. Imò hìc nihil est ambiguitatis, cùm expressè adsit contractus emptionis, & venditionis, qui non subsistit, si tollatur, vel tolli velit obligatio vtriusquè respectiuè. Io: Oinotom. *3. instit. de obligat. tit. 14. num. 10.* &
8 idem dicit *num. 8.* ex quibus intelligitur obligatio emptoris soluendi rem venditori; maximè quia venditor potest ponere in contractu legem, quam maluerit, & quæ illi benè visa fuerit, & hoc taliter quòd emptor teneatur illam acceptare, vel in totum repudiare. *l. quoties, Cod. de don. quæ sub mod.* Iason *in l. 5. contrà, §. si filius, in 4. notab. de pact.* cum alijs per Surdum *decis. 374. num. 25.*

9 Et certè nemo potest iure negare, quin venditio semper causet obligationem in emptore, aliter esset donatio; & quamuis in præsenti casu velit admitti donatio, sed libera, dicendum est, hoc implicare cum nomine, & essen-
10 tia obligationis, quia obligatio dicitur Iuris vinculum, id est ius vinciens, & ligans *sec. glos. tit. vbi suprà. 3. Instit. de oblig.* Est ergo ligata libertas emptoris in hoc, de quo extat obligatus.

11 Hæc quoquè, & præcipuè vera sunt, quia obligatio quæcunquè comprehendit, vel solùm dare, vel solùm facere, vel dare, & facere simul. *l. 3. ff. de obligat. & act. l. 2. ff. de verb. obligat.* & tamen facere, semper est in libertate
12 facientis; nihilominus si per contractum, & per promissionem tenetur facere, iam debet se ligatum intelligere ad faciendum, aliàs nunquam daretur obligatio faciendi, quod nemo asserit: Ergo Turpilius, qui tenetur dare pretium cum pecunia ei proueniente ex lucro in ludendo, quamuis facere ludum sit quid liberum respectu suæ voluntatis, tamen ex vi contractus emptionis, teneri ludum facere fortiter, & manifestè concluditur.

13 Nec facit contra si dicatur, quòd nemo tenetur

netur ad id, quod est causa peccati, seu peccatum; ac propterea Turpilius non tenetur ludere, cùm animæ damnum ex ludo timeat. Res-
14 pondetur enim, id verum esse in rebus intrinsecè malis, aut peccaminosis, non tamen in indifferentibus ad hoc, quòd benè, vel malè ponantur, & ex genere rerum indifferentium est ludus, vndè cùm emptor in casu nostro possit sinè peccato ludere, sequitur non deobligari à ludo, vt adimpleat promissionem, seu legem, vel conditionem positam à venditore, & ab ipso emptore acceptatam in celebratione con-
15 tractus. Quòd autem teneatur quis facere id, quod est indifferens, vt perueniat ad adimplendam suam obligationem, ostenditur ex doctrina Moralistarum dicentium, quòd in casu, quo quis teneatur ire ad Sacrum, sed ad ianuam, per quam transire debet iacet puer, super quem si transit, ipsum occidet; tenetur & puerum non occidere, & ad Sacrum excipiendum accedere; ratio est, quia non necessitatur ad occisionem pueri, sed potest longo palsu eum transilire, sicque ad Sacri obligationem adimplendam peruenire: Ità Caramuel *in*
16 *Theolog Regul.* ex communi doctrina; ergo & emptor habens duas obligationes, vnam non peccandi ludendo; alteram soluendi rem emptam, mediante lucro ludi, tenebitur sinè peccato cauere vt benè ludat, cùm id præstare optimè possit, & ludum faciat, vt obligationem dandi pretium rei emptæ adimpleat.

17 Contra emptorem stat etiam, quòd venditor ei tradiderit equum, tamquam solito ludere, ideò vt lusor debet se gerere, & quidem ludens, vt solebat, & non omittens ludum,
18 quem solebat. Quòd si ludum omittat, est in culpa; nam solitum omittens est in culpa:
19 Burlat. *conf.* 197. *num.* 3. & iniustè facit: idem
20 *conf.* 160. *num* 8. ac tandem malè de eo præsumitur: Cæph. *conf.* 183. *nu.* 99.

21 Et si emptor posset licitè a ludo recedere, remaneret venditor deceptus, ac emptor suam
22 obligationem eluderet; at obligationem eludere, non debet esse in facultate partis: Fran. Nig. *contr.* 285. *num.* 35. & de consequenti debet operari, & se gerere iuxta solitum, ne obligatio eludatur ab emptore, qui est pars; & qui obligatione adimpleta poterit pro libito ludum omittere, non enim remanet ligatus, ablata obligatione.

23 Deindè facit in fauorem venditoris, quòd venditor præsumitur talis, qualis est consue-
24 tudo ementis; & hoc iudicatur ex eo, quod consueuit facere iste emens; vt tradit post Bartolum, Barbat. *conf.* 25. *num.* 1. *vol.* 1. Cùm ergo emptor consueuerit ludere, & emerit obligans se ad solutionem cum lucro ludi, tenetur profectò ludere, cùm non stet lucrum ludi sinè eodem ludo in hoc emente, ac per consequens obligatus ad vnum, obligatur ad illud aliud cum illo indispensabiliter cōnexum; emit namque vt ludens.

25 Inhærendo postmodum naturæ emptionis, hæc perficitur in tribus, videlicet consensu, re, & pretio: *Instit. de emption. in princip.* Igitur debet dari in emptione consensus, qui stet cum solutione pretij, & tamen hoc non verificatur, si subterfugiatur à soluendo, quasi non consenserit se obligare ad ludendum.

26 Nec facit, quòd verba inter istos vendens, & emens nō fuerint expressiua de obligatione ludendi; siquidem in contrahentibus, mens ipsorum præualet verbis, ità quòd mentis interpretatio fieri debeat secundùm quòd contrahentes de negótio interrogati, verisimiliter fecissent, illaque pro expressa habenda est, *vt per vulgatam, glos. finalem, in fine, in l. tale pactum* 41. §. *final. ff. de pactis in contractibus*, tradunt Decius *conf.* 555. *num.* 7. Crauet. *conf.* 442. *num.* 21. *volum.* 3.

27 Vbi quòd talis casus, qui venit ex verisimili mente, habetûr pro expresso: Riminald. iun. *conf.* 477. *num.* 21. *in fine, & num.* 23. & per totum dictum consilium *vol.* 4. & pulchra Gallia *conf.* 118 *num.* 30. vndè ex modo, & circumstantijs contractus in casu nostro, clarè apparet verisimile esse, mentem contrahentium fuisse, se respectiuè obligandi expressè.

28 Quòd si dicatur, mentem emptoris fuisse non se ligandi ad ludum liberum, & in hoc sensu esse eius mentem interpretandam; corruit hoc dictum, nec subsistit huiusmodi inter-
29 pretatio, quia interpretatio illa non debet admitti in contractibus, per quam vna ex partibus remaneret decepta, & enormiter læsa *l.* 3. §. 3. *ibi: verùm quoniam non debent decipi, ff. de recept arbitr. l. sed si pupillus* 11. §. *item si plures, ibi: neque enim decipi debent contrahentes, ff. de Instit. action.* Castr. *conf.* 205. *in fin. vol.* 1. Lancellotus, Gallia *d. conf.* 118. *num.* 31. vbi
30 subdit, quòd semper interpretatio debet sumi de bono, & æquuo, ex quo omnis interpretatio desiderat æquitatem, non iniquitatem. Mantica *de tacit. conuent. lib.* 1. *tit.* 17. *num.* 3 vbi ait, quòd omnis interpretatio debet habere duos comites, bonum, & æquum.

31 Addendum venit, quòd quamuis venditor expresè non dixerit se velle obligare emptorem

rem ad ludendum, sed solùm ad lucrum dum
luderet, intelligitur tamen tamquam non-
omissa obligatio ludi, cùm eadem ratione
euincatur, quòd debeat dare lucrum, ac face-
re ludum: Baldus *in l. per diuersas 23. sub n. 6.*
32 *C. mandati*; & quia sub lucro dando ex ludo
comprehenditur positio ludi, vndè expresso
vno, intelligitur non omissum id, quod com-
prehenditur sub expresso. Decius *cons. 43. n.*
*53. vol. 2.* Crauet. *cons. 452. n. 19. vol. 3.* Oldra-
33 dus *cons. 224. n. 33.* vbi ait, quòd casus non in-
telligitur omissus, quando est similis expresso:
Iason *in Authent. quas actiones, sub num. 17. C.*
*de Sacrosanct. Eccles.* Et in casu nostro non so-
lùm est similitudo lucri ex ludo, cùm ipso lu-
do, sed simul identificantur.
34 Vlteriùs vrget contra Turpilium emptorem,
quòd quamuis in nostro casu fuerit omissa ex-
pressa mentio ludi, facta tantummodò mentio-
ne lucri ex ludo; attamen talis omissio ludi de-
bet haberi pro non omissa, tum quia compre-
35 henditur sub expressione facta; tum quia saltem
aliqualiter potest comprehendi; tum quia ex
iisdem verbis expressis colligi tantùm potest.
36 Canch. *ad l. hæredes mei, §. cùm ità, p. 1. num. 80.*
*vers. non obstat, quòd hic casus, ff. ad trebel.* Me-
nochius *lib. 4. præsumpt. 67. sub num. 15. vers.*
*secundus casus* Fachin. *cons. 47. num. 35. lib. 1.*
Scacc. *cons. 118. num. 23. vol. 2.*
37 Ex dictis inferenda venit apertè conclusio,
quòd cùm debeamus in nostro casu saluare ra-
tionem emptionis, prout Turpilius se fatetur
emptorem, debemus & saluare obligationem
soluendi necessariò annexam ipsi emptioni; vn-
dè cùm expressè solummodò fuerit petita à
venditore solutio lucri ex ludo ipsius Turpilij,
contractus sic fuit factus, vt intelligatur appo-
sita obligatio quòd ludat, sinè qua obligatio-
ne non stat obligatio soluendi debitum ex lu-
cro ludi, etenim ex petito ludi lucro, sequitur
petitio ludi, quæ petitio habetur pro non omis-
38 sa in facto contractu. Ratio est, quia casus, qui
sequitur ex eo, quod fuit expressè dispositum,
habetur pro expresso, & disposito. Rota *decis.*
*744. n. 2. p. 2. vltim. Farinac.* Et habetur pro dis-
39 posito, quando disponens interrogatus, ità res-
pondisset Crauet. *cons. 452. num. 21. vol 3. &*
*cons. 970. num. 10. vol. 5.* Riminald. iun. *cons.*
*477. num. 23. vol. 4.* Becci *cons. 123. sub num.*
*16. vol. 2.*
40 Et vt dicatur non omissa obligatio ludendi
sufficit quòd pro forma exprimi deberet: vi-
deatur ad rem nostram Roland. *cons. 27. nu. 36.*
*vol. 4.* Ideò quia Sixtus venditor est ille, qui dis-
posuit in nostro casu, si interrogatus fuisset, an intenderet debere Turpilium ludere, respondisset affirmatiuè, prout nunc respondet, & protestatur, & vult, dum instat, & prætendit sibi solui equum ab emptore, iste debet, & tenetur ludere secundùm quòd antè emptionem ludum profitebatur, præterquam quòd antè emptionem ludebat ex libertate, nunc idem ponere, & præstare debet ex obligatione per contractum, sicut satis superque probatum esse puto ex dictis.

---

# DECISIO XXXV.

*An mulier grauida teneatur sectionem tolerare, si ex Medicorum sententia, non possit aliter fetus viuus baptizari? Et quid si ex eius natiuitate rixa maxima sedanda sint?*

## Casus, seu Historia XXXV.

### SVMMARIVM.

1 *Casus proponitur.*
2 *Mater non tenetur pati sectionem.*
3 *Partus in nostro casu fuit inopinatus.*
4 *Matris scissio est homicidium illicitum.*
5. 6 *Obijcitur, & respondetur.*
7 *Malum matris præualet.*
8. 9 *Probatur.*
10 *Bona gratiæ sunt priùs pro se.*
11. 12 *Arguitur, & satisfit.*
13. 14 *Etsi moritura, non est scindenda mater.*
15. 16. 17 *Contra arguitur.*
18 *Vita corporalis postponitur spirituali.*
19 *Pro proximo interdùm est moriendum.*
20 *Bonum commune præualet priuato.*
21 *An liceat mori pro priuato.*
22 *In naufragio licet cedere tabulam.*
23 *Sic & equum, vt quis fugiat.*
24 *Et vestes morienti præ frigore.*
25 *Et panem pereunti fame.*
26 *Laudabile est mori pro amico.*
27 *Reprehenditur qui id negat.*
28. 29 *Dantur exempla.*
30 *Respondetur ad omnia adducta.*
31 *Temere abijcitur tabula à naufrago.*
32 *Obijcitur contra dicta num. 22. & seqq.*
33 *Satisfit obiectioni.*
34. 35 *Statuitur non licere sectionem.*
36 *Dicta, non sunt contra D. Thomam.*
37 *Nec contra Propositiones damnatas.*

38. *Et probatur vsquè ad num.43.*
44. *vsque ad 47. Propositiones 34.& 35. damnatæ ab Innocentio XI.*

1 ÆGrotabat ad mortem quædam Domina non infimæ notæ, atquè proxima ad partum (cum spe ex signis, eum esse masculum, cuius natiuitas ingentes lites, & rixas terminatura erat) partum edere non poterat, nequè ex Medicorum dicto certè vnquam edidisset, nisi sectionem sustineret. Dubitatum fuit, an mater teneatur sectioni subiacere, tum motiuo baptizandi, & saluandi infantem, tum motiuo extinguendi magnarum rixarum, ac litium ingentem ignem, ex quo homicidia considerabilia timebantur.

2 Dum in tali dubitatione dicta Domina angebatur, atquè à quodam eius Confessario obligaretur sectioni, quæsitus ego quid sentirem in hoc, respōdi non esse obligādam ad sectionem Dominam istam, quidquid futurum sit, & quòd fœtus moriatur sinè baptismo; & quòd rixæ, & homicidia sequantur, etiam si essent integri exercitus, ac status illi, qui fortè perituri sint, vt v.g. fieret, si ageretur de Regina, à cuius partu pax incomparabilis, & damnorum communium impeditiua dependeret.

3 Quia periculum erat in mora, nec tempus vacabat ad prolixius responsum, nullam pro mea opinione adduxeram rationem, quam quia Confessarius ille non vidit, mihi credere noluit. Crediderunt tamen cæteri, nec ampliùs cogitabatur de matris sectione, quando ex improuiso edidit summo omnium gaudio partum sanum, & eum generis masculini. Post hæc iterum quæsitus de fundamentis meæ sententiæ, illa conscripsi, & sunt sequentia.

4 Non sunt facienda mala, vt indè eueniant bona, vt ait Paulus Apostolus ad Romanos scribens *capite* 3. Sed si mater scindatur vt infans baptizetur, vt bella finiantur, fieret malum, vt veniat bonum; ergo non est mater scindenda. Maior propositio est Apostoli, ac per consequens est de Fide, quapropter nedum negari potest, verùm nequè de illius veritate potest dubitari. Consequens benè sequitur, & vera apparet consequentia, data veritate propositionis minoris, ideò illam probo. Homicidium & sui ipsius occisio, sunt mala: sed scindens matrem facit homicidium, & mater consentiēs, se ipsam occidit; ergo si mater scindatur ad fœtum baptizandum, & ad bellum finiendum, fieret malum, vt veniat bonum, quod non licet ex Apostoli sententia.

5 Dices, potest permitti minus malum, vt maius malum vitetur. Sed mors animæ est malum maius, quàm sit mors corporis; ergo potest permitti vt mater secta moriatur, & anima
6 pueri per baptismum saluetur. Respondeo esse quidem verum, quòd mors animæ præponderet morti corporis; sicut & verum est posse permitti aliquando, imò & aliquando consuli minus malum, vt maius impediatur; sed nego,
7 quòd hoc in præsenti verificetur. Vndè obseruare oportet, qualiter in isto casu secandi matrem non impediatur maius malum, sed solùm æquale, vel etiam fortasè aliud maius malum committitur. Hoc constat ex peccato, quod committit occidens matrem, & ex peccato eiusdem matris in homicidium proprium consentientis: ecce quomodo anima matris, & secantis haberent per peccatum perire, vt animam infantis saluarent. Si ergo plus est duas animas perire, quàm vnam, curandum non est,
8 quòd anima infantis non saluetur. Quòd si mater sensibus destituta, sectionem non sciret, vndè nec culpam incurreret; dico quòd adhuc non potest secari, quia daretur malum æquale illi malo, quod prætenditur impediri; & hoc malum æquale, est mors animæ illius, qui secando homicidium faceret, vt alterius animam saluaret, & sic saluatur vna anima, sed deperditur alia, & hæc est propria; non ergo scindere licet, vt in casu.

9 Nec benè dicitur, esse minus malum mortē corporis matris, quàm sit mors animæ infantis non baptizati; nam imò mors animæ non baptizati est minus malum, si mater scindatur, quia in homicidio matris, sequitur mors animæ comittentis homicidium, & qui propter homicidium peccando moritur in anima, damnatur ad Infernum, vbi duo mala sustinebit, scilicet pænam damni, & pænam sensus, vt loquuntur Theologi: at si infans sinè baptismo moriatur, damnatur ad solam pænam damni, seu priuationis visionis Dei in Limbo.

10 Probatur rursus, non licere occidere matrē cum appositione sectionis ad finem saluandi animam infantis, ei baptismum conferendo; nam ordo Charitatis requirit, vt bona gratiæ, gloriæ, & virtutis priùs nobis velimus, quàm proximo, ità vt salus animæ non sit objicienda periculo pro seruanda vita spirituali amici, sicut docuit Azorius *part.2. instit. moral. lib.12. cap.4. q.2. §. dicendum existimo*; ergo neque licebit per homicidium sui ipsius; seu alterius, vt esset secando matrem, animam propriam gratia, & gloria priuare, vt salus animæ infan-

tuli

tuli obtineatur, ei dando Baptismum.

11 Nec valet replicare dicendo, quòd secando matrem si moriatur, non cōmittitur homicidij crimen; potest enim sperari vitam eius esse saluandam, & sic solùm per accidens sequeretur mors, non minùs ac fieret, si ad extrahendum calculum ab homine opus esset eum scindere, in quo casu non est homicida, nec ille, qui scindit, nec patiens scindi: ergo si peccatum nullum est, perindè erit quòd mors corporis sequatur, sed erit vita temporalis exponenda periculo pro tuenda vita spirituali pro-

12 ximi. Respondeo, quòd non subsistit paritas, quia quamuis peccatum non sit, nec homicidium, si mors sequatur ex scissione ad calculos extrahendos, peccatum tamen semper est scissio ad infantem extrahendum ab vtero matris. Igitur actio scissiua pro calculis extrahendis, per accidens infert mortem; at scissio matris dat mortem per se, nec sinè matris morte fieri potest, prout Medici docent. Properea Sanctus Thomas 4. *sent. dist.* 6. *quæst.* 1. *art.* 1. *ad* 4. loquendo de scissione matris ad infantem tollendum ab vtero, vocat illam criminosam, nec illam admittit licere, *ideò*, vt ipse loquitur, quia, *homo potiùs debet dimittere perire infantem, quàm ipse pereat, homicidij crimen in matre committens*. Si ergo est peccatum talis scissio, non licet eam ponere, nec tolerare.

13 Dicta sunt adeò vera, vt amplianda sint, etiamsi de vita matris desperetur, & pro certo habeatur illam esse morituram; & è contra credatur, quòd filius in eius vtero existens viuet, si mater scindatur, & puer indè extrahatur. Ratio potissima semper est eadem, nempè quia non sunt facienda mala, vt veniant bona. Et

14 quòd quamdiù mater viuit, non sit scindenda, vt infans extrahatur, & baptizetur, etiamsi mater ipsa ob partum moritura sit, docent D. Thom. *loc. cit.* Syluester *verb. Baptismus* 4. *nu* 2. S. Antoninus 3. *p. tit.* 14. *cap.* 13. §. 1. Ang. *in verb. Baptismus* 6. *num.* 2. Dominicus Sotus *in* 4. *dist.* 5. *quæst. vnica, art.* 11. Bartholomæus ab Angelo *de Sacram. Baptismi*. §. 13. Graffius 2. *p. lib.* 1. *cap.* 4. *num.* 42. Victoria *de Baptismo, cap.* 5. *num.* 21. Posseuinus *de Baptismo, num.* 8. *versic. si verò*. Et totum verum est, etiamsi constaret infantem fore moriturum sinè baptismo: Tabiena *in sum. verb. Baptismus* 5. *num.* 6. & alij.

15 Argumenta fortissima, quæ possent adduci ad probandum, quòd mater prout in casu teneatur scissionem tolerare, ac per consequens peccatum non dari in eis, qui in illius scissione operarentur, aut cooperarentur, desumuntur à Doctoribus dicentibus dari casus, in quibus adest obligatio succurrendi extremæ proximi necessitati, non obstante propriæ vitæ periculo. Ideò Castropalaus *tom.* 1. *tr.* 6. *dist.* 1. *de Charitate, p.* 9. *num.* 5. dicit sic: *In extrema proximi necessitate, debes non solùm bona temporalia, sed etiam vitam expendere, si tibi spes est fore profuturum*: cùm ergo certò credatur fore saluandum infantem si baptizetur extractum ab vtero matris, ista tenebitur suam vitam expendere, ac scissioni subiacere.

16 Probat, seu explicat suam doctrinam euidentibus exemplis ipse Castropalaus *loco citato*, vbi ait: Si scias Petrum esse occidendum in peccato mortali, dum dormit, & tu speres eum saluare, si defendis vt potes, sed cum tuæ vitæ periculo, teneris saluare eum. Item tenetur Confessarius cum suæ vitæ periculo ire ad audiendum peccatorem morti proximum, si ad eum confitendum aduocatur. Item si filius Christiani sinè baptismo moriatur, debes illũ, si potes, sacro lauacro regenerare, posthabito vitæ tuæ periculo: ità Palaus de obligatione perdendi vitam temporalem, pro acquirenda vita spirituali proximo suo

17 Et Palao adhæret Syluester *in verbo Bellum* 2. *q* 4. Maior *in* 4. *dist.* 15. *q.* 22. qui dicunt, quòd si ego populum non moneam, vel doceam, periculum erit, ne hæresi corrumpatur, idcircò monere, aut docere populum cogor, etiam cum discrimine meæ vitæ temporalis. Idem dicunt isti, de puero non baptizato, & in mortis periculo, quia debeo illum baptizare, & hoc ex iure Diuino, etiamsi ego ipsum mortis periculum incurram.

18 Addo & Azorium *loco supracitato q.* 3. vbi ait, certum esse pro vita spirituali alterius, vitam corporalem esse ponendam, vt si quis incurrat periculum Fidei, Religionis, vel alicuius alterius virtutis ad salutem æternam necessariæ. Sic *loco citato*, §. *Pari ratione*, dicit idem Azorius *Pari ratione, si adulteram fæminam monuero, ea vti ab adulterio desistat, charitatis lege compellor ad eam monendam, & corrigendam, vt eam Domino lucrer, tametsi necem mihi adulter machinetur*. Ergo ex dictis exemplis à Doctoribus relatis, sequitur manifestè, non posse negari, quin & mater teneatur suam vitam exponere corporalem, vt spiritualem infanti baptizando acquirat, sinens se scindere ad illum è visceribus suis extrahendum.

19 Imò totum confirmatur à solutione quæstionis, an licitè quis mortem corporalem sustineat, seu non sustinere teneatur, vt alium à

morte item corporali seruet? Responsio est sub distinctione danda, cùm & de Rege, vel de alia persona vtili Reipublicæ possit primo loco difficultari, & secundo loco de homine priua-
20 to. Igitur si agatur de periculo, cui vitam nostram obijcimus pro Rege, pro Principe, pro Patria, pro Populo, vel pro quouis alio, cuius vita saluti, & bono communi sit necessaria, vel maximè vtilis; tunc quisquè debet vitam suam pro illo ponere, quia iure naturali cōmune bonum anteponere debemus bono particu-
21 lari. Si verò is, pro quo vitam nostram in discrimen adducimus, est homo priuatus; tunc quamuis licitè possimus pro illo mori, non tamen tenemur. Idem *loco citato*, §. *difficultas igitur*. Si ergo pro vita corporali proximi, quamuis iste homo priuatus sit, possumus vitam nostram corporalem periculo exponere; licitum à fortiori erit pro vita animæ infantis saluanda, mortem matris in scissione non curare.

22 Vlteriùs ex doctrina Victoriæ *in relect. de homicidio*, *num*.25. 26. *& seqq.* & Corduben. *lib.*1. *quæstionum*, *quæst*.38. licitum est in naufragio renunciare tabulam, qua quis se posset seruare, & illam dare alteri in eadem necessitate constituto, quamuis vita pericliteтur illius,
23 qui tabulam cedit. Idem sinè dubio licitè fiet à cedente equum alteri in bello, tametsi egeret illo ad fugiendum, & ad vitam suam sal-
24 uandam. Idem est de tradente vestes suas alteri, dum in itinere per frigora, & niues datis
25 vestibus mori periclitatur. Idem de dante panem alteri in extrema necessitate, in qua reperitur & ipse, qui nihilominus panem tribuit, seque illo priuat, cum periculo ne fame pereat. Quid ergo repugnabit, quin & liceat prægnanti scissionem subire, vt ab vtero eius extrahatur infans, ad hoc ne pereat sinè baptismo, licèt ex scissione periclitetur mori mater ipsa?

26 Confirmat insuper, licere matri, vt præfertur, se mortis periculo dare, vt saluet vitam animæ pueri, illa recepta sententia docens, esse honestum, & laudabile pro amicitia mori.
27 Hinc si Carneades Philosophus in eam sententiam prorupit, quòd stultum est pro altero mori; eum meritò reprehendit Lactantius *lib.* 5.
28 *Institutionum Diuinarum*, *cap.*18. Laudantur Damon, & Pythias, quòd cùm alterum Dionisij Tirannis damnasset, alter pro amico liberando, eidem damnationi se se sponte obtulerit, iuxta relata à Cicerone *lib.*3. *officiorum*, & à Valerio Maximo *lib.*4. *cap.*7. Conticesco alia huiusce generis exempla, quæ quisquè volens scire, videre illa poterit apud eumdem Valerium *loco citato*. Nunc sufficit dictum, ex quo inferatur non illicitum, nec detestabile esse mortem corporalem pro alio pati; quantò igitur rationabiliùs morietur prægnans, vt scissa vitam fœtui præbeat spiritualem.

29 Et quòd Charitas Christi sit vocanda actio toleratiua mortis propriæ in corpore, vt alter seruetur in anima, intelligitur ex dicto eiusdem Christi Domini dicentis: *Maiorem Charitatem nemo habet, vt animam suam ponat quis pro amicis suis*: ergo semper verum est, fore Charitatis Dei effectum, si fæmina scissionem mortis causatiuam sustineat, vt animam infantis saluet, nec in eius sepultus visceribus morti, & æternæ damnationi remaneat addictus.

30 Contra omnia prædicta, quæ adducta sunt ad probandum posse fæminam scindi, prout in casu, stat vnica responsio, & hæc est, quòd in omnibus casibus supracitatis, non datur homicidium, & ideò non probant à pari casum fæminæ si scindatur, scissio enim est infallibiliter occisiua mulieris scissæ, ac per consequens crimen homicidij committitur cum tali scissione. Igitur scindere matrem, vt fœtus extrahatur, est eam per se, & directè interimere; at relinquere tabulam, dare panem, aut vestes, non est se ipsum per se, & directè interimere, sed est amicum seruare, cum certo vitæ suæ periculo.

31 Hinc est, vt licitum nemini sit in vitæ discrimine tabulam, aut equum, aut panem abijcere, nam hoc esset temerè, & sinè causa, & non motiuo seruandi amicum; propterea qui talia faceret, se ipsum interficeret, sibi necessaria vitæ subtrahendo, & non gratia tuendæ vitæ alicuius.

32 Quòd si vltimò dicatur, non licere se exponere periculo vitæ, cùm idem sit ac se interficere, quia qui amat periculum peribit in illo; ergo aut vera non sunt dicta in adductis exemplis ponendi vitam in certo discrimine; aut si vera sunt, poterit & mulier grauida scissioni subiacere, quamuis certè sit moritura, cùm idem sit peccatum, occidere se, & se occiden-
33 di certo periculo exponere: Respondeo, esse quidem illicitum exponere se periculo homicidij proprij, vel alterius peccati; non tamen est peccatum vacare actioni bonæ, licèt cum periculo certo propriæ vitæ amittendæ, sed non per modum homicidij, & solùm indirectè, & non per se. Quando ergo cedit quis alteri panem, tueri vult vitam alterius, ex qua actio-

ne

ne indirectè periclitatur vita illius, qui pane sibi necessario se priuat. Verùm si fœmina vult scindi, non ponit se in periculo certo vitæ perdendæ, sed directè homicidium intendit. Eodem modo discurrere oportet in alijs consimilibus casibus. Quapropter concludendum
34 est non licere scindere fœminam, quamuis bono motiuo extrahendi ab vtero infantem, vt baptizetur; & sic fœmina ipsa talem scissionem pati non tenetur; vndè si ipsa nolit scissionem, ei Sacramentalis absolutio non est deneganda.

35 Bona omnia, seu bellorum terminationes, aut alia quæcunquè boni finis, præuisa, sperata, ac de facto dependentia, & certò futura ex infantis natiuitate, non licitum reddunt scindere matrem, vt possit infans talis extrahi, quamuis certum sit, quòd morietur cum matre in vtero eius, imò & quòd sinè baptismo damnabitur, & hoc iuxta suprà allata, quæ sint satis pro re præsenti.

36 Nec dicta contrariantur doctrinæ S. Thomæ 2. 2. *quæst.* 44. *art.* 8. vbi docet, quòd ordo Charitatis cadit sub præcepto, itaut Deum magis, quàm nos, & proximum diligere debeamus: & nos ipsos magis, quàm proximum: & proximi spiritualem salutem magis, quàm nostram temporalem: nam in casu nostro adest homicidium, vt dictum est.

37 Sed videtur posse obijci contra prædicta probantia matrem non teneri sectionem pati; nam adest præceptum diligendi proximum, & quidem tale præceptum est diuinum: Sed nomine *proximi*, venit etiam puer in vtero matris: ergo & ipse est diligendus; sed non diligeretur à matre recusante sectionem pro vita pueri, cùm aliter erga ipsum Charitatem nequeat exercere: ergo si non exerceat, præceptum non adimplet. Minor, & consequentia subsumptæ videntur claræ: Consequentia syllogismi est certa, si veræ sint præmissæ, quæ probantur; minor enim docetur à D. Augustino *lib.* 1. *de doctrina Christiana, cap.* 23. 26. *&* 30. & ab alijs Patribus dicentibus, nomine *Proximi*, intelligi quamcumque creaturam rationalem, quæ est capax beatitudinis. Maior est adeò certa, vt etiam extent propositiones damnatæ, quia contrarium dicebant: Sic Alexander VII. damnauit hanc propositionem, quę est prima omnium ab ipso damnatarum: *Homo nullo vnquam vitæ suæ tempore, tenetur elicere actum Fidei, Spei, & Charitatis ex vi præceptorum diuinorum ad eas virtutes pertinentium.* Sic Innocentius XI. damnauit duas propositiones, scilicet 10. & 11. inter cæteras, quas damnauit, quarum prima est eiusmodi: *Non tenemur proximum diligere actu interno, & formali:* Alia subsequens est: *Præcepto proximum diligendi satisfacere possumus per solos actus externos.* Igitur de primo ad vltimum statuitur illum puerum esse diligendum à matre, ne transgrediatur Charitatis grauem obligationem, quam aliter non potest implere, nisi sectionem tolerando, & consequenter non suffragatur asserere, quòd sit peccatum homicidij, si maius peccatum est Charitatem non adimplere, proximum non amando, eumque in anima, & corpore interficiendo: debet ergo mater in nostro casu scissionem pati.

38 Respondeo primò, quòd satis à matre, & ab alijs diligitur Charitatiuè puer nondum natus, per hoc quòd ipsi ea bona desiderentur, quæ alijs cupiuntur; non enim semper tenemur cum graui incommodo bona proximo obtinere, v. g. itinerando ad Indos; vitam exponendo pro hæreticis, &c. ergo poterit mater satisfacere præcepto dilectionis proximi, quamuis non cum vitæ suæ discrimine, si debeat se ipsam interimere, vel vt interficiatur cooperari, consensum præstando, vt scindatur, &c.

39 Respondeo secundò, quòd etiamsi mater nullum actum dilectionis proximi eliciat, comprehendentem filium, quem vtero gestat, non ideò necessariò non adimplet præceptum Charitatis. Ratio est, quia sufficit si actum dilectionis, seu Charitatis toties in vita eliciat, quoties tenetur; vnde contingere potest, quòd mater illa faciat actum Charitatis, v. g. hodie, deinde ad annum protrahat alium actum elicere, & intrà id tempus concipiat, & pariat, seu fœtum in vtero perire sinat, absquè eò quòd in actu Charitatis ipsum comprehenderit. Et vt ista plenius intelligantur, sunt notanda, quæ sequuntur.

40 Primum est, quòd aliquando tenemur elicere actum Fidei, Spei, & Charitatis, contra doctrinam propositionis præallegatæ, & ab Alexandro VII. meritò damnatæ: Quoties autem in vita teneamur elicere actum Charitatis siuè Dei, siuè proximi, non est id hìc fusè tractandum; tamen de Charitate erga Deum breuiter dico, & est secundum notandum; quòd non sufficit semel tantùm in vita, prout docebat propositio quinta ab Innocentio XI. damnata huius tenoris: *An peccet mortaliter, qui actum dilectionis Dei semel tantùm in vita eliceret, condemnare non audemus.* Deinde dico, & est tertium notandum, non satis esse actum amoris Dei vltra singula quinquennia elicere, cùm & idem

idem Innocentius in serie damnatarum propositionum istam posuerit sexto loco: *Probabile est, nè singulis quidem rigorosè quinquennijs per se obligare præceptum Charitatis erga Deum.* Pro tertio notando assero, nequè satis esse actum amoris Dei elicere, quando egemus iustificatione, nam similiter extat septima ex damnatis propositionibus ab eodem Innocentio, quæ de Charitatis in Deum præcepto dicebat; *Tunc solùm obligat, quando tenemur iustificari, & non habemus aliam viam, qua iustificari possumus*; nam hæc propositio agit de obligatione per accidens, quæ fortasse nunquam aliquibus continget, & sic per se non haberet aliquando obligare præceptum Charitatis in Deum, propterea omnes hæ propositiones fuerunt meritò damnatæ.

41 Quartum notandum, sit, quòd semel singulo quoquè anno obliget preceptũ Charitatis Dei, secundùm vnam sententiam, quam docet Pet. de Ledesma *in Theolog. moral. tract. 3. de Charit. cap. 5. post medi.* & ita potest probabiliter teneri; sed veriùs censeo semel in mense dictum præceptum obligare; & ducor, quia aliqui volunt, vt Sotus *in 4. dist. 27. quæst. vnica*, illud vrgere singulis Festis, & adhæret Tabiena *verb. Charitas, quæst. 20.* Alij volunt vrgere, quandocunquè Eucharistia est sumenda. Igitur nec laxè, nec strictè loquentes, videtur rationabiliùs dictum, tale præceptum vrgere singulo quoquè mense, sicuti de precepto Orationis docent Trullench. *in decalog. lib. 1. cap. 7. dub 4. num. 4.* cum Lessio, & Castro Palao *tom. 2. disp. 1. punct 8. num 3.* Sed de his alibi agam, & dicta satis sint ad rem præsentem.

42 Quintum notandum omninò ad rem nostram, pro quo necesse fuit dicta afferre, vt patebit, versatur circa Charitatem proximi, & dicendum est de illa extare præceptum diuinum, obligans ad actum formalem internum, nec per solos actus externos ipsi satisfieri; & oppositum tenere, est contra damnationem prædictarum propositionum Alexandri VII. & Innocentij XI. Quoties autem in vita hoc præceptum obliget, nihil de hoc definitum fuit, sed censeo probabilem vtramque opinionem, nempè & semel in anno; & semel in vnoquoquè mense, idest nec vltrà annum, nec vltrà mensem. Si loquamur de protractione anni, docetur ab eodem Ledesma, *suprà, de Charit. proximi*; & idem est de Fidei actu, seu Spei, quemadmodum videmus Ecclesiam determinasse semel in anno obligationem Confessionis, & Communionis, de quibus extat præceptum affirmatiuum aliquando obligans, sicut & præceptum Charitatis Dei, & proximi. Quòd verò obliget semel singulo quoquè mense, suadetur à pari cum præcepto amoris Dei, est enim mandatũ Charitatis Dei simile illi Charitatis proximi. Hæc omnia vera sunt de præceptis Charitatis Dei, & proximi per se obligantibus, & quoad actus internos formales, quia de externis est aliter discurrendum, cùm sæpiùs possit contingere, quòd sint ponendi pro exigentia indigentiæ proximi, seu per accidens, vndè non potest assignari numerus.

43 Hæc prælibare opus fuit, vt sic pateat contra adductam obiectionem, qualiter damnatæ propositiones à Pontificibus non militent contra matrem, quatenus dicitur, quòd ipsa non teneatur se sectioni submittere, cùm non de necessitate delinquat in adimpletione Charitatis erga Deum, vel proximum, sicuti necessariò consentiret in sui homicidium, si sineret se scindere: ergo non tenetur: Satis ergo est, quòd filio optet debita bona, saluis alijs, &c.

44 Cauendum omninò est, ne vel mater grauida, vel alia persona dicat, prægnantem non teneri sinere se scindere, ad extrahendum fœtum, vt baptizetur, eò quia *Videtur probabile, omnem fœtum quamdiù in vtero est carere anima rationali, & tunc primùm incipere eamdem habere, cùm paritur, ac consequenter dicendum erit in nullo abortu homicidium committi*; sicque & incapax erit baptismi, proinde nec mater obligata vnquam erit sectionem pati ad puerum baptizandum. Ab eiusmodi probatione est, inquam, cauendum omnino, cùm illa in serie damnatarum ab Innocẽtio XI. 35. sit tamquam scandalosa, vtpote contraria Sacræ Scripturæ, in qua legimus aliquos fuisse in vtero sanctificatos, sanctificatio autem fit in anima; & longè antequam Elisabeth pareret Ioannem Baptistam, tradit Euangelium, *Lucæ cap. 1.* exultasse in matris vtero: ergo erat animatus ante partum, quare cùm eodem modo generentur cæteri, per consequens falsa, & animabus perniciosa est propositio adducta, meritò demum damnata, vnde nullam probationem facit pro casu nostro.

45 Ex dictis numero antecedenti remanet simul eliminata probatio, quæ fieri posse videbatur ad ostendendũ non teneri prægnantem sectioni se subijcere, argumentando: *Licet procurare abortum antè animationem fætus, ne Puella deprehensa grauida occidatur, aut infametur*: Sed omnis fœtus quamdiù in vtero est caret anima rationali: ergo nunquam prægnans tenebitur scis-

scissionem pati, quia sic morietur, sed potiùs licitè abortum procurabit, si propter fœtum periclitetur mori. Minor huius argumenti, est doctrina damnata, vt vidimus. Maior, vt iacet, est similiter damnata à præfato Innocentio XI. vt legitur sub numero 34. inter alias propositiones, quas idem Pontifex damnauit. Consequentia corruit, cùm nulla ex præmissis subsistat. Igitur prægnans in casu nostro sciat se non teneri sectionem tolerare propter rationes à nobis suprà allegatas, non verò inhærendo propositionibus hodiè damnatis, sed & semper falsis.

46 Et quidem propositio 35. est vndequaquè falsa: Cæterum propositio 34. videtur posse in aliquo sensu veritatem habere, licèt in sua generalitate, ac vt iacet, damnata sit; tamen nunquam potest suffragari matri prægnanti, de qua agimus, vt ipsi inhærendo credat se non teneri sectionem subire. Hinc cùm dicta propositio 34. sit damnata, quia in sua generalitate loquitur de Puella sinè distinctione, idest tum de culpabiliter, tum de inculpabiliter prægnante, consequenter est falsa, & scandalosa, nam si Puella voluntate sua est prægnans, sibi imputet mortem, & infamiam, maximè si sit modici momenti, quamuis ex peccato graui prouenientе, non enim est iniustus inuasor ille fœtus voluntariè quæsitus. Non sic est de innocenter prægnante, & ideò disputationi Doctorum relinquitur, an liceat abortum facere fœtus non animati ad mortem, vel infamiam euitandam, quando Puella sinè culpa fuit violenter grauidata; sed huiusmodi disputatio nullatenus licita est de Puella culpabiliter prægnante. En igitur quomodo prægnans in nostræ decisionis casu non iuuetur ab his duabus propositionibus, vt credat propter earum doctrinam se non teneri sectionem subire, etiamsi innocenter sit grauidata, etenim quamuis verum esset, quòd fœtus animetur dum paritur; tamen scissio grauidæ est verum homicidium, tum respectu scindentium, tum respectu consentientium, & ideò nemini licet, vt latè probauimus. Indè sequitur, quod etiamsi licitum esset procurare abortum fœtus non animati ad mortem, vel infamiam vitandam, id semper illicitũ est mediante alio peccato, quale est homicidium factum, & volitũ per matris sectionem ad fœtum baptizandum. Nec durum videri debet, quòd illicitum sit abortum procurare, si sit occidenda, vel infamanda Puella deprehensa grauida etiam culpabiliter, nam iuri suo famę censetur cessisse, & contra inuasorem iniustum vitæ posset cum moderamine se tueri, non contra fœtum.

47 Iam satis ostensum est, quid sit sentiendum in præsentis decisionis casu, etiam conformiter ad damnatas propositiones adductas; sed circa 34. hoc subdere debeo, eam fuisse damnatione dignam, quia nimis amplè loquitur, non solùm vt prædixi, verùm etiam quia contingere potest, vt infamia sit non notabilis, & tamen propositio damnata non distinguit de leui, vel de graui infamia. Esset autem non notabilis etiam in fœmina culpabiliter prægnante, si v.g. ad se tegendam, posset confidere factum alteri fœminæ prudenti, nam in tali casu infamia non videtur tanti facienda, vt licitum faciat abortum fœtus etiam innanimati procurare: ergo meritò damnatur generalis illa propositio loquens sinè debitis limitationibus, atquè distinctionibus; & hæc multò magis verificantur, si Puella posset suam innocentiam secretè alteri propalare, nam sic nulla, aut modici momenti sequeretur infamia. Quæ cùm sic se habeant, apertè constat de falsitate, & de merito damnationis doctrinæ traditæ in hac 34. damnata propositione vt iacet, seu in sua generalitate, etiam vt suprà dicebamus ad rem nostram, ob quam necesse fuit prædicta de adeo scandalosis propositionibus afferre.

---

# DECISIO XXXVI.

*An liceat Infirmo Medicum, & medicinas recusare, ea intentione, vt Dei Prouidentia, & Medico Diuino suam salutem committat.*

## Casus, seu Historia XXXVI.

### SVMMARIVM.

1 *Casus proponitur.*
2. 3. 4. 5. *Quomodo Medicus recusetur.*
6 *Tentatio Dei, quid est.*
7. 8. 9. *Quando erit cum hæresi.*
10. 11. *Deo inspirante licet Medicum nolle.*
12 *Peccat non faciens, vt Deus inspirat.*
13. 14. *Sed cauendum, ne Satan inspiret.*
15 *Dicta applicantur nostro casui.*
16. 17. *Quando liceat nolle medicinam.*
18. 19. 20. *Quando non liceat, & quali peccato.*
21. 22. *Obijcitur, & respondetur.*
23. 24. 25. 26. *Quot, & qualia peccata sint, recusare medicinam.*

27 In-

27 *Interdum licet respuere medicinam.*
28 *Et aliquando potest esse veniale.*
29 *Exempla antiqua, vt stringere ignem pro virginitate probanda, non licet imitari.*
30 *Concluditur pro casu nostro.*

1 GRaui correpta infirmitate decumbebat in lecto Agatha, indolis generosæ adolescentula, quæ Medicos, & medicinas recusans, numquam induci potuit, vt remedijs vteretur naturalibus, datis à Deo in salutem infirmorum, dicebat enim illa: Agatha sum, & cum Agatha Sancta volo fas sit mihi semper dicere: *Medicinam carnalem corpori meo numquam exhibui, sed habeo Dominum Iesum Christum, qui solo sermone restaurat vniuersa.* Quæritur, an liceat medicinas recusare, vel an sit peccatum, & quale.

2 Dico in hoc casu non posse sinè distinctione veritatem inuestigari, nam & cum peccato, & sinè peccato possunt ab infirmo Medici, & medicinæ respui, iuxta qualitatem infirmitatis, & iuxta intentionem, seu finem, ob quem recusantur.

3 Notandum igitur est, quòd tripliciter contingere potest ægrum recusare medicinas. Primò, potest id facere amore martyrij, quando tempore martyrij non vult per Medicos, nec per medicinas sanari, vt ad mortem pro Christo tolerandam dignoscatur promptus; & in
4 hoc casu est valdè laudanda remediorum recusatio. Secundò, potest quis nolle mederi, quando in leui, & non mortali ægritudine oppressus doloribus, vult illis medicinam non applicare, vt vndè pro Christi amore dolores pa-
5 tiatur possit habere, & in hoc casu est virtutis effectus respuere medicamina. Tertiò, potest quis in mortis periculo respuere mederi, sperans se fore sanaturum à solo Deo, & in isto casu committitur peccatum mortale tentationis Dei: ità Nauarrus, & Suarez, cum Leonardo, quos citat Sanchez. *in præcep. decal. tom. 1. lib. 2. cap. 34. nu. 14.*

6 Vndè sciendum est, quòd tentatio Dei, est quædam præsumptio; qui enim Deum temerè tentat, de eo non sperat, sicut oportet. Consistit autem eius malitia, quæ potest vocari voluntas de experientia Dei, in indebita, & temeraria inuestigatione diuini beneplaciti, vel diuinorum attributorum per media incongrua, & aliena ab eius prouidentia; sic docet Castropalaus *tom. 3. d. 2. de Tentat. Dei. p. 1. num. 5.*

7 Et si dicta inuestigatio fiat ex fide dubitante, quam quis habeat diuinarum perfectionum, addetur species peccati hæresis; si verò fiat ex mera curiositate, vel temeritate, erit simplex Dei tentatio, quæ duplex est, explicita, & implicita, seu interpretatiua, sicut docuit S. Thomas 2. 2. *q.* 97. *art.* 1. & passim DD.

8 Tunc explicitè quis tentat Deum, quando à Deo vel petit miracula, seu quemlibet extraordinarium prouidentiæ modum, vel se exponit graui periculo, v. g. mortis, vt exploret potentiam, vel amorem, vel aliud attributum Dei, qui ipsum per miraculum liberet. Impli-
9 citè, seu Interpretatiuè quis Deum tentat, quando hæc, vel similia expectat sinè actuali animo explorandi, re ipsa tamen petit, vel facit aliquid, quod ex se miraculum poscit; & vtrumquè est peccatum, siuè contra Religionem, siuè contra Fidem, nisi ex indeliberatione, vel ex instinctu Spiritus Sancti aliquid huiusmodi fieret.

10 Explicata natura Tentationis Dei, nunc facilè infertur, quid resoluendum veniat in proposita difficultate. Igitur non peccaret quisquis medicinas recusaret etiam in morbo graui, si à Deo, vt S. Agatha, inspiratus, id faciat. Ratio est, quia stante Dei inspiratione, cessat præsumptio, seu temeritas, vndè non erit propriè Dei tentatio, & consequenter nec pecca-
11 tum erit. Confirmatur hoc exemplis Sacræ Scripturæ, & primum sit illud Abrahæ, de quo 15. *Genes.* dicitur, quòd petijt à Deo signum, vndè sciret semen suum possessurum terram Chanaan, quam ei Dominus promittebat. Item Gedeon *Iudicum 6.* petijt bis signum in area, & vellere, vndè cognosceret, an reuera Deus per ipsum vellet populum liberare, sicut Angelus dixerat. Item Achaz *Isaiæ 7.* videtur quòd Dominus præceperit, vt signum peteret futuræ liberationis. Item Rex Ezechias petijt, vt retrocederet vmbra in horologio decem gradus, quo facto intelligeret Deum ipsi vitam protrahere ad quindecim annos. Ergo si Agatha in casu nostro recusat mederi, quia sic à Deo verè inspiratur, nihil mali facit, imò benè operatur, quemadmodum damnati de
12 peccato non sunt allati ex Sacra Scriptura, cùm ex diuina inspiratione, & dispositione signa quærere deberent; vndè seu Deus per illam inspirationem præcipiat, seu tantùm offerat, optimè facit ille, qui signa quærit; ideò Achaz peccauit, recusando petere, quia ex infidelitate noluit. Igitur ab Agatha, nedũ quid mali perpetratur nolens mederi, quia sic habet inspirari à Spiritu Diuino; verùm optimè se gerit;

rit; & si è contra quæreret medicinam, peccaret, faceret namque contra Dei voluntatem; & fieri poterit, vt peccet sicut Achaz, videlicet peccato infidelitatis.

13 Cauendum tamen est, ne mentem error inficiat, & Dæmonis elusio sit id, quod Spiritus Sancti creditur instinctus. Agatha vt in casu, dum canere semper cum veritate intendit Sanctæ Virginis, & Martyris Agathæ verba: *Medicinam carnalem corpori meo numquam exhibui, sed habeo Dominum Iesum Christum, qui solo sermone restaurat vniuersa*; si eodem ducta spiritu, quo Sancta ducebatur, canit eadem verba, forsan & ipsa non longè à sanctitate est, & pro ea, sicut & pro Agatha Sancta stat Sanctus Thomas, qui ipsam excusat à culpa, quamuis mederi respuerit, vt videre est apud

14 eumdem Angelicum Doctorem. 2. 2. *quæst.* 97. *art.* 1. *ad* 3. Igitur ad cognoscendum, an verè Spiritus Dei talia inspiret, debet interuenire magna spirituum discretio, ne Angelus Satanæ, transfiguret se in Angelum lucis; quapropter optimo spiritus Agathæ examinatori remittitur decisio, nũ nolens mederi non peccet, quamuis grauiter decumbat; non enim peccat, si Dei spiritus illam ad sic medicamenta recusandum inspirat.

15 Eodem modo dicendum esset, si Agathæ nostræ infirmitas, etiam grauis quamuis sit, sit ex affectu ad martyrium, quia v. g. fuit grauiter vulnerata, nec admittit remedia pro sanitate recuperanda, vt eius promptitudo appareat dandi vitam pro Dei, eiusque Fidei amore; & ità expresè docet Sanchez *loc. supra cit.* nec aliter fortasse protestata est S. Agatha se recusasse medicinam carnalem, nisi ne mederetur in mamilla, in qua grauiter dum torqueretur, crudelem, impium, & dirum nominauit Iudicem, à quo fuerat condemnata. Nec de facto comprobatur non fuisse Dei spiritum, à quo Agatha Sancta inspirabatur medicinam recusare; etenim in vincula coniecta Virgo vulnerata, ei nocturno tempore quidam senex apparuit, qui se Dei Apostolum esse dicebat, à quo & curata, pectori eius fuit mamilla restituta. En quàm verè Deum habebat pro se, qui solo sermone restaurat vniuersa, mediantibus Angelis, atquè Sanctis suis, quibus quidquid suo diuino sermone mandat, infallibiliter euenit, Ergo & in hoc sensu non est peccatum respuere medicinam.

16 Patet etiam similiter nullam dicere malitiam, sed solùm explicare amorem in Deum, affectum infirmæ personæ, quæ vt magis pro Christo doleat, dolorum remedia constanter recusat. Sanchez *loco citato* nominat virtutem esse affectum illum patiendi, notando tamen,

17 quòd requiritur vt mortis periculum deficiat, quod periculum si deficit, liberum est ægroto admittere, vel non admittere medicinam motiuo patiendi pro Christi patientis amore. Et iuxta sensum istum, si decumbens Agatha respuat medicinam, nullatenùs peccat, sed potiùs summoperè meretur.

18 Sed quia casus propositus supponit Agatham grauiter decumbere, ideò affirmo nec ipsi, nec cuicumquè ægrotanti consimili, licitum esse medicinas recusare, exceptis casibus prædictis: peccat igitur grauiter, si grauiter decumbens non vult mederi. Ratio est, quia abuteretur in re graui medicamento salutis instituto à Deo; ergo & grauiter delinquet; vndè cùm *Ecclesiastici* 38. 4. dicatur, quòd Deus *creauit de terra medicamenta*, censendum est, Deum velle non esse irrationabiliter recusata in graui ægestate, aliàs contra rationem grauiter delinquit, qui sic medicamenta reijcit; & qui grauiter contra rationem delinquit, graue peccatum committit.

19 Insuper probatur; nam Tentatio Dei cum aperto vitæ periculo, est peccatum mortale; Sed grauis ægritudo est apertum vitæ periculum; ergo si coniungatur tentationi Dei, quæ est si à Deo velimus salutem expectare, recusando medicamenta, erit peccatum lethale.

20 Hoc est item ampliandum, ità vt nec grauem culpam excludat, si excluso aperto vitæ periculo, sequatur saltem grauis læsio, quæ semper interuenit in graui infirmitate. Videatur Lessius *de iust. & iur. lib.* 2. *cap.* 45. *dubitation.* 1. *nu.* 4. vbi asserit esse mortiferum recusare remedia naturalia in graui morbo.

21 Nec valet contra asserere, quòd in hoc non detur peccatum, cùm Deus non tentetur; non enim expectatur miraculum, nec Dei extraordinarius concursus, sed tantùm attenditur, quòd natura ex se sinè medicamento vincat morbum, & infirmitatem repellat. Respondeo non esse possibile id attendere à natura, vt dictum est, quin simul tentetur Deus; & vt id clariùs appareat, recolenda sunt supradicta *sub num.* 9. vbi implicitam, seu interpretatiuam Dei tentationem posuimus. Cùm ergo Tentatio Dei interpretatiua sit, quando quidem sinè actuali animo expectatur extraordinarius Dei modus, sed solùm quando fit res, quæ ex se talem extraordinarium Dei modum petit; hinc fit debere diei peccatum tentatio-

nis Dei interpretatiuæ, aut implicitæ, nolle medicamenta in graui ægritudine, cùm sic fiat actio ex se postulatiua extraordinarij modi Diuinæ Omnipotentiæ, quæ iam ex terra creauit medicamenta, vt cum istis salus exquiratur, absquè noua ope potentiæ Altissimi: ergo Agatha non licitè respuit mederi.

22 Confirmatur, quia eo modo, quo villicus irreuerenter ageret cum Rege, si vellet ipsum Regem aliquid extraordinarium operari ad placitum ipsius villici; ità & creatura se gerit respectu Dei, dum irreuerenter vult ipsum inducere ad opus extraordinarium in re graui, scilicet grauis morbi: Sed talis irreuerentia est grauis tentatio Dei, ergò licitè non respuitur naturale remedium, & cùm morbus sit grauis, illicitè fit in re graui, & sic est culpa grauis.

23 Imò dico, quòd duplex culpa reperiatur in casu nostro. Vna est malitia propria Tentationis Dei, quæ in eo sita est, quòd homo non satis reuerenter agat cum Deo, petendo, vel expectando ab illo sinè iusta causa opem extraordinariam, & hæc malitia quamuis in præsenti casu sit mortalis, potest tamen in aliquo

24 alio casu esse venialis. Altera est malitia alterius vitij, vt v.g. infidelitatis, vel læsionis, aut occisionis sui, aut alterius speciei, iuxta materiam, in qua versatur opus, aut finis, qui intenditur, vel alterius circumstantiæ: ità Lessius. *loc. cit.* Ergo Agatha recusans medicamina dum grauiter ægrotat, peccat grauiter dupliciter: Primò, peccato Tentationis Dei interpretatiuæ, seu implicitæ: secundò, peccat peccato læsionis grauis, aut fortasse occisionis in se ipsa: ergo tenetur admittere medicamenta.

25 Quòd si Agatha in casu isto recusat medicamina ob curiositatem videndi mirabilia, quæ Deus scit, & potest facere, adhùc peccat mortaliter, committit enim magnam in Deum irreuerentiam, quia agit cum illo tamquam cum ludione, & fautore curiosorum.

26 Item peccaret grauiter, si ideò non admittat medicinas, quia expectat sanari miraculosè in confirmationem Fidei; etenim si hoc publicè facit, ponit periculum scandali; imò & si facit hoc ex solo experimento pro semetipsa, iam habet infidelitatem, & infidelior fiet, si

27 Deus illam miraculosè nolit sanare. Cessant autem ista, si vero dono miraculorum se sciret præditam; aut si ad sic faciendum impelli se sentit ex Dei instinctu, nam in istis casibus nullum adesset peccatum, si medicamenta recuset, & miracula expectet, vt dictum est.

28 Nec peccaret plus quàm venialiter, si ratione ignorantiæ non crassæ; aut ex indeliberatione; aut ob paruitatem materiæ, seu periculi, respueret mederi. Sed quia non leuis est Agathæ infirmitas, nec leue est vitæ suæ periculum, ideò non leuiter peccat, sed grauiter, si nolit acceptare remedia naturalia; supposito quòd iam liberata sit ab ignorantia, quam fortè habebat; nec ex inconsideratione illa medicamenta recuset. Videatur ad rem Bonacina, Toletus *lib.* 4. *cap.* 19. & Caietanus *in Summa. v. Tentatio.*

29 Neque debet Agatha sibi licitam facere medicinarum recusationem, fundata in antiquorum exemplis, quorum multa refert Delrius *lib.* 4. *de Magia. cap.* 4. nam non ampliùs durat sæculum illud. Igitur si tunc videtur Deum fauisse sæpe purgationibus vulgaribus periculosissimis, dum miraculum faciebat, vt v.g. quòd ad probandam adolescentulæ virginis innocentiam, illa candens ferrum sinè læsione manus stringeret, dicendum est, quòd Deus id faceret, vel ob simplicitatem illius sæculi, cùm darentur multi Episcopi, qui putarent huiusmodi Dei tentationes esse licitas in aliquibus casibus, quapropter satis in vsu erant; vel etiam dici potest, eas fuisse Deo fauente practicatas, quia innocentes suspecti ad eas cogebantur, & magno animo ad talia experimenta se se subijcere astringebantur, sed interdum euentus non respondebat.

30 Non ergo licet grauiter ægrotanti medicamenta abijcere confidens in Dei Prouidentia, cùm hoc sit tentare Deum, qui quamuis sit Medicus Diuinus, possitque miraculosè sanare, sicut ex Euangelijs accepimus toties fecisse, tamen dedit naturalia remedia, quibus sub mortali tenetur vti grauiter ægrotans, tum ne Deum tentare dicatur; tum ne mortis, aut grauis læsionis in se ipsa sit causa persona ipsa, quæ infirmatur: & hæc dicenda sunt ægrotanti, vt & pro corporis, & pro animæ salute sibi consulat, sciensque in semetipsa quo ducta motiuo nolit Medicos, nec medicinas, cognoscat quoquè an Sanctè, seu an iniquè mederi recuset, vt quatenus opus erit, resipiscat, seu à sua exeat ignorantia, qua & alios noui laborasse, sed doctiores effecti admisere Medicum, quem & honorauerunt ob necessitatem, iuxta quòd Spiritus Sanctus, vnicuiquè dixit: *Honora Medicum propter necessitatem. Ecclesiastici* 38. 1. atque sub Medici ducatu ad salutem feliciter peruenerunt.

DE-

# DECISIO XXXVII.

*An ille, qui accepit Mediolani iustum stipendium, vt se transferat Assisium ad lucrandam Indulgentiam pro Animabus Purgatorij die prima Augusti, satisfaciat obligationi suæ, si illam lucretur Bononiæ in Ecclesia Minorum die secunda eiusdem mensis.*

## Casus, seu Historia XXXVII.

### SVMMARIVM.

1 *Casus proponitur.*
2 *Est restituendum in casu nostro.*
3. 4. *Quando locus sit taxatus.*
5 *Quid in facto præsenti.*
6 *Valet argumentum de tempore ad locum.*
7 *Et de re ad locum, & ad tempus.*
8. 9. *Legata simul, soluenda sunt simul.*
10 *Pro Indulgentia non datur pecunia.*
11 *Quando legatum non possit accipi.*
12 *Capellanus tenetur ad locum.*
13 *Obijcitur, & diluuitur.*
14. 15. 16. *Tenetur iuxta mentem Fundatoris.*
17. 18. *Quid in casu nostro.*
19 *Elapso tempore, cessat obligatio hæredis.*
20. 21. 22. 23. *Quid ratione impedimenti.*
24. 25. *Obiectio, & responsio.*
26 *Peregrinatio est opus pium.*
27 *Peregrinus, & Sacerdos in quo sint pares.*
28. 29. *Quando sit restituendum à Sacerdote.*
30 *Non acquirens Indulgentiam, an teneatur restituere datam sibi eleemosynam.*
31. 32. *Quid de pingui stipendio dato.*
33. 34. 35. *An liceat onus legati per alium implere, retento stipendio.*

1 IN Ecclesia Confratrum nuncupatorum N. territorij Mediolanensis extat obligatio per legatum, quòd per singulos annos quatuor ex ipsis se conferant Assisium pro die prima Augusti, vt Indulgentiam *Portiunculæ* nuncupatam lucrentur in suffragium Animarum Purgatorij, ideoque eis certum stipendium datur. Contigit vt vno anno Assisium non peruenerint, sed solùm Bononiam, vbi non prima die, sed secunda Augusti in Ecclesia Minorum eamdem Indulgentiam sunt lucrati.

Dubitatum fuit, an obligationi satisfecerint; seu an teneantur ad restitutionem; & an iterum debeant statim pergere Assisium, quamuis Indulgentia pro illo anno lucrari ampliùs non possit.

2 Dico, Confratres illos non satisfecisse menti testatoris, ac per consequens obligationem non impleuerunt, vndè & ad restitutionem iuxta quòd dicam infrà, tenentur. Id suadetur tum per Iura, tum per Theologorum opiniones. Et quòd obligationem non adimpleuerint probatur ex defectu loci, & temporis in obligatione assignati; nam quando intrant, & exprimuntur in obligatione, sunt obseruanda, sicut ab opposito si non sunt specificata non intrat obligatio ad interesse quanti plurimi, *leg. aut qui alter. §. 1. quod vi, aut clam.* Bartolus *in l. cum filius. §. fi. de verb. oblig.* Alex. *cons. 90. lib. 5. aliàs 33. Viso processu. colu. fin. in princ. versic. item alia ratione, num. 9.* & ibi Natt. *in verb. diem. lib. 6.* Afflictus *decis. 316. num. 14. in fine.*

3 Item certum est, quòd quando locus adijcitur in executione, non in obligatione, censetur positus gratia demonstrationis, non taxationis: Gratianus *discept. forens. cap. 256. num. 21. tom. 2.* & idem dicendum est de tempore; sed in casu nostro locus Assisij, & prima dies Augusti adijciuntur in obligatione; ergo taxantur, vt obseruentur, quòd si contra fiat,
4 non adimpletur obligatio. Et vt locus intelligatur appositus solùm gratia demonstrationis, debet de eo fieri mentio post factam dispositionem; & idem est dicere post orationem perfectam, quòd in duabus orationibus: Bartolus *in l. Lucius num. 3. ff. de alim. & cibar. legat. & in l. inter stipulantem, §. sacram. de verb. oblig.* Io. Fab. *in l. si quis argentum, num. 14. in fin. C. de donat.* Gigas *de pensionibus, q. 62. num. 3.*
5 *cum sequent. tract. tom. 15. p. 1. f. 351.* In casu autem nostro locus non ponitur nisi intrà ipsam dispositionem, & in eadem dispositionis oratione; ergo intrat ad substantiam dispositionis, nec est quid illi extrinsecum, quod & de tempore dicendum est, quasi valeat argu-
6 mentum de tempore ad locum: Bartolus *in l. vinum, in princ. num. 2 ff. si cert. petat.* Euerard. *loco argumentor. 40.* Stracc. *de adiect. p. 3.*
7 *num. 132. tom. 6. p. 1. f. 395.* & de re ad locum, & ad tempus, & è contrà, *leg. si quis ità legauerit 32. ff. de aur. leg.* Alber. *de statut. p. 1. q. 56. num. 3.* Iason *in l. vinum. num. 6. in fin. vers. redeundo ad notabile, ff. si cert. petat.*
8 Et sic pecunia legata vnà cum largitione frumenti, vini, & olei certi prædij, eodem tempore sunt soluenda omnia; quia virtute coniunctionis, tamquam in eodem legato connexa, debent æqualiter determinari, & eodem tempore præstari, vt Bartolus in specie tradit *in*

*l.si legatarius*, §.1.*de leg.* 3. Felina *in c.2.col.21. num.38.antè fin. vers.fallit quintò,vbi copula de rescript.* Soci.Iun. *cons.162.col.3.num.12.lib.2.* Manuos.*reg.27.q.22.num.3.vers.& non solum, & reg.32.q.17.num.4.&* 11. Iason *in l.1.col.3. ad med.num.4.vers.fallit quando legatur,de iust.*
9 *& iur.* Ità necessariò erunt adimplenda legata connexa in nostro casu,qualia sunt largitio certæ pecuniæ, vt quatuor viris sufficiat ad eundum, & redeundum ex Ciuitate N. Assisium, & ex Assisiò ad eamdem Ciuitatem, itaut pro die prima Augusti sint in Assisio ad Indulgentiam Portiunculæ lucrandam pro Purgatorij Animabus; ergo nisi Assisium adeant tempore præfixo, obligationem contractus non adimplent, quamuis Indulgentiam alibi acquirant;
10 nam pecunia non datur pro Indulgentia, sed pro itinere; & sic iter est in necessitate quòd fiat, si pecunia sit obtinenda.

11 Patet etiam ex natura contractus inter testatorem,& legatarios, quòd ille dat vt faciant & ità isti acceptarunt; ergo quandocunquè deficiet implementum conditionis,quæ est vt dicti Confratres faciant iter præscriptum à testatore ijsdem Cōfratribus, isti non poterunt licitè accipere, & si accipiant tenentur restituere; & hoc est proprium huiusce contractus innominati, *do vt facias*, prout communiter tradunt Doctores.

12 Deinde probatur hoc idem, nam Capellanus institutus ad Sacrum faciendum in determinato Templo, Oratorio, Sacello, vel Altari quibusdam diebus, non satisfacit Fundatori,ex communi opinione celebrando alibi. Ratio est, quia electus est locus,quem Fundator Capellaniæ voluit frequentari, religiosè honorari, & coli, ac proinde menti illius non satisfit. Nauar. *de orat.c.5.num.2.& 12.ex Baldo, & alijs.* Syluester *verb. Missa 1.q.10.ad finem.* Sed illi Confratres sunt veluti Capellani electi, vt statuta die adeant determinatum Templum, quod sic frequentetur, religiosè honoretur, & colatur; ergo non satisfaciunt, sicut nec satisfacit prædictus Capellanus.

13 Si aliquis dicat sufficere, quòd quatuor illi Confratres acquirant Indulgentiam Portiunculæ, hæc enim est principale, quod testator voluit pro Animabus Purgatorij; respondetur ei, non esse verum, tum quia pro Indulgentia non datur stipendium; tum quia iter ad Assisium expressè præcipitur in testamento; ergo conditione itineris non adimpleta, non subsistit ius ad habendum itineris stipendium, non minus ac si contractus esset iste, & deficiente implemento conditionis, contractus ipso iure est velut non celebratus. *leg. si hominem, de vsucapion.* Menochius *cons.26.num.33.*

14 Idem docet de Lugo *de Eucharistia,disp.21. num.43.* Tamburinus *de Sacrificio, lib.3.cap.3. §.3.num.1.* dum quærunt an obligatus celebrare Feria secunda, quarta, & sexta, satisfaciat celebrando alijs diebus, & resoluunt negatiuè, supposita obligantis intentione, quæ sit vt dictis diebus celebretur, vel in venerationem alicuius Sancti, qui tali die singulariter colitur; vel ob commoditatem audientium. Sed etiā in casu nostro deducendum est, mentem testatoris obligantis dictos Confratres, vt tali die sint Assisij, fuisse ob venerationem loci illius, in quo Indulgentia singularis elargitur; ergo non satisfaciunt omittendo iter, quamuis alibi eamdem obtineant Indulgentiam. Ratio potissima est, quia non seruatur intentio testatoris.

15 Clariùs etiam intelligetur veritas dictorum, adducendo hic doctrinam Bonacinæ *in eius compend. verb. Missa, num* 16. vbi dicit, quòd Capellanus tenetur iuxta institutionem Capellaniæ, & intentionem fundatoris Missas celebrare, sub peccato mortali, nisi legitimum im-
16 pedimentum excuset. Deniquè dat pro regula generali, Sacerdotem toties peccare, quoties per se ipsum, vel per alium non celebrat Missas quot, quales, & quo in loco, vel tempore tenetur ex fundatione, vel ex pacto celebrare, nisi aliud constet ex voluntate interpretatiua fundatoris, vel nisi aliud suadeat hone-
17 stas, & debita deuotio. Ex hac doctrina Bonacinæ apertè infertur pro casu nostrorum Confratrum, omninò teneri adire Templum, & Ciuitatem à testatore nominatam,aliter non faciunt quod debent facere ex graui obligatione, cum aliunde non detur locus interpretandi testatoris mentem vt possit satisfieri si Indulgentia quocunque loco lucretur, nec adeò strictè voluerit obligare ad longum iter.

18 Et quia supradictum est cum Bonacina, Capellanum teneri iuxta fundatoris intentionem, nisi legitimum impedimentum excuset, dico eodem modo discurrendum esse de obligatione Confratrum vt in casu. Isti enim si v.g. iam itinere arrepto infirmantur, vel alij subiacere infortunio necessitantur, tunc legitimum haberent impedimentum, & excusarentur ab obligatione perueniendi Assisium statuta die,& expensa ob necessitatē sunt sumenda ex facultatibus relictis à testatore, qui cēsendus est voluisse, vt in omni euentu rationabili, itinerantes

tes isti sumptibus eiusdem testatoris prouideã-
19 tur. Et postquam conualuerint, nec pro tempore determinato possunt terminum volitum à testatore attingere, non tenentur amplius progredi, sed poterunt reuerti, nec ideò immeriti erunt, quòd de sumptibus testatoris expensas factas soluant, cùm de facto debeant de legatis ab ipso prouideri.

20 Et quòd impedimentum perueniendi non obliget eos ad restituendum expensas, ostenditur à pari sententiæ latæ per Iudicem, quæ valet, quamuis detur impedimentum illam inualidans, sed tale impedimentum vt inualidet, debebat sciri, sed si ignoratur, sententia valet. Abbas *in c. querelam, col. 1. ad med. vers. sed in breuiter. de procurator. num. 4. & col. vlt. ad fin. num. 10.* Calder. *de restitut. in integr. in verb.*
21 *per quod pristinum, num. 56.* vbi quòd sit extensio infirmitatis ad omnia alia impedimenta, itaut sententia lata contra infirmum per iudicem scientem, quemadmodum est ipso iure nulla, nec restitutio est necessaria, ità in alijs impedimentis, ex identitate rationis. Afflictus *decis. 182.* Guid. Pap. *q. 256.* sic in casu nostro,
22 si impedimentum non perueniendi Assisium fuisset scitum, certè contra mentem testatoris assumeretur iter, & inualidè fierent expensæ; sed essent restituendæ; secus si impedimentum ignorabatur, totum validè subsistit, nec restitutio est necessaria.

23 Nec, vt dixi, iter tenentur protrahere, si ex superueniente impedimẽto tenẽtur non posse debita die peruenire, quod intelligitur etiam finito impedimento. Ratio est, quia obligatio alligata diei, non durat transacto illo die; vt si hodie non recitatur Officium Diuinum à Sacerdote, nec auditur Sacrum à Laico cùm sit festum, nihilominus nemo illorum tenetur resarcire, quia illa præcepta viuebant ad durationem vnius diei, qui elapsus cùm sit, transijt, & finiuit obligatio: ità sentiunt vnanimiter Doctores; vndè cùm volitio testatoris disponentis sit obligare quatuor Confratres, vt prima die Augusti sint Assisij pro Indulgentia Portiunculæ, si ad summum non posunt peruenire die secunda, & antequam tempus Indulgentiæ terminet, non tenentur progredi; imò tenentur regredi, ne expensæ sinè intento à testore disposito, frustrà, aut pro ipsorum itinerantium recreatione, aut etiam deuotione fiant, quæ si fierent, de marsupio ipsorum, non testatoris essent desumendæ, vt ratio dictat.

24 Si verò alicui iterum videatur sufficere, quòd aliquod iter fiat, & alicubi Indulgentia obtineatur à dictis quatuor Confraternitatis N. eo modo, quo ad summum peccaret venialiter Sacerdos, qui non diceret Missas designatis diebus, si solus fructus Missę sit volitus, quia in nullius pręiudiciũ cedit illa parua variatio, vt ait de Lugo, & Tãbur. supra. Pelliz. *tr. 5. c. 9.* cõtra Syluest. *verb. Miss. 1. n. 11.* sed eas diceret alijs diebus, quibus iuxta Rubricas dicere illas potest; ità videtur parua mutatio, quòd non Assisij, sed alibi dicti Confratres Indulgentiam lucrentur, & sumptibus testatoris expensas faciant commorantes v. g. Bononiæ tot diebus, quot insumere debuissent vsquè Assisium iti-
25 nerando, & ex Assisio redeundo. Respondetur, quòd sicut peccaret grauiter dictus Sacerdos iuxta eundem Pellizzarium *loco citato,* in casu, quo stipendium Missæ ei notabiliter fuisset auctum ad effectum, vt Missæ illæ in specie dicerentur, itaut ipse acceptet, & postea non dicat eas in specie, sed mutet; ità & grauiter contrauenirent dispositioni testatoris isti Confratres, qui sumptus copiosos de bonis testatoris percipiunt, sed in facto Assisium non perueniunt, prout ad effectum perueniendi Assisium eis datur pingue stipendium.

26 Nec sufficit ad mentem implendam testatoris, sola lucratio Indulgentiæ, quia & iter, seu peregrinatio, quamuis commodè fiat, est opus pium, eò ipso quòd assumitur lucrandi causa Indulgentiam, necnon & visitandi aliquod Templum; ergo ad Indulgentiam obtinendam, & ad peregrinationem faciendam obligantur Confratres, & ideò vtrumquè opus pium exequi tenentur.

27 In hoc quoquè Confratres parificantur Sacerdoti, quòd & iste, & illi sunt obligati ad restitutionem accepti stipendij, si omittant illud, ad cuius effectum stipendium acceptarunt. Ità in terminis de Sacerdote decreuit Sacra Congregatio, si tot Missæ non dicantur ab eo, quot stipendia accepit; sicque per Decretum Vrbani VIII. de celebratione Missarum vetatur, ne pro vna Missa duplex pitantia accipiatur. Demum accessit etiam prohibitio, & damnatio doctrinæ contrariæ facta ab Alexandro Septimo, dum inter propositiones ab ipso damnatas posuit *num* 8. istam: *Duplicatum stipendium potest Sacerdos pro eadem Missa licitè accipere, applicando petenti partem etiam specialissimam fructus ipsimet Celebranti correspondentem, idque post decretum Vrbani VIII.* Igitur qui contrarium faceret, obnoxius esset restitutioni, & grauiter peccaret; insuper in Excommunicationem incideret, si de tali propositione disputatio-

tationem institueret, vel eam tueretur, &c:

Et quòd præfatus Sacerdos teneatur ad restitutionem, conuincitur quia facit contra iustitiam, vndè idem Alexander Septimus aliam damnauit propositionem, quæ est 10. in ordine, estque huiusce tenoris: *Non est contra iustitiam pro pluribus Sacrificijs stipendium accipere, & Sacrificium vnum offerre.: Neque etiam est contra fidelitatem, etiamsi promittam promissione etiam iuramento firmata, danti stipendium, quòd pro nullo alio offeram.* A pari dicendum erit de Confratribus in casu nostro quoad restitutionis obligationem, licèt non quoad damnationem contrariæ doctrinæ, si quis istam affirmandi fundamenta haberet.

28 Si verò Sacerdos omitteret celebrare ad designatum Altare, non teneretur restituere, dummodo ad aliud Altare simile celebret, quia licèt hic Sacerdos non stet contractui, cùm defecerit in præsentia Altaris sibi præscripti, tamen non peccauit in substantia contra iustitiam, sed contra fidelitatem; siquidem dum alibi celebrauit, non priuauit eum, qui dedit eleemosynam, fructu debiti Sacrificij, quod eiusdem valoris est, vbicunquè offeratur. Si autem omittat celebrare, tunc tene-

29 tur restituere acceptum, quia contra iustitiam delinquit, & non solùm contra fidelitatem. Ità in casu, quo quis accipiat centum scuta, vt eat Assisium pro lucranda Indulgentia, tenetur ex iustitia ponere iter, propter quod illa scuta sunt data, aliàs sunt restituenda, nam idem est omittere Missæ celebrationem, ac iter impositum, loquendo de obligatione satisfaciendi ex iustitia propter rem, ob quam stipendium, aut pitantia datur.

30 Notandum tamen est, quòd si Confratres in Assisinate Ecclesia nō lucrentur Indulgentiam sed in alia, censeo, non teneri aliquid restituere, cùm haberent deficere in solo genere fidelitatis, eo prorsus modo, quo Sacerdos non celebrat ad determinatum, seu ad tale Altare ei præscriptum à dante eleemosynam, sed in simili. Hæc autem intellige, dummodò sola Indulgentia à testatore sit exigita. Videatur Tambur. *de Sacrific. lib. 3. cap. 2. § 1. n. 5.* contra Dianam *part. 2. tract. 14. ref. 29.* In dictis stat paritas inter Confratres, & Sacer-

31 dotem. Sed excipiendus est casus, in quo Sacerdos pinguius stipendium reciperet, vt ad tale Altare Missam faciat; si enim hoc non facit, tenetur ad restitutionem illius excessus in accepto stipendio, pro quo excessu non satisfecit celebrando alibi, sed debet celebrare ad Altare præscriptum, aliàs retinendo excessum illum stipendij, retineret sinè titulo, ac consequenter iniustè: ità Dicastillus *disp. 4. de Sacr. num. 392.*

32 Nec dissimiliter argumentandum est de hoc Sacerdote ad Confratres vt in casu, vel ad aliū obligatum pergere Assisium; vndè si aliquid eleemosynæ offertur ad hunc effectum, debet talis effectus poni, aliàs receptum teneretur sinè titulo, ac per consequens esset restituendum. Ille ergo, qui Mediolani accepto iusto stipendio vt Assisium se conferat, ibique Indulgentiam dictam *Portiunculæ* die prima Augusti pro Purgatorij Animabus studeat obtinere, terminat suum iter in Ciuitate Bononiæ, vbi in Ecclesia Minorum eamdem lucratur Indulgentiam, tenetur ad restitutionem illius partis stipendij, quod ei datum fuit excedens quantitatem stipendij requisiti pro itinere vsquè Bononiam, itaut si centum habuit, sed vsquè Bononiam solùm decem expendit, inclusis expensis pro redditu, tenetur nonaginta restituere, ne sinè titulo retineat nonaginta, ac consequenter iniustè, & quod iniustè tenetur, est obnoxium restitutioni, secundùm communem sententiam omnium Doctorum.

33 Restat deniquè inquirendum an satisfacerent suæ obligationi Confratres in casu nostro, si retenta parte stipendij dati, seu legati, aliam partem darent spontè alijs, vt Assisium pergant ad Portiunculam consequendam. Ad quæsitum respondeo illud esse resoluendum attenta mente testatoris in verbis testamenti; nam vel obligat personas, vt seruitium personaliter præstent, vel potiùs prætendit seruitium, scilicet iter, & Indulgentiam tamquam substantialia, cætera verò tamquam accidentalia, & talis mens vel certò patet, vel præsumi potest, vel dubiosa est. His positis.

Dico primò, si persona non obligatur, sed potiùs seruitium exigitur vt tota substantia certæ mentis testatoris, censeo licere Confratribus deputatis de iure alijs quatuor etiam extraneis peregrinationem demandare, data parte pecuniæ legatæ, aliam partem retinendo. Ducor, quia sic videtur in omnibus impleta mens testatoris, qui quidem certam pecuniam sub tali onere legauit, sed dummodò impleatur onus, non curat quòd prima persona, ad quam pecunia datur, eam diminutam alteri det pro eodem integro seruitio adimplendo. Hoc apertè probant textus, & Doctores docentes, mentem esse attendam non verba, *l. Labeo, in fin. ff. de suppellect. leg. l. nominis,*

*minis, & rei*, §. *verbum*, *ff. de verb. signif.* Steph. Gratian. *discept. forens. tom.* 4. *c.* 769. *num.* 21. & *c.* 755. *num.* 23. & *tom.* 6. *c.* 814. *num.* 14. Sigismund. Scacc. *de appellat. quæst.* 4. *num.* 21. Mari. Giurba *in consuet. Messanens. in proœm. nu.* 5. Vndè verba trahi ad mentem, & rationem, non è contra, tradunt Oldrad. *cons.* 9. *vers. Item cùm iura dicant*, *num.* 3. & 4. Federic. de Senis *cons.* 4. *num.* 5. *vers. multum est.* & Iason. *cons.* 440. *col.* 5. *lib.* 2.

Dico secundò, si personam determinatam obligauit testator, & hoc est certum; certum quoquè est non licere pecuniam tenere, nequè eius partem, nisi personaliter seruitium impleatur. Id probatur per Bartol. Alex. Natt. Afflict. & *l. aut qui alter.* omnes *locis cit. suprà, sub num.* 2. *huius decisionis.*

Dico tertiò, si verba testatoris sint interpretāda, cùm agatur de inducenda obligatione, interpretatio debet fieri stricta, idest non inductiua obligationis. *l. quidquid astringendæ*, *ff. de verb. oblig.* & sic satis erit si onus intentum præstetur per alium, dato minori stipendio, quia pars retinetur à mandante. Idem patet dicendum, si in hoc sensu præsumendum sit de testatoris mente. Quòd si dubium habeatur de eadem mente, tunc tutiori parti est inhærendum. Nauarr. *in Manual. cap.* 27. *n.* 139. Couarru. *in cap. alma mater*, *part.* 1. §. 2. *num.* 5. *casu* 1. & *de sponsalib. part.* 1. *cap.* 4. §. 1. *num.* 9. Sanch. *de matrim. lib.* 2. *disp.* 41. *num.* 9. Sayr. Vasquez, Salas, & Emman. Roder. quos refert Barbosa *Axio. Iuris*, *axiom.* 78. *num.* 2. tutior autem pars est, quòd personaliter exequatur onus à testatore præscriptum.

34 Sed contra edocta numero antecedenti obijci potest ad probandum nunquam licere partem pecuniæ retinere, etiamsi licitū esset alteri peregrinationem imponere, nam quamuis de hoc nulla extet damnatio, tamen ex damnata doctrina in nona ex propositionibus damnatis ab Alexandro VII. à pari infertur. Est ergo eiusmodi dicta propositio: *Post Decretum Vrbani potest Sacerdos, cui Missæ celebrandæ traduntur, per alium satisfacere collato illi minori stipendio, alia parte stipendij sibi retenta*: Sed suprà dicebamus parificari Sacerdoti obligato celebrare Confratres vt in casu: ergo si per alium satisfacient, totum stipendium ab eis acceptum tenentur dare, quia eadem videtur ratio in vtroquè euentu.

Respondetur nihilominus negando paritatem, cùm fiat transitus à re vnius, ad rem alterius generis. Vrbanus VIII. *omne damnabi lucrum ab Ecclesia remouere volens, prohibet Sacerdoti, qui Missam suscepit celebrandam cum certa eleemosyna, ne eandem Missam alteri, parte eiusdem eleemosyna sibi retenta, celebrandam committat*: ità loquitur in Decreto de celebratione Missarum pro puro, & sancto regimine vniuersalis Ecclesiæ. Cæterùm vbi vnus testator legatum fecit, potuit illi apponere quam legem maluit, & ideò casum & nos resoluimus attenta mente testatoris vel certa, vel præsumpta, vel dubia, vel interpretata. Et nostræ resolutioni fauet declaratio S. Congregationis ad dictum decretum, quærebatur enim, *An Rector beneficij, qui potest per alium celebrare, teneatur Sacerdoti celebranti dare stipendium ad rationem redditùum beneficij*; & respondit Sacra Congregatio, *satis esse vt Rector beneficij, qui potest Missam per alium celebrare, tribuat Sacerdoti celebranti eleemosynam congruam secundum morem Ciuitatis, vel Prouinciæ, nisi in fundatione eiusdem beneficij aliud cautum sit.* Eodem modo dici debet de fundatione præfatæ peregrinationis, quæ per alium confici potest, sicque satis erit congruum stipendium dari ipsi peregrinanti à Confratre, supposito quòd aliud cautum non sit in testamento. Erit autem iustum, siuè congruum stipendium pecunia illa, qua ipse accipiens contentus erit, stat enim optimè paritas inter Rectorem beneficij, & Confratrem habentem illud annuum legatum, quod beneficium potest appellari in suo genere.

35 Vltimò quærendum est, an dato quòd Confratres possint extraneos Assisium mittere, quibus & legatam pecuniam teneantur integrè dare, possint nihilominus de consensu eorum, quos mittunt, pecuniæ partem retinere. Videtur omninò negatiuè respondendum propter paritatem intercedētem inter istos Confratrem, & Sacerdotem quoad hoc, quòd & isti data est certa pecunia pro Missa celebranda, & illi pro peregrinatione facienda. Sicuti ergo Sacerdos tenetur dare integrum stipendium acceptum, si per alium celebret, ita vt oppositum sit illicitum, & damnatum ab Alexandro VII. vt diximus suprà numero præcedenti; consequenter & totum stipendium tenentur dare Confratres in nostro casu, si per alios peregrinationem adimpleant. Nec aliqua apparet diuersitas inter vtrumquè casum, nisi quòd nulla extat damnatio doctrinæ contrariæ circa casum horum Confratrum.

Nihilominus iudico licere dictis Confratribus arbitrium habentibus ad per alios satisfa-

cien-

ciendum obligationi, si de consensu eorum, per quos satisfaciunt eis remittitur stipendium legatum, istud retinere siuè in toto, siuè in parte iuxta placitum remittentium, si aliud non obstet. Ratio est euidens, nam qui dominium habent rei, vel ius remittendi debitoribus, quod tenentur dare, licitè remittunt debitum etiam in toto, vt ex se patet, & conceditur à DD. communiter: ergo si Confratribus debitoribus, & obligatis dare totum legatum, hoc remittatur à creditoribus, poterunt illi legatum ipsum retinere.

Dices: Non minùs est damnabile lucrum, si à Confratribus tali modo lucretur, ac si à Sacerdote lucrum fiat committendo alteri Missæ celebrationem, retenta sibi parte stipendij: ergo cùm non liceat Sacerdoti, neque licebit Confratribus. Respondeo non esse damnabile lucrum saltem in foro interno, si Sacerdoti remittatur non solùm pars stipendij, sed etiam totum stipendium ab eo, qui Missam suscipit vice eiusdem Sacerdotis celebrandam, & sic currit paritas cum Confratribus, quando creditor donat, vel cedit, vel non vult, quod aliàs ipsi deberetur, nisi recusaret accipere, quamuis acceptet onus adimplere. Dixi, *in foro interno*, nam in foro externo Sacerdotes præsumerentur damnabile lucrum facere in retentione partis stipendij contra Pontificis prohibitionem, nisi vel scripto, vel testibus probare possent liberam donationem, vel remissionem ipsis factam à Sacerdote, qui Missam gratis, vel tanti voluit spontè celebrare. Cæterùm in casu Confratrum, quia nulla datur prohibitio, per quam in foro externo possit de illis malè præsumi, ideò in vtroque foro stipendium tutè retinebunt de consensu eorum, quibus esset soluendum.

Caueant ergo Sacerdotes etiam ab eo licito lucro, vt sic labis, ac inobedientiæ vmbram ipsam effugiant; effugium enim, non veritas in dono illo apparet, quo culpam, & pœnam student euitare. Et quod veriùs videtur in hoc dicendum, censeo esse, quòd si Sacerdos pro alio vult satisfacere celebrando, & totum remittit stipendium, creditur nullam interuenire fictionem, vel fraudem, nec in hoc apparet effugium ad damnabile lucrum tegendum. Si verò Sacerdos sit in necessitate, vndè contentus est parte stipendij, quia nisi sic sit contentus, neque hanc partem haberet, in isto casu locum apertè haberet fraudis præsumptio. Sed etiam talem præsumptionem non esse faciendam colligitur ex doctrina Gozadini *cons.* 87. *num.* 15. relati à Flamin. Paris. *de resignationibus benefic. tom.* 1. *lib.* 2. *quæst.* 3. *num.* 40. dicentis, ea, quæ ex necessitate fiunt, non dici fieri in fraudem. Nec obstat, quòd in necessitatibus nemo liberalis existat. *l. rem legatam ff. de admend. legat.* Stephan. Gratian. *discept. forens. tom.* 4. *cap.* 796. *nu.* 27. & *tom.* 5. *cap.* 925. *num.* 9. Tiraquell. *in l. si vnquam, verb. donatione largitus, num.* 106. *C. de reuocand. donat.* Pichard. *ad rubr. Instit. de adopt. num.* 43. Valasch. *cons.* 153. *num.* 24. & alij apud Barbosam *Axiom. Iur. vsu frequen. axiom.* 157. *num.* 4. credo enim id valere, quoties necessitatem quis patitur, & de suo, quod iam possidet dare debet, tunc enim liberalis non existeret. At vbi quis necessitatem habet, & nisi sit contentus recipere duo, remittendo alia duo ipsi debita, non habebit nec quatuor, nec duo, tunc facilè est vti liberalitate, non obstante necessitate. Igitur & Sacerdos, & Confratres retinentes partem stipendij liberaliter ipsis remissi iuxta prædicta, licitè in vtroque foro se gerunt; etiamsi sit in necessitate ille, qui remittit, vel donat. Verùm eiusmodi debent à Sacerdotibus abesse exactiùs, quàm à Confratribus, vt satis prænotaui.

# DECISIO XXXVIII.

*An in periculo vitæ constitutus, vouens, si euadat, dare lampadem Ecclesiæ D. Antonij Patauini nec non & viginti scuta cuidam Pauperi nominatim designato, possit licitè & lampadem, & pecunias dare alteri Ecclesiæ, & alteri indigenti pauperiori.*

## Casus, seu Historia XXXVIII.

### SVMMARIVM.

1 *Casus proponitur.*
2 *An in meliùs licitè mutem votum meum.*
3 *Licentia debet peti pro transitu ad strictiorem Religionem.*
4 *Quid iubeat* cap. prim. de voto.
5 *Nemo est Iudex in sua causa.*
6 *Quid stabiliat* l. 1. §. si cert. peta.
7 *Ieiunium Ecclesia nequit mutari.*
8 *Dare rem meliorem pro promissa, non licet.*
9 *Varij casus illiciti.*
10. *vsquè ad* 19. *An liceat propria authoritate mutare votum in melius.*
20 *Quid in casu nostro.*

21, 22

1 Dominicus vir nobilis, dum in medio mari periclitaretur, votum fecit se daturum lampadem Ecclesiæ D. Antonij, quæ centum aureorum esset valoris, quod votum acceptauit Superior dictæ Ecclesiæ, qui in eadem naui cum Dominico inueniebatur, vnà cum alijs, inter quos Rosalia virgo Sicula pauperrima, cui item vouit Dominicus dare viginti scuta, dummodò à præsenti mortis periculo omnes liberarentur. Acceptauit Rasalia promissionem, quam vt audiuit quidam iuuenis mercator, promisit se ducturum in sponsam eamdem Virginem, si ad viginti scuta Dominicus addat, qui Dominicus annuens, auxit ex liberalitate supra viginti, quæ vouerat, vsque ad centum scuta promittens se daturum in dotem eidem Rosaliæ, quam promissionem Dominici acceptarunt tum iuuenis, tum virgo. Exaudiuit Deus omnium vota, ac de periculo omnes eripuit, sed Dominicus vt nouit pauperiorem Ecclesia S. Antonij esse illam Diui Thomæ, huic, non illi obtulit lampadem. Item quia sciuit magis indigere Rosam Virginem Romanam, quàm Rosalia indigentiam haberet, ideò viginti scuta dedit Dominicus Rosæ, quæ rogans vt & vsque ad centum illa numeraret, quatenus nubere honestè posset, sic obtinuit à Dominico omnia, vt Rosalia nihil acceperit.

Accessit ad me Dominicus, & an vota adimpleuerit, seu an ad aliquid erga Rosaliam teneatur, à me quærens, respondi esse tria, de quibus dubitari potest in hoc facto. 1. An licitè sua sponte potuerit votum mutare, dans alteri Ecclesiæ, non illi cui permiserat; sicut & alteri Virgini dans id, quod pro alia vouerat. 2. An acceptationes factæ per Superiorem Ecclesiæ S. Antonij, & per Rosaliam, ac illum iuuenem, impedirent posse mutationem fieri à Dominico. 3. An oblata, & acceptata pro dote, titulo, seù motiuo liberalitatis ipsi Rosaliæ, potuerint dari Rosæ; & an Dominicus teneatur item dare Rosaliæ, ratione promissionis.

§. I.

*An vouens dare lampadem vni Ecclesiæ possit se solo mutare votum, & illam dare Ecclesiæ pauperiori.*

2 Dico, quòd quia dare pauperiori melius est, quam dare minus pauperi, Dominicus in nostro casu mutauit votum in melius; sed quia hanc mutationem fecit propria authoritate, sub dubio est, an id licitè potuerit; & videtur quòd negatiuè sit respondendum.

Primò, quia Leuitici *cap. vltim.* præcipitur: *Animal autem, quod immolari potest Domino, si quis vouerit Sanctum erit, & mutari non poterit, nec melius in malum, nec peius in bonum.*

3 Secundò, quia *ex c. licet, de regularibus,* prohibetur Religioso transitus de laxiori, ad strictiorem Religionem, nisi petita venia à Superiore, quod videtur probare requiri Prælati authoritatem ad mutationem voti etiam in melius.

4 Tertiò, quia ex *cap. primo, de voto.* habetur velle Pontificem, commutationem votorum pendere ab arbitrio illius, qui præsidet.

5 Quartò, idem suadetur ratione, quia nemo in propria causa est iudex, nec supra se ipsum potest quis iurisdictionem exercere, si sit priuata persona.

6 Quintò, quia ex *l. 2. ff. si certum petatur* stabilitur, quòd promittens homini rem determinatam, non liberatur à promissione dando meliorem.

7 Sextò, quia obligationem ieiunandi ex Ecclesiæ præcepto, aut ex Sacramentali pœnitentia, non potest quis propria authoritate in quid melius commutare.

8 Septimò, quia non dans rem promissam est mendax, quamuis meliorem tribuat. Ex quibus rationibus probatur non licere alicui mutare suum votum in melius, nisi authoritas Prælati accedat, & mutationem faciat. Ità colligitur ex D. Thoma 4. *dist.* 38. *q.* 1. *art.* 4. *quæstiuncula vltima in corpore.* Et hanc sententiam expresè docent Innocentius. *c. peruenit.* 2. *num. vnico de iureiur.* & ibi Ioannes Andreas *statim in principio.* Hostiens. *num.* 1. Antonius *num.* 5. Baldus *num.* 2. Ancharanus *num.* 1. Abbas *num.* 2. Henricus *num.* 1. Bellamera *num.* 2. Felinus *num.* 1. Alexander de Neuo *num* 7. & 8. D. Bonauentura 4. *dist.* 38. *art.* 2. *quæst.* 2. & ibi Richardus *art.* 8. *quæst.* 1. *supplementorum Gabrielis ibi quæstion.* 1. *art.* 5. & alij.

9 Iuxta dictam opinionem, sequitur manifestè, quòd si aliquis vouerit se seruiturum, in aliqua hospitali domo, nequeat propria authoritate commutare in aliud votum, quo se Deo obstringat ad seruiendum in alia pauperiori domo, & laboriosiori. Sic si aliquis vouerit certam peregrinationem, hæc nequit permutari cum alia religiosiori, atquè sanctiori. Sic (& hoc ad rem nostram) si quis voueat dare eleemosynam certis pauperibus, non potest se solo mutare tale votum in aliud dandi alijs egenis maiori inopia pressis. Idem apertè dicendum est, de vouente dare vni Ecclesiæ, & postea mutet, & det pauperiori, non enim sua sponte potest licitè talem facere commutationem; sicuti nec strictiorem vouere Religionem, loco laxioris, quam ingredi quis vouerat, ità tenet Butrius, & Goffredus teste Syluestro *verb. Votum* 4. *quæst.* 7. *versic.* 2. vndè Dominicus non potuit transferre ad aliam Ecclesiam votum dandi Ecclesiæ S. Antonij Patauini lampadem vnam; nec decem scuta, quæ nominatim Rosaliæ dare vouerat, potuit pauperiori virgini elargiri.

10 Sunt tamen alij Doctores, qui cū distinctione resoluunt hoc dubium, prout infra illos *num.* 16. adducam vnà cum illorum sententia; at hìc affero illos, qui tenentes oppositam sententiam, absolutè docent non requiri Superioris authoritatem ad commutandum votum, quando certò, & euidenter patet maius esse bonum, in quod votum commutatur; & sic opinantur Angelus *verb. Votum* 4. *q.* 2. *ad finem*. Sotus *lib.* 7. *de iusti. q.* 4. *art.* 3. Caietanus 2. 2. *quæst.* 88. *art.* 12. *& in Summa verb. Votum*. Couaruuias *in c. quamuis pactum, de pact. in* 6. *p.* 1. § 3. *num.* 4. Maior *in* 4. *dist.* 38. *q* 3. *vers. tertiò arguitur*. Armilla *verb. Votum num.* 14. Nauarrus *in man. cap.* 12. *num.* 75. & alij penè innumeri.

11 Probatur hæc opinio *ex c. Peruenit* 2. *de iureiurand.* ibi: *Promissum non infringit, qui illud in melius commutat*. Item facit textus *cap. Scripturæ, de voto*, vbi sic: *Reus fracti voti aliquatenus non habetur, qui temporale obsequium in perpetuam noscitur religionis obseruantiam commutare*: ex quibus textibus constat Pontificem declare, non esse voti violatorem, qui illud in melius commutat, sed id imò esse iuxta pietatem. Si ergo in primo textu Gregorius non facit mentionem Superioris, nec nos eius authoritatem exigere debemus, quia vbi ius non distinguit, nec nos distinguere oportet. Nec in secundo textu Alexander Tertius superioris authoritatem nominat, sed solùm id ex se posse quemquam facere dicit, ea ratione, qua longè maius est perpetua obligatio in Religione, ac sit obsequium temporale.

12 Confirmatur ex *c. Sanè, de Regularibus*, vbi habetur posse votum Religionis laxioris commutari in Religionem arctiorem; nec ad id authoritas superior requiritur, si de Superiore nihil in eodem capitulo commemoratur.

13 Ratio etiam esse potest in promptu, & quidem euidens, & plana, nam non est dubium, quin maius bonum sit Deo magis acceptum, & gratum; ergo votum mutatum in melius, erit Deo gratius; sed quod est Deo gratius, non potest non esse bonum; ergo mutatio voti grati Deo, in aliud ei gratius, erit bonum; ergo & sinè Superioris authoritate erit semper tale, ac propterea illius authoritas non est necessaria in tali commutatione.

14 Et colligitur hæc eadem veritas ex *c. licèt, de Pœnit. & remis.* ex quo deducunt, Abbas, Cardinalis, & Ancharanus, necessariam esse Superioris authoritatem, vt qui promisit seruaturum se ieiunium per aliquot dies in pane, & aqua, possit vti leguminibus, vel piscibus, vel alijs huiusmodi cibis ad sustendandam naturam; ità tamen vt si hæc necessitas sit certa, & euidens, non sit necessaria Superioris authoritas; ergo & nec erit necessaria, quando certò constat maius esse bonum illud, quod in secundo voto reperitur, quàm sit voti commu-

15 tati bonum. Et hoc docebat Diuus Thomas 2. 2. *quæst.* 88. *art.* 12. vbi si Superioris authoritatem requirit, ideò est, vt decernatur, vtrum commutatio fiat in aliquid Deo gratius; ergo quando certum est fieri commutationem in votum gratius Deo, non erit necessaria authoritas Superioris.

16 Nec sunt audiendi Doctores docentes, talem voti commutationem esse licitam sinè Superioris authoritate, dummodò primum votum redditum sit illicitum, & noxium; & ità limitant Hostiensis, Ioannes Andreas, & Ancharanus supra allati *sub num.* 8. Item nec est æstimanda limitatio dicentium, tunc in cōmutatione voti non requiri Superiorem, quando votum primum nequit seruari cum secundo de meliori bono; nam si vtrumque votum potest simul impleri, tunc propria authoritate potest votum primum in melius commutari: ità Antonius *vbi supra*, Syluester *verb. Votum.* 4. *quæst.* 7. *dicto.* 7. & Palatios *disp.* 3. *col.* 27. *fol.* 875. Exempla vtriusque generis votorum sint

17 hæc. Si vouisti ieiunium ad carnis illecebras com-

compescendas, & votum istud commutas in votum dandi eleemosynam, non potes tua authoritate id facere, quia eleemosyna stat sinè ieiunio. Si verò vouisti dare calicem argenteum, & das aureum ex vi commutationis voti, in hoc casu tui iuris est commutare votum, quia dando calicem aureum, à fortiori facis quod facere debuisses, idest simul das & calicem argenteum, quia valor calicis argentei continetur in pretiosiori calice aureo. Verùm ista limitatio non est attendenda, cùm tuta, & communior sententia sit, posse quemcunque pro sua authoritate suum votum in melius commutare.

18 Sed aduertendum est, totam doctrinam adductam pro parte affirmante, posse vouentem se solo suum votum in melius commutare, debere intelligi absolutè, videlicet si nullum detur ius acquisitum per acceptationem in alio, nam de hoc dicemus in Paragraphis sequentibus.

19 Nunc restant dissoluenda argumenta in contrarium. Ad authoritatem Leuitici, respondetur illam admittendo, sed lex illa si sic erat volita à Deo, non conuincit idem currere in lege gratiæ, cùm iam cessauerit lex illa antiqua.

Ad secundum dicitur non conuincere, quia quamuis licentia transeundi de Religione laxiori ad strictiorem sit quærenda à Prælato, tamen hic velit, nolit, transitus erit licitus, sufficit enim petere, nec exigitur obtinere dictam licentiam transeundi; & sic stat totum arbitrio vouentis mutare in melius. Vel aliter responderi potest, quòd si quis professus fuerit institutum alicuius Religionis, nequit ad Religionem arctiorem transire, nisi petita facultate à Superiore, *c. licèt, de regula.* quia se illi per professionem tradidit, ac mancipauit, & ideò non posset se ad aliam conferre, præsertim cùm Canones, & iura hunc transitum prohibeant, ne fiat temerè, & quadam animi leuitate, aut cum damno Religionis, à qua Religiosus quærit exire.

Ad tertium dico, nihil aliud concludere, nisi quòd si dubitatio extet, an in melius votum commutetur, id pendet à Superioris arbitrio; non autem si certò constat votum in melius commutari, Superioris exigitur arbitrium.

Ad quartum respondeo, verum esse, quòd nemo sui ipsius est Iudex; at quando res est euidenter certa, non est opus Iudice, nec Iurisdictione, vndè in tali casu nemo iudicat se ipsum, & sic dum constat de meliori bono, potest quisque in illud mutare votum absquè eò quòd dicatur Iudex, aut Iurisdictionem exercere.

Ad quintum occurritur per disparitatem intercedentem inter Deum, & homines, nam homines non semper gratius habent, quod melius est, Deus autem sic. Igitur debitor non liberatur dans rem meliorem, quia hæc fortasse non est grata, aut gratior creditori; at Deus semper gratius censet maius, & melius bonum, quàm deterius, & minus.

Ad sextum conceditur non posse commutari præceptum ieiunandi in quid melius, nam standum est Legi præscriptæ, quæ vult à nobis ieiunium, & non aliud opus quantumuis melius. Deus verò vult à vouente id, quod promittit; sed si det quid melius promisso prima vice, gratius habet; & ideò propria authoritate id præstari potest.

Ad vltimum dico, quòd sicut non est mendax promittens dare vnum, si det duo, quia in his duobus continetur vnum; ità nec est mendax cum Deo, vouens dare quid bonum vt vnum, si mutet votum in aliquid bonum vt duo.

20 Igitur in præsenti casu, secundùm se loquendo, licitum fuit Dominico dare Ecclesiæ pauperiori calicem, quem vouerat dare Ecclesiæ ditiori, dummodò cætera sint paria, quia cæteris paribus, præstantior est eleemosyna pauperiori data, vt benè dicit Sanchez *in præcept. decal. lib. 4. cap. 49. num. 6.*

21 Quòd si Dominicus cupiat scire, an licitè fecisset mutationem voti, in bonum æquale; respondeo esse duplicem sententiam. Vna dicit, quòd etiam sinè Superioris authoritate, potest quisque suum votum mutare in id, quod certò est bonum æquale: ità quidam iuniores, inter quos videtur esse Medina *in sua instru. confessor. lib. 1. c. 14. §. 7.* & hoc est licitum, quia eò ipso, quòd est æquale, æquè etiam est Deo gratum.

22 Nihilominus verior, & communior opinio est, quòd authoritas Superioris requiratur, & sic tenent Canonistæ, Theologi, & Summistæ. Innocentius, Hostiensis, Ioannes Andreas, Abbas, Imola, Antonius Butrius, Syluester, Angelus, Couarruuias, Caietanus, & alij *locis citatis*.

23 Si deniquè item cupiat scire Dominicus, an posset se solo mutare votum in melius dubiosum; respondeo negatiuè, quia in dubio melior est conditio possidentis, quare cùm Deus ratione voti possideat, est illi soluenda materia

promissa in propria specie, ad quam Deus voto ius comparauit. Ità expresè Caietanus 2. 2. *quæst.* 88. *art.* 12. *paulò post principium, versic. & confirmatur.* Sotus *lib* 7. *de iust. quæst.* 4. *art.* 3. Nauarrus, Couarruuias, Angelus, Angles *concl.* 1. Graffis *num.* 5. *&* 6. & alij.

24 Cùm autem Superior Ecclesiæ D. Antonij de Padua acceptauerit lampadem per votum à Dominico promissam dare eidem Ecclesiæ, oritur dubitatio an potuerit resilire, tamquam quòd per hanc promissionem impediatur mutare votum etiam in melius, supposita acceptatione promissionis; ideò in sequenti Paragrapho breuiter resoluam.

§. II.

*An acceptationes Votorum ab hominibus factæ, impediant posse vouentem votum mutare?*

25 HIc agitur de voto, seu de votis factis in fauorem tertij, supposito quòd difficultatur de ipsis, ratione acceptationis factæ per homines. Dico igitur primò, quòd votum cedens in fauorem tertij, potest commutari in melius, aut dispensari, sed semper cum Prælati authoritate, & sinè consensu illius in cuius fauorem votum factum est, siuè sit Ecclesia, siuè
26 sit pauper. Ratio est, quia cùm huiusmodi vota fiant principaliter Deo, & in eius honorem, obligatio ipsi acquiritur, & ipse est propriè creditor, & Ecclesia, vel Pauper designantur tantùm vt materia, circa quam hic cultus Deo est exhibendus; ergo ad talia vota reuocanda per dispensationem, aut per commutationem, solus Dei, & Prelatorum eius vices gerentium consensus exigitur, sicut in alijs votis in nullius fauorem cedentibus.

27 Confirmatur, quia loco pio non competit ius aliquod compellendi per modum actionis, sed sola vtilis actio implorandi officij iudicis, vt compellat vouentem exequi votum, vt docet Sanchez *in precept. decal. lib.* 4. *cap.* 11. & quoties competit hæc sola actio, non dicitur haberi ius ad rem, per eundem Sanchez; ergo sinè consensu illius, in cuius fauorem votum cedit, potest Prælatus facere commutationem, aut dispensare, & sic tradit Sayrus *in claui regia, lib.* 6. *cap.* 11. *num. vltim.* Suarez *tom.* 2. *de religione, tract. de voto, lib.* 6. *cap.* 15. *à num.* 3. *vsquè ad* 6. Sà *in summa, verb. Votum, vbi de irritatione, num.* 14. Viualdus *candelabr. sacram.* 3. *p. cap.* 14. *num.* 16. Henriquez *lib.* 7. *de Indulgent. cap.* 30. *num.* 5. *in commento littera K. & num.* 6. Angelus *in summ. verb. Votum* 3. *num.* 26. Pisana *eod. verb.* 6. *num.* 3. Syluester *eod. verb.* 4. *q.* 7. *dicto* 4. Armilla *verb. dispensare, num.* 21. Tabiena *verb. dispensatio, quæst.* 12. *num.* 14. *ad fin.* Caietanus, Nauarrus, Palacios, Angles, Graffis, Lud. Lop. Petrus de Ledeima, Leonardus, Manuel, & Azorius, omnes suis locis.

28 Imò contra Syluestrum *vbi suprà*, & Henriquez *lib.* 5. *de pænit. cap.* 20. *num.* 5. *in commento littera S. & lib.* 7. *de Indulgentijs, cap.* 30. *num.* 5. amplianda est prædicta sententia cum Graffis *num.* 11. cum Viualdo, & cum Sayro *vbi supra*, & cum Suarez *eod. lib.* 6. *cap.* 18. *num.* 11. & cum Leonardo *lib.* 2. *de iust. & iur. cap.* 40. *dub.* 11. *num.* 90. ità vt possit quis, qui huiusmodi vota fecit, illa in melius commutare propria sui ipsius authoritate.

29 Et hoc verum est, quando votum esset directum seù in Deum, siuè in talem Ecclesiam, aut in talem pauperem, quamuis aliqui admittant hoc, quando promissio dirigitur in solũ Deum, vt dum dicitur, *promitto Deo;* non autem si promissio dirigatur in talem Ecclesiam; vel pauperem; vt cùm dicitur; *promitto tali Ecclesiæ, aut tali pauperi, &c.* licèt pauper sit absens. Igitur est reijcienda talis dictinctio, & firmiter tenendum est, posse propria authoritate talia vota commutari, quamuis facta in fauorem Ecclesiæ, vel Pauperis, quia ex donatione, aut promissione facta causæ piæ, nullum ius acquiritur, ac proindè illa vota remanent, vt soli Deo facta. Tabiena, & Armilla *locis citatis*, & Lodouicus Lopez 1. *part. instructorij*
30 *conscientiæ, cap.* 49. *vers. penult.* Sed hæc veritatem habent, sistendo in voto facto in fauorem tertij, antequam huiusmet tertij acceptatio accedat, nam de ista est specialiter inquirendum.

31 Igitur si acceptatio accedat, dico iam constringi vouentem ad non posse commutare votum, aut ex sua, aut ex Prælati authoritate, sicut nec potest dispensari sinè consensu illius, cui ius per acceptationem fuit acquisitum. Ratio est, quia licèt ex donatione, aut ex promissione facta causæ piæ, nullum ius acquiratur absolutè, tamen ius irreuocabile acquiritur per acceptationem donationis, seu promissionis; ergo sinè consensu non potest votum huiusmodi commutari, aut dispensari: sic Tabiena, Armilla, & Ludou. Lopez, quos citat Sanchez, qui ità docet *in precept. decal. lib.* 4.
32 *cap.* 41. *num.* 11. Et acceptatio fit à Superiore, vel à Rectore illius Ecclesiæ: idem Sanchez *loc. cit. num.* 16.

33 Si autem vota in commodum tertij facta, non fiunt soli Deo, sed adiungitur quoquè promissio facta illi tertio, & ab eo acceptatur, manifestum est ista vota non subdi ordinariæ Prælatorum potestati dispensandi, aut commutan-
34 di absquè illius tertij consensu. Ratio est, quia transit in contractum, & acquiritur ius illi tertio, quod ipso inuito, remitti nequit. Et in hoc nullus dubitat ex Authoribus supra relatis *sub num.27.*

35 Et notetur, quòd dictum est, *ordinariæ Prælatorum potestati non subdi*, nam extraordinariæ subderentur in duplici euētu; primus est, quando concurreret iusta causa boni communis, vt integrum esset Pontifici cogere priuatum ad cedendum iuri suo, vel illum bonis suis priuare; atquè ità tenet Angelus *verb. Papa. nu. 6.*
36 *& eodem verb.* Syluester *quæst. 13.* & alij. Secundus euentus erit, quando Superior, aut Rector illius Ecclesiæ, cui promissio facta est, haberet potestatem remittendi, aut compositionem faciendi in debitis illius. Armilla *verb. Dispensare, num.21.* Tabiena *verb Dispensatio, q.12.num.14* Ludouicus Lopez *p.1.instructorij conscientiæ c.49. vers. penult.*

37 Quòd si votum fiet Sancto, vt si dicatur promitto D. Francisco, me daturum eius Ecclesiæ lampadem, posset quis dicere, statim à Sancto acceptari, & sic non esse reuocabile; sed reuera tale votum est eiusdem fori, ac vota facta Deo, vndè cadunt sub potestate Prælatorum Vicariorum Dei, vt docet Caietanus *in suis quodlibetis, tom.2. tract.11. qui est de voto, q.3. versic. Nec oportet in huiusmodi votis.* Leonardus *lib.2.de iust. & iur.c.40.dubit.12. num.90.* Suarez *tom.2. de Relig. tract.de voto, lib.6.c.15. num.10.*

38 Ex dictis concludendum sequitur, Dominicum in casu nostro non potuisse sinè consensu Superioris, qui lampadem acceptauerat per votum promissum suæ Ecclesiæ Diui Antonij Patauini, illam mutato voto dare Ecclesiæ pauperiori. Et similiter non potuit à paupere Rosalia auferre viginti scuta per votum promissa eidem, quæ illa acceptauerat; vndè non poterat illa dare per melius votum Rosæ, vtpotè pauperiori. Ratio autem, quare sic Dominicus impediebatur, est acceptatio secuta, quæ facit in causa pia irreuocabile promis-
39 sum, si acceptetur; imò generaliter loquendo semper insurgit obligatio in promittente, per quam tenetur in conscientia dare promissa, quamuis sola interna volitione promiserit, & nulla adhùc extiterit acceptatio, quia probabile est in donationibus, & promissionibus posse transferri dominium per actum interiorem, sicut docent multi, vt Sotus *de iust.lib.4.quæst.5.art.1.ad 1. & lib.7. quæst.2. art.1. ad 1.* Sanchez *de matrim.tom.1.lib.1.disp.3.num.4.* Aragon. *in 2.2.quæst.88. art.3.* Angles *in floribus, part.2.quæst. 1 de voto, art.2. difficult.4.* Ledesma *2.4.quæst.18.art.1.dub.13.*

40 Ex quibus infertur esse restituendam lampadem, & quidquid Rosa habuit à Dominico, qui dedit illa alijs, & non illis, quibus ante per votum promiserat, & iam fuerant acceptata; & si non restituatur primis, quibus promissio facta est, isti habent ius ad compensandum ratione dominij acquisiti per promissionem, & à fortiori etiam per acceptationem, prout in terminis docent Mendozza *lib.1.de pactis. cap.4.num 8.& num.vltim.* Palacius *de contractibus lib. 5. cap.12.* & Antonius Sanctarellus *var.res. part.1. quæst.66 num. 49. & seq.* quam si legeris, non pigebit. Videatur etiam Molina *de iustitia, tom.2.tract.2.disput.266. num.17.*

## §. III.

*An promissio liberalis acceptata, possit reuocari, & non adimpleri, seu vni tertio largiri?*

41 EX adductis in duobus antecedentibus Paragraphis constat quid respondendum sit ad quæsita in isto tertio Paragrapho; nihilominus quia Dominicus vltra promissa ex vi voti, dedit ex liberali promissione nonaginta scuta Rosæ, quæ scuta priùs promiserat Rosaliæ, ideò examinari potest, an saltem promissio liberalis etiam acceptata possit reuocari, & alteri tertio donari. Et id non posse fieri, sed esse peccatum mortale, si sit in re graui, docuit Suarez *relect. de libert. diuina, disput.2. sect. 2. num 22.* Lessius *de iust. & iur.lib.2.cap.18. dub. 8.* & alij. Sed præter Caietanum, Molinam,
42 Rebellum, & alios, docet Ludouicus Maratius Societatis Iesu *in D.Thomam, tom.2.tract. de iust. & iur. disp. 19. sect. 10.* tamquam sententiam probabiliorem, esse solùm peccatum veniale ex suo genere, non adimplere promissionem, vtpote contrá fidelitatem, & non contra iustitiam, quamuis in re graui, modo tamen mox explicando.

43 Si autem alicui videatur, quòd non stare promissis in re graui, sit mendacium grauiter alteri damnosum; respondetur quidē esse quid graue, v. g. nonaginta scuta, sed grauitas damni exorti à violatione promissionis, non mensura-

suratur ex grauitate materiæ promissæ, sed ex grauitate damni, quod sequitur alteri in proprijs ipsius facultatibus ratione promissionis factæ ipsi, & non adimpletæ, sed violatæ. Ita expresè Diana *par.4.tract.4. miscellan.resol.*122. Hinc est, quòd si alicui promittas decem millia scuta, & ille acceptet, sed tu deinde non stes promissis, si nullum sequatur damnum illi, cui promiseras, excepto damno priuationis prædictorum scutorum, peccasti venialiter in fidelitate, ac in mendacio nemini damnoso.

44 Iam ergo discat Dominicus in casu nostro, quid licitè, vel illicitè fecerit. Quantùm ad nonaginta scuta promissa Rosaliæ, sed translata, & data Rosæ, non peccauit nisi venialiter, nec ad aliquam tenetur restitutionem, supposito quòd damni in rebus proximi non fuerit causa, quamuis Rosalia non possit nubere, quia promissa non recepit. Quantùm ad viginti scuta item Rosaliæ, sed cum voto promissa, ratione ipsius paupertatis, & postea non obstante Rosaliæ acceptatione, translata, & data per votum Rosæ pauperiori; quod idem est de lampade data Ecclesiæ pauperiori contra votum, & promissionem dandi illam alteri Ecclesiæ, cuius Superior promissionem acceptauerat; dico, quòd cùm extet votum, extat & obligatio sub peccato graui adimplendi illud; & cùm tale votum sit promissio facta loco, vt personæ piæ, cuius acceptatio eiusdem promissionis item extat, non est ampliùs in libertate vouentis, personæ, aut loco pauperioribus per voti commutationem se obligare, tum nec propria sui, tum nec Superioris authoritate, sinè consensu eorum, qui illum queant præstare, vt patet ex supradictis.

45 Votum igitur secundum, in quod Dominicus commutauit primum, non valet, quia non fuit de meliori bono, sed de re mala, cùm fuerit de auferenda re ab Ecclesia, & à Paupere, quæ Ecclesia, & quæ virgo pauper dominium habebant in eandem rem, de qua priuari sinè eorum consensu, & non nisi iniustè poterant.

46 Vltimò si petatur disparitas, quare promissio liberalis acceptata non sit sub obligatione iuxta prædicta, circa illa nonaginta scuta liberaliter promissa à Dominico; & tamen sit irreuocabilis promissio per votum, si fuit acceptata? Dico: quòd in promissione liberali, promittens non se obligat dare; ac propterea perinde est, quòd alter acceptet, nec huius acceptatio acquirit ius ad habendum. At promissio per votum, obligat ad dandum; & sic, acceptatio illius obligationis acquirit dominium, quod ratione obligationis transfertur in eum, cui obligatio facta est; & inde patet potuisse Dominicum dare Rosæ nonaginta scuta, prius liberaliter promissa Rosaliæ; non tamen poterat votum mutare in peius, sicuti fuit factum, vouendo dare alteri id, in quod iam alij habent dominium, nisi horum consensus consequutus esset, quod non currit, nec est consequutus in casu nostro præsenti.

47 Pro concordia tamen litigantium in hoc facto, iudico spectare ad Iudicem Ecclesiasticum, cogere Rosam vt det Rosaliæ viginti scuta cum voto ei promissa à Dominico, & acceptata; & quòd item Ecclesiæ D. Antonij Patauini, cui lampadem dare idem Dominicus vouerat primo loco, sit eadem lampas restituenda, quam Superior dictæ Ecclesiæ acceptauerat. Hæc sint satis.

---

# DECISIO XXXIX.

***An ad restitutionem teneatur, qui sinè intentione quòd fur faceret furtum dixit ei: si nunc rem illam accipis, nemo sciet.***

## Casus, seu Historia XXXIX.

### SVMMARIVM.

1 *Casus proponitur.*
2 *Animans non tenetur restituere.*
3 *Qualis sit noster casus.*
4 *Consulens sequuturum furtum ad nihil tenetur.*
5 *Quid si auferat timorem à fure.*
6 *Quando influatur in damnum.*
7. 8 *Assecurare furem, causat damnum.*
9 *Causa moralis fit ab homine.*
10. 11. 12 *Restitui an debeat in certis casibus.*
13. 14. 15 *Conditio* sinè qua, *est vera causa.*
16 *Sic* Remouens prohibens.
17. 18 *Qui teneantur de damno, maximè stante propositione damnata.*

1 DIscessurus erat à Roma Satyrus, eundi causa Catanam in Sicilia, vbi per annum commorari volebat, quo elapso intendebat se ad Indos conferre, prout fecit; sed quia antequam ab ea Vrbe discederet, notificauerat Carolo, se ignorare an alicui periculo se exponeret, si furetur equum Ambrosij, respondit ei Carolus: ego non dico tibi vt furtum fa-

facias, sed tantùm dico, certum esse te nihil esse passurum, imò & neminem vnquam cognosciturum, equum illum fuisse à te ablatum. Igitur Satyrus depòsuit timorem, nec ampliùs timorosè anceps, furatus est equum, arripuit iter, nec ampliùs comparet quinquè iam elapsis annis. Nunc Carolus quærit, an ad soluendum equum Domino teneatur ipse.

2 Responderat quidā huic dubio dicens Carolum non teneri, cùm aliud non fecerit, nec influxum aliquem in hoc furtum præstiterit, præterquam quòd animum Satyri roborauit, vt animosè tolleret equum, & qui est causa vt animosiùs furtum fiat ad restituendum non tenetur, quia ex animo, quem Carolus dat Satyro non sequitur fùrtum tamquam ex causa, sed dumtaxat se habet vt quid concomitans furtum, quòd cum animo fiat, sicut loquitur Petrus Nauarr. *lib. 3. cap. 4. num.* 48. cum alijs quibusdam, qui putant posse sic explicari sententiam quorundam Doctorum excusantium à restitutione eum, qui consilio, laude, mandato, inuitat ad furtum aliquem paratissimum iam illud facere; & hæc notantur à Lessio *de iust. & iur. lib. 2. cap. 13. dub. 2. num. 4. & 5.* Vnde cùm non teneatur restituere quisquis non est causa damni; ità Carolus, &c.

3 Sed quidquid sit de veritate subsistētiæ huius responsionis, dico illam non esse ad rem propositam, cùm non agatur de paratissimo ad furandum, sed agitur de ambigente an futurum sit, quòd sciatur fuisse ipsum Satyrum, qui furtum fecit, casu quo ipse Satyrus equum illum furetur. Omnes communiter conueniunt, neminem teneri ad restitutionem, quando alicui paratissimo furtum facere additur animus, vel ad citiùs faciendum inducitur; & ratio est, quia sic nullus influxus habetur in damnum proximo secutum, nec potest dici causa damni ille, qui iam parato damnum inferre, cooperaretur ad citiùs illud inferendum, atquè cum animo firmiori. Ergo in hoc sensu benè respondit Carolo ille, qui dixit non teneri restituere pro Satyro, qui paratissimus furari, excitatus fuit ab ipso Carolo ad furandum tutiori animo.

4 Certum est ergo, neminem habere obligationem restituendi ratione damni proximo illati ab eo, cui datur consilium, si adhuc sinè cooperatione dantis consilium, damnificatio data fuisset, quamuis non eodem modo, vel eodem tempore, sicut docet Gabriel *in 4. dist. 15. q. 2. art. 3. dub. 2.* D. Antoninus *p. 2. c. 1. tit. 12. §. 12.* Syluester *verb. Rest. 3. q. 6. §. 3.* vbi dicit hanc sententiam esse communem, & sic pro ea sunt Paludanus, Richardus, Adrianus, & Nauarrus. Nihil igitur refert, quòd Carolus augeat animum Satyri ad furtum faciendum, vt per hoc intelligatur obligatus restituere, non restituente Satyro, si Satyrus facturus erat furtum etiā sinè Carolo; dicit namq; D. Tho. *in 4. dist. 15. q. 1. art. 5. ad 3. quæstiuncul. 3.* duo requiri vt consulens teneatur ad restitutionem, nempe, vt probabiliter credat, consilium suum fuisse efficax, & quod sinè eo commissa non fuisset ablatio iniusta.

5 Nunc veniendo ad casum nostrum, qui est de Satyro nullatenus parato furari equum, sed tantùm cogitante, an casu quo equum illum furetur, ipse fur maneret occultus; quapropter dicente Carolo ei, certè occultus manebis, casu quo furtum equi cōmittas, ipse equum furatus est. Et videtur absolutè respondendum esse, teneri Carolum restituere, si Satyrus ad Indos perrectus, ampliùs non comparet. Probatur primò ex D. Thoma *loc. cit.* tunc tenetur quis restituere ratione cooperationis in damnum proximi, quando probabiliter creditur consilium datum, fuisse efficax ad damnum inferendum; sed dicere, quòd nemo sciet furtum, illi, qui ambigit num publicabitur si furetur, probabiliter influit sufficienter, & efficaciter ad inferendum damnum, quod per depositionem ambiguitatis ambigens infert alteri; ergo non restituente fure, tenetur restituere Carolus, qui illum animauit.

6 Secundò probatur authoritate Doctorum dicentium, illum socium, & complicem esse verè causam damni, seu acceptionis iniustæ, qui aliquo influxu, & concursu suo moraliter concurrit, & confert ad eum effectum, quo proximo nocetur, siuè damnum illud fuisset aliàs sinè illo socio illatum, siuè non. Sic Caietanus *in 2. 2. q. 62. art. 7.* Ioa. Medina, *C. de reb. restit. q. 7.* Sotus *lib. 4 de iust. q. 7. art. 3* Mart. Ledes. 2. 4. *q. 17. art. 3.* Couaruuias *in reb. peccat. de reg. lib 6. p. 2. §. 12. num. 2.* Petrus Nauarr. *lib. 3. de restitut. c. 4. p. 1. num. 10.* Mich. Salon *in 2. 2. q. 67. art. 7. controuersia 1.* Gregorius de Valentia *in 2. 2. disp. 5. q. 6. punct. 3.* Cùm ergo censendùm sit, quòd Carolus fuerit socius Satyri in damno ferendo alteri, ratione concursus moralis præstiti, dicendo hæsitanti, an discooperiatur vt fur, si furetur, non discooperieris pro certo; hinc attendendum non est, an Satyrus illaturus esset damnum, nec ne, sed ad istum moralem influxum, qui animum dedit, probabiliter discurrendo, vt ex vi assecuratio-

nis

nis prolatæ à Carolo de secreto, Satyrus impelleretur ad equum furandum, quem furari non erat adhuc paratus ob metum ne publicaretur.

7 Confirmatur; nam sinè assecuratione prolata à Carolo Satyrus non furabatur, ergo assecuratio Caroli se habuit ad furtum Satyri vt causa sinè qua non; nempe sinè qua Satyrus non determinabatur ad furandum; sed per Philosophos, & Theologos, quamuis causa sinè qua non, non sit propriè, & verè causa alicuius actionis, siuè effectus, maximè in moralibus, tamen concurrit, & aliquid efficit, & influit in effectum, vt apparet in approximatione ignis, quæ non est propriæ causa combustionis domus, etsi sinè illa domus non esset combusta: ergo etiam aliquid efficit, & influit in damnum illa assecuratio Caroli, sinè qua non damnificasset Satyrus Ambrosium per furtum equui, ergo Satyro non restituente, tenebitur Carolus restituere, cùm in damnum sufficienter iniustè influxerit.

8 Confirmatur, nam ex communi omnium consensu, tenentur ad restitutionem omnes illi, qui sunt causa efficax damni; sed ille est causa efficax damni, sinè quo iniusta illa acceptio, & damnum non fierent, quod genus causæ à Philosophis dicitur causa sinè qua non; & sic declarant causam efficacem damni, Innocentius *in c. sicut dignum, de hom.* & Hostiensis *ibidem*. Altisiodorensis *lib. 4. sum. in tract. de sacram. pœniten. c. de Restit. q. 3.* Richardus 4. *dist. 15. art. 5. q. 4.* Scotus 4. *dist. 15. q. 2. art. 3. dub. 2.* Syluester *verb. Restitutio 3. q. 6. §. Tertium.* Adrianus *in 4. in materia de restitutione, in princ. §. iam dicam*; & fauet Paludan. 4. *dist. 15. q. 2. art. 3.* Nauar. *in manual. cap. 17. num. 20.* & Petr. de Arragon. *in 2. 2. q. 62. art. 7. in princ.* ergo cùm sinè Carolo assecurante fore secretum furem equui, equus non fuisset furatus à Satyro, qui equum non furabatur præ timore ne comprehenderetur in furto, Carolus tenetur restituere tamquam causa efficax damni, vtpote qui assecurando Satyrum, fuit causa sinè qua non fuisset furatus equus à Satyro.

9 Et notandum est, quòd aliter se habeat in ordine ad effectum causandum causa Physica, ac causa Moralis; nam illa sic influit in effectum, vt in eius productione concurrat, quasi Mater, quæ in se talem effectum priùs præcontinebat, vnde causæ Physicæ non fabricantur ad arbitrium hominum, sed potius iam sunt effectæ ab ipsa natura. Verùm causa efficax moralis, facilè formatur à malitia hominum, ita vt sufficiat, quòd ponatur aliquid potens morali efficacia producere effectum; & huiusmodi efficaciæ clarè dignoscitur quòd sit assecuratio à Carolo facta Satyro ambigenti, an si furetur erit securus, & dicat ei Carolus in hac Satyri ambiguitate, certum esse, neminem fore furtum hoc cognosciturum; Ergo cùm in tali Satyri circumstantia verificetur, quòd sinè Caroli assecuratione furtum non sequitur; sicut sequitur posita tali assecuratione; dicendum est Carolum assecurantem esse causam efficacem influentem in damnum, quod Satyrus infert Ambrosio, proinde non restituente Satyro, restituere debet ipse Carolus.

10 Et contra Carolum stat id, quod Sayrus *claui. regi. lib. 10. tract. 2. cap. 6. num. 7.* dicit his verbis: *Si Petrus erat determinatus aliquid rapere, etiamsi meus assensus non accederet, & tamen ego illi assensum prabeo, seu consulo, exhortor, aut iubeo, ità vt faciat, vndè ille animum suum amplius firmat, & ob meum consilium, quod proposuerat, exequitur; iam ego teneor restituere, ex quo fur ille meo assensu, seù consilio motus fuit ad furtum committendum, quia licèt ille furtum illud alioqui commissurus fuisset, magis tamen ex meo assensu motus fuit, vndè ad illud concurro tamquam causa illius, & causa motiua sum illius rapinæ*: hucusque Sayrus, qui si ideò dicit teneri restituere illum, qui est causa, seu facit, vt magis moueatur ad furtum faciendum ille, qui alioqui furtum facturus erat; à fortiori tenebitur ille, qui facit, vt ambigens præ timore non furans, moueatur ad tutiùs furandum; & hoc fit à Carolo assecurante Satyrum in statu ancipiti, an detegetur, si furetur equum, & dicente eidem Satyro non determinato ad furandum, secretum semper iri furtum equui, si furtum istud committat.

11 Scio toties oriri commoditates furandi tam euidentes, vt inter homines timoratos aliquando dicatur: en quàm facilè, & sinè periculo posset res ista furari, in quo casu si Diabolus mittat in cor vnius ex ijsdem hominibus, vt furtum faciat, sicut & de facto facit, tunc non tenetur ad restitutionem ille, qui dixerat, posse faciliter, & sinè periculo furtum committi; & ratio est, quia per accidens, & non per receptum influxum à tali dicto, sequitur furtum.

12 At secus fit in casu simili nostro, cùm huiusmodi dictum, & assecuratio pronuncietur alicui, qui est in statu actuali dubitationis an furari debeat, & si furatur, an publicabitur; vndè cùm Carolus nouerit hunc statum Satyri, & nihi-

nihilominus illum certificet fore secretum, apertè concurrit ad furtum, velut remouendo impedimentum, & ministrando requisitum hìc, & nunc in Satyro ad furandum; ergo in genere moris præbet Carolus influxum moralem in damnum proximo illatum, ex quo influxu oritur restituendi obligatio.

13 Nec valet dicere, quòd illa Caroli assecuratio fore secretum Satyri furtum, fuerit solùm velut conditio sinè qua non Satyrus furatus fuisset; sed conditio sinè qua non, non influit in effectum, vt supra dicebatur de approximatione ignis; ergo non tenebitur ad restitutionem Carolus, quamuis ponat talem conditionem sinè qua non. Respondeo enim, quòd in moralibus fieri potest, vt id, quod ex se est conditio sinè qua non, euadat ratione circumstantiarum causa influens in effectum. Ratio est, quia id, quod respectu vnius non est causa mali, respectu alterius causat malum ratione circumstantiarum, quæ statum rei habent mu-

14 tare. Exemplum huius veritatis desumitur ex *lib. 3. Reg. cap. 1. v. 2.* vbi dicitur, quòd serui Dauid regis, qui senuerat, quæsierunt Domino suo Abisag sunamitidem speciosam, vt dormiret in sinu Regis, & calefaceret eum, sed rex non cognouit eam; ecce in isto casu Virgo ista non fuit causa mali respectu Regis, cum quo dormiebat, quia nec Virgo inspiciebat ad peccatum; nec Rex ob malum, vel cum periculo mali illam admisit. Si autem hæc eadem Virgo quæsita fuisset, vt dormiret cum iuuene Veneri dedito, certè illa fuisset causa mali, seu

15 peccati respectu illius iuuenis. Sic & aliquando id, quod respectu vnius non causat malum, vt si dicatur viro timorato, in tali & tali occasione commodum esset furari mille scuta, quia respectu boni viri talis propositio non influit, aut animat ad malum; tamen respectu alterius animo pendentis, an si furetur, id scient alij, & ob istum timorem non facit furtum; certè propositio Caroli assecurantis illum, quòd si furetur nemo sciet, causa erit, vt non ampliùs sit animi pendentis, sed se se animet ad furandum; ergo cum simus in moralibus, manifestè constat esse dicendum causam moralem, seu moraliter influentem in furtum Satyri esse Carolũ assecurantem, vt præfertur; ac consequenter non restituente Satyro, teneri restituere Carolum, mihi videtur non dubium.

16 Tandem ducor & alia ratione ad pronunciandum Carolum esse obligatum, & illa est, quòd quamuis in Physicis *remouens prohibens*, non sit causa vt quis operetur, ablato, seu remoto eo, quod prohibebat operari; attamen in moralibus *remouens prohibens*, ne quis damnum alteri inferat, quod non inferebat *prohibens* à timore; *remouens* talem timorem, est causa damni, quod postea infertur proximo, ab illo, qui antea prohibebatur à timore; sed Carolus in nostro casu fuit *remouens prohibens* iuxta prædicta; ergo & vt damni secuti causa, tenetur restituere.

17 Confirmo hoc ex opinione Sayri *in claui regia, lib. 10. tract. 2. cap. 6 num. 3.* vbi sic loquitur: *Quando damnum illatum est ab aliquo, quod tamen sinè illo adiutore & socio factum nõ fuisset, tunc vterquè ad restitutionẽ totius damni obligatur, & hoc etiamsi socius, & adiutor nihil de re illa accepisset. Ratio est, quia vterquè verè totum illud damnum intulit, vnus quidem tamquam causa præcipua, alter verò tamquam causa, sinè qua totum illud damnum non fuisset illatum:* ità Sayrus ex opinione Syluestri. Notetur totum hoc, & maximè illa verba: *alter verò tamquam causa, sinè qua totum illud damnum non fuisset illatum*; ex quibus verbis clarè constat, huiusmodi causam fuisse Carolum, sinè quo Satyrus non inferebat damnum; vndè cùm Carolus se habuerit in hoc vt *remouens prohibens*, sinè quo remouente damnum non inferebatur; signum est, quòd in moralibus *remouens* v.g. timorem, qui erat *prohibens*, ne damnum inferatur, habet rationem causæ, sinè qua totum illud damnum non fuisset illatum, & hæc causa trahit restituendi obligationem.

18 Igitur Carolus in nostro casu, iudicandus est in culpa contra iustitiam, pro damno illato Ambrosio à Satyro, qui cùm ampliùs non compareat, & equus sit restituendus, debet ipse Carolus satisfacere Ambrosio vt Domino equi; & id magis conuincitur ex 39. Propositione inter damnatas ab Innocentio Vndecimo, quæ dicit: *Qui alium mouet, aut inducit ad inferendum graue damnum tertio, non tenetur ad restitutionem illius damni illati.* Dixi *id magis conuincitur* ex huius propositionis damnatione, quia quamuis damnatio illius teneat propter sensum generalem, quem vt iacet importat, cùm generatim doceat non teneri ad restitutionem, qui ad damnum inferendum tertio mouet, vel inducit alium siuè efficaciter, siuè inefficaciter; tamen certissimum, & commune apud Doctores est, quòd mouens, vel inducens efficaciter, tenetur restituere, nisi restituat, qui fuit motus, vel inductus; & oppositum asserere, vt verè scandalosum cadit

X sub-

sub damnatione. Quòd si agamus de mouente, vel inducente inefficaciter, de hoc liberum est disputare inter Doctores, an teneatur ad restitutionem grauis damni illati. Cùm igitur suprà ostensum sit, Carolum efficaciter induxisse ad damnum graue inferendum tertio; per consequens est omninò dicendum, quòd restituere teneatur, si fur inductus non restituat.

# DECISIO XL.

*An Spurius in Hospitali educatus, tamquam filius pauperum, cùm de facto essent diuites, teneatur hæreditatem renunciare, & Hospitali expensas restituere, seque Spurium publicare?*

## Casus, seu Historia XL.

### SVMMARIVM.

1 *Casus proponitur.*
2. 3 *Pater non potest dare Spurio.*
4 *vsquè ad 9 Spurij quomodo vocentur filij, & coniungantur ascendentibus.*
10 *Spurius non est hæres patris, & cur.*
11 *Sola alimenta debet pater Spurio.*
12 *Non fit de Spurio matris.*
13 *Quali substitutione sit incapax Spurius.*
14 *Est capax pupillaris substitutionis.*
15. 16 *Hæres confidentialis nihil debet Spurio.*
17. 18 *An Spurius succedat patri.*
19. 20 *Quomodo Fiscus tollat à Spurio.*
21. 22 *Consensus legitimorum non iuuat, vt Spurius succedat patri.*
23 *Sinè causa non licet filios exponere.*
24 *Quæ causa erit iusta.*
25 *Et sinè illa est lethale, & restituendum.*
26. 27 *Probatur.*
28 *vsquè ad 32 Quando sit restituendum hospitali.*
33. 34 *Parentes in periculo infamiæ sunt egeni.*
35. 36 *An semper sit restituendum hospitali.*
37 *Hæredes patris possunt teneri.*
38 *Spurius non est hæres.*
39 *Alimenta, quæ sint.*
40 *Vndè assignanda.*
41. 42 *An Spurius præscribat.*
43 *vsquè ad 46 An quis debeat se Spurium reputare.*
47 *Expositi quando reputentur legitimi.*
48. 49. 50 *An illegitimus credat matri.*
51 *Quid de dubiosè Spurijs.*
52. 53. 54 *Quid in casu nostro.*

1 Polidorus cùm filium spurium suscepisset, eum secretò nutriendum tradidit Hospitali. Elapsis annis circiter triginta, vocauit Polidorus filium ipsum, & ei notificauit, eum filium ipsius esse, atquè vt filium volens illum habere, volebat, quòd secum in posterum cohabitaret, maximè quia in extraneam regionem ire parabat, vbi ignoti omnibus, nemo erat suspicaturus, quin simul essent verus Pater, & verus Filius. Insuper Polidorus cùm omnes facultates suas in gemmas, & lapides pretiosos commutasset, secum omnia tulit, multasque congregauit diuitias, aurificis artem exercens. Decessit Pater relicto per testamentum hærede eodem Filio spurio, ab omnibus tamen credito legitimo, & naturali. Tandem reuersus ad patrium cælum Filius iste, atquè factus certus de propria natiuitate, educatione, necnon & incapacitate hæreditandi, quæsiuit, an hæreditatem teneretur dimittere; atquè Hospitali expensas restituere, seque Spurium esse publicare?

2 Factum istud vt audiui non parùm obstupui, & pro solutione ipsius, dicendum esse censui, quòd Spurius non potest aliquid à patre capere, siuè ex testamento, siuè ab intestato, siuè ex contractu inter viuos. Ità Couarruuias *de matrim. p. 2. c. 8. §. 5. nu. 5.* & Clarus *quæst. 31. de testam.* patet *Authen. Licet, C. de naturalibus li-*
3 *beris*. Et si pater eum instituat hæredem, non valet institutio, etiamsi vtatur cautela, eum non nominando filium. Castr. *cons. 115. num. 2. ver. super tertio, lib. 1.*

4 Et sic ex iure ciuili, & positiuo Spurij, & descendentes ab eis non dicuntur aliquo agnationis, aut cognationis vinculo iuncti suis ascẽdentibus, neque inter eos cadunt nomina gradum significantia. *Authent. ex complexu. C. de incest. nupt. l. final. vbi glos. in vers. consequentia,*
5 *C. de naturalibus liber.* Vndè nihil facit, quòd ex parte naturæ nihil differre videantur Spurij à
6 legitimis per *text. in §. si quis sanè*; cùm natura sit omnibus æquè mater communis. *l. hos accusare 12. §. fin. ff. de accusat.* Et ideò inspecta
7 natura filius illegitimus dicitur filius, quia hæc nomina filiorum, patrum, matrum, & similia sunt nomina naturæ. *l. tutelas 7. in princ.*
8 *ff. de capit. diminut.* quæ æquè conueniunt legitimis, & illegitimis. Baldus *cons. 141. num. 3. vol. 5.* Angel. *cons. 366. num. 2.* Decian. *cons. 3. num. 8. vol. 1.* inferentes ob id in dispositioni-

bus

bus per hæc verba naturalitatis concepta non minùs comprehendi spurios, ac legitimos.

9 Sed quod erat ordinis naturæ, lex superueniens meritò dispofuit, ne Spurij possent à patre hæredes institui, velut indigni omni commodo bonorum paternorum. *authen. ex complexu.C.*
10 *de incest.nupt.* & hoc ea ratione, vt homines inuitentur ad matrimonium propter materiam peccandi. Feder. de Sen. *cons.* 178. *num.* 2. *vers. motiuum*, & Baldus *cons.* 267.

11 Si ergo pater per testamentum aliquid relinquit Spurio præter alimenta, nihil per hoc iuris illi acquiritur, vt docet Couarruuias *loc. cit. num.* 11. nam ipse per leges factus est inca-
12 pax. Aduertendum tamen est, hìc intelligi de spurio patris, nam si vxor habeat spurium, is est marito instar extranei, vndè lex de isto non loquitur, quare maritus, seu pater putatiuus potest illi relinquere sicut extraneo.

13 Et adeò eò instanter reijcitur Spurius à lege, ne possit hæreditare à patre, vt neque à patre possit substitui, nec vulgari, nec fideicommissaria substitutione: Couaruuias *loc.cit. num.* 7. & hoc quia perinde est, quòd Spurius capiat à patre immediatè, aut ab alio ex ordinatione
14 patris. Potest tamen substitui substitutione pupillari, quæ est, quando aliquis proli impuberi in sua potestate constitutæ aliquem substituit, cùm enim nemo ante pubertatem possit condere testamentum, iura concesserunt, vt pater impuberis loco illius possit quodãmodo testari in suo testamento, directè substituendo ei hæredem, si ante pubertatem decesserit; & hìc erit in arbitrio patris substituere spurium, quia tunc spurius non hæreditaret bona vt patris, sed vt sunt pupilli fratris spurij, qui fratri succedere potest, vt notat idem Couarruuias *num.* 6. & §. *igitur. Instit. de pupill. substit.* dicitur: *In pupillari substitutione, duo quodammodò sunt testamenta, alterum patris, alterum filij, tamquam si ipse filius sibi hæredem instituisset.*

15 Nec cautela sufficiens esset, ad faciendum vt Spurius habeat hæreditatem, si pater institueret hæredem aliquem, quem rogaret, vt Spurio hæreditatem restituat, & ille promitteret restituere; nam iste non tenetur stare promissis, quia promissio fuit nulla, cùm sit contra legem; & sic potest sibi tamquam hæredi, hæreditatem applicare, non minùs ac vt verus hæres à testatore institutus; & conditio, aut grauamen illud appositum, cùm sit
16 contra legem habetur pro non apposito in vltimis voluntatibus, prout constat ex *l. impossibilis* 7. *ff. de verb.oblig.* & vide Gomezium *tom.* 1. *cap.* 12. *num.* 67.

17 In casu verò, quo alter non esset, qui succederet patri Spurij, neque adhuc valet quòd ipse sit à patre institutus hæres, sed à Spurio tollitur, & datur fisco. Federic. de Sen. *cons.* 276. *in fin. vers. prætereà non est dubium*: dum-
18 modò non dentur alij, quibus hæreditas contingat, iuxta Bartolum *cons.* 118. & Oduccium *in fin. lib.* 1. & totum hoc ideò est, quia totali-
19 ter odiosi habentur Spurij. Hinc alij sentiunt, quòd à Spurio non tollatur, & detur fisco, qui fiscus non succedat, neque auferat tamquam ab indigno: Alex. *cons.* 74. *num.* 6. *lib.* 3. & alij; sed succedunt venientes ab intestato: idem Alex. *cons.* 206. *Perspectis. lib.* 6. *per totum*.

20 Et Clarus §. *testamentum*, *quæst.* 3. *num.* 3. declarat, quòd fiscus non aufert, quando publicè fit institutio de spurio, secus si occultè instituendo eum, qui fidem accommodat.

21 Imò nec consentientibus filijs legitimis, & naturalibus, potest pater aliquid legare spurio extra alimẽta necessaria, & si fiat contrarium, aufertur, & fisco applicatur. Crauet. *cons.* 200. *in princip. ver. non obstat si dicatur*.

22 Conclusio dictorum sit, non potuisse Polidorum instituere hæredem filium spurium, qui filius non habet refugium, quo vtatur ad validandum patris testamentum in sui fauorem factum, ita vt possit sibi legata retinere; vndè quidquid ei pater legauit vltra alimenta, tenetur in conscientia restituere legitimis hæredibus, quicunque isti sint, vt frater, soror, fiscus, &c. Ergo filius Polidori vt in præsenti casu, tenetur hæreditatem restituere, cùm sit Spurius, & de Spurio hucusquè actum sit, excluso omni alio titulo, aut circumstantia; qualis est principalior, quòd nemo scit eum esse Spurium, & ipsemet hoc nesciat, nisi à patre; propterea vlteriùs progrediar.

23 Et primò examinandum venit, an dato, quòd sit patris verus hæres, teneatur restituere impensas factas ab Hospitali, in quo ipse Spurius fuit educatus, & (vt à patre diuite intellexit) pater illum tradidit Hospitali, ne peccatum publicaretur, sicque pater infamiam simul cum matre consequeretur; tamen pro expensis nihil vnquam subministrauit, vndè Filius dubitat teneri dare Hospitali expensas, tamquam debitum sibi vt hæredi relictum à patre. Respondeo primò, quòd sententia communis Doctorum docet, parentes diuites, si propter aliquam iustam causam exponant filios hospitali, teneri restituere expensas in eorum nutritione:

ne: ità Homobonus *de exam. Eccl. part. 2. tract. 10. cap. 4. quæst. 14.* Bellochius *in praxi moral. Theol. part. 2. quæst. 7. num. 25.* & dicitur, si propter iustam causam exponant, quia sinè ista non licet parentibus diuitibus filios illegitimos exponere hospitali.

24 Iusta autem causa est, si parentes non alunt huiusmodi filios, vt peccatum suum celent, vel vt honorem, famam, ac decus suum tueantur; & sic data iusta causa non erit peccatum filios exponi à parentibus diuitibus, sed
25 sumptus resarcire tenentur. E contra verò, & deficiente iusta causa, si filius ali potest à parentibus, & absquè vllo dedecore, tunc & peccatum est eum ad hospitalem domum nutriendum exponere; & si exposuerint, omnes impensas restituere debent.

26 Ratio quare peccent exponentes sinè iusta causa, colligitur ex *l. necare. ff. de liberis agnoscendis*, vbi dicitur: *Necare videtur, non tantùm is, qui partum præfocat, sed & is qui abijcit, & alimenta denegat, & is qui publicis locis misericordiæ causa ædificatis exponit, quam ipse non habet*; vbi Glossa dicit, huiusmodi esse illos, qui in hospitali domo, aut in foribus ædis sacræ exponunt.

27 Eos quoquè debere impensas restituere, deducitur ex *l. 1. C. de infantibus exposit. & capitulo primo de infantib. exposit.* Insuper hæc obligatio restitutionis ostenditur ratione; nam quantum consumitur à non pauperibus, tantum indigentibus adimi necesse erit: vndè & in plerisque locis conspicimus, adeò augeri numerum expositorum, vt multos ipsorum fame, atquè egestate, præmatura morte absorberi contingat; ità sensit Caietanus *in sum. verb. adulter. in fin.* apud Naldum *in sum. verb. Hos-*
28 *pitale, num. 6.* vbi docet, quòd exponens Hospitali filium suum naturalem, tenetur ei alimenta præstare, si sit diues, & hospitale non sit institutum ad excipiendos omnes indistinctè, sed tantùm eos, quorum parentes præ pudore, vel paupertate eos alere non possunt, prout communiter in illorum institutione contingit.

29 Et quòd diuites peccent, & teneantur de expensis, si filios sinè causa exponant hospitali, probatur à praxi, quæ ponit excommunicationem ijs, qui filios suos illegitimos exponunt ibi alendos, cùm ipsi possent aut per se, aut per alios. Si ergo excommunicatione puniuntur, signum est adesse peccatum, sinè quo excommunicatio non subsistit; & obligatio restitutionis etiamsi peccatum non adsit, vt fit, quando iusta de causa exponuntur, excepta causa paupertatis, semper currit, cùm locus pius libenter acceptet nutriendos filios naturales diuitum, sed cum tacito, aut cum implicito pacto restituendi sumptus.

30 Si autem petatur, an obligatio restituendi, quam habent parentes diuites, si ad aliquod Hospitale exponunt filios suos naturales ad tempus, vt alantur ibi, ad euitandam infamiam, quia res est occulta, sit obligatio de rigore iustitiæ? respondet Lessius *lib. 2. cap. 19. dubit. 6. num. 69.* non teneri de rigore iustitiæ, sed ex decentia, & gratitudine, dummodò Hospitale pro solis pauperibus non sit institutum, quia in hoc casu curreret obligatio ex iustitia.

31 Sed quid in hoc sentiam, si debeo dicere, puto eximendum etiam ab obligatione decentiæ, aut gratitudinis parentem diuitem, qui exponit illegitimum suum ad Hospitale destinatum, indistinctè pro cunctis; etenim si est locus pro omnibus, est etiam pro diuitibus; ergo nemini obligatur nec ex gratitudine, nisi fundatori; dummodò aliud non concurrat, vt si locus esset summopere grauatus, & tunc ex conuenientia, aut ex decentia, aut etiam ex gratitudine debet, vt diues, aliquid subministrare, aut in toto, aut in parte, prout maluerit, cùm nulla pactio hìc intercedat, sed libera remuneratio, aut libera subministratio pro expensis.

32 Verior tamen regula generalis ad cognoscẽdum, an expensæ pro filijs naturalibus expositis Hospitali sint restituendæ à parentibus diuitibus est, si Hospitale fundatum sit pro omnibus indifferenter, aut solùm pro egenis, & pauperibus. Si Hospitale factum sit pro quibuscunque, tunc etiam diuites comprehenduntur, eisque licebit sinè aliqua obligatione filios suos ibi exponere: secus dicendum erit, si Hospitale sit factum pro egenis.

33 Et quamuis Hospitale sit erectum pro solis indigentibus, attamen quia in periculo infamiæ intelliguntur de numero egenorum etiam diuites indigentes celare peccatum suum, nec sciunt qua via id consequantur, nisi filios illegitimos suos exponant Hospitali, ideò poterunt in tali statu indigentiæ sinè peccato filios tradare Hospitali, dummodò expensas resarciant.

34 Et si fiat argumentum ad probandum non teneri ad expensas parentes, si quamuis diuites dent Hospitali suos filios naturales alendos, quamuis peccent dando sinè causa, & dicatur, quòd Hospitale eos recipit, ac motiuo Misericordiæ alit, tituloque pietatis non excludit; sed quod datur titulo pietatis non repetitur. *c. Sa-*

*cro-*

*crorum duodecim. quæstione secunda*; respondetur, id locum habere, quando parentes sunt pauperes, ad quorum filios naturales alendos domus Hospitalis est fundata; vnde diuites excluduntur, & expensas dare debent, si filios suos naturales ibi faciant asportari; ità Azorius *instit. moral. p. 2. cap. 5. q. 7. post medium*.

35 Deniquè, iudicio meo non est omnino recedendum à sententia ista dicente, diuites teneri expensas Hospitali restituere, si fortè ibi filium suum naturalem fecerint educare; nam inter Doctores de hac materia agẽtes inuenio vnum Rodericum Acugna, qui *in decretum Gratiani, par. 1. dist. 87. cap. 9. num. 13.* videtur contrarium docere, sed in facto nobiscum sentit. Quęrit igitur, loco citato, an parentes expositorum, si sint diuites, teneantur in conscientia ad sumptus nutritionis Hospitali restituendos? & respondet [ non teneri veriùs videtur, cùm Hospitalia sint instituta pro præsentibus necessitatibus, absquè vllo onere miserorum; & expositi quantumuis eorum parentes sint diuites, præsente necessitate vrgente exponuntur, & ità nihil teneantur, postquam fuęrint sui iuris hospitalibus restituere. Accedit quòd peregrini spoliati à latronibus, & similiter ægrotantes, quamuis in sua patria sint ditissimi, gratis curantur, & sustentantur in similibus hospitalibus sinè vllo onere restituendi, vt ex vsu constat; & confirmatur, quia alioquin hospitalia redditus haberent, non vt liberaliter, & gratis propter Deum necessitati patientium succurreretur, sed potius vt mutuum miseris daretur, quod est inconueniens, & non præsumendum de fundatoribus hospitalium: sed forsan dici potest, tres classes hominum esse distinguendas: in prima continentur homines pauperes in re, & in spe; in secunda pauperes tantùm in re, & non in spe, vt filij familias; in tertia alij diuites in re, impediti tamen propter metum, vel aliam iustam causam, filios alere nequeunt, & hos teneri ad restitutionem hospitalibus faciendam dicendum videtur. ] Ità Acũgna.

36 Sed quamuis videatur apparenter exemptos docere diuites à restitutione Hospitalibus facienda propter filios suos naturales expositos; nihilominus in veritate eos non eximit, tum quia non negatur, quin Hospitalia sint facta *pro præsentibus necessitatibus*, sed intelligitur de necessitatibus egenorum, non diuitum, tum quia exemplum *Pellegrinorum* non probat, quia quamuis in patria sint diuites, hìc & nunc sunt egeni, & pauperęs; tum quia redditus Hospitalis expenduntur pro pauperibus, & hoc amore Dei; at respectu diuitum, non esset inconueniens, si pro tuenda eorum fama fierent expensæ filijs naturalibus ipsorum, vel titulo mutui, vel alio titulo, qui à restitutione non deobligat; tum quia si in illa triplici classe hominum, quos Acugna distinguit, obligat tertios, iam est nobiscum, & contra se; si verò non obligat eos primæ classis, benè dicit cum nobis; & item si non vult teneri ad restitutionem eos secundæ classis, & nos hoc concedimus, prout dictum est de Pellegrinis, qui nunc in re extra patriam sunt pauperes, quamuis sint diuites in spe, si peruenient Deo fauente ad patrios lares.

37 Polidorus igitur, si verè diues cùm esset dedit Hospitali alendum filium suum Spurium, tenebatur de expensis, quia pater debet Spurio alimenta, si aliundè non se potest sustentare, vt est quando est puer, vt patet ex *c. cum haberet, De eo, qui duxit in matrimonium, &c.* & sententia hęc est communis DD. teste Couarruuia *§. 6. num. 9.* vndè si nunquam expensas Hospitali restituit, comparabitur inter debita, quæ ab hærede solui debent; ergo si filius Spurius Polidori erit hæres, vel bona patris possidebit post mortem ipsius, verè tenebitur soluere debitum suæ nutritionis Hospitali.

38 Quia tamen Spurio nihil pertingit ratione testamenti patris, nisi alimenta, ideò ad Spurium non attinet soluere debita patris. Nec tenetur de suo ipse Spurius dare Hospitali, quia fundamentum restituendi fuit semper sola iniuria alicui illata cum damno; sed Spurius infans traditus Hospitali, nemini fecit iniuriam, quamuis filius esset diuitis; ergo totum debitum restituendi est in patre, atquè in hærede facultatum, simulque onerum ipsis facultatibus annexorum.

39 Nomine alimentorum, quæ Spurius potest sibi retinere, si hæreditatem restituat, vel quæ alimenta debentur ei, si ab eo tollatur hæreditas, dico comprehendi omnia, quæ pro conditione personæ sunt necessaria, vt victus, vestitus, habitatio, medicina, &c. hæc autem præstanda sunt, spectata conditione parentis, & prolis, prout prudens arbitrabitur, & colligitur ex *d. capitulo cum haberet*. Et hæc alimenta, sicut & si pater filio Spurio donaret, vel eleemosynam de ijs faceret, intelligitur vt de fructibus, & redditibus, non autem vt aliquid de proprietate consequatur, ità declarat Bologn. *in addit. ad cons.* 13. Io. de Antian. *nu. 5. ver. benè verum*, & idem pleniùs Crauet. *cons.* 219.

40

219. *in fin.* vbi quòd tenetur alere ex vsufructu si potest, non vt vendat proprietatem: pleniùs Crauet. *cons.* 99. vbi latè de hoc tractat. Sed veriùs est, posse certam proprietatem pro alimentis ei assignari, vt dicit Baldus *cons.* 448. *Quæritur in primis, num.* 5. *lib.* 1.

41 Neque ad Spurium possunt attinere obligationes soluendi debita patris, cuius numquam est hæres, etiamsi à longo tempore possideret, quia non præscribit, iuxta Federic. de Sen. *cons.* 275. *&* 276. *&* 277. & Bartol. *cons.* 119. *incipit D. Dominicus nu.* 3. *ver. nec obstat ei cursus tem-*
42 *poris, lib.* 1. Sed veriùs tenendum est præscribere, quando per 30. annos possedisset: Crauet. *cons.* 166. *num* 13. allegat Alex. *cons.* 74. *circà fin. lib.* 3. & alios plures: plenè Cephal. *cons.* 608. *nu.* 30. *& seq.* vbi plures citat, etiamsi
43 errauerit in iure, putans se capacem. Bal. *de præscrip. in* 4. *par. num.* 72. Peregrin. *de iure fisc. lib.* 3. *tit.* 18. *in fin.* vbi dicit hanc opinionem esse communem. Spurius ergo Polidori prout in præsenti casu agitur, consideret apud se, num ratione præscriptionis possideat, & iuxta dicta se examinet, vt sciat an possit retinere patris hæreditatem, quam dico retinere non posse, nisi per annos 30. possideat, & tunc debebit soluere pro patre ipsius debita Hospitali; aliàs si (exceptis alimentis) debet omnia restituere, ad ipsum nihil pertinet de debitis patris erga Hospitale, vel erga alios; nec de suo tenetur dare Hospitali, neque alteri creditori patris ipsius.

44 Fusè plus æquo fortasse scripsi in hac materia, sed vt Spurius Polidori sciat quid sibi liceat, necne in sua dubitatione, data opera plura tangere opportunum censui. Nunc grauior restat soluenda difficultas; an scilicet iste filius Polidori, quem nemo scit esse Spurium, imò nec ipse scit hoc nisi à Polidoro, qui hoc ei dixit; & à propria educatione in Hospitali expositorum; teneatur se publicare Spurium, & hæreditatem dimittere; vel potiùs an possit eam tenere, patrem suum non infamare, rem totam tacere, seque non Spurium præsumere?

45 Et dico non debere se Spurium præsumere, & per consequens poterit hæreditatem tenere, & rem totam tacere, nec se ipsum, aut patrem suum debet infamare, sed solùm tenetur resarcire expensas Hospitali. Hæc omnia vera esse, nemo negabit, posita veritate, quòd non debeat se Spurium præsumere, quam sic ostendo. In dubio an aliquis sit legitimus, an non, debet reputari legitimum esse: Sed in casu nostro filius Polidori, vt dicitur, est dubius an sit legitimus, an non; ergo reputari debet vt legitimus. Maior propositio, est sententia communis, quæ non distinguit inter forum externum, & internum, sed vniuersaliter absquè exceptione id affirmat. Videantur Couarruuias *in Epitom.* 2. *part. c.* 8. §. 3. *num.* 8. Mascard. Bald. Abb. Felinus, quos refert, & sequitur Castro Palao *tom.* 1. *tract.* 1. *disput.* 3. *punct.* 5. *num.* 8. Vasquez 1. 2. *disput.* 66. *cap.* 8. Syluester, Decius, Gregor. Lopez, Angel. & alij, quos refert Turrianus *disp.* 30. *dub.* 3. *num.* 31. Lessius *de iust. & iur. lib.* 2. *cap.* 10. *dub.* 6. *nu.* 39. & alij passim, & constat ex *l. filium*, §. *de his, qui sunt sui, vel alieni iuris, l. quominus semper*, §. *de in ius vocando, l. si vicinis, C. de nuptijs, l. non audis, C. de probationibus*, ex Authent. *quibus modis natur. effic. sui*, §. *natura, vers. quapro-*
46 *pter*. Ratio autem est, quia propter solum dubium non debet filius priuari certa possessione sua, vt est quando ratione matrimonij filius inuenitur in possessione legitimæ filiationis; & hoc idem est, quando ex quocunque alio titulo ponitur filius in possessione filiationis, & habetur vt suus, quamuis natus ex concubina extra domum: Lugo *de iust. & iur. tom.* 1. *disp.* 13. *sect.* 2. *num.* 17.

47 Minor propositio item probatur, videlicet, quòd filius Polidori in casu nostro sit dubius an sit legitimus; nam aliundè discere non potest se non esse legitimum, præterquam ex eò quòd fuit educatus in Hospitali, & quia Polidorus id dixit ei; sed hæc non conuincunt, nec dant certitudinem; ergo relinquunt in dubio. Quòd non dent certitudinem ostenditur; & primò de educatione in Hospitali, nam expositi ad locum Hospitalis, cùm non sciatur an sint illegitimi, legitimi reputantur, & ideò possunt sinè dispensatione ordinari, Beneficia acceptare, ad prælaturas ascendere, &c. vt ex Bardi, & Menochio obseruat Thomas Tamburinus *in præcep. decal. lib.* 1. *cap.* 3. §. 7. *vers. Legitimus,*
48 *num.* 1. ergo ratione educationis in Hospitali est dubius, & sic reputatur legitimus. Item remanet dubius, quamuis Polidorus dicat esse Spurium, & filium suum; nam filius non tenetur credere matri, etiamsi in articulo mortis sit constituta, atquè iureiurando affirmet illum esse illegitimum; sed deberetur conuinci ad id credendum, vt esset si ambo parentes id ei assererent, vt docent Suarez, Filiucius, Reginaldus, & alij, quos citat, & sequitur Bonacina *tom.* 1. *de irregularit. disp.* 7. *quæst.* 2. *punct.* 3. *num.* 5. Sed in casu nostro est vnus solus parens dicēs esse Spurium; ergo ad summum re-

ma-

manet dubius ipse filius de sua illegitimitate.

49 Hinc de plano sequitur consequentia, debere reputare se ipsum legitimum, quam consequentiam probat apertè idem Tamburinus *loc. cit.* dicens, *quemlibet esse damnandum quantò minùs potest; nam propter eamdem rationem, si dubitetur, an aliquis sit Spurius, idest ex coitu damnato, an naturalis, naturalis est reputandus:* ità ille, & ego.

50 Addo verba Eminentissimi de Lugo *loc. cit. sed num.* 25. vbi sic ait: *in dubio nemo damnandus est, & ideò dum non constat esse Spurium, non est declarandus Spurius; sed neque etiam in dubio declarandus erit naturalis, dum id positiuè non constat, quare in eo statu, nec repellendus erit positiuè vt Spurius in ijs casibus, in quibus Spurij repelluntur: nec admittendus erit positiuè, vt naturalis in ijs casibus, in quibus soli naturales admittuntur.* Igitur ex hac doctrina Spurius dubius non repellitur in ijs, in quibus certi Spurij repelluntur, ergo potest hæreditare, & hæreditatem possidere, seque legitimum repu-

51 tare. Quòd si dicat idem de Lugo, non debere positiuè admitti ad ea, quæ sunt filij naturalis, si extet dubium an sit naturalis: quapropter cùm tale extet dubium de filio Polidori, non erit positiuè admittendus ad hæreditatem,

52 licèt nec reijciendus vt Spurius; dico pro responsione ad hanc instantiam, quod idem de Lugo *num. cit. in fine*, aduertit, quòd si pater habuerit, atque cognouerit pro naturali illum filium, tunc ratione possessionis, vel alterius similis tituli, si fortè interueniret, præsumendus erit naturalis, & non Spurius, vndè cùm in casu nostro filius iste aduocetur in testamento Polidori, vt filius verus, & legitimus, præsumendum est, quòd pro tali ipsum habuerit; & sic filius legitimus de primo ad vltimum præsumendus est; & consequenter legitimè possidebit hæreditatem, siuè hæc contingat ei, vt filio legitimo Polidori; siuè vt legitimo filio

53 alterius patris; sed quia certus est filius iste, quòd fuit educatus in Hospitali, & dubius an ei fuerit compensatum pro sumptibus, debet satisfacere, cùm ad hæredem deuoluantur debita testatoris; & in dubio cum loco pio, iste debeat possidere, & semper leges faueant pietati.

54 Non immoror, adducendo obligationem non infamandi patrem, nec se ipsum, si publicetur Spurius, nam stante veritate prædictorum, per quæ se legitimum esse præsumendum fortissimè probatum remanet, sinè causa læderetur fama, quòd facere nullatenus licet, nec id hìc probare opportunum est: ideò satis.

# DECISIO XLI.

*An adultera supponens Spurium, teneatur se propalare; & an dentur refugia excusantia à propalatione.*

## Casus, seu Historia XLI.

### SVMMARIVM.

1 *Casus proponitur.*
2 *Non est desperandum.*
3 *Supponens illegitimum tenetur ad damna.*
4. 5 *Quomodo matri fiat remissio.*
6. *vsquè ad* 27 *Quando adultera teneatur, vel non teneatur se propalare.*
28 *Modus prudentialis se propalandi.*
29 *Filij non tenentur credere matri.*
30 *Adultera in præsenti non desperet.*
31. *vsque ad* 36 *Resoluuntur varij casus, & ponuntur propositiones damnatæ.*

1 Morti iam proxima Marchionissa quædam, notificauit Confessario suo, quòd filius suus, qui & primogenitus inter alios fratres semper est habitus, & vt talis succedet in Marchionatu, verè est Spurius, quapropter cùm quasi de se saluanda desperaret, considerans damna, & iniustitias consequentes suum peccatum, simulque ignorans quodnam apponeret remedium, veniam concessit Confessario suo, vt à me quæreret quid agendum in tali casu, stante periculo & vitæ, & famæ ipsius?

2 Responsio, quam breuiter, & succinctè ad talem casum dare possum, sufficiens tamen ad rem nostram sit, non debere Dominam istam de sua salute desperatam ire, tum quia non est abbreuiata manus Domini ad misericordiam largiendam; tum quia non prima in tali delicto reperta est, sed & tot aliæ fuerunt, quibus omnia prosperè venerunt, ductæ à Confessariorum Prudentia.

3 Huiusmodi mulier, absolutè loquendo, obligata remanet ad damna resarcienda, quæ vel orta sunt, vel sequentur ex ficta suppositione primogeniti, vel alterius filij non proprij mariti ipsius: ità communiter DD. quia ipsa est vera causa eorumdem damnorum; verùm circa hoc non est opus nunc examen facere, cùm solùm quæratur quo pacto conscientiæ suæ Domina ista satisfacere possit.

4 Non approbo (licèt aliundè audiuerim, si ve-

verum tamen est, fuisse à viro Sancto practicatum) quòd conuocatis filijs, petat ab ijs, vt sibi inuicem libenter remittant ius quodlibet, quod vnus aduersùs alterum habere potest, ratione illegitimitatis vnius ex ipsis, quicunque ille sit; si verò nolint remittere, ipsa nominabit illum, vt quinam ab hæreditate sit excludendus cognoscatur. Id, inquam non approbo, sicut nec approbatur à Couarruuia *in regula Peccatum. 1. part.*, & ratio est, quia tunc filij legitimi sunt veluti coacti ad remittendum, ex vi timoris iniusti, quem habent, ne aliquis ipsorum sit à matre nominandus Spurius, cùm tamen verè nullum habeant illegitimitatis periculum, sed solùm metuant propter modum illum, quò mater vult illos metu cogere ad remittendum; vndè quilibet eorum dicit, meliùs est, quòd remittam, quàm quòd non remittens exponam me periculo perdendi omnia, si ego ille sim Spurius; & sic metu inducuntur ad remittendum.

5 Approbo deinde hoc idem, si mater roget filios, vt ex beneuolentia sui, & non ex metu velint illam liberare à tanto onere, remittendo, quamuis scirent, quis esset illegitimus, & tunc protestantibus filijs se ex beneuolentia id facere, cessat metus, & res est sine dubio coactionis, ideò sic placet etiam Turriano *disputat. 30. dub. 3. num. 26.*

6 Sed antequam mater deueniat ad conuocationem filiorum, quæri potest, an teneatur cum periculo vitæ proprium detegere adulterium, si aliter damna compensare non possit, & per detectionem illa saltem impediat? similiter & quæri potest, an saltem teneatur ad idem cum detrimento propriæ famæ? Quoad primum quæsitum, resoluo, non teneri mulierem suum detegere adulterium, vt damna impediat, si vita ipsius periclitetur. Hæc sententia est verissima, & communis ferè omnibus DD. Ità Scotus, Antoninus, Caietanus, Syluester, Nauarra, quos refert, & sequitur Turrianus *num. 15. disp. cit.* Molina *disput. 102. num. 5.* Vasquez *dub. 10. num. 4.* Lessius, & omnes alij passim.

7 Et ampliatur hæc opinio, ità vt verificetur, non solùm quando adest periculum mortis ipsius matris, verùm etiam alicuius filij, seu cuiusuis alterius. Si ergo Domina Marchionissa præuidet periculum amissionis vitæ suæ, vel alterius personæ, sciat se nullam habere obligationem manifestandi suum crimen, ad effectum impediendi damna, vt prædictum est.

8 Hæc opinio probatur ex Innocentio Tertio *in capitulo de offic. pænit. & remiss.* vbi Pontifex requisitus, dedit responsum, non debere denegari fœminæ pænitentiam, ex eò quòd finxerat partum, & deinde timens maritum, rem detegere recusabat; & idem etiam de fœmina, quæ prolem ex adulterio enixam, aut conceptam, non vult notam facere marito. Si ergo tali mulieri non est deneganda pænitentia, signum est non esse pænitentiæ incapacem, per hoc quòd nolit rem marito dicere, & sic arguitur non teneri ad suum peccatum propalandum. Non ergo fœmina est obligata suum adulterium manifestare, si alicuius vita ex manifestatione periclitetur.

9 Dicet contra aliquis, Pontificem non fuisse loquutum de Pænitentia Sacramentali, sed de publica, & externa; sed respondendum est, debere omninò intelligi de Pænitentia Sacramentali, cùm omninò irrationabiliter cogeretur ad publicam pænitentiam illius criminis, quod adeò accuratè studet celare marito: ergo in nostro casu debet Confessarius absoluere istam Dominam, vtpote sacramentalis absolutionis capacem, quamuis ob dictum vitæ periculum, peccatum sileat marito, vel alijs.

10 Ratio idem probans est, quia in extrema vitæ necessitate, scilicet quando aliter nequit vitari mors, nō solùm est cuiq; licitum nō restituere, sed & bona aliorum iuxta propriam indigentiam possunt surripi; ergo multò magis cessabit obligatio restituendi cum illo vitæ periculo, cum quo quis excusatur à furto, si rem alienam accipiat. Vt igitur Domina Marchionissa mortem effugiat, peccatum sileat, quamuis silendo non reficiat, aut impediat damna; quinimo & alia bona sibi accipiat, si pro vita conseruanda vel sua, vel alterius, talium bonorum habebit opus.

11 Probatur vlteriùs, nam quilibet obligatus restituere, deobligatur si creditor est irrationabiliter inuitus; sed maritus, aut filij adulteræ volentes, vt ad restituenda damna dicat peccatum, essent creditores irrationabiliter inuiti, stante periculo vitæ alicuius personæ; ergo mater ob vitæ periculum, est deobligata à restitutione, propterea peccatum suum silere potest. Quòd si quilibet extraneus irrationabiliter prætendit suum à debitore suo, dum iste periclitatur in vita; quātò plus hoc asserere debemus in marito, & in filijs respectu matris? Non ergo est obligata mulier adultera cum vitæ suæ iactura crimen suum aperire, vt solo lumine naturæ veritas ista per se ostenditur.

12 Nec allata sententia patitur exceptionem, nisi in vno casu, qui aut vix, aut nunquam fortasse

tasse dabitur. Hic est, quando suppositus filius adulterinus succedere deberet in regno in magnum Reipublicæ damnũ propter eius pessimos mores, & à fortiori si esset hæreticus, cùm aliàs spectet successio ad filium bonæ indolis, & modestum. In isto casu teneretur mater manifestare suum adulterium, non propter restitutionem hereditatis, sed propter damnum totius Reipublicæ, quod plus valet, quàm vita vnius personæ priuatæ.

13 Hoc tamen verum est, si sit spes impediendi prædictum damnum, nam tali spe deficiente, deficit & obligatio prodendi proprium adulterium. Rara auis tamen est, quòd detur casus hic cum circumstantijs requisitis ad obligandam matrem, vt se adulteram manifestet. Si

14 autem manifestatio proprij adulterij solum inseruiret ad impediendum; ne successio regni pertingat ad illegitimum hæredem, non tenetur mulier se manifestare cum vitæ suæ discrimine, quia vita vnius personæ, præponderat omnibus bonis temporalibus, vt probatur à Vasquez *num.* 10.

15 Non ergo Domina Marchionissa debet se desperatam dare de suo crimine, quia si vita sua pendet à criminis sui manifestatione non tenetur manifestare illud, quamuis in primogenitura, & in Marchionatus feudo succedat Spurius; sicut dictum est de successore in Regnum; ex quo antecedenti, longè plus verum est idem in successione Marchionatus, qui longè inferioris conditionis est, ac sit Regnum.

16 Hanc opinionē possumus tuta conscientia sequi, cùm sit verior, & magis communis, quàm sit sententia opposita, quæ affirmat teneri matrem adulteram exponere vitam suam periculo, vt publicet crimen, & tollat damna. Adrianus *quodlibet.* 1. *art.* 3. *ad* 2. & Hostiensis *in summa, lib.* 5. *tit. de priuileg. & remiss.* Sotus tenet idem pro quando legitimus successor esset regno, vel præclarissima domo priuandus: ità ille *lib.* 4. *de iustitia, q.* 7. *art.* 2.

17 Si autem in matre non sit periculum vitæ, sed famæ, docent aliqui teneri prodere suum crimen, si id sit vtile, & necessarium ad impedienda damna ex adulterio sequuta: sic Adrianus, & Hostiensis mox citati, & Paludanus *in* 4. *dist.* 27. *q.* 6. *art.* 1. *concl.* 1.

18 Altera opinio satis communis, negat teneri matrem se prodere cum graui detrimento propriæ famæ; & hanc tenent Caietanus, Ioannes Medina, Scotus, Richardus, Alphonsus à Castro, Couarruuias, & Nauarrus, quos refert Molina *num.* 9. Antoninus 2. *part. tit.* 25. *cap.* 7. §. 9. & *tit.* 1. *cap.* 18. §. 8. quos sequitur Vasquez *dub.* 10. *num.* 9. & Lessius cum alijs multis.

19 Tertia opinio, quæ media via incedit, docet, quòd si infamia matris præponderat multùm detrimento, quod alij filij, & cæteri patiuntur ex prole supposita, non tenetur crimen suum manifestare. si verò non ità præponderet, tenetur. In hac sententia sunt Sotus, Couarruuias, & Martinus de Ledesma, quos refert Molina *num.* 10. & *sequitur num.* 12. Item Toletus, & Valentia, quos affert, & sequitur Tur-

20 rianus *disp.* 30. *dub.* 3 *n.* 23. Quæ opinio quoad primam partem probatur ex doctrina generali, quòd debitor non potens restituere absquè longè maiori suo detrimento, possit licitè differre, & aliquando etiam omittere restitutionem, nec tunc creditor rationabiliter erit inuitus; ità in casu Dominæ Marchionissæ, quando detrimentum suæ famæ præponderat damno aliorum.

21 Quòd si detrimentum famæ non præponderat detrimento aliorum, tenetur mater tale detrimentum subire; & hoc est ea ratione, qua ista detrimenta habent inter se proportionem, & improportionem; & hoc est iudicandum iudicio prudentis, iuxta regulam restitutionis, quando datur excessus in damno, siuè pecuniarum, siuè in bonis famæ; & sicut excessus in damno pecuniarum, quod quis pateretur restituendo, vt resarciat minus damnum pecuniarum, excusat à restitutione, sic dicatur de excessu in bonis famæ, quando excessus superat in damno famæ, damnum quod si restituatur minus erit; ergo D. Marchionissa videat, quomodò sinè desperatione possit etiam tacere, si fama sua excedit valorem damni alterius; seu si non excedit damnum suæ famæ, & velit adhuc non se infamare, præuidens graue suæ famæ detrimentum si manifestet delictum, sileat, & se conformet sententiæ secundæ supra allatæ *sub num.* 18.

22 Nec desunt refugia à ratione dictata, per quæ mater potest suæ obligationi satisfacere. Primum sit, quòd mater consideret, an prudenter credere posit, maritum quoad partem suam circa alimenta, & alia, quæ sinè aliorum filiorum præiudicio dare potest, & ea de causa daturus est filio spurio, non esse inuitum, sed potiùs velle rem etiam ipsi esse occultam, & perseuerare in suo errore, quàm quòd vxor manifestet crimen sibi, vel alijs, tunc excusatur adultera ab accusatione sui criminis: ità

23 Molina *num.* 13. Ratio est, quia multi aliquan-

do volunt potiùs priuari multis bonis, eaque dare filio putatiuo, & in bona fide manere, quàm cum tanto dolore infamiam suam, &
24 vxoris delictum rescire. Hoc aliquando etiam ad filios extendi posse, docet de Lugo *de iust. & iur. tom. 1. disp. 13. sect. 3. num.* 58. quia dantur filij, qui potiùs volunt cum spurio hæreditatem habere, quàm matris infamiam, quæ in filios redundat, permittere vt nota fiat. Si ergo mater potest prudenter id credere de marito, & filijs, libera est ab obligatione se manifestandi.

25 Secundum refugium, quod si subsistet, libera erit mater ab obligatione, est, si ipsa scit, si rem filijs suis legitimis, & spurio manifestaret, non detecto spurio in particulari, sed petendo ab eis, vt in sui gratiam inuicem sibi remitterent, ipsos libenter, & spontè remissuros, non ob metum, vel dubium, quod singuli de se haberent, sed eo animo, vt etiamsi certi essent de persona, ei remitterent.

26 Ratio est, quia in tali casu, certum debet esse apud matrem, filios multò gratiùs habituros rem omninò ignorare, quàm re in communi cognita, debitum remittere; nam re non cognita vitabunt ad minus afflictionem, & qualecunque illud dedecus, quod ex notitia illa necessariò habituri essent, & sic sentit Lugo *vbi supra, sed sub num.* 59. Hoc refugium facilè suppetet matri, & sic poterit prudenter liberari ab onere manifestandi se filijs.

27 Tandem sciat Domina Marchionissa, quòd quando non est alia via restituendi, vel impediendi damna, & verisimiliter speratur filium crediturum, vel ex Dei timore, vel ex suasione, aut precibus matris, se cessurum bonis, rem debet ei manifestare; & tunc poterit filius Religionem profiteri, vel humanæ militiæ se applicare, aut quod opportunum iudicabi-
28 tur, illud facere. Et vt res sub secreto dicatur, & teneatur, poterit mater vti confessario, qui filio omnia referat sub eodem sigillo Confessionis, si tamen mater licentiam loquendi dederit Confessario, sicut expedit vt ei illam concedat.

29 An verò Filius teneatur credere matri seriò affirmanti eum esse Spurium ipsius; negaui in Decisione antecedente *num.* 48. cum Bonacina, & nunc iterum nego cum Anton. Gomez, Couarruuia, Castro, & Canonistis communiter, cum Vasquez, & cum Lessio. Cùm ergo filius non teneatur credere matri, & de facto non credet, mater non tenetur ei se manifestare; secus autem si putatur esse crediturum, aut si debet credere matri.

30 Multa alia possent adduci in hac materia, sed meo videri dicta sunt substantialiora, & quæ omninò dubitationes matris possunt enodare; quatenus nec de salute æterna desperationem concipiet, nec de temporali remedio, vt desperata, cesset diligenter cogitare.

31 Deniquè potest inquiri, an adultera sit omninò libera à propalatione filij suppositi, si maritus consensum præstitit in adulterium. Fundamentum dubitandi est, quia per talem consensum non curauit, quòd vxor illegitimum pareret: ergo spontè expensas facit tali illegitimo; quare cùm ratio propalandi suum adulterium sit ad damna resarcienda, consequenter videtur cessare, vbi maritus cessit iuri suo ex vi dati consensus in adulterium vxoris.

32 Pro responsione ad quæsitum oportet notare, quòd consensus mariti vt eius vxor sit cum alio, non tollit rationem adulterij; & hoc adeò certum est, vt absolutè contrarium damnauerit meritò Innocentius Vndecimus per damnationem Propositionis 50. in serie illarum, quas ille damnauit, & est ista: *Copula cum coniugata, consentiente marito, non est adulterium, adeòque sufficit in Confessione dicere, se esse fornicatum.* Verè scandalosè sic docebatur; nec minus id falsum est, ac falsum sit posse Clericum renunciare Priuilegio Canonis, ità vt si iniuriam remittat, in excommunicationē non incurrat, qui dictum Clericum Diabolo suadente percuteret. Igitur consensus mariti in vxoris congressum cum alio, non tollit quin verè adulterium committatur, & obligatio semper adest confitendi talem copulam vt cum coniugata perpetratam; talis est enim natura congressus cum aliena, vt neque mutari, vel variari possit cuiusuis hominis volūtate, quia rerum essentiæ sunt immutabiles; & essentiæ diuersæ sunt omninò tenendi congressus diuersi, seu actus varij in genere luxuriæ, vndè & in Confessione debent necessariò explicari, oppositumque affirmare est absolutè damnatum, & sic confirmata remanet falsitas scandalosa Propositionis adductæ, sicuti Alexander Septimus meritissimè damnauerat duas Propositiones istas: *Mollities, Sodomia, & Bestialitas sunt peccata eiusdem speciei infimæ, ideoque sufficit dicere in Confessione se procurasse pollutionem*; & hæc est 24 in ordine aliarum, quas idem Papa damnauit: Alia, quæ est 25. dicit: *Qui habuit copulam cum soluta, satisfacit Confessionis præcepto, dicens: Commisi cum soluta graue peccatum contra castitatem, non explicando*

*cando copulam*. Igitur est semper explicanda circumstantia congressus, seu complicis in luxurioso actu, quamuis iuri proprio cedat quæcunquè persona. Solùm liberum est Doctoribus disputare, an copula cum Virgine consentiente sit stuprum, vel simplex fornicatio, si vir sit liber; nam de hoc nulla vsquè in præsens adest damnatio; & licèt teneatur non esse stuprum, quia virgo spontè perdit sigillum virginitatis; tamen non currit paritas cum marito spontè consentiente in adulterium vxoris, vndè ratio adulterij cesset, nam sigillum est quædam integritas materialis, quam puella spontè vult frangi, & sic nulla ei irrogatur iniuria; at vxor non potest à marito, quasi per fractionem matrimonij, vt non vxor haberi: ergo etiam marito consentiente, erit adultera, si fuerit cum alio, ideoque liquet meritum Propositionis damnatæ ab Innocentio Vndecimo, necnon & Propositionum damnatarum ab Alexandro Septimo.

Confirmantur quæ diximus in hoc numero de natura actuum luxuriosorum, qui sunt diuersæ essentiæ, nam videmus Innocentium Vndecimum damnasse has Propositiones, quarum vna est 48. alia 49. in serie cæterarum, quas damnauit: *Tam clarum videtur, fornicationem secundùm se nullam inuoluere malitiam, & solùm esse malam, quia interdicta, vt contrarium omninò rationi dissonum videatur*: hæc vna: alia sequitur: *Mollities iure naturæ prohibita non est. Vndè si Deus eam non interdixisset, sæpè esset bona, & aliquando obligatoria sub mortali*. Heù quàm scandalosa dicta! ergo etiam ex sua inuariabili essentia erit verum adulterium copula cum alterius vxore, licèt marito consentiente. Et quidem tales sunt omnes allatæ Propositiones damnatæ, siuè ab Alexandro VII. siuè ab Innocentio Vndecimo, vt vndequaquè, & absolutè sint falsæ, animarumque saluti perniciosæ, prout latissimè, & potentissimè probari posset, sed hìc sola damnantium Pontificum authoritas, id satis superque probat; & pro nostra decisione sufficiunt adducta.

33 Sed adhuc stante vero adulterio, liberam censeo adulteram ab obligatione propalandi se peperisse illegitimum, quamuis hic inter legitimos æquè participet de facultatibus patris non sui, ac à legitimis participantur: Propalandum tamen esset, vbi alia inconuenientia haberentur, vt v.g. si in Regno succederet, &c. iuxta prædicta. Quòd teneatur modo dicto, suadetur, quia nihil releuat, quòd maritus omnia sciat, tamquam si nihil sciret, vt ex se patet, cùm ipse non sit dominus tribuendi, v. g. Regnum cui maluerit, &c. Quòd non teneatur ex vi facultatum, probatur ratione opposita præallegatæ, nimirum quia maritus est dominus illarum, vt suppono, & sic dum dedit alteri vxorem suam, consensum dedit, vt illegitimum quæreret; ergo vxor quæsiuit marito, quod iste voluit saltem tacitè; & taciti, ac expressi eadem est virtus, & iudicium, quando tacitum includitur in natura expressi, vt in casu, & latè probat Barbos. *axiom.* 218. *num.* 1. *&* 2. multis textibus, & Doctoribus.

Videtur tamen obstare, quòd illegitimus æqualis sit cum legitimis in paternis facultatibus, cùm solùm pars aliqua minor eis soleat communiter assignari. Respondetur meritò maritum expressè, vel tacitè, vel præsumptiuè velle, vt ille illegitimus tantum habeat, quantum legitimi, ne cogatur proprium, & vxoris delictum publicare, cùm nihil impediat, quin vt verus dominus possit bona illa temporalia dare, donare, alienare, aut legare, cui maluerit citra omnem iniuriam filiorum legitimorum. Quòd si sciatur factum, tunc vt illegitimus poterit à legitimis tractari, assignãdo ei partem iustam iuxta mentem saltem præsumptam patris eorum, qui in adulterium consensum dederat; mater verò sileat.

34 Dubitari potest, an iuxta dicta non teneatur mater propalare, se illegitimum peperisse, qui inter legitimos legitimus habetur, si maritus in adulterium consensum dederat, sed pænitens insurrexit, & adulterum deprehensum cum vxore interfecit, interfecto ab eo vicissim etiam ipso marito. Ratio dubitandi est, quia maritus reuocauit consensum: ergo cessat doctrina numero præcedenti data, & sic videtur vxorem teneri se propalare.

Circa hoc dubium suppono neminem latere, quòd Alexander Septimus damnauit Propositionem istam: *Non peccat maritus occidens propria authoritate vxorem in adulterio deprehensam*: quæ Propositio est decimanona inter alias ab eodem Pontifice damnatas. Non damnatur affirmare, quòd non peccat maritus occidens authoritate publica, idest vt iustitiæ minister, vxorem suam in adulterio deprehensam; sed solùm damnatum est, asserere non esse peccatum, si propria authoritate eam occidat. Idem est de marito propria authoritate adulterum occidente, nam certè semper est peccatum, vt benè sequitur absolutè dicendum ex damnata Propositione, quamuis dam-

natio non afficiat affirmantes, vel disputantes licere præfatum adulterum in adulterio deprehensum occidere, cùm Propositio loquatur solùm de vxore, vndè non est amplianda, vtpote in re odiosa. Esse autem peccatum adulteram, ac adulterum interficere, docent Diuus Thomas *in 4. dist. 37. quæst. 2. art. 1. in corpore.* D. Bonauent. *in 4. dist. 37. quæst. 2. art. 2.* D. Antonin. 2. *part. tit. 7. cap. 8. §. 2. notab. 2.* Syluest. *verb. homicidium 1. quæsito 2. & verb. lex, quæs. 10. & verb. matrimonium 7. in fine.* Sayr. *in claui regia, lib. 7. cap. 6.* Nauarra *de restitut. tom. 1. lib. 2. cap. 3. num. 220.* Bonacina *de restit. disp. 2. quæst. vlt. punct. 2. num. 5.* Philiarch. *de offic. Sacerd. tom. 1. part. 2. lib. 4. cap. 8.* Rodriq. Victor. Gabr. Sotus, & alij. Textus verò, qui solent contra afferri sunt, *l. marito, ff. ad legem. Iuli. de adult. & l. Gracchus, C. eod. tit.* sed tantùm probant vel licere ex Iudicis authoritate, vel permitti impunè marito occidere vxorem adulteram deprehensam. Igitur meritò Pontifex damnauit allatam Propositionem etiam longè antè Alexandrum Septimum damnatam à Nicolao Primo *cap. inter hæc 33. quæst. 2.*

35 Hinc patet certissimum esse, quod maritus illicitè occidet vxorem in adulterio deprehensam, si propria authoritate id præstet; & inde sequitur manifestè, esse quoquè illicitum interficere adulterum; nec video quo fundamento possit contrarium præsumi verum, nisi quia adulter est iniustus honoris inuasor, taliter quod non obstet trigesima propositio ex damnatis ab Innocentio XI. quæ est: *Fas est viro honorato occidere inuasorem, qui nititur calumniam inferre, si aliter hæc ignominia vitari nequit; idem quoquè dicendum si quis impingat alapam, vel fuste percutiat, & post impactam alapam, vel ictum fustis fugiat*; & ideò hæc propositio non obstat in casu nostro, quia damnatur vt iacet, & vt generaliter licitum facit viro honorato inuasorem necare, siuè leuem, siuè grauem inferat iniuriam calumniando, aut alapam impingendo, seu fuste percutiendo, & post ista fugientem. Cùm igitur calumnia in verbis consistat, nunquam occidendo calumniatorem vindicari potest, maximè si sit leuis, & tamen propositio docet posse occidi sinè distinctione loquendo de leui, ac de graui calumnia; vndè licèt Doctores disputare possint quid dicendum sit in casu calumniæ excessiuæ, tamen etiam disputatio est nunc meritò interdicta pro casu calumniæ leuis, & quæ vitæ hominis calumniantis non præponderat: Idem est de percussione per alapam, vel fuste, nam propositio generalis est, & complectitur leuem, & grauem iniuriam illatam cum eiusmodi percussionibus, ideoque vt iacet debuit dicta propositio damnari, præcipuè quia addit si inuasor fugiat post impactam alapam, vel ictum fustis; quare si fugit, iam congressus est finitus, & sic non fieret inuasoris occisio cum debito moderamine inculpatæ tutelæ. Si ergo allatam propositionem damnauit Pontifex propter nimiam, & amplam significationem, quam vt iacet importat; consequenter dari poterit casus adeo magnæ iniuriæ, vt de isto liceat Doctoribus inquirere, an fas sit viro honorato, præfatum inuasorem occidere, & hoc saltem vbi agitur de iniuria excessiua in factis consistente, quia pro nulla calumnia verbali est licitum calumniatorem occidere. Hæc propositio sic tantùm vt iacet damnata, non tangit casum mariti occidentis adulterum inuasorem iniustissimum cum notabilissima honoris læsione: ergo licitè interficietur si in actu adulterij deprehendatur, quamuis non liceat adulteram propria authoritate occidere, quia de hoc extat specialis damnatio facta ab Alexandro VII. vt dictum est; & quia fortasè vxor adultera non habet inuadere honorem mariti, cum fortasè per violentiam veram cognoscatur.

Nihilominus respondendum est concedendo totum, si adulter esset honoris inuasor talis, qualis supponitur in prædicto fundamento, adhuc stante damnatione propositionis circa occidentem inuasorem viri honorati, huius honorem notabiliter lædentem. Igitur quidquid sit, an liceat inuasorem honoris cum notabili læsione viri honorati in actuali congressu occidere, si alia via nequeat læsio illa euitari; hoc nunquam verificatur in adultero, qui inuadit honorem mariti, itaut semper maritus habeat viam ad honoris læsionem reparandam sinè illius occisione; potest enim Iudici iniuriam denunciare, vt per viam iustitiæ honoris læsio reparetur &c. nō ergo probatur intentum in allegato fundamento, cùm non sit idem quærere an liceat viro honorato occidere inuasorem lædentem notabiliter fuste, alapa, vel calumnia, si aliter ignominia nequeat euitari, licèt post impactum ictum fugiat fuga, per quam finitus non reputatur congressus; & quærere an liceat adulterum deprehensum cum vxore occidere; nam contra istum est semper alia via ad honorem reparandum, vt ostendi.

36 Ex his necessariò præadductis ad inferendam solutionem dubij numero trigesimoquarto

tò propositi, statuitur quòd maritus illicitè occidit adulterum, & si id fecit in loco, vbi vigent leges permittentes eiusmodi homicidia, vt impunita sint; tamen supposito consensu in adulterium, cuius consensus reuocatio fuit simul cum occisione, vndè adulteri tempus non habuerunt ad desistendum, propterea maritus cesserat iuri suo quantùm potuit, & cùm tali cessione mortuus est, quia tempus defuit, vt iuxta eius voluntatis mutationem adulteri abstinerent; quare pro foro interno adultera non tenetur se propalare, ea prorsus ratione, quam dedimus suprà *num.* 33. eoque ordine. Quoad forum externum etsi hæc vera esse iuridicè probentur, censeo hæredes interfectorum ad nulla damna teneri; & quidem non illi adulteri, quia iste occidit vt se defenderet cum debito moderamine inculpatæ tutelæ contra vitæ inuasorem iniustum, vt ex facto probatur: non illi mariti; quia quamuis consensum dederit in adulterium, tamen leges ei suffragantur, vt impunè occiderit, cùm semper subsistat causa, scilicet vehemens mariti dolor propter vxoris adulterium, ob quem dolorem homicidij pœnæ condonantur in foro contentioso, talisque dolor hìc intercessit, eò ipso quòd ad interficiẽdum insurrexit; & hæc suadentur, quia durante causa durat effectus, sicuti è contra etiam in foro animæ, & in spiritualibus. Tiraquell. *tract. cessante causa*, *p.* 1. *num.* 18. Clar. §. *fin.* *q.*76. *in fin.* & fusè varios referens Card. Tusch. *lit. C. conclus.* 202. *per totam*, & nos *infrà decis.* 79. *num.* 45.

Ità iudico de talibus adulteris, & de marito in vtroquè foro. Noto solùm me dixisse non teneri adulteram se propalare, quod intelligo pro casu, quo eius adulterium, & partus ex eo ignorentur; quòd si non ignorentur, poterit adhuc silere, & à fortiori, semper tamen iuxta tradita *num.* 33. *maximè in fine*.

---

# DECISIO XLII.

*An detur casus, quòd Episcopus teneatur Ordinare Sacerdotem, & ad Confessiones exponere omninò ignarum.*

## Casus, seu Historia XLII.

### SVMMARIVM.

1 *Casus proponitur.*
2. 3 *Nesciens latinum an possit ordinari.*
4 *Quæ scientia exigatur in Confessario.*
5 *Peccat exponens Confessarium non aptum.*
6 *Confessarius quando non absoluat.*
7 *Peccat eligens ineptum Confessarium.*
8. 9. 10 *An Confessio facta ignaro, sit iteranda.*
11. *vsque ad* 16 *An Episcopus possit ordinare dispensando ignarum.*
17. *vsque ad* 23 *An possit dispensare in lege Concily Episcopus, & Capitulum Sede vacante.*
24. 25. 26 *Ignarus interdum exponi potest.*
27. *vsque ad* 33 *Non est iteranda Confessio facta in mortis articulo cum cognoscente peccatum, vt tale.*
34. *vsque ad* 38 *Resolutiò casus nostri, stantibus propositionibus damnatis.*

1 IN loco cuiusdam Ruris inter desertos montes constituto, tantum diffidentiæ in Parochum suum gentes illæ communiter habebant, vt potiùs Sacramentorum susceptionem omitterent, quàm ad ipsum accederent, & pro Confessionibus, & pro Communione etiam in die Paschatis; imò nec ad infirmos, & moribundos aduocabatur. Perrexit ad locum istum visitandum Episcopus, & detectis inconuenientibus, cogitans pro remedio vel Parochum mutare, vel Capellanum, aut alium Sacerdotem ibi mittere, neminem vnquam potuit reperire, qui in deserto illo eligeret habitare. Nullus alter dabatur ibi Presbyter, sed quidã sæcularis, qui officio Sacristæ fungebatur erat omnibus carus, & nisi ipse obstitisset, cogitabant, & petebant non pauci ex illis rusticis, vt eorum Confessiones audiret, nam Parochum adire nolebant. Consilium fuit Ordinare illum Sacristam, eumque ad Confessiones exponere; sed quia ignarus erat, neque latinam linguam habebat, quæsitum fuit, an posset, imò an teneretur Episcopus illum ordinare, & ad excipiendas Confessiones delegare, attenta currenti multarum animarum necessitate.

### §. I.

*Ponuntur fundamenta pro vtraquè parte, & resoluitur pro affirmatiua.*

2 IN hac historia videtur respondendum, nullo modo posse Ordinari, maximè ad ordines sacros, nescientem linguam latinam; neque posse designari ad excipiendas Confessiones illum, qui omninò est ignarus. Primò, quia Concilium Tridentinum *sess.* 23. *cap.* 11. in pro-

promouendis ad minores requirit saltem linguam latinam; in ijs verò, qui promouendi sunt ad Subdiaconatum, vel Diaconatum, exigit cognitionem eorum, quæ pertinent ad istos ordines, necnon & litteras, dicens de illis, quòd sint *litteris, & ijs, quæ ad ordinem exercendum pertinent instructi*; ità habetur *sess. cit. cap.* 13. & eodem loco, sed *cap.* 14. vult, vt promouendi ad Ordinem Presbyteratus habeant scientiam, qua possint populum docere necessaria ad salutem, & ritè administrare Sacramenta: ergo à fortiori excludendus erit ab Ordinum susceptione omnino ignarus, sicùt & experientia constat, quòd Domini Episcopi vnà cum Examinatoribus excludunt omnes, quos inuenerint parum scire; igitur quid facient cum eo, qui nihil sciret?

3 Probatur etiam ratione; nam incapax alicuius officij est, qui nunquam sciet necessaria pro talis officij executione, vnusquisque enim tenetur scire ea, quæ officij, aut muneris sui sunt propria; ergo ignorans omnia, quæ ab Ordinandis regulariter sciri debent, vt sic sua munia exerceant, erit inhabilis ad hoc, vt ordinetur.

4 In ordine ad Confessiones audiendas, cùm vlterior scientia exigatur, ac in simplici Ordinato, non potest dubitari, quin exponendus non sit omnino ignarus, casu quo talis ordinaretur Sacerdos. Imò Doctores omnes conueniunt, debere Confessarium habere triplicem scientiam, scilicet. 1. suæ potestatis, vt sciat quos, & quando possit absoluere. 2. eorum, quæ pertinent ad pœnitentes, vt sciat quinam dispositi, & qui non defectu doloris, propositi emendationis, & remotæ, aut detentæ occasionis peccandi. 3. eorum, quæ pertinent ad ipsa peccata, vt sciat quando restituendum, aut non; quando circumstantia sit mutans speciem; & quæ sint mortalia, quæ venialia: cùm igitur omninò ignarus, & sinè lingua latina hæc nullatenus sciat, non poterit exponi.

5 Confirmatur, nam Thomas Tamburinus *de Sacram. lib.* 5. *cap.* 6. §. 1. *num.* 8. dicit mortaliter peccare Ordinarios exponentes Confessarios insufficientes; quamuis in Villis, & pagis possint indoctos exponere, cùm melius sit in istis locis aliquem dari, qui confessiones excipiat, quàm nullum; at exponere omnino ignarum, videtur non faciendum esse, & si fiat grauiter delinqui.

6 Item facit auctoritas Bossij *de Iubil. sect.* 3. *casu* 2. *num.* 168. citantis etiam Gabriel. Nauar. & Caietanum, & dicentis illum inualidè excipere confessiones, qui adeò ignarus est, vt nesciat distinguere lepram à lepra, idest peccatum mortale à veniali in casibus communiter contingentibus; ergo datur casus in quo ignorantia Confessarij reddet inualidas absolutiones; & hic casus certè erit noster, cum supponat totalem ignorantiam in Confessario; vndè nullatenus poterit Episcopus similem ignarum ad Confessiones audiendas designare sinè peccato mortali, ratione grauissimæ iniuriæ, quæ fit Sacramento, faciendo semper inualidè.

7 Adhæret dictis Eminentissimus Lugo *de pœnit. disp.* 21. *sect.* 4. *num.* 73. vbi docet peccatum committere eum, qui eligit ineptum ad hoc Confessarij officium, & non solùm Prælatus, sed etiam pœnitens, qui habet facultatem eligendi Confessarium, & scit hunc non esse idoneum; ergo non licet Episcopo concedere facultatem audiendi Confessiones Sacerdoti totaliter ignaro.

8 Et quamuis aliqui concedant, quòd in extrema necessitate, confessio facta ignorantissimo Sacerdoti, cōferat gratiam, & sit verum Sacramentum, volunt tamen, quòd elapso periculo sit iteranda: ità Syluester citatus à Vasquez *in* 3. *part. tom.* 4. *q.* 93. *art.* 3. *dub.* 2. *nu.*
9 2. & 3. Et alij addunt, quòd idem dicendum sit de illo, qui bona fide confiteretur sua peccata huiusmodi ignaro Sacerdoti extra periculum. Si est iteranda modo dicto, signum est, non licere talem Sacerdotem exponere.

10 Rigorosiùs tenent alij, esse inualidam Confessionem factam Sacerdoti prorsus ignaro etiam in mortis articulo: sic Vasquez *vbi supra*. Ochagauia *de Sacram. tract.* 2. *de pœnit. quæst.* 38. *nu.* 4. ergo nullatenus est exponendus ad Confessiones ille, qui omninò est ignarus.

11 Prædictis non obstantibus dico posse ab Episcopo Sacristam illum ordinari, quem deinde & poterit ad Confessiones in illa villa audiendas exponere; imò & tenebitur excipiendi confessiones facultatem impertiri, prout infra
12 ostendam. Et quoad primum, scilicet, quòd possit illum ignarum ordinare probatur, nam potest Episcopus (siuè per dispensationem, siuè per interpretationem Tridentini id fiat) ordinare etiam ad Presbyteratum illum, qui parùm in grammatica versatus nescit connectere sensum Epistolarum, Euangeliorum, Collectarum, & eorum, quæ in Missis leguntur, si ex alia parte in Ordinis functionibus, & in diuinis Officijs, ritè legit, & cantat, quamuis non rectè intelligere, nec verborum quantitates scire

ple-

plenè, aut saltem mediocriter didicerit, non obstante quòd spes nulla extet hunc ampliùs esse profecturum in lingua latina; & sic docent multi Doctores, quos videre est apud Emanuelem Rodriquez *to. 1. q. 24. art. 7.* Hieronym. Rodrig. *res. 106. num. 24.* Leander *d. 7. q. 6.* Ergo cùm Sacristia in casu nostro peritus sit in rebus Ecclesiæ, officij, & de modo Missas celebrandi, si solùm rudi Minerua linguam latinam sit assecutus, poterit ordinari.

13 Quòd si Sacrista dictus, totaliter ignarus reperiatur, ita vt nec rudi Minerua prima rudimenta linguæ latinæ sciat, cùm quid omninò ignotum apud ipsum sit grammatica, dico non posse cum dispensatione Episcopi ordinari, quia absolutè loquendo talis Idiota regulariter ab Episcopo non potest dispensari. Ratio est, quia absolutè loquendo, Episcopus non potest dispensare in aliqua lege Concilij generalis, etiamsi ipsa permittat dispensationem, sicut tradunt Enriquez *l. 13. c. 34. num. 1. liter. C.* Franciscus de Molina *de ritu nupt. l. 2. disert. 11. num. 145.* Guttierez *de iuram. confir. p. 1. c. 51. nu. 24.* Rebuffus *trac. nom. q. 50. num. 30.* Gratianus *discept. forens. c. 391. num. 33.* Reginaldus *l. 31. c. 27. num. 202.* & alij; ergo cùm lex Concilij sit, vt scientia requiratur, & peritia in maioribus, & minoribus ordinibus, Episcopus in ea nequit absolutè, & regulariter dispensare.

14 Et Sayrus *lib. 6. de Censuris c. 13. num. 9.* Suarius, Maiolus, & alij apud Molfesium *c. 13. tract. 2. de Ord. num. 7.* expressè dicunt, non posse Episcopum dispensare in defectu literaturæ, seu in Irregularitate; ergo cùm talis defectus sit in Sacrista, de quo agitur, non potest, absolutè loquendo, dispensari ab Episcopo in Ordine ad ipsum Ordinandum ad quemcunquè

15 Ordinem. Semper dixi, *non posse absolutè loquendo*, quia sic excluditur iusta causa, quæ posset interuenire; quapropter si Episcopus posset dispensare in lege Concilij, adhuc eius dispensatio nulla esset, imò esset illicita, si sinè causa fieret, quæ doctrina currit, & valet pro quacunquè alterius generis dispensatione, si sinè causa fiat, vt docent Couaruuias *de spons. p. 2. c. 6. §. 9. nu. 1.* Nauarrus *c. 9. num. 15.* Guttierez *l. 1. cap. 9. num. 5.* Sanchez *de matrim. lib. 8. disp. 17. num. 4.* cum alijs.

16 Sed deueniendo ad casum propositum, prout necessitas illius Villæ exigit, dico talem necessitatem habere rationem causæ grauis, & vrgentis; & sic si datur causa huiusmodi, licitum est Episcopo ordinare, præuia ipsius Episcopi dispensatione, illum Sacristam, quamuis omninò ignarum, & in lingua latina totaliter Idiotam, cùm aliunde sit vir probus, & in diuinis Officijs assiduus, diligens, ac feruidus, & peritus; quam ordinationem assero posse fieri vsque ad Sacerdotium inclusiuè.

17 Probatur, nam Episcopus potest dispensare in lege Concilij generalis, si non ordinariæ necessitatis contingat casus; sed casus noster talem præsefert necessitatem; ergo Episcopi dispensatio potest fieri in persona Sacristæ dicti. Consequentia benè sequitur ex præmissis. Minor ex se patet; nam agitur de salute æterna vnius Communitatis, quę periclitatur ex defectu Sacerdotis docti, quem non est inuenire, vel si inuenitur, qualis est Parochus, hic non admittitur; ergo casus iste est magnæ necessitatis, cuiusmodi est ista salutis æternæ, ad quam consequendam sufficiet Sacerdos ignarus. Maior propositio docetur à pluribus Doctoribus, præsertim quando Concilium permittit dispensationem, vel loquitur impersonaliter; & nec vetando, nec permittendo, nec ponendo aliquam pœnam dispensanti, vel ordinanti. Sic docent Rebuffus *prax. tit. dispens. à num. 30.* Humada *l. 5. gloss. 12 fine p. 1. tit. 5.* Brunor. à Sole *loc. com. ver. dispensatio 1.* Spinus *in spec. gloss. 15. à num. 8.* Sanchez *de matrim. lib. 8. disp. 5. à num. 1.* Cenedus *qq. pract. q. 30. à num. 30.* Tiraquellus *de pœn. tempor. praef. nu. 13.* Lambertinus *de iure patron. p. 1. l. 2. art. 9. q. 7. nu. 2.* & alij.

18 Notandum tamen est, quod quamuis supra dictum sit, posse Episcopum cum ignaro ex causa graui dispensare, non intelligitur de verâ, & propria dispensatione, sed solùm ex Ratihabitione, eò quia probabiliter, sibi potest persuadere, Summum Pontificem id ratum habiturum, atquè pro rectè facto approbaturum, quòd omnino ignorans linguam latinam sacris initietur, attentis currentibus circumstantijs loci, temporis, personæ, necessitatis, atquè vtilitatis.

19 Notandum item est, id facere Episcopum non ex vera dispensatione, sed ex Epicheia, seu ex interpretatione iuris positiui stabiliti Concilio Tridentino, etenim in dubijs habet locum talis Epicheia, seu interpretatio, prout tenet Enriquez *l. 8. de Euch. c. 45.*

20 Causa autem grauis, & vrgens, quænam intelligatur, si quis scire optat, dico posse varias assignari iudicio prudentum. Nunc aliquas nominabo. Et primò, vna est indigentia Presbyteri, quam habet Ecclesia alicuius Villæ,

aut

aut oppidi. Secundò, si aliquis Sacrista, aut Organista egregiè inseruit Ecclesiæ, sed non habet vndè valeat sustentari, nisi fiat Sacerdos, & experientia constet, quòd quamuis diu in addiscendo laborauerit, nihil profecit, vndè nec spem dat proficiendi; sed nec ista ignorantia illum impediet, quin rectã Ordinum functionẽ rectè possit exercere. Tertiò, causa grauis est, Ecclesiæ vtilitas, vel eiusdem Ordinandi necessitas, maximè si teneatur matrem, patrem, & sororem sustentare.

21 Et ne alicui Episcopo dura videatur doctrina ista, ponam hìc testimonium Viualdi, qui casum hunc practicatum fuisse testatur his verbis 2. *p*. §. 5. *de Irregul. Ego vidi in Archiepiscopatu Toletano quemdam, qui numquam litteris latinis operam dederat, propter insignem in Officijs Ecclesiasticis administrandis, & officiandis peritiam, erat enim insignis, diligentissimusque Sacrista, ad sacros Ordines admissum*. Ecce exemplum, quod ex tam celebri Archiepiscopatu Viualdus proponit omnibus Episcopis. Ex istis igitur nemo dubitare potest, quin optimè faciet Episcopus; si data causa simili nostræ præsentis casus, Ordines conferat totali-

22 ter idiotæ. Et certè fateri oportet esse grauissimam causam istius casus, vt patet, ideò poterit Episcopus prouidere, imponens Sacristæ, vt sicuti tam benè sacras functiones practicat, ità studeat aliquid grammaticæ, vt valeat Ordinari; tamen si periculum sit in mora; seu si certò constet, quòd nihil in studio perficiet, poterit omisso studio statim Ordinari, prout dictum est.

23 Si verò id eueniret faciendum Sede vacante, dico, quòd penes Capitulum est eadem facultas, quam haberet Episcopus in hac dispensatione modo dicto; & eamdem facultatem habet quilibet Prælatus Iurisdictionem quasi Episcopalem habens; & omnia dicta sint in fauorem ignorantiæ, dummodò detur scientia ad rectè exercendum functiones Ordinum.

24 An verò iste Ordinatus ignorantissimus possit exponi ad Sacras Confessiones audiendas in illa Villa, cùm extra illam certum sit non posse approbari ad ministrandum Sacramentum Pœnitentiæ, dico posse, imò & Episcopum teneri illum exponere, sicut tenetur vt Pater suis ouibus necessaria salutis prouidere, quandoquidem alium Confessarium doctum non valet pro dicta Villa inuenire. Ratio id probans est ipsa necessitas; ideò Em. Lugo *de pœnit. disp.* 22. *sect.* 4, *num.* 73; postquam dixit peccare approbantem, aut eligentem Confessarium non idoneum, ponit exceptionem in triplici casu.

25 Primus est, quando scientia pœnitentis potest supplere ignorantiam Confessarij, ipsum docendo, admonendo, cautelizando, &c. Secundus est, necessitas, vt in articulo mortis, in quo quamuis Sacerdos sit ignarus, & indoctus, debet nihilominus confessionem audire, & absoluere. Tertius est, quando Christiani, qui in terris Infidelium detinentur captiui, alium Confessarium non habent, nisi ignarum, & indoctum, vndè de necessitate debent ad ipsum confiteri, & benè confitebuntur, quia illa necessitas, est moraliter extrema: hæc Em. Lugo, quibus addenda consequenter apparet necessitas, vt in casu nostro; ergo ignarus, & indoctissimus poterit esse Confessarius approbandus ab Episcopo, dum id extrema necessitas gentium illius Villæ ita requirit.

26 Hoc idem docet ex Nauarro *in manual. cap.* 6. *num.* 5. Naldus *in sum. verbo Confessio, & Confessarius num.* 23. vbi ait, Confessarij imperitiam tribus in casibus excusari. Primò ex sufficientia pœnitentis; secundò ex bonitate vitæ eiusdem; tertiò ex periculo mortis, aut ex captiuitate apud Infideles; quorum casuum, primus, & tertius iam sunt adducti supra cum Cardinali de Lugo. Secundus autem verificatur in nostro casu; est enim ille Sacrista probatissimæ vitæ, ac per consequens scit malum vitandum, & bonum faciendum; ergo ex hoc capite excusabitur ab obligatione habendi scientiam, vt possit approbari ad audiendos pœnitentes.

27 Confirmatur, nam qui in mortis periculo confitetur Sacerdoti omninò illiterato, iam quantùm est in parte sua, subdit Clauibus peccata sua, de quibus quamuis nesciat Sacerdos iudicare, sicut non obstat validitati confessionis, ità nec inducit obligationem iterum eadem confitendi, si conualuerit, vt docet Thomas Hurtadus *var. tom.* 2. *tract.* 12. *c.* 1. *res.* 34. §. 2. *dub.* 4. *num.* 2070. Ergo & in alia necessitate moraliter extrema, qualis est in casu nostro, poterit approbari Confessarius illiteratus ab Episcopo, sicuti approbantur ab Ecclesia omnes Sacerdotes etiam ignorantissimi pro necessitate extrema, seu in periculo mortis, quia alter Confessarius haberi non potest, sicut nec alium possunt habere, moraliter loquendo, gentes Villæ, vt in præsenti casu.

28 Confirmatur etiam ex opinione Ioannis Præpositi *in* 3. *part. D. Thom. qu.* 7. *de ministro pœnitentia dub.* 9. *num.* 66. *&* 67. vbi docet, & pro-

& probat, quòd vt Sacerdos validè absoluat, sufficit, vt saltem cognoscat peccatum sub confusa ratione peccati. Sed in casu nostro habemus Sacristam probum moribus, ac per consequens scientem cognoscere peccatum sub eius confusa ratione; ergo poterit Confessarius deputari, qui & validè absoluet.

29 Nec sunt audiendi Sancius, & Gaspar Hurtadus *de sacram. disp.* 10. *de pœnit. dif.* 15. qui volunt huiusmodi Confessionem factam indocto, esse replicandam data opportunitate Sacerdoti docto; nam contra ipsos idem Præpositus *loc. cit.* optimè probat id non esse necessarium, etenim sic affligerentur conscientiæ semper suspectæ an Confessarius intellexerit suum peccatum tantummodò sub confusa ratione peccati; & hoc maximè si cōprehendatur Confessarium esse indoctum. Ergo sufficiet, vt dictum est, excusante defectum scientiæ currente necessitate, ratione cuius tenebitur Episcopus prouidere omni meliori modo, quo poterit, & hoc faciat approbando indoctum Sacristam bonis moribus præditum, ab omnibus cōmendatum, ac nemini non carum.

30 Deniquè habeo Thomam Tamburinum *de Sacramentis lib.* 5. *cap.* 6. §. 2. *num.* 8. qui sic ait: *Infero secundò, mortaliter peccare Ordinarios, quando concedunt facultatem excipiendi Confessiones Sacerdotibus insufficientibus. Est tamen hic notanda limitatio. Quando enim in Villis, & Pagis non adest copia Doctoris, potest indoctus eligi in Confessarium, satius enim est, aliquem ibi, quamuis indoctum, præsto esse, quàm nullum. Considerent tamen Episcopi onus, quod ipsis incumbit suis ouibus, etiam proprijs expensis consulendi*; ita ille; & ego subscribo.

## §. II.

*Satisfit fundamentis partis negatiuæ.*

31 Contrariorum rationibus, quæ à principio dicebantur pro parte negante posse Ordinari, aut ad Confessiones approbari omninò illiteratum, satisfit. Ad id de Concilio, quod requirit scientiam, vt dicebatur *sub num.* 2. dicendum est, verum esse ordinariè loquendo, sed scientiæ defectus dispensatur, seu aliter disponit sua authoritate Episcopus, & sic nihil fit contra Concilium; sicut supra ostendebatur.

32 Ad argumentum *sub num.* 3. adductum, dicitur, quòd in casu nostro ille, qui est Ordinandus de facto scit suum officium, quantùm sufficit, cùm sciat qualiter v. g. benè sit Sacrum celebrandum, licèt non intelligat verba latina.

33 Ad alia, quæ afferebantur ad probandum requiri scientiam in Confessario; respondetur veritatem habere si aliud non obstet; at si aliud obstet, & aliter est discurrendum. Cùm ergo scientiæ aliàs requisitæ obstet necessitas grauis, & vrgens, erit totum negotium iuxta currentem necessitatem regulandum: Vndè in præsenti necessitate casus nostri, iudico Sacristam illum esse Ordinandum, ac postmodum pro Confessionibus approbandum, & hæc præstare debet Ordinarius illius Villæ per se, vel per alium, ità vt obligetur, nec sinè graui culpa possit recedere, nisi aliter valeret prouidere, ne tot oues infernalis Lupi faucibus periclitentur deglutiri.

34 Nec Episcopum potest eximere à tali obligatione, si dicatur, quòd gentes illius Ruris sibi debeant imputare perditionem suam, quandoquidem habent Parochum, ad quem deberent, & possunt confugere. Hoc inquam non suffragatur vt Episcopus non teneatur ad aliud circa illas gentes oues suas; nam quamuis concedam, debere sibi suam perditionem imputare, dico quoquè & Episcopo debère imputari, si remedium non ponat, prout semper ipse ex officio tenetur iuxta exigentiam necessitatis. Id adeò verum est, vt obstari nulla ratione ei possit; quemadmodum enim culpa Pastoris est, si valens eripere ouem à faucibus Lupi, non eripiat, licèt ouis sua culpa, sua ignorantia, aut propria simplicitate Lupi faucibus se donet: Item & Pastor est Episcopus, & oues sunt gentes ei subditæ; ergo non excusat Episcopum Pastorem potentem saluare oues suas, ipsarum ouium dementia moralis, idest culpa, qua sese Lupo tradunt. Quæ omnia vera sunt etiam extante damnatione Propositionis primæ inter damnatas ab Innocentio Vndecimo. Hinc non pugnat contra edocta in hac Decisione, si asseratur tutiùs esse ignarum non ordinarè, nec ad Confessiones excipiendas talem exponere, cùm solùm probabiliter videatur affirmari, quòd talis validè absoluet, & tamen dicta Propositio prima fuit damnata, quia docebat licere sequi sententiā probabilem, relicta tutiori, vbi agitur de validitate Sacramenti in illis conferendis. Idem dicendum est, si talis ignarus fiat Parochus. Hæc, inquam, non pugnant contra præsentem nostram Decisionem: Primò, propter traditam doctrinam omninò videndam *in Decisione*

*86.num.*17. Secundò, quia nos semper egimus de summæ necessitatis casu, in quo nihil fit contra mentem Pontificis, quæ qualis sit constat ex Procemio Decreti, per quod damnauit 65. Propositiones sub *die 2. Martij. 1679.* tamquam perniciosas animarum saluti, ac scandalosas, ibi: *tamquam scandalosas, & in praxi perniciosas, esse damnandas, & prohibendas, sicuti eas damnat, & prohibet*: ex procemio autem legis, clarè colligitur intentio Legislatoris, vt latè cum Tiraquello, Guttierez, Molina, Barbosa, Menochio, & Curtio iuniore notaui *in Decis. 10. num.* 28. & alios addam *in Decis. 79. num.* 54. *& seqq.* si ergo Pontifex ideò damnauit Propositiones, quia sunt perniciosæ saluti animarum, consequenter nullus scrupulus erit Sacramentum conferre tantùm iuxta opinionem probabilem, quoties sic faciendo erit in salutem animarum. Est autem in salutem animarum si sententiam probabilem sequamur in casu summæ necessitatis. Sic non est peccatum baptizare morientem puerum cùm aqua probabiliter tantùm sufficienti ad baptizandum, si alia non habeatur, quia magis conforme saluti animæ dicti pueri est eo modò, quàm nullo modo baptizari: Idem dicatur in similibus casibus, nec non & in nostro, adhibendo semper conditionem, nam dum sub conditione Sacramentum confertur, ei iniuria non irrogatur, imo in tali casu Sacramentum cedit iuri suo, cùm sit institutum pro salute animarum.

35 Placet deniquè cuncta prædicta roborare, euertendo obiectionem, quæ posset adduci ad probandum, quòd nunquam liceat operari iuxta sententiam probabilem, relicta tutiori de validitate Sacramenti in illius collatione; nam quamuis ex procemio legis habeatur mens, animus, dispositio, & intentio Legislatoris, prout traditur communiter à Iurisperitis, & latè refertur à Barbosa *axiom. Iuris vsufreq. axiom.* 192. intelligi tamen debet, nisi ex alijs verbis Legislatoris aliquid speciale statuatur. Cùm ergo Innocentius Vndecimus in præcitato Decreto post procemiũ damnet Propositionem in serie aliarum tertiam, quæ dicit: *Generatim dum probabilitate, siuè intrinseca, siuè extrinseca quantumuis tenui, modò à probabilitatis finibus non exeatur, confisi aliquid agimus, semper prudenter agimus*; consequenter illicitum erit operari iuxta probabilitatem quantumuis tenuem, qualis est illa in materia validitatis Sacramentorum: ergo nequè in extrema necessitate licebit sequi sententiam probabilem; v. g. in collatione Baptismi puero morienti, &c.

Nihilominus dicendum est, nihil probare contra nostram doctrinam præallatam obiectionem, tametsi meritò damnata sit vtpote scandalosa Propositio adducta, quæ potenter impugnari potest, sed in præsenti contenti erimus ea afferre, quæ ad obiectionem eliminandam sufficient. Dico igitur primò, esse falsum, quòd generaliter omnis probabilitas de validitate Sacramentorum sit talis, qualis est illa, de qua fit mentio in dicta Propositione, scilicet adeò tenuis, vt minimum quod sic probabilitatis habeat, hoc enim significatur per verba, *quantumuis tenui*; nam essentiæ probabilitatis inhærendo, sæpè efficaciter aliqua sententia astruitur tum rationibus, tum Doctorum authoritate, itaut probabilior habeatur quàm alia tutior, nempè in qua est minus periculum peccandi; ergo in materia Sacramentorum quoad eorum validitatem datur probabilitas maior illa, in quã peccandi periculum cùm sit minus, ideò tutior est habenda, & hanc sequi debemus, nisi aliud obstet salua mente Pontificis, sicuti contingit in casu extremo à nobis assignato numero antecedenti de puero moriente sinè baptismo: igitur nihil est contra damnationem adductæ Propositionis.

36 Dico secundò, quòd eadem Propositio est damnata vt iacet, ac secundùm suam generalem significationem, per quam docetur, prudenter semper agere, qui agit iuxta probabilitatem quantumuis tenuem. Sed id scandalosè dicitur generatim loquendo, nam vbi duæ probabilitates dantur, vna firma, alia tenuissima, sanè generaliter non est verum, quòd prudenter illa relicta, ista eligatur, sicuti imprudens diceretur, qui tenuissimo innixus fulcimento, abiecto solidiori, periculum vitæ eligeret euitare: Prudens tamen esset, si tenue eligeret, quia aliud firmius non habet. Sic prudenter ageret, qui aliter nequit agere, nisi iuxta sententiam tenuissimè probabilem, vel quia non habet probabiliorem, vel quia iuxta istam non potest agere; at in tali casu illa tenuissima probabilitas respectiuè, non habetur vt talis absolutè pro eo casu, & sic tenent prædicta à nobis de casu extremæ necessitatis. Damnata est igitur Propositio, vt iacet, & generatim loquens; imò ea tenuis probabilitas interdum est apparens, vel periculosa, atquè ideò dignissimè fuit damnata Propositio præallegata propter suam generalem significationem animarum saluti verè perniciosam, dum docet licere in quocunquè casu sequi probabili-

bilitatem quantumuis tenuem, & hoc esse prudenter agere. Videatur quid de Prudentia, ac de Prudenti dicant D. Ambrosius *lib. 1. de officijs, cap.* 4. D. Thomas *quæst.* 4. *art.* 2. *ad* 2. Isidor. *lib.* 10. *ethymolog. cap.* 15. Aristot. *lib.* 6. *Ethic. cap.* 5. & meritum damnationis Propositionis prædictæ clariùs patebit, si attendatur vt iacet, ac propter eius generalitatem in verbis *Generatim*, & *semper*, licèt possit esse vera in casu aliquo particulari, & in adducto de puero, & in similibus. Probant etiam falsitatem scandalosam eiusdem Propositionis Doctores, qui multi sunt, volentes non esse licitum sequi sententiam probabilem relicta probabiliori; nam ex illorum authoritate infertur apertè, quòd scandalosum sit affirmare, semper prudenter agere, qui iuxta aliquam probabilitatem quantumuis tenuem agit.

37 Et vt magis confirmem hactenus dicta, præcipuè de casu pueri morientis sinè baptismo, nisi sequamur sententiam probabilem ratione necessitatis; noto Alexandrum Septimum damnasse hanc Propositionem, quæ est 27. inter alias: *Si liber sit alicuius iunioris, & moderni, debet opinio censeri probabilis, dum non constet reiectam esse à Sede Apostolica tamquam improbabilem*. Ista Propositio absolutè prolata nullo modo erat permittenda, quia multa secum affert scandala, cùm liber iunioris, & moderni, si verbi gratia, aliquam contineat sententiam contra quotquot antè illum contrarium docuerunt, eaque fortassè fundamentis solùm apparenter veris astruatur, certè talis opinio, dato quòd possit dici probabilis probabilitate quantumuis tenui, de facto nullo modo debet censeri probabilis in seipsa considerata, & antè quamcunquè Sedis Apostolicæ authoritatem eam improbantem. Cæterùm similis opinio per Alexandrum VII. iam est reiecta tamquam improbabilis ex vi damnationis Propositionis allatæ, & consideratæ in sua generalitate. Sed indè non sequitur quòd in aliquo casu talis moderni opinio nequeat esse probabilis, licèt falsum sit omnem opinionem iunioris esse censendam probabilem generatim antè Sedis Apostolicæ iudicium, eam tamquam improbabilem reijcientis. Sic contingere potest, quòd in aliquo euentu ignoretur quid liceat, vel non liceat, & rationes pro nulla parte habeantur, tamen in libro iunioris, & moderni traditur vna opinio, per quam ipse modernus resoluit quid liceat, vel non liceat in tali casu, de quo alij Doctores non scripserunt. Tunc opinio illa poterit censeri probabilis, nisi aliundè aliquid obstet, vt si Author sit suspectus in Fide; vel si non rationabiliter discurrat in illius probatione, &c. En igitur cur damnari debuit illa Propositio in sua generalitate tamquam scandalosa, quamuis interdum opinio iunioris, & moderni possit censeri probabilis, nisi reiecta sit à Sede Apostolica.

38 Addo, quòd *l. si Pater, ff. de solut. & l. septimo mense, ff. de statu hominum*, imò ex communi Doctorum consensu habetur, authoritatem viri clarissimi, præcipui, & in moralibus versatissimi posse sequi, vt notat Gabriel à S. Vincentio *de remed. ignorant. disp.* 12. *num.* 218. vbi agit de merito damnationis Propositionis adductæ; & *num.* 219. loquitur iuxta prædicta à nobis numero antecedenti, quatenus ille aduertit cum Syluest. Portel. Dual. Granad. & alijs à Fagnano relatis *de opinione probabili. num.* 417. nos eam sententiam posse sequi, licèt vnius authoris, quæ innititur graui fundamento, & in contrarium nulla adest ratio, vel grauis authoritas mouens; & ratio est, quia talis sententia suam habet probabilitatem potiùs fundatam in vi rationis, quàm authoritatis.

Dicta sufficiant ad rem nostram, vt probaremus verum esse, quòd interdum possumus licitè sequi sententiam aliquam probabilem probabilitate vel tradita ab vno moderno, vel tenui, vel à pluribus edocta, relicta etiam tutiori quoad validitatem Sacramentorum, vt diximus de puero moriente, &c. Nec fiet sic contra Propositionum damnationem, quia hæc illas afficit vt iacent, ac generatim, non verò pro aliquo casu, iuxta adducta.

# DECISIO XLIII.

*An hæres illius, qui detraxit Ginesio coram multis, qui intellexerunt de Sinesio, teneatur aliquid restituere, vel ipsi Sinesio, vel hæredibus suis.*

## Casus, seu Historia XLIII.

### SVMMARIVM.

1 *Casus proponitur.*

2. 3 *Detractor tenetur errorem tollere, si audientes malè intelligant.*

4. vsque ad 10 *Et hoc ex Charitate secundùm aliquos, & interdum ex iustitia.*

*11. 12 Si leuiter detraxit, non tenetur retractare sub graui culpa.*
*13 Quid in casu nostro.*
*14 vsquè ad 19 Hæres detractoris aliquando tenetur, aliquando non resarcire læsis.*
*20. 21 An fama compensetur pecunijs.*
*22. 23 Etiam hæredibus infamati est compensandum ab hærede infamantis.*
*24 Quamuis pecunijs impediatur lis.*
*25. 26 Mortuis est restituenda fama.*
*27. 28. 29 Propositiones damnatæ.*

1 VLysses coram multis multa verba detractionis dixerat de Ginesio; at auditores malè intelligentes, putauerunt omnia dicere de Sinesio. Mortuus est paulò post ipse Vlysses, cuius hæres cognoscens non parua damna euenisse ipsi Sinesio ex detractionibus Vlyssis, quæ damna à Sinesio deriuant quoquè in illius hæredes post mortem ipsius Sinesij; ideò dubitat, hæres Vlyssis an ad aliquid restituendum teneatur, vtpote qui loco Vlyssis successit, ac de debitis ipsius, cuius est hæres tenetur, sic enim per testamentum legitur obligatus omnia debita ab Vlysse viuente contracta adamussim soluere, & ablatio famæ affert debitum restitutionis, quam Vlysses viuens non fecit.

2 Ego iudicaui respondendum esse hæredi Vlyssis, quòd dum iste viueret tenebatur errorem illum ab auditoribus auferre; & hoc adeò verum esse visum est Molinæ, vt dixerit, neminem de ista veritate posse dubitare; & ità habet *tom. 5. disp.* 40. *num.* 3.

3 Idem affirmat Lessius *de iust. & iur. lib. 2. cap.* 11. *dubit.* 21. *num.* 119. Ergo Vlysses sciens auditores suæ detractionis intellexisse Sinesium, & non Ginesium, tenebatur ab errore auditores eosdem liberare.

4 Hæc Vlyssis obligatio erat ex Charitate secundùm aliquos; sed secundùm alios erat facienda ex iustitia restitutio famæ ablatæ per illum errorem, Igitur ille, qui detrahit alicui, si ab auditoribus intelligitur de alio, cui oritur infamia, tenetur ex Charitate, si commodè potest, non autem ex iustitia, famam compensare.

5 Quòd teneatur ex Charitate probatur, quia Charitas postulat, vt damnum proximi auertamus, & tollamus, quotiescunque id sinè nostro notabili incommodo præstare possumus; Sed hoc currit in casu Vlyssis; ergo ex Charitate tenetur errorem illum auferre, à quo damna Sinesio sunt secuta.

6 Et quamuis videri possit, quòd ex iustitia teneatur, probatur tamen non teneri, quia illa Vlyssis narratio infamatiua Ginesij intellecta ab auditoribus prolata de vita Sinesij, non est causa directa infamiæ ipsius Sinesij, sed talis causa est illorum mala intelligentia, qui imprudenter ex verbis Vlyssis id colligunt; sed in eo, qui non est causa damni, non inest obligatio ex iustitia tale damnum resarciendi; ergo Vlysses ex iustitia non tenetur errorem delere, sed solùm ex Charitate. Ità docuit, & tenet Lessius *loco citato*.

7 Nihilominus volunt alij, dictam obligationem esse ex iustitia: ità cum Molina tenet Cardinalis de Lugo *de iust. & iur. tom. 1. disput.* 15. *sect.* 1. *n.* 6. vbi dicit hoc probari ab exemplo; nam si te portante candelam accensam, scintilla ex illa erumperet in vestes, ac alia pretiosa Petri mobilia te vidente, & aduertente, non solùm ex Charitate, sed etiam ex iustitiá deberes, si facilè posses eam extinguere; quamuis enim non tua sola actio, qua prudenter, & cautè lumen portabas, sed ventus, vel aliquid aliud scintillam excusserat: verè tamen ex tua actione aliquo modo ortum habet, & ad debitam diligentiam pertinet circumspicere, ne in ipso transitu aliquid ignis decidens alijs noceat. Sic ergo, licèt Vlysses, cautè, & absquè æquiuocatione Ginesium nominauerit; in ijs tamen circumstantijs, supposita audientium hebetudine, vel audiendi difficultate, ex tua etiam actione oritur ille error, & ad debitam loquentis diligentiam spectat curare, ne auditores ex occasione de alio id accipiant, quare non solùm Charitas, sed iustitia etiam videtur obligare ad corrigendum errorem, si commodè possis.

8 Meo tamen videri, Eminentissimus Lugo non loquitur absolutè, sed ex suppositione, videlicet ex hebetudine audientium, eorumque audiendi difficultate, si Vlyssem malè intelligant, Vlyssem teneri ex iustitia errorem corrigere. Quidem & Lessius *loco citato*, idem concedit, dicens, aduertendum esse, quòd si ea esset conditio, & dispositio auditorum, vt ea spectata, prudenter, vel probabiliter ex verbis Vlyssis colligere, seu intelligere poterant eum dicere de Sinesio, idque Vlysses aduertat, tenetur non solùm lege Charitatis, sed etiam iustitiæ, se explicare, & infamiam auertere; quia quamuis narratione sua Vlysses non dederit hominibus perspicacibus, seu rem, & circumstantias benè intelligentibus, iustam occasionem concipiendi malum de Synesio, cum Vlysses

ses loquebatur de Ginesio; tamen talem occasionem dedit illis rudioribus, qui fortasse, iam aliàs contra Sinesium non benè opinabantur; sermones enim operantur iuxtà capacitatem, & dispositionem auditorum.

9 En Vlyssem, de quo in casu, obligatum errorem dictum tollere ex vi Charitatis, si clarè, & perspicacibus loquens de Ginesio, non aduertebat auditores illos intelligere de Sinesio; sed si rudes erant auditores, obligatio ex iustitia inest Vlyssi auertendi dictum errorem.

10 Si autem quis dicat, Vlyssem nullam habere obligationem corrigendi errorem, quia inculpabiliter illum causauit, sicut neque per illum aliquid abstulit à Sinesio, vndè teneatur restituere; respondeo, obligationem istam corrigendi errorem, non esse faciendi propriè loquendo restitutionem, cùm non oriatur ex iniusta acceptione; sed esse obligationem non lædendi proximum in fama per propriam actionem; seu, vt aliter loquar, est obligatio procurandi, ne ex propria actione aliena fama lædatur, quæ obligatio est directa, & immediata. Hinc est, quòd si tali meæ obligationi non satisfacio, sed ex mea omissione læditur fama proximi, oritur in me obligatio reparandi damnum alienum, quod consequitur in læsione famæ alterius ad meam omissionem; sicque Vlyssem dicitur teneri amouere errorem, quamuis sinè culpa ipsius, & sinè iniusta acceptione dicatur irrepsisse.

11 Illud tamen aduertendum est, quòd si Vlysses in illa priori infamatione Ginesij tantummodò venialiter detraxit, non tenetur sub graui culpa, nec cum graui incommodo damnum secutum reparare. Et hæc doctrina est vera in qualibet occasione venialis, & leuis detractionis, vndecunquè illa leuitas oriatur; & sic tra-

12 dit Molina *disp.* 40. *num.*4. Et idem asserit, si cum culpa solùm veniali infamasti grauiter; non enim teneris cum graui tuo detrimento, vel incommodo illatum damnum resarcire; alioquin ex culpa veniali contraxisses obligationem grauem, & difficilem: ita ille *loc. cit.* ego autem in hoc ei non consentio. Igitur ex dictis currebat semper obligatio in Vlysse auertendi errorem illatiuum grauis damni ipsi

13 Sinesio viuenti, & nunc hæredibus eius. Et quia, vt accepi, detractio prima, qua Vlysses locutus est, erat grauissima; dixerat enim Ginesium esse mercatorem astutum in decipiendo, periurium faciens, vt inducat ad credendum tanti, vel tanti rem valere, quamuis & longè minùs valeat, cùm merces suas artificijs aptet, vt appareant bonæ, cùm sint pessimæ, & alia huiusce generis, quibus auditores ab eius officina auertebantur, aliosque retrahebant maximo cum damno Sinesij, atque hæredum; de Sinesio enim intellexerant, non de Ginesio ipsum Vlyssem fuisse locutum; ideò grauis obligatio errorem corrigendi in casu Vlyssis constantissimè est asserenda.

14 Nunc verò, quòd detractor Vlysses decessit, absquè eò quòd restituerit id, quod pro fama læsa restituere tenebatur, cum hæres illius quærat, an ipse succedat etiam in hac obligatione, respondent nonnulli Doctores ipsum succedere: sic Adrianus *quodlibet.* 11. *quæst.* 1. *littera S.* Nauarrus *in Manuali, cap.* 18. *num.* 46. Idem docet Molina *disput.* 45. *num.* 3. & huius ratio est, quia fama ablata, & non compensata, nec restituta, debet pecunia resarciri, ergo si hoc non fecit defunctus, transit in hæredem obligatio istius debiti eo prorsus modo, quo ad hæredem deueniunt alia debita pecuniaria.

15 Alij nihilominus contrarium tenentes, dicunt, hæredem loco defuncti non teneri ad restitutionem famæ. Ratio est, quia talis obligatio est ad aliquid agendum, non ad aliquid dandum; ergo est obligatio merè personalis; sed non transit in alios obligatio merè personalis vnius; ergo ad hæredem non deuoluitur obligatio restitutionis famæ, quam facere tenebatur defunctus.

16 Confirmatur, nam obligatio voti adimplendi non transit ad hæredem vouentis, quia est obligatio spectans ad nudam personam, & non afficit, nec respicit bona, in quibus hæres succedit; sed talis est etiam obligatio famæ restituendæ; ergo si aliud non concurrat, non transit in hæredem.

17 Dixi *si aliud non concurrat*, quia tunc teneretur hæres vt talis, quando ex infamia illata à testatore, secuta sunt damna ipsi infamato: & sic tradunt Nauarrus *loc. cit. sed nu.* 45. & Adrianus, vnà cum Lessio *lib.* 2. *dubit.* 21. Ratio est, quia in isto casu non est ampliùs purè personalis ista obligatio, sed afficit bona infamatoris, sicuti eius infamia damnum intulit in bonis infamati; ergo bona infamatoris transeunt ad hæ-

18 redem affecta tali obligatione restitutionis, quam obligationem debet hæres adimplere. Quæ hæredis obligatio est adimplenda, quamuis damnum secutum in infamato ex infamia infamatoris defuncti, sit damnum positiuum, aut negatiuum, passum in bonis fortunæ, vt est si v. g. ei cesset lucrum ex vi infamiæ ipsi à defuncto irrogatæ. Cùm igitur totum verificetur

in

in nostro casu, dicendum est, hæredem Vlyssis teneri compensare damna Sinesio oborta.

19 Inspiciat ergo iste hæres Vlyssis, an ex infamia istius sint secuta damna in bonis fortunæ Sinesij, & si cognoscat esse secuta, sciat se teneri compensare pro mortuo de bonis eiusdem mortui. Si autem totum damnum consistat in denigratione solius famæ Sinesij; ad nihil hæres tenetur, quia succedit defuncto in ordine ad iura, & debita fortunarum, non in fama.

20 Et si dicatur cum Molina *vbi supra sub num.* 14. quòd fama debeat saltem compensari pecunia: ergo semper erit obligatio in hærede soluendi pro mortuo, etiamsi infamati à defuncto nihil sint passi in bonis fortunæ. Respondeo, quòd hoc verum esset iuxtà sententiam Molinæ, non verò iuxta Cardinalem de Lugo, qui *disput.* 11. *sect.* 1. agens de homicida, docet bona vnius ordinis non debere ex obligatione solui, vel compensari in bonis alterius

21 ordinis, quandò non possunt in suo ordine restitui. Imò sententia verior est, nnn teneri infamatorem ex iustitia infamiam pecunijs compensare, si nullum aliud damnum sit secutum in bonis infamati. Ità Syluester *verb. detractio q.* 4. *casu* 2. Nauarr. *lib.* 2. *cap.* 4. *nu.* 274. Lessius *lib.* 2. *cap.* 11. *dubit.* 16. *num.* 92. Trullench. *tom.* 2. *in decal. lib.* 7. *cap.* 10. *dub.* 18. & ratio est, quia vita, & honor nullo pretio sunt æstimabiles, sed superant omne pretium, iuxta illud Prouerbiorum 22. *Melius est bonum nomen, quàm diuitiæ multæ*: & Ecclesi. 2. dicitur: *Curam habe de bono nomine; hoc enim magis permanebit tibi, quàm mille thesauri pretiosi, & magni*. Ergo hæres Vlyssis in nostro casu, non est obligandus ad dandas pecunias, vt compenset famam Sinesij violatam ab ipso Vlyse, si nihil sit passus ipse Sinesius in facultatibus, aut in bonis fortunæ.

22 Mortuo postmodum Sinesio, cui nec Vlyses, nec Vlyssis hæres compensauerunt iuxta prædicta, si aliqua currebat obligatio vnicuiquè ipsorum, si dubitetur an sit compensandum hæredibus Sinesij, respondeo cum distinctione. Vel enim damnum illatum respicit solam personam defuncti; vel non; si non respicit solam personam defuncti, certè debet damnum compensari; & sic damnum illatum defuncto in bonis eius, transit ad hæredes; ideoque istis est

23 restituendum. Item si hæredes, v. g. filij defuncti passi sunt aliquid in fama propria propter infamiam illatam patri, restituendum est illis, quatenus damnum illis in sua fama resultat. Item cùm hæredes possint, non solùm prosequi actionem defuncti, quando ipse ante mortem actionem intentauerat propter iniuriam acceptam, & lis contestata fuerat, sed etiam de nouo illam intentare, poterunt ex hoc capite translactionem cum debitore facere, & pretium accipere, vt desistant ab actione in foro externo.

24 Aduertendum est, hoc pretium datum, inseruire ad emendum ius, quod hæredes habent ad intentandam, vel prosequendam litem, propterea non liberat ab obligatione restitutionis famæ respectu defuncti, qui iuri suo non cessit. Hinc concludo, nihil debere hæredibus Sinesij hæred. Vlyssis, si totum damnum ab infamatore Vlyse illatum, requirit solam personam defuncti Sinesij, & hoc intelligitur pro foro ani-

25 mæ. Et licèt Sinesius damnificatus sit defunctus, obligatus erat Vlyses viuens ipsi compensare, nam etiam defunctis infamatis, est restituenda fama in foro conscientiæ ab infamatore dum viuit, non verò ab hæredibus istius; ergo hæres Vlyssis non tenetur in conscientia ad aliquid, si ex infamia testatoris secutum sit damnum in sola fama Sinesij.

26 Et quòd etiam defunctis sit fama restituenda probatur, quia fama est quoddam bonum, quod homo etiam post mortem censetur possidere, cùm per famam quodammodo semper viuat in memoria hominum; vndè videmus solere homines appetere famam post mortem, alij in sepulchris magnificè fabricatis, alij in filijs ad dignitates euectis; alij in hæreditaria familiæ denominatione; alij aliter iuxta placitum singulorum; omnes tamen vt vel sic immortalitatem quamdam consequantur; & ità sentio dicendum esse ad dubia in hac decisione ab initio proposita, quorum prolixior si optetur solutio, adeantur Lugo, Less. & Trullench. *loc. cit.*

27 Contra allegata *num.* 11. quatenus dicunt non esse famam restituendam, si venialiter detrahendo quis peccabit, videtur non fauere Vlyssi in casu nostro, quia falsa crimina imposuit Ginesio, & quidem sine causa; nam Innocentius XI. damnauit propositiones istas: *Quidni non nisi veniale sit detrahentis auctoritatem magnam sibi noxiam falso crimine elidere?* Quæ propositio est 43. in ordine cæterarum ab eo damnatarum, vndè sequitur 44. *Probabile est non peccare mortaliter, qui imponit falsum crimen alicui, vt suam iustitiam, & honorem defendat. Et si hoc non sit probabile, vix vlla erit opinio probabilis in Theologia*: ergo si non obstante causa vitandæ noxæ, ac tuendi iustitiam, & ho-

& honorem, est damnatum affirmare, quòd sit veniale, falsum crimen imponere; consequenter videntur falsa ea, quæ fuerunt præadducta sub dicto *num.* 11. Respondeo dignissimas fuisse damnatione propositiones illas vt iacent, ac in sua generalitate, secundùm quam adeò scandalosè loquuntur, vt mirum sit quòd earum falsitas ignota fuerit illi, vel illis, qui eas conscripserunt. Et vt earum falsitatem breuiter indicem, noto quòd mendacium grauiter perniciosum, semper est mortale, vt docent DD. communiter; ergo si falso crimine quis elidat magnam auctoritatem alicuius, etiam grauiter detrahentis, cùm grauiter perniciosum dicat mendacium, peccat mortaliter. Ecce apertissimè cur non sit veniale, vt dicitur in prima propositione, quam dixi esse 43. inter alias. Igitur est meritò damnata. Item, vt iacet non distinguit de elidenda auctoritate magna detrahentis grauiter, vel leuiter, quæ auctoritas sit mihi noxia leuiter, vel grauiter. Dato nunc casu, quòd quis leuiter detrahat alteri, iste ex generali doctrina propositionis dictæ, posset cum solo scrupulo venialis culpæ falsum crimen graue, & à fortiori leue, imponere detrahenti leuiter, vt notabiliter lædatur illius auctoritas magna, aut etiam in toto elidatur; at eiusmodi graue mendacium nequit excusari de mortali.

28 Eadem sunt dicenda de propositione 44. quæ vt iacet est damnata, quia nimis amplè loquens docet esse semper veniale, si falsum crimen alicui imponatur, sinè distinctione qualitatis criminis, scilicet grauis, vel leuis, vt propria iustitia, propriusque honor defendatur qualicunquè læsione illius, cui crimen falsum imponitur. Non ergo stat damnatio dictarum propositionum, quia interdum nequeat esse veniale tantùm, si crimen leue quamuis falsum alicui imponitur, ex qua impositione falsa leue damnum solummodò intendatur, sequaturque; sed damnatio cadit supra generalitatem illarum, vt dixi. Detraxerit ergo Vlysses proximo suo nulla habita causa; tamen illius detractio potuit esse venialis, licèt crimen falsum imposuerit, si leue, ac leuiter perniciosum fuit eius mendacium, tum quoad læsionem famæ, tum quoad alterius damnum in rebus spiritualibus, vel etiam in temporalibus. In hoc sensu loquutus sum sub dicto numero vndecimo, & sic non obstant in præsenti illæ quidem scandalosæ propositiones meritò damnatæ. Quòd si est potiùs toleranda mors, quàm semel venialiter peccare, per consequens motiuum euitandi aliquid noxium, vel tuendi iustitiam, & honorem, malè affertur in illis propositionibus tamquam iusta causa imponendi alicui falsum crimen, sic mentiendo, vndè non licere nec leue mendacium dicere ad torturam, vel quodcunquè malum fugiendum, docent apertè D. Thomas 2. 2. *quæst.* 72. *art.* 3. & *quæst.* 110. *art.* 1. *&* 4. & Caiet. *ibi.* Syluest. *verb. mendacium*, *num.* 2. Lessi. *de iusti. lib.* 2. *cap.* 11. *dub.* 7. *&* 8. Sot. *de iusti. lib.* 5. *quæst.* 6. *art.* 1. *vers. Tertia Conclusiò, col.* 1. Nauar. *cap.* 18. *nu.* 3. Imò nec pro vita alicuius licet mentiri, vt liquet ex *cap. super eo, de vsuris*, & ex *cap. mihi* 22. *quæst.* 11. & tenent omnes Theologi, & Canonistæ.

29 Quibus positis patet veritas nostræ decisionis, nec non falsitas adductarum propositionum, addita vltima particula omni damnatione digna; *Et si hoc non sit probabile, vix vlla erit opinio probabilis in Theologia:* particula sanè adeò scandalosa, vt luce clarior sit eius falsitas.

Pro pleniori huius decisionis resolutione, quærent cum Sinesio aliqui per alienam detractionem infamati, an ad occisionē detrahentis pro se defendendis possint deuenire. Respondeo primò, remittendo lectorem ad ea, quæ diximus in decisione 41. *num.* 34. *& seqq.* Secundò respondeo, adducendo propositionem damnatam ab Alexandro VII. decimam septimam in ordine cæterarum, quæ dicit: *Est licitum Religioso, vel Clerico calumniatorem grauia crimina de se, vel de sua Religione spargere minantem, occidere, quando alius modus defendendi non suppetit, vti suppetere non videtur, si calumniator sit paratus vel ipsi Religioso, vel eius Religioni publicè, & coram grauissimis Viris prædicta impingere, nisi occidatur.* Et licèt propositionem istam attulisse satis sit, vt Sinesius intelligat quid sibi non liceat erga calumniantem, seu crimina grauia spargere minantem, nihilominus circa eandem propositionem obseruo illam scandalosis doctrinis esse plenam, vndè contra eam pugnat doctrina D. Ioannis Damasceni *in paralellis, de iniuriæ recordatione*. Item contra illam faciunt, quæ allegauimus in dicta decisione 41. nam si non licet sæculari calumniantem occidere, multò minùs licebit Religioso, aut Clerico eū interficere, qui tantummodò minatur crimina grauia spargere. Est ergo falsa, & scandalosa talis propositionis doctrina, meritò proinde damnata, nam pro solis verbis iniuriosis, seu calumniosis datur semper via alia citrà occisionem, ad ea repel-

pellenda, atquè ad se defendendum. Deinde falsum est, quòd nullus se defendendi suppetat modus, eo ipso quòd alter sit paratus grauia crimina, quæ minatur spargere, de facto impingere, nàm fortasse non impinget, imò regulariter est facile tali minanti obstare, sicque nimiùm est dicere, quòd fas sit occidere taliter paratum. Vlteriùs, crimina grauia, quæ calumniator dicet, vel sunt vera, vel sunt falsa; si sunt falsa, consequenter facilè interdum erit calumniam illatam destruere: si sunt vera, aut etiam si sint falsa, non semper notabilem infamiam possunt inferre, vt v. g. quia calumniator est persona mendax, ac vilis, cuius dicta contemnuntur, nec creduntur; seu quia audientes sunt prudentes, & potiùs de calumniatore, quàm de calumniato malè sentiunt, &c. Hinc dato, quòd Doctoribus liceat inquirere, an Clerico, & Religioso in aliquo casu possit licere grauiter calumniantē occidere, quamuis tantùm minetur grauia crimina spargere, iuxta quòd dicitur in propositione; tamen eadem propositio fuit meritissimè damnata, quia generatim loquitur, & complexè dicit, viam non suppetere ad se defendendum per hoc, quòd alter sit paratus; & sic omnem casum complectitur, ideoque sic amplè malè iacet scripta, sed benè meritò, ac optimè à Pontifice fuit prohibita: Gabriel à S. Vincentio in tomo, qui est *de remedijs ignorantiæ, disp. 12. dub. 17.* agens de ista propositione, ostendit illius damnationis meritum ex eò quòd sit contra perfectionem Religiosam; nos verò addidimus scandalosam illius significationem, sumptæ vt iacet, quia vt iacet est damnata, & illa non tangit Laicos, sed Innocentius XI. aliam propositionem damnauit etiam Laicos calumniatos comprehendentem, vt notauimus in prædicta decisione 41. & hæc satis sint in præsenti pro casu nostræ decisionis, quam terminamus.

---

# DECISIO XLIV.

*An Episcopus teneretur dispensare in voto simplici Castitatis nubere volentem, qui an licitè, & validè nupserit, negata ei dispensatione.*

## Casus, seu Historia XLIV.

### SVMMARIVM.

1 *Casus proponitur.*
2. *vsquè ad 8 Quot modis detur tacita professio; & quæ requirantur ad eam.*
9. 10 *Circa quæ Tridentinum non obstat.*
11 *Statutum Religionis inducit illam.*
12 *Quid in lege censeatur expressum.*
13 *Sacrilega est copula cum voto.*
14. 15 *Quando dispensatio sit danda.*
16 *Nec sufficit commutatio.*
17. 18 *Causa, & potestas ad dispensandum.*
19. 20. 21 *Interdum est peccatum non dispensare.*
22. 23 *Negata dispensatione an liceat operari.*
24 *Quando non sufficiat vna dispensatio.*
25 *An sit dispensandum, quis iudicet.*
26 *Quæ dispensatio habeatur vt concessa.*
27 *In Iubilæo non licet negare dispensationem.*
28 *Discurritur pro casu nostro.*
29 *Ad matrimonium sufficit præsentia Parochi inuiti.*
30 *Votum simplex quid operetur.*
31 *In voto est necessaria dispensatio.*
32 *Quinam dispenset in castitate.*
33. 34 *Et in denunciationibus, quæ si omittantur, non inualidant matrimonium.*
35 *Contra non dispensantem appellatur.*
36. *vsquè ad 39. Parochi obligatio in matrimonijs.*

1 PRaxedes filia Dominicæ viduæ optantis ad nuptias secundas transire, inducta fuit à matre, vt Monasterium ingrederetur; in quo solemnis professio non emittitur, sed post duos annos ab ingressu, aut fit expresse votum Castitatis; aut tacitè intelligitur factum à quacunque per septem annos continuos cum habitu Monialium fuerit ibi commorata. Hanc tacitam voti emissionem semper ignorauit Praxedes, quæ nono anno ab ingressu petijt facultatem nubendi, nullum enim putabat se habere votum. Petitam facultatem nulla via poterat obtinere; ideò vt eijceretur, vel vt ei facultas egrediendi vt nuberet concederetur, aditum dedit Amasio ad illam grauidandam. Non erubescebat Praxedes factum, imò illud publicabat, vt quod volebat obtineret: Negabatur ei nubendi licentia, ratione taciti voti Castitatis, quod tamen ipsa allegabat nunquam nec tacitè se voluisse facere; verùm casu quo tale votum haberet petebat dispensari ab Episcopo, impossibile enim putabat se castè victuram, non obstante scandalo, & communi infamia Monasterij. Et quia non obtinuit dispensationem fugit è Monasterio; deindè petijt vt dispensaretur in denunciationibus ad effectum contrahendi Matrimonium

cum

cum eodem Amasio (nam si fiebant denunciationes, accessissent testes ad deponendum eam esse Monialem) sed nec in hoc fuit dispensata. Vna die coram duobus testibus transeunte Parocho, eum vocauerunt ex improuisò, & dixerunt ei, scias, & coram te Parocho nostro testamur coram istis testibus, quòd ego Petrus accipio Praxedem in meam vxorem, & ego Praxedes item accipio in maritum Petrum. Reluctauit Parochus, at Sponsi simul cœperunt cohabitare vt verè nupti, & adhuc perseuerant in vita Matrimonij.

Quæritur Primò, an Praxedes haberet votum simplex castitatis. Secundò, an casu, quo tale votum haberet, teneretur Episcopus eam in voto, & postmodum in denunciationibus dispensare. Tertiò, an viuat in matrimonio licito, & valido.

## §. I.

*An in casu nostro detur tacita professio, & quid ad istam requiratur.*

2 Dico, quòd absquè dubio Praxedes censenda sit obligata ad castitatem per votum simplex, quòd habet ratione professionis faciendæ post duos annos à commorantibus in illo Monasterio, & professio non semper fit expressè, sed etiam tacitè, & sic tacitam puto esse professionem Praxedis, proindeque obligatam ad seruandam Castitatem. Probatur hæc veritas, ex tribus modis, quibus iure antiquo (hodie etiam non deleto, sed solùm quoad requisitionem temporis modificato à Concilio Tridentino *sess. 25. de regularibus, cap. 15. & 16.*) professio tacita inducitur, & respectu Praxedis in casu nostro verificantur. Primus est, quando quis habitu proprio professorum suscepto legitimè, idest auctoritate Superioris, facit auctoritate eiusdem opus aliquod iure, vel consuetudine solis Professis conueniens, *cap. Vidua, de Regulari.* dummodò sciat id opus esse Professorum, & nec vi, nec metu illud exequatur: Sed Praxedes ita se gessit spontè; ergo tacitam professionem propriam, seu solitam fieri in illo Monasterio, & ipsa fecit; propterea habet votum simplex castitatis.

3 Et quamuis quatuor requirantur ad hanc tacitam professionem validandam, omnia reperiuntur in Praxede. Primum est, vt quis scienter, & spontè faciat opus proprium Professorum. Secundum, vt id faciat cum habitu professorum, suscepto tamen ritè à Superiore: Tertium est, vt habeat debitam, & legitimam ætatem, vt constat ex *cap. constitutionem, de regular. in 6.* Quartum, vt opus professorum, quod facit, faciat auctoritate Superioris, qui potest in Religionem admittere; & sic habetur ex Abbate, Angelo, Syluestro, Rosella, & Nauarro *Commen. 4. de Regularibus num. 73.* Et omnia hæc sinè dubio per tot annos executa est Praxedes in Monasterio; ergo est tacitè professa.

4 Secundus modus faciendi tacitam professionem est, cùm quis sciens, ac volens defert habitum proprium Professorum, qui habet manifestam distinctionem ab habitu Nouitiorum, & in eo perseuerat per triduum, iuxta tradita per *cap. ad nostram, de Regulari.* & ex *cap. Constitutionem, eodem titulo in 6.* dummodò semper deferatur authoritate Superioris, ad quem spectat; ità Angelus, Syluester, Rosella, & Abbas *in cap. ad nostram de Regularibus.* Et item hoc adimpleuit Praxades; ergo &c.

5 Tertio etiam modo potest tacita professio dari, si deferatur habitus communis Nouitijs, & Professis, & qui non est manifestè distinctus in colore, in scissura, vel figura, aut forma ab habitu Nouitiorum, quamuis habeat aliquam occultam differentiam ipse habitus Nouitiorum; & talis habitus debet deferri per annum, quo elapso censetur deferens tacitè professus: *cap. ex parte, de regulari. in 6. & Clementina eos, qui de Regularibus:* & hæc sunt intelligenda, si talis habitus deferatur sciens, & volens, & cum authoritate Superioris, qui ad professio-

6 nem admittit. Imò sufficit, si habitus sit communis omnibus habitantibus in Monasterio, etiamsi non sint Monachi: Ità Azorius *instit.*

7 *moral. part. 1. lib. 12. cap. 4. quæsit. 3.* Quòd si talis habitus erit distinctus ab illo Professorum, non inducit tacitam professionem illius delatio ad quodlibet longum tempus: *idem ibidem.* Cùm igitur Praxedes in casu nostro quidem detulerit vltra tempus requisitum, habitum communem Professis, & omnibus commorantibus in illo Monasterio, erit verè professa tacitè, videlicet astricta voto simplici Castitatis.

8 Nec valet obijcere, quòd Domina Praxedes ignorabat se obligari ad votum, seu ad illius Monasterij tacitam professionem; nam respondetur, quòd nihil illi suffragatur ignorantia, eò ipso, quòd per tot annos detulit habitum communem professis, fecitque omnia supradicta; sicut & in simili casu cuiusdam

Monachi ignorantis, an ante professionem expressam obligaretur religioni, resoluit Nauarrus *consilior. lib. 3. de Regularibus, cons. 20. in editione 2. num. 1.* nam sic est decretum à iure communi, & in illo Monasterio nullum adest statutum, vel consuetudo aliter disponens; vndè in vtroque foro Praxedes censenda est tacitè professa.

9 Nequè recurratur ad Concilium Tridentinum, cuius decreto attento *session. 25. de regularibus, cap. 15. & 16.* nihil tollitur de iure antiquo circa tacitas professiones, sed totum durat in suo pristino valore, dummodò inducantur elapso anno Nouitiatus, & expleto decimo sexto ipsius Nouitij: ità expressè Sanchez *tom. 2. in præcept. decal. lib. 5. cap. 3. num. 36.* & sic cùm iam annum 27. attigerit Praxedes de præsenti, & iam per nouem annos permanserit in Monasterio in habitu, & actibus communibus, constat habuisse annos 18. à principio sui ingressus, quapropter ætatem à Concilio prætensam superabat duobus annis; ergo tacitè

10 concluditur professa. Igitur sicut iure antiquo dabantur tacitè professiones, ità & hodiè dantur istæ. Non tamen dantur eo modo, quo in iure antiquo, quia per Concilium Tridentinum sublata est tacita professio inducta per *cap. vidua, & cap. ad nostram, de regular.* ad quam non requirebatur annus integer &c. sed hæc non faciunt ad præsentem casum, prætérquam quòd annus, & ætas à Concilio Tridentino præscriptis pro tacita professione inducenda, vnà cum delatione habitus communis omnibus in illo Monasterio, sunt adimpleta in Praxede, de qua agimus, propterea nullo modo potest se non obligatam Castitati credere, & iudicare.

11 Addendum quoquè est statutum eiusdem Monasterij, quo astringuntur commorantes in eo, vt transacto biennio, nisi emittant expressè votum simplex castitatis, intelligatur nihilominus tacitè factum; vndè quemadmodum si statutum loqueretur in sensu contrario, relinqueret Nouitio liberum exire, & discedere à Religione; ità standum est dicto statuto, si habet ligare, & obligationem inducere. Videatur Nauarrus *vbi supra*, & Sanchez *loc. cit. num* 40. ergo Praxedes non habet liberum recedere, etiam ex vi statuti expressi, quod expressum statutum, expressè dicit tacitè professas omnes in dicto Monasterio commorantes ad biennium saltem, quia expressum dicitur

12 id, quod ex expressis resultat, & desumitur. *cap. nam concupiscentiam, 4. de constitut. cap. cùm super. 23. de offic. delegat.* Feder. de Sen. *cons. 299. circa medium.* Crauet. *in repetit. l. cum filio. 11. in tertia parte, num. 9. ff. de legat. 1.* Bero. *cons.* 84. *num. 49. vol. 1.* Tiraquellus *de legib. connub. leg. 16. glos. 7. num. 171. 176. & 179.*

13 Ex hoc capite, quòd Praxedes tenebatur ad castitatem seruandam, ex vi voti simplicis tacitè facti, fuit sacrilegus concubitus ipsius cum amasio, prout Doctores communiter docent, quandocunquè adest votum.

## §. II.

*Quando dispensatio sit ex obligatione concedenda; & quid si negetur; & an sit necessaria pro omittendis denunciationibus volentium nubere.*

14 Dispensatio petita ipsius voti, & non obtenta in nostro casu, ac proinde propria spontè facta, an sit licitè, & validè facta, examinandum est. Dico tamquam certum, quòd aliquando Prælatus tenetur concedere dispensationem; & tunc maximè, quando per simplicem voti commutationem non habetur intentum, quod currit pro dispensatione obtinenda. Et sic v. g. quis agitatur importunis scrupulis propter votum, quod timet perfectè non adimplere; iste si absolutè non dispensetur, sed ei fiat commutatio, iam adhuc erit in scrupulis, an perfectè obseruet istam voti com-

15 mutationem. Non ergo est semper commutandum votum, sed aliquando est absolutè dispensandum, & ad talem dispensationem concedendam aliquando Prælatus est obligatus; & quando est obligatus ex vi sui muneris, non

16 potest cogere subditum ad admittendam aliquam partialem voti commutationem: ità tradit Suarez *tom. 2. de Religione, tractatu de voto, lib. 6. cap. 17. num. 21.* & admittitur hæc opinio à Sanchez *in decalog. lib. 4. cap. 46. num. 5.* sed credit rarissimum fore casum.

17 Signanter autem loquendo in casu nostro, cùm protestetur Praxedes se continenter non fore victuram: imò & bonum nomen Monasterij, atquè ex eius scandalo multas animas periclitari, itaut si claudatur in carcere, ibi etiam inquieta, Veneri dedita, obscena dictis, & factis futura sit, resoluo debere à Prælato dispensari, nam causa ad dispensandum, vel commutandum votum, est probabile periculum peccandi in eo qui vouit, scilicet quando probabiliter creditur vouentem ità affectum

esse,

esse, vt sæpius votum violaturus sit; & sic docent Ludouicus Lopez *prima parte, instruct. confess. cap.* 50. Ioseph Angles *quæst. de voto, art.* 8. *dub. vltim.* Sayrus *in claui regia, lib.* 6. *cap.* 12. *num.* 30. Cùm ergo in nostro casu, nedum probabilitas, sed impossibilitas cognoscatur non obseruandi castitatem, poterit Praxedes in suo simplici voto dispensari.

18 Quinimò tenetur Prælatus Superior illius Monasterij, siuè sit Episcopus, siuè sit alter, ad quem spectet (sicut infra dicam spectare ad Papam) illam dispensare. Ratio est, quia potestas Prælatorum ad dispensandum, est in bonum subditorum, atquè ex officio tenentur consulere eorum spirituali saluti; ergo quandocunque eorum dispensatio erit necessaria ad hunc finem, tenebuntur illam concedere; sed in casu nostro priuatum bonum spirituale vouentis Praxedis dispensationem exigit; ergo Prælatus illius tenetur illam dispensare. Ità expressè Sanchez *in decal. lib.* 4. *cap.* 46. *num.* 9. & dicto capite videatur author, vbi ponit causas exigentes dispensationem voti, & quando expediat commutare illud, vel potiùs absolutè dispensare.

19 Pro nostro casu habemus, quòd Prælatus Praxedis tenebatur illam dispensare; & si dispensationem debitam non concedit, peccat Prælatus. Dixi peccare, si non concedit dispensationem debitam, quia non peccat, si non concedit gratuitam, videlicet quando dispensatio erit gratia. Quando autem dispensatio erit debita, aut gratia, poterit ex hoc intelligi, quòd quando lex ordinat Prælato, vt dispenset, tunc dispensatio est debita; secus si lex solùm permittit, vt dispenset: Sic Archidiaconus *c. licet can. num.* 6. *vers. gratiam, & c. vt constitueretur, super glos. relaxatio,* 50. & ibi Turrecremata *num.* 9. *&* 10. Dominicus *d. c. licet canon.* §. *super residentia, num.* 3. & ibi Francus §. *is etiam, num.* 2. *vers. secundò infertur,* Abbas *c. at si clerici,* §. *de adulterys, num.* 15. *de iudicijs*, & Felinus.

20 Item dispensatio erit debita, quoties ex dispensatione habetur vtilitas publica, vt quia vitatur scandalum; aut Ecclesiæ multò vtilior

21 est ipsa dispensatio. Erit autem gratia, si sola priuata vtilitas alicuius sequitur ex dispensatione. Ità fusè ostendit Sanchez *de matrimon. lib.* 3. *disp.* 10. *num.* 5. Notandum tamen est, quòd illa priuata vtilitas, quæ non exigit ex debito dispensationem, sed si hæc concedatur, erit gratia, non est vtilitas spectans ad salutem; nam si valdè saluti subditi expedit dispensatio, hanc tenetur Prælatus largiri, vt supra dictum est sub *num.* 18. cum Sanchez *in decal.* qui iterum id asserit *de matrim. loc. mox cit. sub num.* 6. vbi alias causas adducit; ex quibus apparet Prælatum Praxedis in nostro casu teneri dispensare eam.

22 Et cùm Prælatus teneatur dispensationem petitam concedere, si non concedit sinè debita causa, non solùm peccat, verùm & aliquando dispensatio habebitur pro concessa; quia cùm sit debita, perinde est, ac si concederetur: Ità in terminis de denunciationibus, quarum dispensatio ex iusta causa petitur, sed ab Episcopo denegatur, tenent sinè denunciationibus posse matrimonium contrahi, ac si dispensatio in illis esset secuta Sotus 4. *dist.* 28. *quæst.* 1. *art.* 2. *concl.* 3. *vers. ex his primum colligitur.* Ludouicus Lopez 1. *part. instruct. de matrimon. cap.* 39. §. *ex prædictis corollariè, fol.* 059. *col.* 2. *in fine*. Petrus de Ledesma *de matrim. quæst.* 45. *art.* 5. *punct.* 1. *dub.* 2. *concl.* 3. *fol* 171. & alij.

23 Igitur in casibus, in quibus dispensatio Prælati est gratia, si dispensatio negetur, non licet operari ac si dispensatio esset data; licet tamen in aliquibus casibus, in quibus Prælatus tenetur dispensare; vndè cùm iniustè denegata sit dispensatio petita in simplici voto castitatis à Praxede, & in denunciationibus in ordine ad matrimonium contrahendum, perinde erit, ac si dispensationes pro denunciationibus omittendis, (non tamen pro voto castitatis, vt infra dicam *num.* 31.) essent consecutæ. Ca-

24 uendum tamen est, quòd disiunctim petantur dispensationes tot, quot sunt obstantia; nam vna dispensatio non tollit omnes defectus, sed tot debent esse dispensationes, quot obstacula, vt tradunt Gemi. *cons.* 33. *num.* 8. Cassador, *decis.* 9. *num.* 4. *de prabend.* Rota *decis.* 233. *q.* 22. *p.* 1. *diuers.* Debuit ergo Praxedes petere dispensationem à voto, deinde à denunciationibus, in quibus adest causa sufficiens in nostro casu, ad obligandum ex debito Episcopum, vt

25 dispensationem concedat; iudicio enim prudentis remittitur assignare, quænam sit huiusmodi causa, iuxta tradita per Thomam Tamburinum *in præcept. decalog. lib.* 3. *cap.* 16. §. 4. *num.* 10. & omnis prudens adiudicabit non esse propalandum Matrimonium faciendum cum dispensatione voti simplicis vnius Monialis; ergo & in voto, & in denunciationibus debebat ex debito Praxedem dispensare Papa, vel Episcopus respectiuè.

26 Et probatur, quòd dispensatio petita, & non obtenta, perinde sit, ac si esset concessa, quan-

do ex debito debetur, & non ex gratia; nam gratia est de arbitrio dantis, sed quod debitum est, est ius, & executio iustitiæ; at quando quis nõ dat id, ad quod alter habet ius, potest à non dante accipi suum; ergo, & ab Episcopo, seu ab aliquo Prælato denegante debitam dispensationem, poterit dispensatio quasi tolli, & sibi vt quid suum applicari, & retineri. Consequentia benè sequitur ex antecedenti, quòd sit ius petentis, quando dispensatio debetur; & hoc antecedens traditur ab Abbate *in c. at si cleric. 4. §. de adulterijs, col. pen. ad med. num. 20. vers. non enim quidquid de iudic.* Hæc tamen non intelliguntur de voto, nam de huius dispensatione est aliter discurrendum, vt dicam *num. 31.*

27 Eadem obligatione tenetur Confessarius electus tempore Iubilæi, dispensare pænitentem in suis votis, in quibus petit dispensari, quia est delegatus Papæ in fauorem pænitentis, ad dandas gratias, ad quas pænitens habet ius, quod vt pænitentis, debet ei à Confessario tribui omni meliori modo, & forma, qua potest *c. quanto à nobis 2. quæst. 2.* & Sayrus *in claui regia, lib. 6 cap. 12. num. 18* Sed etiam Episcopus, vel Prælatus respectu subditi tenetur aliquando, & iuxta prædicta dispensationem ex vi sui officij concedere; ergo est ius subditi talis dispensatio, quam si petat, & non detur, poterit accipere quodammodò ex se, vt patet.

## §. III.

### *Resolutio præsentis historiæ quoad ipsos nuptos.*

28 Ex præallegatis omnia quæsita in præsenti resoluuntur. Primò, quoad dispensationem à voto simplici, quòd tacitè fecerat Praxedes, debebat dispensari, & consequenter fieri libera, vt posset licitè à Monasterio exire; Quoad contractum matrimonium sinè denunciationibus, quarum item dispensatio debita fuit denegata, poterant illæ omitti, non minus ac si fuisset petita dispensatio obtenta; & quia Matrimonium non est clandestinum, sed factum coram testibus, & Parocho, prout exigit Concilium Tridentinum, fuit factum in facie Ecclesiæ, & vndequaque validum, & licitum, sicque in eo potest Praxedes tuta conscientia permanere, quantùm est ex omissione denunciationum; nam de voto dicam infra.

29 Nec obstat reluctatio Parochi, cùm sufficiat fieri coram ipso, qui immeritò, & sinè causa reluctans adest; & illius reluctatio non obest, cùm istam non consideret Tridentinum *sess. 23. de reformat. cap. 1.* Sanchez *de matrim. lib. 3. disput. 39. num 9.*

30 Deinde dato, & non concesso pro nunc, quòd Praxedes esset astricta voto Castitatis simplici tamen, iam contraxisset cum impedimento, sed non dirimente, ad distinctionem voti solemnis, & sic matrimonium teneret, vt validum, sed esset illicitè factum. At quia ostendi esse dandam liberationem à voto in nostro casu, si hæc sit data licitè, & validè contraxit, potestque Praxedes nullam ampliùs quærere liberationem, nihil enim indigere, nec ad aliquid iudico esse obligandam, si liberatione à voto per dispensationem habita, cætera præstit sinè dispensatione, scilicet si sinè denunciationibus processit ad matrimonium contrahendum.

31 Sed si dispensationem à voto non obtinuit, certè non potest nubere, etiamsi sit ei danda ex obligatione talis dispensatio. Igitur si negetur iniustè dispensatio in denunciationibus, possunt omitti, ac si talis dispensatio esset data, vt supra dictum est; non autem idem est de dispensatione voti denegata iniustè. Ratio est, quia obligatio denunciationum est ex lege, in qua lege potest, dato casu iusto, subditus exigere dispensationem, quæ si negetur, erit proprij iuris, & sui arbitrij, Prælato iniustè non dante, quod debet; & sic à se ipso subditus secundùm ius suum potest operari, quasi ex se tollens sibi id, quod alter de iure deberet dare. In dispensatione autem voti, cùm subditus sua sponte se ligauerit, cedens iuri suo, & nolens vnquam relaxari, nisi ab habente potestatem; ideò si Prælatus nolit dispensare, vt tenetur, non potest subditus operari tamquam si esset dispensatus, sed donec dispensationem habeat, manet semper obligatus.

32 Certum est, ad solùm Pontificem attinere largitionem dispensationis in voto absolutæ Castitatis; & sic Episcopus non potest: ità communiter Doctores. Cùm ergo in casu nostro iam sit factum matrimonium à Praxede astricta simplici voto Castitatis, clarum est, quòd non licitè contraxit, benè tamen validè, quia votum huiusmodi est de illis impedimentis, de quibus apud Theologos Morales est carmen:

*Impediunt fieri, permittunt facta teneri.*

33 Et si negetur id, quod supra dicebatur, nempè adesse in casu nostro obligationem in Episcopo, seu in eius Vicario Generali (foraneus enim non potest vnquam in denunciationibus dis-

dispensare) dispensandi ne fiant denunciationes, cùm Praxedes habeat votum impediens Matrimonium; vndè non poterat Praxedes cum amasio nubere, tamquam si petitam dispensationem in denunciationibus obtinuissent. Res-
34 pondeo dupliciter; & primò dico, quòd omissio denunciationum non inualidat Matrimonium, sed grauiter peccant eas omittentes; vndè quantum ad hoc est validum matrimonium Praxedis. Secundò dico, quòd cùm dispensatio in Voto simplici Castitatis extet alterius tribunalis superioris illi ipsius Episcopi, hic attentis circumstantijs habentibus causæ iustæ rationem obligantis Episcopum ad concedendam dispensationem, ne fiant denunciationes, tenetur dispensare iuxta suam obligationem, remittendo Pontifici ea, quæ ad ipsum spectant.

35 Imò si Episcopus negat, prout tenetur, potest appellari ab illo; & in ista appellatione, si dispensatio non est gratia, sed debita, tunc Superior ad quem appellatur, tenetur sub eadem obligatione concedere dispensationem, aut cogere Superiorem inferiorem, vt illam concedat. Ità Sanchez *in decal. lib. 4. cap. 46. num. 10.* Et si ista debita dispensatio in denunciationibus non concedatur, perinde est, ac si esset concessa; & sic validè, & insuper etiam sinè peccato graui, aut veniali, deficientibus denunciationibus Matrimonium esset contractum.

36 Nec refert, quòd Parochus nõ interrogauerit contrahentes de mutuo consensu, quia sufficit, quòd coram Parocho ipsi contrahentes exprimant consensum, & hoc factum est in casu nostro. Quamuis autem contra Vegam *lib. 6. summa, casu 112.* non sit peccatum mortale, sed solùm veniale, si Parochus non interrogat de mutuo consensu, cùm sit res leuis; vt tradit Veracruz *appendice ad speculum, dubio 2. concl. 4.* Anton. Cucus *lib. 5. institutionum maiorum, tit. 11. num. 32.* nihilominus in casu prout in præsenti, nec venialiter peccat, cùm Parochus ex improuisò præsens ponatur contrahentibus.

37 Item non officit, quòd Parochus non dicat verba: *ego vos in matrimonium coniungo*, iuxta exigentiam ipsorum volitam à Tridentino *sess. 24. de matrim. cap. 1.* Nam talia verba non sunt de necessitate Sacramenti, & sic si omittantur, validum erit. Ratio est, quia Sacerdos non est minister huius Sacramenti, & eius verba non sunt nec materia, nec forma; ergo non sunt de essentia. Sanchez *de matrimonio, lib. 2. disput. 5. num. 6. & disput. 6. num. 2.*

38 Probatur etiam, quia Tridentinum in clausula irritanti, tantùm expressit: *qui aliter, quàm præsente Parocho*; nec addit, dicente verba; & est decretum correctorium, vndè non est extendendum, vt verba debeat dicere de necessitate Sacramenti, sed solummodò præcepti obligantis ad peccatum veniale, si omittuntur, vt probat Sanchez *de matrim. lib. 3. disput. 38. num. 7.* contra nonnullos, qui docent esse mortale, vt Vega, & Salzedo.

39 Confirmatur, nam necessaria pro essentia Sacramenti, debent esse determinata; at Tridentinum petit indeterminata verba; ergo non sunt de essentia verba Parochi, vt tradit Segura *2. part. directorij indicum. c. 15. num. 52.* Perez *lib. 5. ordin. tit. 1. lib. 1. §. præterea.* Ant. Cucus *lib. 5. institut. maior. tit. 11. num. 57.* Viualdus *Candelabro 1 p. de matrim. num. 22. & 241.* Veracruz *in appendice ad speculum, dub. 4. concl. 3 & 4.* Lopez *2. part. instructorij, de matrim. c. 53.* Palacios *4. d. 27. disput. 1. vers. tactus.* Ambo Ledesmæ Petrus, & Bartholomæus, & alij. Ergo Matrimonium factum modo proposito in præsenti casu, est omninò validum, ac proinde tuta conscientia possunt Praxedes, & eius Sponsus in tali Matrimonio perseuerare; purganda tamen erit eorum conscientia propter ea quæ illicitè sunt facta, &c. Et vt sciatur qualiter grauiter delinquatur à Sacerdote, & à contrahentibus matrimonium, pono sequentem Decisionem.

---

# DECISIO XLV.

*An contrahentes Matrimonium in mortali, committant duplex peccatum; & quid dicendum sit de alijs Ministrantibus Sacramanta in mortali; & an peccent, fœmina tangens Hostiam consecratam; & Laicus se ipsum communicans; & tanguntur varia.*

## Casus, seu Historia XLV.

### SVMMARIVM.

1 *Casus proponitur.*
2 *Minister Matrimonij, quinam sit.*
3. *vsquè ad 7. Sponsalia, & Matrimonium celebrantes, & benedicentes in mortali, an peccent.*
8. 9. 10 *Baptizantes ob necessitatem in mortali, an peccent.*

11 Mi-

11 *Minister consecratus quando peccet.*
12. *vsque ad 16 Quid de Confessario, & Ministro Eucharistiæ in mortali.*
17 *Quid de Diacono.*
18. 19 *Fœmina Eucharistiam tangens, ac ex se sumens, an peccet.*
20. *vsque ad 26 An liceat seipsum communicare, tum laico, tum Sacerdoti.*

1 PRaxedes, quæ in casu antecedentis decisionis, intellexit se contraxisse matrimonium eo modo, prout in eadem decisione dictum est, sed illicitè, quærit nunc, quos, & qualia peccata commiserit. Insuper petit, an semel peccauerit baptizando infantem in statu necessitatis, quia nondum sua peccata fuerat ipsa confessa. Vlteriùs rogat Confessarius, seu Consiliarius eiusdem Praxedis, vt ego respondeam dictis quæsitis, addendo etiam quandonam grauiter peccent Ministrantes Sacramentum aliquod in statu peccati mortalis.

2 Vt ergo satisfaciam interrogationibus, breuiter omnia tractabo, ac soluta responsione decidam. Et primò quoad Matrimonium, dico solos contrahentes, & nullo modo Parochos, esse Ministros huius Sacramenti; ratio est, quia est contractus, & in contractibus soli contrahentes se ligant, & eosdem faciunt contractus, ergo contrahentes sunt Ministri huius Sacramenti: Ità Bellarm. *lib.* 1. *de matrim. c.* 9. *& duplici sequenti*, & vocat temerariam sententiam oppositam. Idem docent communiter Doctores, & sententiam contrariam, quam Bellarm. dicit temerariam nunc post Concilium Tridentinum, dicit Sotus 4. *dist.* 26. *q.* 2. *artic.* 3. *versic. hanc autem*, eamdem opinionem ante Tridentinum defendi non posse.

3 Quamuis contrahentes sint Ministri Matrimonij, non peccant mortaliter contrahendo in peccato læthali. Ratio est, quia non sunt Ministri consecrati ad id munus, sed solùm illis conceditur de necessitate, cùm Matrimonium sit contractus, & contractus à contrahentibus 4 fit. Peccant tamen Ministri consecrati ad Sacramentorum administrationem. Ità Paludanus 4. *dist* 5. *q.* 2. *num.* 22 Sotus 4. *dist.* 1. *q.* 5. *art.* 6. *in fine* Ludouicus Lopez 2. *par. instructorij de sacram. in genere*, *c.* 59. *conclus.* 4. Henriquez *lib.* 11. *de matrim. c.* 2. *in fine*, Ledesma 1. *p.* 4 *q.* 5. *art.* 6. *dubio* 3. Contrarium 5 tamen tenet Nauarrus *c.* 1. §. *Sacerdos*, *num.* 10. *de pœnit. d.* 6. *in solutione ad* 6. Petrus Ledesma *de matrim. q.* 2. *art.* 3. *ad vltimum*. Sed prior opinio est sequenda, quia est verior, & sic dico non peccasse mortaliter Praxedem in casu nostro, scilicet quia Matrimonium contraxit in statu priuationis gratiæ per peccatum mortale; sed solùm quia sic suscepit Sacramentum, peccauit mortaliter, semper enim est lethale suscipere Sacramentum in peccato mortali.

6 Parochus, aut alius Sacerdos ex Parochi facultate, si assistat matrimonio cùm peccati mortalis macula, non peccat mortaliter, quia non est Minister conficiens Sacramentum; & eius benedictio est quoddam Sacramentale: 7 sic tradit Vega *lib.* 6. *summa*, *casu* 117. & alij numero antecedenti allati, inter quos Paludanus, & Lopez, docent idem de Sacerdote benedicente nuptias, quarum benedictio dicunt esse Sacramentale.

8 Quando postea Praxedes baptizauit infantem periclitatem mori, item nō peccauit, quia non est consecrata ad id munus, vt dicebatur de contrahendo matrimonio cum peccato mortali, currit enim paritas, & est eadem ratio.

9 Imò nec peccat mortaliter quisquis etiam ex officio, vt est Parochus, baptizaret cum peccato mortali in casu necessitatis, nam tunc non baptizat vt Minister ad id munus consecratus, sed baptizat vt Minister necessitatis, & caracter Sacerdotalis per accidens concurrit in tali casu, in quo etiam fœminæ possunt baptizare. Ità Granadus *in* 3. *part. contron.* 3. *tract.* 5. *disp.* 5. *num.* 6. *& alij*, contrà Vasquez *in* 3. *p. disp.* 136. *c.* 3. *num.* 30. Ergo Praxedes non peccauit baptizando in necessitate infantem periclitantem in vita, quamuis ipsa non esset in gratia.

10 In casu item necessitatis, imò & extra casum necessitatis, si Sacerdos baptizet cum Excommunicatione minori, nullum peccatum committit, ità Suarez *disp.* 24. *sect.* 2. *num.* 12. & Præpositus *in* 3. *p. q.* 2. *dub.* 3. *num.* 16. quia talis Excommunicatio prohibet suscipere, non tamen prohibet administrare Sacramenta, *ex cap. si celebret*.

11 Illud verò certissimum est apud omnes, quòd quilibet Minister consecratus ad Sacramentum ministrandum, si id administret in peccato mortali, peccat mortaliter.

12 Hinc est, quòd si Confessarius in mortali peccato existens confessionem audit, peccat mortaliter: Sed secundùm Henriquez *lib.* 6. *c.* 18. *num.* 6. *in glos. lit. V.* si antequam absoluat facit actum contritionis, probabile est non peccare; ratio est, quia hoc Sacramentum Confes-

fessionis perficitur in absolutione.

13 Et si Confessarius audit multos successiuè, siuè sinè morali interruptione, vnum solum peccatum mortale committit, quando ipse non est in gratia; sic Rodriquez *summ. tract.* 2. *cap.* 44. *num.* 3. & hoc ideò est, quia omnes illæ Confessiones audiuntur per vnum actum moraliter, tamen in Confessione, non esset quidem exprimendus numerus Confessionum exceptarum; benè verò esset exprimendum, quòd multos successiuè audiuit, & absoluit.

14 Circa administrationem Eucharistiæ, fateor duram esse sententiam docentem non peccare mortaliter Sacerdotem, qui in peccato mortali illam administrat, vt tradit cum multis Vasquez *in* 3. *par. tract.* 2. *disp.* 136. *c.* 3. *num.* 38. quia ministrans Eucharistiam non efficit Sacramentum, & sic non est proximus Minister Dei ad causandam iustificationem, sed tantùm applicat, velut actiua passiuis. Et licèt iste tangat illas sacras species, non ideò est credendum induci peccatum graue ab illo tactu specierum materialium, quæ sunt signa; & in terris si aliquis peccator tetigisset Christum, non pecca-

15 bat mortaliter. Nihilominus item fateor reuerendam opinionem D. Thomæ *in* 4. *dist.* 5. *quæst.* 2. *art.* 2. *q.* 4. *ad* 2. vbi contrarium tenens, dicit esse peccatum mortale, quia talis actus per se pertinet ad Sacramentum Ordinis, & versatur circa Sacramentum omnium Sanctissimum, & quod maiorem, quàm alia,

16 requirit reuerentiam in Ministro. Sed sequendo hanc sententiam, committeret vnum solum peccatum ille, qui multos successiuè communicaret sinè morali interruptione, vt supra dicebatur de Confessionibus successiuis.

17 Hinc infertur, non peccare à fortiori Diaconum canentem Euangelium ex officio, siuè in quibusdam casibus administrantem Eucharistiam, etiamsi hæc faciat in statu peccati mortalis; sicuti nec peccat deferens Eucharistiam de vno loco ad alium, cùm hæc facere sit quid minus, quàm Eucharistiam ministrare, & tamen hoc non inducit peccatum mortale, si fiat sinè gratia, vt dicebatur supra *sub num.* 14.

18 Item non committeret aliquod peccatum fœmina, quæ ex deuotione tangeret Eucharistiam. Imò satiùs (audiui Romæ dum essem, viuente Diana) est, quòd mulier se sola proprijs manibus accipiat formulam consecratam, & à manibus Sacerdotis volẽtis illam communicare, delapsam inter eius mamillas; dedecet

19 enim, quòd hoc fiat à Sacerdote. In hoc casu, ego non admitterem, quòd ista Mulier se ipsam communicet, sed data Sacerdoti particula, hanc ab eo accipiat, postmódum digitos suos suo ore purificet; & si opus erit, purificet quoquè pectus cum pannulo mundo ad purificandum destinato, atquè paululo aquæ madefacto:

20 In mortis articulo, potest peti communio ab omni Sacerdote, à quo potest peti absolutio; & sic potest peti à Sacerdote excommunicato, denunciato, & hæretico, vt tradit Suarez *in* 3. *p. tom.* 3. *quæst.* 82. *art.* 3. *disp.* 72. *sect.* 4. secluso scandalo, & Religionis irreuerentia.

21 In eodem articulo mortis, deficiente Ministro idoneo, à quo Eucharistia sumatur, potest laicus se ipsum communicare, sicut tradunt Historici fecisse Reginam Scotiæ martyrium subituram; & sic tenet Laymán *lib.* 5. *tract.* 4.

22 *cap.* 7. *num.* 4. Imò in eodem articulo potest laicus communicare etiam alios, si alter non detur, cui id potiori iure conueniat facere; ità Valentia *tom.* 4. *disp.* 6. *quæst.* 10. *punct.* 1. Layman *loc. cit.* Coninchus *de Sacrament. q.* 82. *art.* 3. *num.* 23. Ratio est, quia id non repu-

23 gnat iuri naturali, nequè diuino. Si autem opponatur Canon *peruenit*; respondetur eum loqui extra necessitatem.

24 Extra casum necessitatis, potest Sacerdos se ipsum communicare, si non possit celebrare in aliquo die magnæ solemnitatis, dummodò absit scandalum, & alius Sacerdos: Sic Homobonus *part.* 1. *tract.* 4. *cap.* 11. *num.* 106.

25 Et potest se solo, etiamsi adsit Diaconus; Durandus *in* 4. *distinct.* 13. *quæst.* 4 Ideò autem potest se ipsum in tali casu communicare, quia in hoc Sacramento non requiritur Minister distinctus à suscipiente.

26 Igitur dico summatim ad quæsita, quòd Baptizans ex officio, si est in peccato mortali, peccat mortaliter, aliàs non peccat, si id non faciat ex officio.

Confirmans cum peccato mortali, semper peccat grauiter, quia semper hoc Sacramentum Ministratur ab Episcopo, qui ex officio illud administrat.

Administrans Eucharistiam, dictum est fusè, quando peccet.

Administrans pœnitentiæ Sacramentum, item dictum est quando non peccat.

Administrans Extremam Vnctionem, semper peccat grauiter, si hoc faciat in mortali.

Ordinans quoquè peccat eodem modo.

Matrimonium contrahentes in peccato lethali, non peccant quatenus tantùm sunt Ministri, vt suprà asserui.

DE-

# DECISIO XLVI.

*An Explorator teneatur ad restitutionem accepti, vt aliquid exploret, si admoneat partem contrariam, à qua similiter accipit, faciens, vt vulgò dicitur*, la Spia doppia.

## Casus, seu Historia XLVI.

### SVMMARIVM.

1 *Casus proponitur.*
2. *vsquè ad* 7 *Data ad alliciendum, & dona non sunt restituenda.*
8. 9 *Secus data, vt aliquid fiat, si non fit.*
10. *vsquè ad* 13 *Exploratori, Custodi carceris, & Meretrici, an detur ad alliciendum.*
14. *vsquè ad* 23 *Magus, Medicus, Astrologus, Explorator, Meretrix, & similes quando teneantur restituere.*
24. 25. 26 *Satisfit argumentis.*
27 *Explorator ad Turcas quid faciet.*

1 DEtinebatur in carcere quædam mulier ab Episcopo, eò quòd fuerit accusata se velle intrà mensem inferre mortem marito, & credebatur se id præstituram cum propinatione cuiusdam pulueris, quem apud ipsam inuenerunt, sed ipsa allegabat, eodem puluere vti tantummodò in remedium proprij menstrui. Debebat tradi torturæ eadem mulier, quæ amasijs non carebat, quorum vnus accessit ad Custodem carceris, eique spopondit 200. scuta, si dabat mulieri schedulam, virtute cuius nihil patiẽs in tortura, nihil confiteretur. Accepit pecuniam Custos, & simul cartulam, quam detulit Episcopo, cui omnia aperuit, & data mulieri alia cartula indifferenti, nomine Domini N. amasij sui, rogauit eam, vt secretè illa vteretur ad tollerandam torturam, si ei daretur. Ipse Custos accepit item ab Episcopo duas duplas pro fidelitate, & detectione facti. Quæritur, an teneatur ille Custos restituere 200. scuta?

2 Casus similes non raro contingunt, in quibus delinquens vocatur *Spia doppia*, & ipsum posse retinere acceptam pecuniam, videtur esse resoluendum. Primò, quia talis pecunia datur abbundanter ad alliciendum Exploratorem; sed quod datur ad alliciendum, non habet rationem contractus; ergo non affert secum obligationem restituendi, si non fiat id, ad quod intendebatur allicere.

3 Secundò probatur, quia si quis det torquem auream nobili fœminæ ea intentione, vt illam alliciat ad turpia, non tenetur illa fœmina torquem restituere, seruata semper pudicitia; ergo Explorator item non tenebitur restituere, prout in casu. Antecedens traditur à Molina *tom. 3. disp.* 735. *num.* 3. Rebel. *de iustitia*, 1. *p. lib.* 3. *quæst.* 7. *num.* 6. Ioanne Valero *in differentijs vtriusque fori verbo restitutio, differ.* 34. Et Eminentissimus de Lugo protestatur se consuluisse quandam nobilem, vt torquem retineret datam ab intendente illam allicere ad Venerem, seruata pudicitia, & manifestata donatori.

4 Confirmatur, nam si aliquis ad finem obtinendi pingue beneficium, donet collatori pinguia munera, absquè tamen vllo pacto explicito, vel implicito, quamuis indecorè accipiantur, possunt nihilominus retineri, quamuis donans fraudetur sua spe, quia solùm dederat ad alliciendum collatoris animum, & ad eius captandam beneuolentiam. Ergo etiam Explorator non tenebitur restituere receptum, quod datum est ei vt allectus remaneret ad exequendum intentum dantis.

5 Item confirmatur exemplo inseruientis Episcopo, vt eius beneuolentiam captet, & semper sperat se recepturum beneficium, quod ab Episcopo vicissim liberaliter accipiat, in quo casu ad nihil teneretur Episcopus, si inseruiens nihil recipiat. Ergo ad nihil tenebitur nec Explorator, si non faciat id, quod sperabat recipere vicissim ab Exploratore, ille, qui ei pecuniam dedit. Ità Lugo *de iust. & iur. tom.* 1. *disp.* 18. *sect.* 3. *num.* 49. & passim alij Doctores in materia Simoniæ.

6 Vltimò probatur, quia ideò fœmina retinens torquem donatam à sperante potiri illa malè, ac libidinosè, non dicitur cooperari ad peccatum speratum, & intentum à donatore, quia iste postquam semel dedit, iam à se alienauit, nec durat in ipsa donatione, cùm ista ampliùs non dicat dependentiam ab eius voluntate, & influxu, sed solùm continuat in sua spe turpi ex præterita donatione, ad quam mulier non concurrit, nec vllo modo fouet ipsam, imò reddit irritam, & destruit, negando clarè rem speratam, vt docet idem de Lugo *loc. cit.* Ergo similiter non debet restituere rem acceptam ipse explorator, cùm postquam est data, non sit ampliùs in dominio donantis, aut dantis, qui illam à se alienauit, sperans se recepturum aliquid ab eodem Exploratore, qui si non condescendat speratis à dante, non ideò tenebitur restituere, vt ex se patet benè currere

pa-

paritatem cum exemplo fęminæ, licitè retinentis torquem, vt dictum est.

7 At non obstantibus adductis argumentis, dico illa non concludere; quia laborant in æquiuoco, sicut constabit ex dicendis, & ex responsionibus ad illa. Aduertendum igitur est, quomodò, aut quo pacto sint data v. g. 200. scuta ipsi Exploratori, cùm dupliciter possint dari. Primò, possunt dari titulo puræ donationis, licèt animo alliciendi ad rem intentam. Secundò, possunt dari per modum pacti, videlicet vt accipiens faciat id, quod ab ipso exigitur. Si dantur 200. scuta, aut alia quæquè primo modo, concedo Exploratori, seu carcerum Custodi, posse tuta conscientia retinere acceptum, nec teneri restituere, si non faciat id, quod sperabatur à donante titulo liberali. Ratio est, quia semel data liberaliter re, non est ampliùs dantis eam, quamuis dans non recipiat id, ad quod suo dono intendebat tantùm allicere animum donatarij, vt & ipse faceret iuxta spem eiusdem donatoris; & hoc dico contra Ludouicum Lopez, qui etiam hoc modo datum vult esse restituendum, si dans defraudatur sua spe.

8 Sed si secundo modo datur, dico debere restitui acceptum, quoties non adimpletur petitum à dante prout proponitur in nostro casu, quamuis id, quod exigitur sit peccatum, vt est decipere iustitiam. Probatur, nam si quis dat pecuniam Astrologo, vt sua arte diuinandi, sciat quem effectum habebit, v. g. matrimonium contrahendum, tenebitur Astrologus restituere acceptum, si nullam operam apposuit; & è contra non tenebitur si apposuit; & arte diabolica resciuit aliquid, vt docet Salas 1. 2. *quæst. 9. art. 5. tractatu 5. disput. 2. sect. 8. num. 79. fine.* Nauarra *lib. 2. de rest. su 2. p. 1. dub. 7. in noua editione num. 163. 164.* Manuel 1. *Sum. 2. edit. cap. 7. num. 4.* & ratio est, quia Astrologus suam operam, etsi turpem apposuit; & acceptum pro opere turpi, non est obnoxium restitutioni, vt tradit verior sententia, quam tenent DD. mox citati; ergo Custos carcerum, ac Explorator, si non apponat operam suam, ob quam accepit pecuniam, tenebitur totam restituere; vel si apponat, potest tuta conscientia retinere.

9

10 Nec probat, quòd possit semper retinere, etiamsi nullam operam apponat, quia semper dantes aliquid Custodi carcerum, vel Exploratoribus, dicunt eis, volo tibi donare 200. scuta, tantùm vt facias, vel dicas hoc, & hoc illi carcerato; ergo si semper protestantur dantes, se donare, perinde erit, quòd accipiens apponat suam operam, vel non apponat. Respondeo esse in hoc cautè procedendum, nam attendendus est animus, quo verba proferuntur; & si reuera dans intendit donare, tunc nulla currit obligatio in recipiente, si non faciat iuxta dantis intentum, cùm ad nihil recipiens se obligauerit; at iudico esse semper pro certo tenendum, quòd huiusmodi dantes, licèt ex modo loquendi, dicant se velle donare, tamen expresse intendunt petere opus, quod volunt, ad quod vt obligetur Explorator, ei exhibetur pretium pingue. Nec sanè negari potest, quin animus dantis, sit vt non omittatur id, quod à recipiente exigitur. Et si datur abbundanter, fit, vt magis magisque alliciatur ad condescendendum volitioni alterius, cui de facto tacitè se obligat, dum oblata acceptat; nam vnquam eidem Exploratori, nec quid minimum daretur, nisi expectaretur ab ipso id, quod petitur. Nec Meretrici æquiparatur Explorator, vel Custos carcerum; nam istis nunquam sic copiosè donatur tantummodò spe alliciendi ad aliquid; sed expresse exigitur, & ideò ei offertur; Meretrici verò faciliùs donatur, sicut & mulieri ad alliciendum, maximè si sit honesta, etenim cùm ista vtitur præludijs, donis, & vrbanitatibus, antequàm turpe quid exigatur.

11

12

13 Videatur Mascardus *cons. 99.* vbi quòd animus quoad multa præsumatur signis, factis, præparationibus, & alijs.

14 Probatur etiam confirmando, debere Exploratorem restituere, prout agitur; nam si detur Mago pecunia, vt aliquem effectum faciat euenire, tenetur illam restituere, si non ponit operam suam, quamuis effectus ex se sequatur. Ergo & tenetur restituere Explorator, vel Custos, si nihil faciant, licèt illicitè debeant operam suam apponere, sicut Magus. Ita Sanchez *in precept. decal. lib. 2. cap. 38. num. 96.*

15 Confirmatur, quia si Medico totaliter ignaro, vel qui inutilia adhiberet remedia daretur pecunia pro curatione expetita, teneretur Medicus restituere, quidquid pro curatione acceperat, etiamsi casu sanetur ægrotus, quia perinde est, quòd Medicus inutilia applicet, ac quòd nihil ponat operis, pro quo pretium datur ab ægroto; ergo & Explorator nihil faciens de eo, pro quo data fuit ei pecunia, vel si faciat aliquid inutile ad intentum dantis, prout est si Custos carceris deferat cartulam indifferentem, & non illam, quæ virtute Dæmonis liberare poterat à tormento torturæ, tenebitur pecuniam acceptam restituere; & deducitur

clarè ab eodem Sanchez *loco citato*.

16 Imò adeò strictè loquuntur in hoc Salas, Nauarra, & Manuel *vbi supra*, vt indistinctè velint esse faciendam restitutionem pretij accepti à Mago, vel ab Astrologo, vel à simili, quandocunque res non euenit prout intendebatur; ergo à fortiori erit facienda restitutio in casu proposito Exploratoris, aut Custodis 17 infidelis, & nihil facientis. Credit tamen Sanchez, & ego cum illo, non teneri ad restitutionem Magum, nec Astrologum, nec Exploratorem, aut similes, si apponunt opus suum, & faciunt id, quod muneris sui est, quamuis res non eueniat vt expectabatur. Hoc manifestè constat in Medico, qui accepto pretio pro curatione facienda, & ipse illam facit iuxta artem suam, & quantùm ad munus ipsius spectat, si sanitas non sequatur ægroto, imò si moriatur, non teneretur Medicus ad restitutionem accepti. Igitur ad nihil tenetur quisquis operam suam impendit, benè verò tenetur restituere, si illam omittit, & hoc certò fit ab Exploratoribus infidelibus, qui non adimplent id, quod ab ipsis requiritur cum pretij solutio-

18 ne. Si autem quis petat, cur Mago sit dandum pretium, quando ipse possit tenere; dico esse, quia diligentia à Mago adhibita est pretio æstimabilis; & idem dicendum est de Astrologo, Exploratoribus, &c. quandocunque operam suam ponunt, quam si omittant, tenentur ad expensas, & ad damna; si verò illam apponant, ad nihil tenentur, sequatur, vel non sequatur effectus: Quando enim ille, qui pretium accepit operam suam impendit, non decipit; & dans non præsumitur aliud exigere, nisi vt recipiens faciat id, quod muneris sui est; quod si conueniretur cum obligatione, vt de facto eueniat intentum, si hoc postea non euenit, tunc esset facienda restitutio, non ex absoluta obligatione, sed ex conditionata, quia sic partes contrahentes conuenerunt.

19 Vlteriùs probatur obligatio restitutionis in Exploratore infideli; nam Meretrix tenetur pretium restituere, quod fraude, & mendacio extorquet ab amasio, quia in tali casu, dans pretium non habet id, pro quo habendo dedit; & sic docet Vasquez *de restitutione, cap. 7. dub. 1. num.* 4. ergo & tenebitur restituere Explorator infidelis, si per fraudem, & mendacium extorquet pretium, non ponens opus suum, aut id, pro quo ei fuit datum.

20 Confirmatur, quia pretium datum fœminæ, cum pacto explicito, aut implicito, vt det vsum corporis, nõ potest ab ea retineri, sed debet restitui, si vsum corporis non concedit ei, à quo pretium solutum fuit, sicut tradit de Lugo *tom. 1. de iust. & iur. disp.* 18. *sect.* 3. *num.* 49. Ergo pariter dicendum est de Exploratore infideli, aut de Custode, seu de alio quocunque, qui non facit id, pro quo faciendo pretium recepit.

21 Si autem argumentetur ad probandum, quòd nunquam sit restituendum ab Exploratore infideli, Custode, aut ab alio simili, & dicatur, quòd id, quod ab istis exigitur, cùm sit regulariter contra eorum obligationem iuxta officium pro quo à Principe recipiunt mercedem, est peccatum; vndè cùm peccatum non sit pretium æstimabile, nunquam erit pretium id, quod istis datur, sed donum, ac per consequens nunquam restituendum, faciant, aut

22 non faciant exigitum ab ipsis. Respondeo, ex hoc probari potiùs oppositum, videlicet semper esse restituendum, & sic dicit Ioannes Medina apud de Lugo *loco citato, num.* 53. Si enim peccatum non est vendibile, sic nec licet pro peccato pretium recipere; ergo semper est restituendum. Nec dicatur esse donum, & non pretium; nam falsum est, quòd animus dantium sit donare huiusmodi Exploratoribus, aut Custodibus, quibus nihil daretur, nisi opus eorum expectaretur.

23 Secundò respondeo, esse quid vendibile peccatum, sicut & vendi potest rectitudo, qua aliquis se priuat in gratiam emptoris, à quo pretium recipit: ità Vasquez *num. 4. & sequentibus*. Dicere quidem oportet, actionem illicitam non posse licitè vendi, tamen res ipsa est pretio æstimabilis, cùm afferat delectationem, & vtilitatem emptori dignam tali pretio; ergo ab Exploratore, & Custode emitur opus, quod ab ipsis exigitur, qualecunque sit tale opus, scilicet aut peccaminosum, aut non; ergo si opus hoc ab eis omittitur, debetur pretij accepti restitutio.

24 Ad argumenta respondetur, ad primum quidem, & ad secundum, concedendo non teneri Exploratorem restituere, quando id, quod ei datur, datur solummodò ad alliciendum ipsum; & sic currit paritas cum fœmina, cui datur torques aurea ad ipsam alliciendam, seu disponendam ad turpia.

Ad confirmationem, dico ideò posse retineri munus acceptum à non largiente postmodum beneficium, quod sperabat obtinere ipse donans, quia nullum pactum intercedit, nec intercedere potest; at in casu nostro adest pactũ saltem implicitum, & propterea standum est ei.

25 Eo-

25 Eodem modo respondendum est alteri confirmationi, quæ adducitur ab exemplo inseruientis Episcopo, nam nullum fit pactum, & nihil præstatur cum intentione obligandi.

26 Ad vltimum conceditur, quòd benè concludat, quandocunque id quod datur fœminæ, non datur cum pacto, sed liberaliter; & idem curret in casu nostro, si liberaliter daretur Exploratoribus, aut carcerum Custodibus, aut alijs similibus, quibus quia datur cum expressione vt faciant, celebratur cum ipsis contractus innominatus, *do vt facias*; ergo tenentur facere, nam contractus affert obligationem, vel exequendi id, quod cadit sub contractu; aut restituendi acceptum, si non exequatur id, quod per contractum intendit obtinere ille, qui dedit.

27 Addam pro coronide huius Decisionis, quid dicendum sit Exploratori apud Turcas, interroganti, qualiter inter illos infideles gerere se debeat. Dico, quòd admonendus est, dum mittitur in commodum, & vtilitatem Reipublicæ Christianæ, posse quamdiù apud Infideles commoratur vesci carnibus, tempore ab Ecclesia vetito, habitum ipsorum induere, & alia signa indifferentia, ne Catholicus dignoscatur, & vt indè possit Principibus Christianis magnum Reipublicæ Christianæ commodum referre, & propriam necem euadere, modò non adsit scandalum, aut non instet præceptum confitendi Fidem. Ità Trullench. *in decalog. lib.1.cap.1. dub.7.num.25.* cum Bonacina.

# DECISIO XLVII.

***An qui vouit peregrinationem possit accipere à varijs personis stipendium pro tali peregrinatione, & sic vnica peregrinatione satisfacere voto proprio, & alieno.***

## Casus, seu Historia XLVII.

### SVMMARIVM.

1 *Casus proponitur.*
2. 3 *An plures obligationes simul impleantur.*
4. *vsquè ad* 17. *Rhedarius, Magister, Tabellarius, Peregrinus, & similes, an possint operam suam pluribus locare.*
18. 19. 20 *Opus Deo promissum, non potest locari.*
21. 22 *Opus æquè vtile multis potest locari.*
23. *vsquè ad* 26. *Respondetur ad argumenta.*
27 *Explicatio pro casu nostro.*
28. 29 *Opera, & res possunt locari.*
30 *Solutio vnius obiectionis.*
31 *Quid si à tertio impediatur conductor.*
32 *Votum de re indifferenti est nullum.*
33. 34 *Obligatio locatoris, & conductoris.*

1 QVidam Simon postquam fecerat votum peregrinandi ad limina Apostolorum ob sanitatem recuperatam, accepit à tribus personis nobilibus 50. scuta; scilicet 50. ab vnaquaquè persona, quarum quælibet ignorabat de alia, & dicta 50. scuta dederunt Simoni, vt susciperet peregrinationem ad limina Apostolorum, prout vnaquæquè dictarum personarum vouerat mittere aliquem Romam, & de facto Simon intendens vnico itinere satisfacere omnibus, & proprio voto, peregrinatus est ad limina Apostolorum.

Casu iste Simon mihi narrauit hoc factum; & cùm prima facie iudicauerim ipsum non satisfecisse; ideò pro discussione veritatis, rem examinabo in præsenti Decisione.

2 Quòd iste satisfecerit cuicunquè obligationi suæ, posset suaderi; primò quia quandocũquè res cadit sub obligatione ex eodem motiuo, potest eidem vnico actu satisfieri, etiamsi pluribus præceptis res illa modo dicto prohibeatur, aut præcipiatur; & sic si Vigilia Sancti Thomæ Apostoli cadat in die quatuor Temporum, satisfit obligationi ieiunandi per vnicum ieiunium, quamuis & ratione Vigiliæ sit obligatio ieiunandi, & insuper etiam ratione diei quatuor Temporum sit seruandum ieiunium; nec ob aliud vnico ieiunio satisfit duplici præcepto, nisi quia vtrumquè præceptum est datum ex eodem motiuo abstinentiæ. Sed etiam in casu Simonis est idem motiuum, pro quo peregrinatio est facienda tum propter ipsum Simonem, tum propter tres illas personas, nempe ratione voti eiusdem rationis, ac de eadem materia; ergo per vnicam peregrinationem Simon satisfacit, & voto proprio, & votis dictarum personarum; quæ consequentia sequitur ex doctrina antecedentis, quod communiter admittitur à Doctoribus.

3 Secundò, nam si executio vnius obligationis non est incompatibilis cum alia, potest optimè vtraque simul & semel eodem tempore adimpleri; & sic satisfacit obligationi de recitando Officio Diuino, & de audienda Missa ille, qui hæc duo habet eodem tempore præstare, sicuti etiam satisfaceret obligationi faciendi

pænitentiam sacramentalem ille, qui eodem tempore auditionis Missæ, dictam pænitentiam recitaret; & hæc vera sunt in communi, & practicata opinione. Sed non apparet incompatibilis cum executione proprij voti, executio etiam similis voti, facta nomine alterius personæ, quæ item vouerat illud idem votum, aut opus facere adimpleri à tertia persona, quæ si sit aut non sit eodem voto astricta, sed à se sola exequendo non consideratur; ergo & nomine proprio, & nomine centum personarum poterit Simon prout in nostro casu, vnica peregrinatione satisfacere voto proprio, & simul voto aliorum, qui idem vouerunt facere, vt fiat ab alio.

4 Tertiò probatur, quia nihil illicitum committitur à Rhedario, qui vouit ire Romam, si eat in rheda, quam locat Petro 50. scutis, scilicet 25 pro eundo, & 25. pro reditu rhedæ etiam sinè ipso Petro, qui Romæ vult commorari; sed postea item accipit 25. scuta ipse Rhedarius à Paulo, qui Roma discedens, conducit locum in dicta rheda pro se ipso vsque Taurinum. Si ergo in hoc casu ille Rhedarius satisfacit suo voto, & simul licitè accipit illas pecunias à duplici persona pro eodem loco, & pro eadem rheda, quam ipse pro se volebat adhibere in executione sui voti; videtur dicendum esse, quòd similiter satisfaciat Simon vadens Romam pro satisfactione proprij voti, & simul etiam eadem via secum conducens tres personas missas à tribus personis, quæ illas mittere vouerant, scilicet ipsemet Simon pro tribus personis missis fungitur munere, accipiens ipse id, quod tribus personis dari debebat pro stipendio; sicque Simon repræsentabit propriam personam, & simul inseruiet tribus alijs personis, nomine quarum facit illud, quod non minùs intenditur ab vna, quàm ab alia, quodque & ipse pro se præstare debet.

5 Sed vt vera à falsis seiungantur, notandum est, posse aliquem se obligare multis, vel in solidum, ita vt teneatur singulis, etiamsi aliqui resilirent; vel obligat se, scilicet operam suam omnibus simul.

6 Item notare oportet, posse fieri, vt opera illius, qui se obligat, sit æquuè commoda singulis, ita vt idem sit, ac si tota pro vnoquoque impenderetur; vel non æquuè est commoda.

7 Vltimò est adhuc aduertendum, quòd stipendium datum, vel est totum pretium illius operis, ità vt ampliùs non possit accipi, siuè illa opera fiat pro vno, aut pro singulo, aut pro omnibus simul, aut pro pluribus; vel pretium illud est debitum pro negotio vnius, non interim impediendo, quin æquale pretium accipiat ab alio, si eadem opera fit negotium alterius.

8 His positis, & supposito etiam, quòd in isto casu agatur de locatione operis propriæ alicuius, qui operam suam locat, iuxta quòd in Euangelio *Matth.* 20. 7. legitur, qualiter interrogati, cur otiosi quidam in foro manentes, ad vineæ culturam non essent ingressi, responderunt: *Quia nemo nos conduxit*; dico non semper posse operam suam aliquem locare pluribus, plura integra stipendia accipiendo.

9 Ordinatè igitur hęc examinando, id primo loco astruatur, quòd quando aliquis non locat operam suam singulis in solidum, itaut teneatur illam facere pro ipsorum quolibet seorsim, non concurrentibus alijs, non potest tantum exigere, quantum si vni soli eam locaret. Huius ratio est, nam locatio, seu obligatio partialis, minùs valet, quàm totalis, & integra, eo prorsus modo, quo dominium totale superat, & est maius dominio partiali. Et totum manifestè cōstat in tribus casibus, quos adducam,

10 vt sint exemplum cæterorum. Primus est, quòd ille qui locat domum non singulis in solidum, itaut teneatur eam cedere vni conductori, si alij nolint ampliùs eam conducere, non potest totum pretium locationis à singulis velle, eo modo, quo ab vno solo exigeret illud,

11 si vni soli illam locaret. Secundus est, quòd Magister multos habens discipulos, non sic obligat suam operam singulis in solidum, vt possit tantum exigere à singulo, quantum si

12 vni soli se obligaret. Tertius casus est in Tabellario, qui operam suam non obligat vni soli, ideò pro delatione litterarum non potest tantum prætendere à singulis, quantum si vni soli suam operam locasset. Quod autem fecit Simon in nostro casu est, quòd locauit operam suam peregrinandi, tribus personis seorsim, itaut vna nihil sciret de alia; & sic se gessit cum vnaquaque, ac si cum vna sola paciscens, integrum pretium accipere deberet ab vna. Non ergo se obligauit multis in solidum, sed vni, vndè & plus, seu pretium maius poterat exigere, si aliud non obstaret, prout infra ex dicendis apparebit.

13 Secundo loco astruatur tamquam certum, quòd quando opera alicuius est facta pro multis, ità tamen vt non sit æquuè commoda, aut vtilis singulis, ac vni soli, si isti exhiberetur, non potest tantum à singulis exigi, quantum exigitur, dum vni soli impenditur. Ratio est, quia contra iustitiam est, vt tantum exigatur

ab

ab vno pro opera ipsi locatâ, ipsique vtilis vt decem, quantum exigitur ab alijs singulis, quibus solùm vt duo vtilis, & commoda erit. Id patet in Sacerdote, qui applicat suum Sacrum multis, à quibus non potest tantum à singulis pro sua sustentatione exigere, quantum exigeret ab vno, si pro isto solo illud applicaret; & huius ratio est, quia multis applicatum, non tantum est vtile singulis, quantum si vni soli applicaretur, loquendo tamen ex opere operato.

14 Sic ex hoc deducitur responsio ad casum nostrum; nam cùm Simon susceperit peregrinationem pro multis, non potest tantum à singulis accipere, quantum si pro vno solo illam conficeret, quia certè minùs prodest vna pia peregrinatio multis applicata singulis ipsorum, quàm prosit si tota vni soli sit applicata. Cùm ergo illæ tres personæ vouerint seorsim, & vna inscia de alia, mittere Romam, erat earum intentio, vt tota illa peregrinatio esset pro vnaquaquè, & ità quælibet illarum personarum obtulit mercedem pro tota, & integra peregrinatione; ergo vnica peregrinatione non poterit Simon satisfacere tribus personis, nec suo voto, cùm & tota peregrinatio esse deberet ipsius, & pro se solo, iuxta votum, quod fecit, & ità expresse tradit Lessius *de iust. & iur. lib. 2. cap. 24. dub. 5. num. 28.*

15 Et quòd Simon in isto casu non satisfaciet, probatur, quia non dat integrè id, pro quo ei pretium datur; sed qui non dat totum integrè, pro quo accipit pretium tenetur pretium restituere, aut conuentum dare integrè; ergo non satisfacit qui integrè non dat, nec exequitur, iuxta factam conuentionem.

16 Confirmatur, nam opera præstita multis, sed non æquuè commoda, aut vtilis singulis, minùs æstimatur respectu singulorum, quàm sit existimanda si singulis æqualiter vtilis esset; ergo si vna pia peregrinatio pro multis suscepta iuuat minùs singulis, quàm si pro vno solo fieret, non poterat Simon tantum accipere à singulis pro vna peregrinatione ipsis applicata, quantum accepisset si ab vna sola persona ei peregrinatio fuisset demandata.

17 Explicatur hæc veritas, adducendo id, quod passim fit à mercatoribus, qui ad sua negotia expedienda conueniunt multi, vt electo vno, iste mittatur, eique pretium sufficiens detur. In isto casu posset iste missus tantum prætendere à singulis, quantum ab omnibus simul, si tamen isti omnes ad modum vnius cum ipso mandando non conueniant. Ratio sit, nam iste missus, æquuè prodest suo itinere vni, ac multis; ergo sua opera non minuitur in æstimatione per hoc, quòd sit facta pro multis, ac pro vno solo. Hoc autem in casu nostro non currit, cùm non minùs vna peregrinatio longa minùs prosit multis, seu eorum singulis, pro quibus applicatur, ac prodesset vni tantùm, si vni soli destinaretur, ac si recitatio vnius Coronæ fieret pro vno, seu pro multis; si ergo recitata Corona pro multis, singuli eorum minùs de illa participant, ac participet vnus solus, pro quo recitaretur; sic de peregrinatione discurrendum est. Non ergo Simon satisfecit.

18 Addendum est etiam, quòd tota illa peregrinatio non poterat alteri applicari, cùm jam tota esset locata, nempe promissa Deo per votum Simonis; ergo si applicatur alijs, tollitur Deo, & sic Simon illam non præstat, quatenus seruiat ad satisfaciendum suo voto.

19 Igitur est absolutè resoluendum in nostro casu, Simonem non satisfecisse, imò nec satisfacere potuisse cum vnica peregrinatione, tum proprio voto, tum obligationibus contractis ex pretijs acceptis. Hoc constat, quia si vna, & eadem res vendatur tribus, non potest venditor accipere pretium integrum à singulis, sed locatio operis suæ est quædam velut venditio; ergo si tota locatur multis, non potest pretium integrum à singulis accipi; ergo Simon vendens, aut locans suam peregrinationem vni, non potest simul illam alteri locare pretiumque recipere; vndè cùm 90. scuta sint merces vnius peregrinationis, non possunt totidem ab vno, & ab alio, & à tertio recipi. Lessius *vbi suprà, num. 27.*

20 Et cùm debeat Simon pro se ipso peregrinari Romam, tenetur de suo iter conficere, quòd si non possit ob paupertatem, nec alio modo, non tenetur mendicare ab alio; ergo si diues supponitur Simon, suum votum non adimplet, nisi de proprijs facultatibus expendat in peregrinatione. Layman *lib. 4. t. 4. cap. 2. num. 7.* ergo pro se solo, & suis expensis tenetur talem peregrinationem conficere, eamque toties replicare quot sunt personæ, à quibus pretium integrum, & correspondens trinæ peregrinationi accepit, & si non pergat Romam quater, non satisfacit, & tenebitur acceptum pretium restituere tribus illis personis, & votum proprium semel adimplere.

21 Concederem Simoni, quòd vnica peregrinatione satisfaceret multis, & sibi, si eadem peregrinatio esset tota pro singulis. Sic est industria laudanda, quòd vnus dum aliquod iter susci-

suscipit, sumat à multis pretium æquale, vt eorum negotia diuersi generis expediat, vnà cum proprijs. Ratio est iam allata suprà, videlicet, quia opera sua est æquuè cōmoda, & vtilis singulis illorum, proindè à singulis potest æqualiter exigere, quamuis & æqualiter sit vtilis sibi ipsi.

22 Ideò Commissarius missus ad negotium peragendum in aliquam longinquam Ciuitatem, vbi duos aureos ad singulos dies lucrabitur, poterit & alia diuersa negotia peragere tum pro se, tum pro alijs, quamuis mille alia scuta deberet quotidie lucrari, quia opera sua, seu transmigratio sua ad illam Ciuitatem est æquuè tota pro illo primo seorsim sumpto, ac pro se, ac pro centum alijs diuisim acceptis. Ita Lessius *num. 27. & num. 28.* tribuit bonæ Fortunæ, seu industriæ, vt simul concurrant plura negotia expedienda, & vnico medio possit vti ad ea conficienda, atquè eandem functionem pluribus æquuè impendere. Sed in casu nostro totum oppositum currit, cùm eadem peregrinatio nō æquuè sit tota pro vouente, & pro singulo eorum, qui totam, & integram mercedem dederunt ad vnam peregrinationem integram, & totalem faciendam pro vnoquoquè illorum.

23 Ad rationes in cōtrarium respondetur, quòd in nulla illarum stat paritas cum casu Simonis. Non in prima, quia fit transitus, seu argumentatio de obiecto ad subiectum, seu ad tendentem in obiectum. Vnicò igitur ieiunio potest quis hodie satisfacere duplici præcepto Ecclesiæ, quia Ecclesia intendit abstinentiam in vtroquè præcepto, & sic dùm ex vi vnius præcepti seruatur abstinentia, eadem abstinentia simul obseruatur pro centum præceptis eiusdem omninò rationis. At peregrinatio est actio peregrinantis, quæ dum tota locatur, aut venditur vni, non potest alteri dari, sed tota debet præstari pro illo, qui totam satisfactionem illius operis vult pro se ipso. Sic & ieiunium ipsum, vt est actio ieiunantis, si debetur totum pro vno, non potest applicari pro alio simul cum illo, aliàs defraudaretur ab intentione, & conuentione, qua totum dedit, quantum debebatur, vt tota actio ipsi vende-

24 retur. Et hoc etiam confirmatur ex doctrina communi Doctorum dicentium, quòd si iniungatur ieiunium vnum pænitenti à Confessario, non satisfacit cū ieiunio vnius vigiliæ, nam intentio Confessarij est, quòd tota actio ieiunandi ponatur vt præcepta ab illo Confessario, remanente obligatione ponendi aliam actionem ieiunandi, prout præcipitur ab Ecclesia. Ergo Simon in nostro casu debet singulis totam peregrinationem, & etiam Deo, vndè cum vnica non satisfacit.

25 Nec currit paritas secunda, nam quamuis sint simul compatibilia Missæ auditio, & Officij, ac pænitentiæ recitatio, tamen non sunt simul compatibilia, quòd vota multorum seorsim obligatorum mittere Romam, & dare integrum pretium pro peregrinatione à singulis volita pro se ipsis, adimpleatur vnica peregrinatione pro singulis applicanda, quia, vt patet, iam non singuli habent totam vnam peregrinationem, sed vnius peregrinationis satisfactio inter multos diuiditur.

26 Tandem nec probat intentum id, quod tertiò adducebatur, nisi in casu, quo vna opera vnius esset æquuè commoda, & vtilis singulis, vt est quòd vnus accipiat 4. scuta pro locatione rhedæ eundi causa Romam, & alia 4. pro reditu; sed si inuenit iterum locandam rhedam reductitiam, accipiat alia 4. scuta, cùm tota rheda æquuè fuerit tota pro primo, ac pro secundo conductore, nisi aliud addatur pactum.

27 Quid verò dicendum sit in casu, quo Simon vnam fecerit peregrinationem, an videlicet nemini satisfecerit, aut alicui, vel sibi soli, cùm ipse habuerit intentionem satisfaciendi pro suo voto, & pro alijs; & an teneatur acceptum restituere: Dico certum esse, ipsum non satisfecisse pro nullo illorum, à quibus acceperat pretium, vt iam ostensum est, verùm quia habuit intentionem satisfaciendi pro se, & pro alijs, ideò satisfactio illius peregrinationis, fuit diuisa in partes, & hæ ad numerū eorum, quibus pars vna contingebat. Igitur Simon peregrinationem fecit eo prorsus modo, quo illam facere debuisset, si se omnibus simul obligasset, itaut quisquè illorum partem pretij dare deberet. Hinc deduco Simonē teneri restituere (nisi omnes peregrinationes faciat) totum illud, quod est supra dictam partem, computata parte sibi correspondente, cùm & ipse sit in hoc eiusdem rationis cum alijs, & sic & ipse pro parte sua debet concurrere ad factas expensas. Ratio est, quia Simon bona fide locauit suam operam multis, eámque illis concessit; ergo debent illi dare pretium Simoni correspondens operi illius sibi locatæ; nam non stat locatio sinè mercede consistente in pecunia: Hostiensis *in sum. tit. de locato*, §.

28 *quid sit locatio*. Bartolus, & alij *in Rubrica eiusd. tit.* & inter res, quæ locantur, numeran-

rantur operæ alicuius ad aliquid faciendum, *l. qui operas, ff. locati*; vndè aliquando locantur operæ, & res. Glossa *in l. si vno, in verb. personis, ff. locati*.

30 Nec militat contra si dicatur, quòd nemo ex illis, qui dederunt pretium habuit intentionem conducendi partem operis Simonis peregrinando Romam, sed totam dictam operam; ergo nec tenentur soluere id, quod non conduxerunt; sicque Simon totum pretium tenebitur restituere. Hoc inquam non militat, quia quamuis conductorum intentio fuerit, vt eis singulis daretur tota peregrinatio, & per errorem, quasi à quodam tertio fuerit impeditum, ne tota illa locatione fruerentur, sed solùm ex parte; ideò si locator non potuit impedire hunc errorem, sicut de facto non potuit, cùm de illo non cogitauerit, nisi post regressum à Roma, non tenetur ad restitutionem totius pretij operæ locatæ, sed solùm pro rata.

31 Sic à pari manifestè est deducendum à casu, quo quis aliquid conducit, sed à tertio impeditur, ne re conducta fruatur, locator non tenetur ad totale interesse, etiam lucri cessantis, nisi si illum tertium impedire potuit; verùm si non potuit, tunc tenetur tantùm ad remissionem mercedis pro rata, *vt est text. in l. si fundus 36. circa finem, ff. locati*. Bartolus *in l. si vno 17. §. cùm quidam, num. 3. ff. eod. tit.* Baldus *cons. 364. num. 2. & 336. vol. 1.* Cæph. *cons. 577. num. 9.* Roland. *cons. 69, num 28. vol. 4.* Natta *cons. 610. num. 8.* Surdus *decis. 326. num. 16.* ergo & in casu nostro non est restituendum totum pretium, seu totam mercedem, sed solùm pro rata, cùm de facto omnibus fuerit concessa ex parte illa locatio operæ Simonis.

32 Limitanda tamen est prædicta doctrina, nisi Simon cum tali peregrinatione satisfecerit omninò pro suo voto. Hoc vt cognoscatur, considerandum est, an Simon vouerit materialem illam peregrinationem, exclusa satisfactione ex ipsa proueniente, vel non exclusa. Si fecit votum de materiali peregrinatione, tunc eius votum est nullum, cùm sit de re indifferenti, quæ non est materia voti. Ita cum D. Thoma tradit Sanchez *lib. 4. in decal. cap. 7. num. 2.* vbi *num. 5.* docet, quando possit tenere tale votum. Naldus *in summ. verb. votum, num. 12.* imò venialiter peccauit per tale votum, vt tradunt, Nauar. & Sanchez *loc. cit.* vndè cùm pro se ipso nihil satisfaciat in tali peregrinatione, debebit etiam plus sibi retinere, & minùs restituere illis, quibus suam operam accepto pretio locauit. At si & sibi voluit satisfacere per peregrinationem, tunc & pro rata debet suam partem soluere, cùm æqualibus portionibus sit sua peregrinatio distribuenda inter ipsum, & conductores, nam per illam, & ipse Simon, & alij conductores obtinent satisfactionem aliquam, sed hæc vt quid spirituale, non æstimatur pretio. In casu autem (quem ego nescio excogitare) quo Simon satisfaceret omninò suo voto, tunc teneretur totum pretium restituere, cùm de facto pro satisfactione sui voti requiratur, quòd suis expensis peregrinetur, sicut suprà dictum est.

33 Deniquè obseruo, quòd si Simon toties eat Romam, quot pretia accepit, iam nihil restituere debebit, vt ex se patet. Ità & pro se ipso semel huiusmodi peregrinationem facere tenetur, nam prima peregrinatio facta fuit contra intentionem vouentium, scilicet non iuxta votum singulorum, ideò votum non est adimpletum pro nullo. Damnum autem, quod sequitur illis conductoribus, qui recipiunt pretij dati restitutionem, dempta tamen aliqua parte ipsius, quam Simon retinet, vt dicebatur, debet imputari inter damna, quæ sequuntur aliquando ex accidentibus emergentibus, & maximè ex specificato suprà in hac decisione,

34 quam termino, remittendo lectorem ad Lessium, vbi *lib. 2. cap. 24. dub. 6.* agendo ex qua culpa teneatur locator conductori, & è contra, dicit ad rem nostram, quòd locator operæ suæ, si operam promissam non præstet, tenetur restituere partem mercedis, quam non est promeritus, quod & facere Simonem in præsenti casu, dixi teneri.

---

# DECISIO XLVIII.

*An sint Apostatæ hi duo, qui discesserunt à Religione, in qua professionem, dum fecerunt, vnus intendebat semper commorari in patria; alter coram testibus protestatus est, se non habere intentionem profitendi, si à Conuentu patriæ suæ amoueretur.*

## Casus, seu Historia XLVIII.

### SVMMARIVM.

1 *Casus proponitur.*

2. *vsque ad 6 Metus cadens in constantem, an inualidet Matrimonium, & Ordinem.*

7. 8. 9. 10 *In quo consistat dictus metus.*

11. 12.

11. 12. 13. *Professio in quo casu sit irrita.*
14. *vsque ad* 19 *Metus quando non inualidet actum.*
20. *vsque ad* 23 *Varia de Professione conditionata.*
24. 25 *An teneat facta ad vitandum Laicum.*
26 *Error in accidente, non vitiat.*
27. 28. 29 *Conditiones suspendentes actum.*
30 *Professio est contractus.*
31. *vsque ad* 44 *Varia de effectibus diuersarum conditionum.*
45 *Religio quando possit cogere Professum.*
46. 47 *Conditiones nostri casus examinantur.*
48. 49. 50 *Fictè nubens an debeat ratificare.*
51 *Iudicium de dubio præsenti.*
52. *vsque ad* 61. *Ponuntur varia de reclamante pro nullitate Professionis.*

1 ONuphrius, & Vbaldus amicitiæ vinculo simul coniuncti, præuidentes periculum separationis ab inuicem, & discedendi à patria Ciuitate per exiliũ illis imminens ob patratum delictum, decreuerunt simul ingredi Religionem, quod & fecerunt. Tempore postea solemnis professionis Onuphrius vocauit secretè duos testes, quibus protestatus est, se non intendere suam professionem valituram, casu quo non permittatur semper habitare in patria, & in Conuentu, vbi sit Vbaldus. Iste Vbaldus & ipse professus est eo animo, vt nunquam à Superioribus amoueretur à Conuentu posito in patria, in quo sit & Onuphrius. Elapsis tribus annis, iubetur Vbaldus aliò migrare, quod cùm impedire non potuerit, discessit à Religione secretè simul cum Onuphrio, qui ambo putãtes se ad Professionẽ Religionis non ampliùs obligatos, perrexerunt in Galliam, vbi ambo statim vxorem duxerunt. Quæritur, an verè non sint Professi: & an validè Matrimonium contraxerint.

2 Respondeo, quòd possent hi duo adiudicari non Professi, ex duplici capite. Primò, ex metu exilij; secundò ex modo intentionis, qua professionem emiserunt. Videtur igitur neminem illorum esse Professum, quia metus cadens in virum constantem illos compulit ad Religionem profitendam, & talis metus nullum
3 reddit Matrimonium etiam spirituale, per *tex. in cap.* 1. *quod metus causa*, & non solùm Matrimonium carnale, sicut de vtroquè Matrimonio
4 idem probat Cald. *cons.* 108. *aliàs* 1. *quod metus causa*. Alex. *cons.* 108. *Viso processu*, *lib.* 5. *per totum*; & certum est, esse Matrimonium
5 spirituale, actum, quo per Professionem aliquis dat seipsum Religioni, & Religio ipsi; ergo talis Professio est nulla.

6 Et si nõ superueniat professionis ratificatio, est semper nulla, si sit facta per metum cadentem in virum constantem, sicut talis metus nec obligat ordinatum, neque professum. Calder. *cons.* 463. *in fin. aliàs vnico, qui cleric. vel nouen.*

7 Metus autẽ constantem virum afficiens, nedum est ille, qui prouenit ex timore mortis, vel cruciatuum corporis, ex *cap. cùm dilectus, quod met. caus.* ex Gemini. *cons.* 15. *vers. super secundo, num.* 10. *& cons.* 152. *in prin.* Anchar. *cons.* 205. *In quæstione, num.* 7. *ver. pro cuius veritatis, l. interpositas, C. de transact. l. si donationis, C. quod met. caus.* Alex. *cons.* 99. *in casu, num.* 3. *ver. & iure, lib.* 3. vbi dicit com-
8 munem hanc esse opinionem; sed etiam metus dicitur cadere in constantem virum, quando subest timor perditionis bonorum, & beneficiorum iuxta Gemin. *cons.* 15. *nu.* 12. *vers. item*
9 *fuit timor cadens*. Et nõ solùm omniũ bonorum, verum etiam maioris partis illorum, quia æquiparatur cruciatui corporis. Curt. iunior. *in l. interpositas, num.* 7. *C. de transactio.* Cùm ergo amissio bonorum timeatur, vel saltem maioris partis illorum, quando exilium imminet, sequitur in nostro casu prædictum metum dedisse causam Onuphrio, & Vbaldo, vt Religionem profiterentur.

10 Et quamuis alia bona non extarent amittenda, puto summum bonũ esse patriam ipsam, quæ ideò dicitur dulcissima, *l. qui habebat, ff. leg.* 3. Petr. Anchar. *cons.* 75. *maximè num.* 4. vbi ait, quòd patria dulcis sit, & dulcior, & amabilior alijs; ergo etiam plus quàm sint dulcia, & amabilia bona temporalia, proptereà metus perdendi patriam, erit cadens in constantem virum, sicque ex tali metu Religionem sumpserunt Onuphrius, & Vbaldus in præsenti facto; ex quo metu nulla redditur professio.

11 Multò magis ex tali metu annullatur professio, quia inter causas illam reddentes irritam numeratur ista, si fieret post patratum delictum, effugiendi causa Iudicium sæculare, vt notat Io. Aloys. Riccius *collect. decis. part.* 3. *collect.* 530. & totum videtur verificatum in proposito euentu circa personas Onuphrij, & Vbaldi.

12 Etiam ex intentione profitentiũ, videtur irrita professio, intendebant enim ambo intantùm se obligare per professionem, inquantum ab inuicem nunquam separarentur, nec à patria remouerentur; quæ conditiones quia non adim-

ple-

plentur, nec subsistet factum cũ tali conditione; & sic si quis vouit eleemosynam si conualescat, non tenetur ad votum, nisi conditione adimpleta: ità cōmuniter DD. ergo nec obligant vota solemnia conditionaliter facta; ac proindè non tenet professio Onuphrij, & Vbaldi, vt præfertur in præsenti casu.

13 Hinc est, quòd si quis profitetur sub certis conditionibus in aliqua regula sibi seruari promissis, non obligatur extra illas conditiones, Card. Zab. *cons.* 106. *per totum*. Ratio est, quia per vota non plus quis obligatur, quàm quantùm se intendit obligare; ergo se obligans cùm conditione, non erit obligatus nisi ponatur eadem conditio. Ità videtur posse argumentari in fauorem nullitatis.

14 Sed his non obstantibus, dicendum est, esse verè Professos, itaut ampliùs non possint resilire nec Onuphrius, nec Vbaldus. Probatur primò, nam (præscindendo pro nunc ab intentione conditionum volitarum, de quibus infra dicam) metus iustè illatus, non inualidat matrimonium, vt docet Pontius *de matrimon. lib.* 4. *cap.* 19. *num.* 10. & ideò iuuentus in stupro, si ob timorem Iustitiæ, nubat cum stuprata, matrimonium tenet. Sed professio est quoddam matrimonium, & hoc Onuphrius, & Vbaldus elegerunt ob timorem Iustitiæ, quæ illos iustè poterat in exilium mittere, vt in Religione liberarentur; ergo eorum matrimonium, seu professio est valida, & indissolubilis.

15 Probatur secundò, quia metus ab intrinseco proueniens, seu ab extrinseco, qui incutiatur à natura, vel à causa libera, sed non gratia extorquendi votum, quod ob illum metum fit, nunquam tale votum reddit irritum, vt constat *ex cap. sicut vobis, de reg.* vbi votum ægri emissum ob metum mortis iudicatur validum. Ratio est, quia nemo impellit ad illud votum emittendum, sed æger sua sponte illud eligit tamquam medium euadendi periculum. Sed etiam nemo impulsum dedit Onuphrio, nec Vbaldo, vt votum, imò vota Religiosæ professionis facerent, sed ipsi professionem sua sponte elegerunt, vt medium se liberandi à pæna exilij rationabiliter præuisi; ergo eorum vota non erunt irrita, sed eorum professio est valida.

16 Confirmatur, nam si eorum professio non subsisteret ex vi metus, quamuis non illati ad vota extorquenda; neque essent valida vota infirmorum; periclitantium in mari; litigantium; nec aliorum similiter vouentium ob aliquem metum grauissimum, vtpote iacturæ bonorum omnium, aut amissionis vitæ, sed dicere vota à prædictis emissa esse inualida, & est absurdum, & contra vniuersalem opinionē Theologorum, & contra praxim generaliter obseruatam pro vtroquè foro; & talia vota iudicantur obligantia, quia à nemine sunt extorta, sed spontè electa vt medium ad consequendam sanitatem, liberationem à procella, victoriam in lite, &c. ergo cùm idem currat in casu nostro, vt vouentes euaderent periculum exulandi, absquè eò quòd nemo ab eis votum extorqueret, erunt eorum vota subsistentia, & vt verè Professi tenentur perseuerare.

17 Vrgetur fortiùs idem, nam quamuis animus incutientis metum sit in ordine ad votum extorquendum, si talis animus non notificetur vouenti, nec ab ipso vouente intelligatur, tenet votum emissum ad incolumitatem obtinendam. Ratio est, quia prauæ intentionis illius incutientis metum, ille cui incutitur est ignarus, & sic non habet vim cogentem ad emittendum votum, quod si emittat, sua spontè illud eligit tamquam medium ad eandem incolumitatem, ac proindè idem prorsus est, ac si quocunquè alio fine metus incuteretur. Sic Valentia 2. 2. *disp.* 6. *q.* 6. *punct.* 4. *columna vltima, vers. neque verò eadem est ratio*. Ergo tenentur Onuphrius, & Vbaldus, etiamsi vt profiterentur Religionem, fuisset eis illatus metus, sed animo ab ipsis ignorato.

18 Corroboratur, nam si damnato pæna capitali, condonetur hac conditione, vt in Religione profiteatur, etiamsi iniustè sit damnatus; vel si ab hostibus obsessus, sua sponte eligat professionem Religionis, si ei vita donetur; tunc si reuera metus incussus est ob aliam causam, & acceptata conditione ille liberetur, valebit postmodùm eius professio, sicut & quodlibet aliud votum, vt docet Sanchez *in decal. lib.* 4. *cap.* 3. *num.* 5. ergo à fortiori valet professio ab Onuphrio, & Vbaldo emissa; quamuis à metu inducti, sed à nemine requisiti, neque nemine acceptante eorum electionem profitendi, si liberi, vel vt liberi possent euadere à periculo, quod timebant.

19 Ad omnia illa, quæ adducebantur ad probandam nullam eorum professionem, satis fit vnica responsione, nam vera esse conceduntur, si metus incutiatur ad extorquendam professionem, aut matrimonium spirituale, vel carnale; sed vera non sunt, si metus incutiatur iustè, aut iniustè ad alium finem; & in casu nostro non fuit metus incussus ad professionem, vel Religionem extorquēdam, propterea Onu-



phrius,

phrius, & Vbaldus censentur verè professi. Ad argumentum numero 11. allatum, responsum dabo infra *num.24. & 25.*

20 Nec eorum intentio conditionata, prout exponitur in casu, valuit irritare dictam professionem, quia conditio illa si obseruetur, certè non est cur dubitetur, an sint verè professi. Difficultas grauis est, an etiam sit valida professio emissa sub conditione, quæ dependet à Superiorum arbitrio, & quid sint facturi circa concessionem talis conditionis, ignoratur, & semper ignorabitur toto tempore vitæ, maximè cùm ille, qui profitetur nemini aperiat suam appositam conditionem, nisi testibus, & his sub secreto. Pro decisione dubij, dico: si quis professionem emittit sub conditione repugnante substantiæ professionis, vt esset si vellet dominium retinere, & acquirere; pro suo libito viuere; & ad castitatem non posse cogi, in isto casu nulla esset ipsa professio, siuè sit nota, siuè non sit nota Superioribus ista conditio adiecta professioni. Ità docent Innocentius, Hostiensis, Ioannes Andreas, & Glossa cum Abbate *cap. vltim. de condit. apposit.* & constat repugnare tales conditiones substantiæ professionis, quia hæc consistit in tribus votis contrarijs talibus conditionibus, quæ vota sunt Paupertas, Obedientia, & perpetua Castitas.

21 Verùm si quis professionem emittat sub conditione non repugnante substantiæ eiusdem professionis, an hæc sit valida, dum talis conditio extat, dico esse validam: Ità Abbas *cap. insinuante, qui cleri. vel vouentes.* Syluester *v. Religio 3. q. 8.* Couarruuias *in 4. decretal. p. 2. cap. 3. §. 1. num. 8.* Nauar. *comment. 2. de regularib. num. 16.* Ideò rata est professio facta sub conditione, vt ex Abbatis consensu Monachus retineat vsum suarum rerum; vt possit acquirere ad vsum reuocabilem ab Abbate; vt domi nõ maneat cum licentia; & cætera huiusmodi.

22 Nec contra stat Concilium Tridentinum *sess. 25. cap. 2. de regularib.* vbi iuxta Glossam loquitur solùm, vt possit Monachus retinere vsum reuocabilem ad nutum Abbatis.

23 Et quidem non repugnat substantiæ professionis conditio, vt semper habitare concedatur in patria, vnà cum socio, & ambo in eodem conuentu; nam motiuum non discedendi à patria eos induxit ad Religionem profitendam; attamen cùm hæc conditio sit tantùm in intentione profitentis, & secretè notificata duobus testibus ingerit graue dubium, an suspendat validitatem professionis toto tempore vitæ ipsorum profitentium cum tali conditione, quæ ignoratur an futura sit, & sinè scientia an semper durabit, donec viuant ipsi profitentes.

24 Imò & facit dubitationem an sint professi, id quod dicebatur *suprà num. 11.* videlicet nullam esse professionem, si fiat post patratum delictum ad vitandum iudicium sæculare.

25 Videtur verificari in nostro casu, hoc secundum annullatiuum professionis, cùm reuera ad euitandum exilium à Iudice sęculari eis dandum, Religionem elegerint, vt in patria possent commorari. Sed quia Religio in qua sunt ingressi ignorabat illorum delictum, & in iuridicis examinibus nemo hoc deposuit, & ipsi profitentes bona fide id celauerunt; ideò ex hoc capite eòrum professio est valida, cùm statutum illius Religionis sit, admittere ad professionem celantes defectum, ob quem essent expellendi, si ignoranter, & nescientes eum talem esse, propter quem expelli deberent, celauerint.

26 Nunc maior difficultas restat examinanda, an videlicet eorum intentio in professione emittenda, professionem irritauerit. Et primò ex intentione Vbaldi, non fuisse irritam iudico, nam ipse absolutè, & per verba de præsenti professionem fecit; ergo nihil impeditiuum, aut suspensiuum validitatis adiecit. Quòd autem haberet animum, seu intentionem, vt semper permitteretur habitare in patrio conuentu vnà cum socio Onuphrio; in hoc errauit, ac se ipsum decepit; sed cùm nihil substantiale hoc sit, propterea professio subsistit; implicat enim professionem absolutè emitti sinè substantiali errore, ac sinè conditione, & nihilominus eam esse inualidam. Cùm ergo simpliciter intenderit debere semper permitti in eodem conuentu morari, cum qua intentione processit ad professionis emissionem absolutam, patet fuisse absolutè professum Vbaldum taliter profitentem.

27 Onuphrius verò in sua testibus notificata intentione, non modicam ingerit difficultatem, cùm apposita conditio Superioribus non sit nota, nec tempus sit assignatum ad declarandum an ponetur; imò cùm possit euenire, quòd vsquè ad vltimum vitæ suæ diem, ignoret Onuphrius an ei concedetur morari semper in Conuentu, in quo intendit habitare. Igitur vt breuiter respondeam, obseruo esse professionem matrimonium quoddam spirituale, & contractum verum, ideò de illa possumus discurrere, ac de contractu matrimonij. Conditio indifferens suspendit contractum matri-

matrimonij, quia non est conditio illicita, nec turpis, & ideò non reijcitur: Ità Perez *de matrim. disp.* 16. *sent.* 12. *num.* 3. & talis est in casu nostro.

28 Conditio impertinens etiam suspendit contractum matrimonij, quia non improbatur à iure, & est communior Doctorum opinio. Sanchez *lib.* 5. *disp.* 18. *num.* 3. & colligitur à contrario sensu ex textu *cap. super eo, de conditionibus appositis.*

29 Nec officit, quòd talis conditio sit aliqualis culpa, cùm Sacramento fiat aliqualis irreuerentia, adijciendo ei rem impertinentem; quia talis conditio non est ex turpibus, & sic non officit, vt docet Perez *loc. cit. num.* 4. & ideò non est ex turpibus, quia non obligat, nec incitat alterum contrahentem ad aliquod peccatum in futurum committendum, qualis esset conditio, si furtum feceris. Vndè si ad nostrum casum dicatur fuisse conditionem impertinentem illam, quam Onuphrius apposuit, nihilominus concedendum erit, reddidisse suspensum

30 contractum professionis, qui contractus celebratur inter Religionem, & Religiosum, se obligantem eidem Religioni ad obseruantiam Regulæ, & Constitutionum, & ad ea omnia, quæ ad statum Religionis pertinent; & item Religio se obligat obseruare, mediantibus Prælatis, ea, quæ in Regula, & Constitutionibus præcipiuntur in fauorem, tam spiritualem, quàm temporalem ipsius Religiosi. Antonius à Spiritu Sancto *consf.* 98, *num.* 5. *&* 6.

31 Sed siuè indifferens, siuè impertinens, siuè honesta sit conditio adiecta contractui Professionis, semper suspendit obligationem perficiendi contractum, donec conditio purificetur, §. *sub conditione*, & §. *ex conditionis, instit. de verb. obligat.* & hoc succedit in omnibus contractibus, in quibus quando fiunt per verba de præsenti, sed sub conditione de futuro, duplex oritur obligatio, vna conditionalis pendens in futurum perficiendi contractum, si conditio eueniat; altera pura, & præsens expectandi conditionis euentum.

32 Ad dubium posteà, quod ex dictis sequitur, scilicet an in euentu conditionis purificatæ requiratur nouus consensus inter contrahentes, vel an sufficiat ille primus conditionalis, qui per conditionis euentum fiat absolutus, dico duplicem dari sententiam; sed ego veriorem iudico docentem non requiri nouum consensum, & hanc tenent Paludanus, Rodriquez, Coninchus *disp.* 29. *dub.* 1. *num.* 11. Hurtado *disp.* 7. *diffic.* 3. *num.* 10. Bossius *de matrim. cap.* 10. *num* 70. Palaus *de sponsalib. disp.* 2. *part.* 11. §. 2. *num.* 5. Amicus *de matrimon. disp.* 5. *sect.* 3. *num.* 19. Perez *disp.* 16. *sect.* 13. *num.* 5. C. Lugo, apud Dicastillum *de matrimon. disp.* 5. *n.* 56. Ratio potissima est, quia consensus per verba de præsenti, quamuis conditionalis de futuro contingenti, est verè consensus de præsenti, quamuis conditionalis dependens à futuro euentu conditionis: ergo posita conditione fit absolutus, & manet contractus. Aliæ rationes, cum responsionibus ad contrariorum argumenta, videantur apud Perez *loc. mox cit.* & apud Antonium à Spiritu Sancto *Direct. confess. de matrim. tract.* 11. *disput.* 6. *sect.* 4. *per totam.*

33 Prædicta probant esse suspensam professionem Onuphrij, donec conditio impleatur; verùm quia conditio ab Onuphrio adiecta est talis, quòd nunquam integrè eueniet, nec ponetur, donec ipse Onuphrius moriatur, cùm quoadusquè viuit, possit à Superioribus amoueri è Conuentu in quo intendit manere, vt verè professus sit, ideò ingerit casus grauem difficultatem non tam facilis resolutionis, nam conditio illa, quam Onuphrius apposuit, vide-

34 tur præseferre contradictionē, ità vt sit dicenda possibilis, & non possibilis; possibilis quidem, quia possunt Superiores non amouere Onuphrium è Conuentu suæ patriæ: non possibilis quoquè, quia non nisi post mortem Onuphrij constabit, an à Superioribus fuerit semper permissum habitare in præsenti Conuentu, & sic viuente Onuphrio est impossibilis talis conditionis purificatio.

35 Vt ergo quid sentio proferam, obseruo tripliciter posse fieri, vt Onuphrius coram testibus protestationem faciat, se nolle professionis vinculo obligari, nisi semper permittatur habitare in patrio Conuentu, & simul cum Vbaldo.

1. Vel intendit nunquam notificare Superioribus hanc suam conditionem prætensam.

2. Vel intendit de ea pacisci cum Superioribus.

3. Vel nihil cogitat de tali notificatione Superioribus facienda.

36 Omitto quartum modum, qualis esset, si dixisset: si Deus scit, quòd Superiores sint semper permissuri, me habitare in Conuentu meæ patriæ, vnà cum Vbaldo, ego intendo verè profiteri, secus si è contra; quia hic modus conditionatus esset de conditione de præsenti, cùm de facto Deus sciat, quid Superiores sint facturi. Verum tamen est, quòd Onu-

phrius non poterit scire se esse, vel non esse professum, nisi Superiores velint eum amouere, in quo casu intelliget se non esse professum; aut nisi post mortem, si semper fuit permissus habitare iuxta suum intentum, quia solùm nunc constat, quòd Deus sciebat eum fore relinquendum semper in volito Conuentu, & sic scit se fuisse professum dum viueret.

37 Nunc examinando modos suæ conditionis, dico, quòd si primo modo conditionem apposuit, videlicet nolens eam Superioribus notam facere, talis conditio est possibilis quoad ipsius non positionem, quia Onuphrius potest de facto amoueri è Conuentu; sed est impossibilis quoad ipsius positionem viuente Onuphrio, etenim necesse est vt priùs ipse moriatur, ad hoc vt possit dici purificata conditio volita, qualis erat, ne vnquam amoueretur è Conuentu, à quo semper amoueri potest quoadusquè viuet. Cùm ergo conditio apposita contractui debeat esse talis, quòd aliquando habuerit de præterito, vel habeat de præsenti, vel habitura sit de futuro suam existentiam ante mortem ipsius contrahentis; sequitur, quòd impossibilis sit censenda conditio adiecta, quæ purificari non potest, nec ad existentiam deuenire durante vita contrahentis, nisi iste aliter intendat. Hinc resoluendum est, esse de genere conditionum impossibilium, conditionem illam, quam Onuphrius apposuit suæ professioni, quantùm est ex parte purificationis, & existentiæ eiusdem conditionis, quæ nunquam constabit taliter existens, & purificata, vt conuincat Onuphrium professum esse, nisi post mortem Onuphrij. Cùm ergo in primo instanti mortis Onuphrij incipiat esse purificata conditio, quæ vsquè ad vltimum instans vitæ ipsius inclusiuè nondum poterat dici purificata, quia semper à Superioribus poterat Onuphrius amoueri è Conuentu, patet talem conditionem fuisse impossibilem quoad ipsius positionem, taliter quòd Onuphrius esset Professus per aliquod instans vitæ suæ, cùm in omni instanti vitæ suæ possit non adimpleri; & ex

38 his deducitur nunquam fuisse Professum, si conditionem apposuit Onuphrius hoc primo modo. Ratio est, nam conditio impossibilis irritat contractum, itaut nulla ex eo oriatur obligatio. Gomez *tract. de legibus, tom. 1 cap. 12. num. 67.* & colligitur ex *l. impossibiles 7. ff. de verbor. obligat. & l. non solùm. 31. ff. de actionibus, & obligat.*

39 Nec refert, quòd talis conditio fuerit putata possibilis; nam quamuis conditio putata impossibilis, sit signum, ab initio deesse consensum serium; & conditio putata possibilis faciat adesse serium cōsensum, tamen talis consensus seriò suspenditur à conditione, quæ nunquam extitit, nec extabit. Lessius *de iust. & iure lib. 2. cap. 18. dubit. 15. num. 121.*

40 Limitanda tamen est prædicta opinio, ità vt conditio impossibilis non irritet contractum, si præsumatur fuisse ex ioco. Exemplum sit, si quis pauper accipiens in vxorem fœminam pauperem, dicat accipio illam, si tamen pro dote dabit mihi centum currus duplarum: hæc conditio est impossibilis, sed præsumitur iocosè

41 adiecta; & ideò non irritat matrimonium; Quòd si dubium de hoc habeatur, iudicandum est in fauorem matrimonij *cap. finali, de sententia, & re iudicata*; & hoc propter periculum animæ, ne viuatur in adulterio, si in tali dubio contrahatur cum alia. Et cùm hæc ratio non currat in alijs contractibus, de his iudicabitur iuxta regulam communem: *in dubio melior est conditio possidentis.*

42 Item limitanda est, ità vt excipiantur contractus Matrimonij, & vltimæ voluntates; sed de his nihil ad nos, ob id prætereo, & remitto lectorem ad Lessium *loc. cit. num. 122.*

43 Amplianda etiam est prædicta sententia ad conditiones, quarum existentia dum requiritur, non est, quòd sint semper quid positiuum, sed sufficit quòd existat, idest quòd eueniat, & purificetur, siuè sit per quid positiuum, siuè per negatiuum; nam hoc negatiuum dum datur, est existentia conditionis in negatiuo consistentis.

44 Amplianda adhuc est ad ipsum contractum Matrimonij, nam si animus contrahentis est affixus conditioni impossibili, non intendens dare consensum absolutum, nisi eueniente conditione, tunc coram Deo nihil fit. Idem est in alijs contractibus, & in Professione Religiosa, prout est in persona Onuphrij, si primo modo dicto professionem emisit.

45 Quoad forum externum, cùm Onuphrius habeat testimonia sufficientia ad plenè probandam suam intentionem, non poterit cogi ad habitandum in Religione, sicuti nec erit Apostata si fugiat, cùm etiam coram Deo non sit professus.

46 Si secundo modo fuit apposita conditio, dico quòd debet illam Onuphrius notificare Superioribus, à quibus si illam non obtineat, non erit professus; si verò illam obtinebit, valida erit sua professio. Et optimè potest de tali conditione pacisci, quia non est contra substan-

stantiam professionis, vt dicebatur suprà, *num.* 20.21.22. *&* 23.

47 Si tertio modo adiecta est illa conditio, nempè nihil cogitante Onuphrio de notificanda, vel non notificanda illa Superioribus, dico, quòd si illa intendebatur vt possibilis, debet poni vt possibilis, & sic debet notificari, vt sciatur an sit permittendus permanere in volito Conuentu, an non. Si verò talis conditio fuit volita vt impossibilis, sicut est si semper reticeatur, quemadmodum resolutum est *sub num.* 37. tunc irritam profectò reddit professionem, iuxta prædicta *eodem num.* 37. *&* *num.* 38.

48 Sed numquid licebit Onuphrio degere semper inter alios professos tamquam vnus ex ipsis, cùm reuera non sit talis? Numquid habitabit semper cum Sponsa Religione, quæ suum præstit consensum, sed vicissim consensum ab Onuphrio non recepit? Fictus Sponsus est Onuphrius, & fictitiè contrahens cum Religione, irritus est contractus, quem si quæras an sit ex animo ratificandus, respondendum esse videtur negatiuè, sicuti non tenetur ex animo contrahere matrimonium ille, qui fictè illud contraxit, si tamen nullum damnum sequatur fœminæ: Ità Sanchez *de Matrim. tom* 1. *lib.* 1. *disp.* 11. *num.* 5. contra quem inuehitur Pontius *lib.* 2. *cap.* 5. *num.* 5. attamen sequuntur Sanchez approbantes ipsius sententiam in quinque casibus Layman *lib.* 5. *tract.* 10. *p.* 2. *c.* 6. *num.* 1. & Villalobos *to.* 1. *tr.* 13. *diff.* 8. *num.* 2. & Religio non patitur damnum per hoc, quòd Onuphrius nolit consensum dare in professionem fictè semel factam. Sed circa ista, videantur dicenda infrà, *num.* 60. *&* 61.

49 Videtur meritò Pontium *loc. cit.* velle, teneri fictè contrahentes Matrimonium, ad illud ex animo faciendum, quia aliàs aperiretur via iuuenibus, aut cæteris hominibus inducendi mulieres ad concubitum tamquam sponsę, & sic illas deceptas possent posteà dimittere dicentes se fictè contraxisse, qua fictione non vtentur si scient se obligatos ad contrahendum verè, ex

50 vi prioris consensus ficti. Tamen cùm in Matrimonio spirituali non sequantur inconuenientia Matrimonij carnalis, ideò quamuis sit ratificandus fictus consensus in carnali Matrimonio, non erit eadem ratio in spirituali, propterea qui fictè profitetur, liberum est ei facere quod maluerit, remanendo in Religione per verum contractum mediante professione ex animo; aut discedendo ab illa, concurrentibus quæ dicemus *num.* 52. *&* *seqq.*

51 Ex dictis concludo, Onuphrium in Gallias perrectum cum Vbaldo, vbi Matrimonium ambo contraxerunt, prout exponebatur in præsenti casu, si Professus non erat, vt prædixi, nec est Apostata, nec inualidè nupsit. Vbaldus verò & est Apostata, & inualidè vxorem duxit, quia erat verè professus, & professio facit inhabilem ad Matrimonium contrahendum, itaut si tentet nubere, sit irritum, *cap. quod votum vnic. de voto in* 6. & hoc non est ex præciso voto castitatis, sed ex Ecclesiæ constitutione, vt colligitur ex *d. cap.*

52 Notetur tamen, quòd data resolutio circa personam Onuphrij, tenet quantùm ad inualiditatem suæ professionis; nihilominus erat expectanda Iudicis sententia, sinè qua non licet Religionem deserere, quamuis in conscientia aliquis sciat se nulliter professum, atquè ideò Onuphrius cogi potest ad reuertendum, & hoc maximè si quinquennio à professione completo fugam arripuerit. Id patet ex verbis Concilij Tridentini *sess.* 25. *de Regularib. cap.* 19. ibi: *ad Monasterium redire cogatur, & tamquam Apostata puniatur, &c.* Quare sciendum est, quòd Tridentinum *loc. cit.* statuit non esse audiendos reclamantes post quinquennium à die suæ professionis, si nullam prætendant suam proessionem, quia per *vim, & metum, aut antè ætatem* eam emiserint; aut hi per *quid simile* se nulliter professos velint probare. Ex isto decreto Tridentini inferendum est, an Onuphrio in casu nostro licitum fuerit habitum dimittere; vel si se solo discedere non poterat à Religione, per quamnam viam debuisset obtinere, vt licitè in vtroquè foro ad Matrimonium transiret; vnde necesse est sequentia ponere, vt ex illis inferamus, quid sit resoluendum.

53 Dicendum est primò, illud Tridentini decretum valere, non solùm quando *vis, metus, ætatisque defectus* allegantur ad probandam nullam professionem, sed etiam in similibus impedimentis; & id probatur per *l. damni infecti, ff. de damn. inf.* vbi traditur, exempla non restringere regulam; ergo in præsenti *vis, metus, & defectus ætatis*, cùm vt exempla ponantur, restrictionem non inducunt; & confirmatur, quia expressè dicit Concilium *loc. cit.* hæc verba: *aut quid simile, velitque habitum dimittere quacunque de causa.* dictio autem *quicunquè* in ablatiuo casu concepta, prout est, *quacunquè de causa*, omnia comprehendit, & ad casus etiam improprios trahitur propter suam generalitatem. Ità Menoch. *cons.* 435. *num.* 23. & *cons.* 1129. *num.* 29. Riminald. iuni. *cons.* 450. *num.*

*num.* 35. *vol.* 4. Steph. Gratian. *discept. forens. cap.* 82. *num.* 32. Tiraquell. *de retract. tit.* 1. §. 1. *gloss.* 7. *à num.* 20. Bertazol. *de clausulis instrument. clausula* 4. *gloss.* 30. *à num.* 1. Mart. Honded. Cened. & alij apud Barbos. *in diction. vsufrequen. dictione* 317. *num.* 3.

54 Dicendum est secundò, decretum Concilij Tridentini stare pro reclamantibus de nullitate professionis propter impedimentum temporale, non verò propter perpetuum impedimentum, quia vbi impedimentum erit perpetuum, nunquam præsumentur tacitè professi, & sic etiam quinquennio elapso fas erit reclamare: Ita obseruant Lezana *summa quæst. Regular. verb. Professio Regularis, num.* 21. *ante medium.* Bonaci. *de clausura, & pœnis eam violantib. imposit. quæst.* 2. *puncto* 10. *diffic.* 4. *num.* 7. Sanctarell. *variar. resol. quæst.* 48. *num.* 36. Villalob. *in summa, parti.* 2. *tract.* 35. *diffic.* 25. *nu.* 8. Hier. Roderic. *in compend. quæst. Regular. resol.* 101. *num.* 74. Tambur. *tom.* 3. *de iure Abbatum disp.* 6. *quæst.* 26. *num.* 9. & alij. Ratio id suadens refertur à Lezana *loc. cit.* nam quod fauore alicuius introductum est, in ipsius damnum retorqueri non debet, *l. quod fauore, C. de leg. & Regul. quod in gratiam, de regul. iur. in* 6. detrimentum autem sentiret Religio, in cuius fauorem à Concilio editum fuit dictum decretum, si retinere cogeretur habentem perpetuam inhabilitatem, quia ille è Religione non posset exire. Confirmatur, nam ideò Tridentinum non vult reclamantem esse audiendum post quinquennium, quia præsumit Religiosum consensisse: sed hoc non tenet pro casu impedimenti perpetui; cum quo Religiosi consensus nihil operatur, vti patet in muliere, quæ sexum mentita professionem inter Religiosos emitteret, sed post quinquenniũ reclamaret; si enim non esset audienda, deberet cogi manere in Monasterio, quod est inconueniens maximum; Ità Sanch. *de matrim. disp.* 37. *num.* 32. *& seq.* Sanctarell. *d. quæst.* 48. *num.* 36. Thesaur. *in praxi; part.* 2. *verb. Professio, cap.* 1. §. *amplia secundò.* Nauarr. *lib.* 3. *consilior. tit. de Regularibus, in* 2. *editione, consil.* 26. *num.* 2. *& consil.* 48. *num.* 2. Barbosa *de offic. & potest. Episcopi, allegat.* 104. *num.* 20. & alij penes Lezanam, *vbi suprà, ad medium.*

55 Dicendum est tertiò, esse reclamantes audiendos, etiam post quinquennium, si impedimentum eorum sit temporale, sed durans post dictum quinquennium. Ratio est, quia cessat Concilij præsumptio, quòd Professio sit ratificata, eò ipso quòd adhuc vigeat impedimentum Professionem irritans, de tali enim impedimento semper loquimur; & ità docent Azorius *instit. moral. part.* 1. *lib.* 12. *cap.* 4. *quæst. vlt.* Pasqualig. *decis.* 432. *nu.* 3. *& seqq.* Suar. *de Religione, tom.* 3. *cap.* 4. *num.* 6. *lib.* 7. Diana *part.* 3. *tract.* 2. *res.* 53. *& 62.* & Nauarr. cum Lezana *loc. cit.*

56 Dicendum est quartò, quòd quamuis Tridentinum assignet quinquennium à die professionis, debet id intelligi per se, sed per accidens contingere potest, esse computandum à die scientiæ inualiditatis professionis, cùm anteà haberetur ignorantia probabilis. Probatur autem hoc ex mente Concilij, dum tempus quinquennij assignauit veluti sufficiens pro Professione ratificanda; at ratificari certè non potuit, quod ignoratum fuit: Sic Suarez *loc. cit.* Tamen in præsenti casu videndæ sunt aliquæ Sac. Congregat. declarationes, & constabit Sacram Congregationem consueuisse contrarium, sicque testatur Rota *in Meten. Professionis* 2 *Iunij* 1636. *coram R. P. D. Carillo.* Addit Lezana *suprà* esse attendendum ad stylum, & praxim Curiæ.

57 Dicendum est quintò, quòd si quis dubium habeat, an suam professionem inualidam ratificauerit, præsumere debet post quinquennium, quòd ratificauerit: Sanctarell. *suprà num.* 45. *vers. dico duodecimò.* Idem *num.* 50. tradit non esse credendum professo asserenti se intrà quinquennium professionem non ratificasse. Imò nec ei creditur, licèt iuret: Sic Sanch. *loc. cit. sed num.* 14. Rodrig. *in addit. ad summ. cap.* 65. *num.* 6. & alij.

58 Dicendum est sextò, Milites S. Ioannis Hierosolymitani comprehendi in præcitato Decreto Concilij: Ita declarauit Sac. Congreg. vt notant Barbosa *hic*, & Suarez *loc. cit. num.* 10.

59 Dicendum est septimò, quòd quando reclamans pro suæ professionis nullitate est audiendus, spectat processum, ac iudicium facere ad Ordinarium vnà cum Prælato Regulari, ità vt id à solo Ordinario nequeat præstari. Portellus *in Responsionibus moral. tom.* 2. *casu* 14. *quæst.* 2. & *casu* 93. Nomine verò Ordinarij, & Prælati Regularis, sunt intelligendi Prælatus Superior Monasterij, non Religionis. Sel. *in selectis Canon. cap.* 80. *num.* 10. vbi ait sic fuisse decisum in *Meten. & Romana*, 7. *Aprilis* 1629. Et iste Superior Monasterij, intelligitur de Monasterii Superiore, in quo Monasterio reclamans professionem emisit; & Ordinarius proprius Ciuitatis, seu loci illius, in

quo

quo Monasterium existit, & sic isti duo copulatiuè causam tractabunt. Ità fuisse decisum sub die 1. Decembris 1593 docet Armendar. apud Barbosam *ad locum dictum eiusdem Concilij, num.* 21. Tambur. & Nouar. quos refert, & sequitur Lezana *suprà, ante finem*, vbi alia scitu digna subdit, sed ea non sunt hìc adducenda.

60 Dicendum est octauò, quòd si reclamans non possit suam prætensionem in foro externo probare, nec è Religione exire, aut occultè dimitti propter scandalum sequuturum, atquè ob aliam impossibilitatem, tenetur professionem suam ratificare, aut inualidare. Ratio est, quia quamuis per se ad graue Religionis onus nemo possit cogi, potest tamen per accidens ad illud subeundum obligari, nempè ad maiora incommoda euitanda, & propter bonum commune; nec enim permitti debet Religionem decipi, & Ecclesiam, quæ illum vt professum habet. Ita cum Bordono, Suarez, Rodriguez, Vecchio, & alijs tenet Lezana *loc. cit. num.* 24.

61 Ex dictis sub hoc numero, patet plena solutio eorum, quæ diximus *numero* 48. ex quibus duo insurgunt dubia; Vnum est, an teneatur professionem ratificare, qui eam non potest inualidare, non obstante, quòd nupserit. Aliud est, an possit cogi ad contrahendum ex animo, qui fictè Matrimonium contraxit. Ad primum censeo dicendum, quòd non obstantibus datis doctrinis de reclamante, iste si nubat, relinquendus est in Matrimonio. Ducor, quia Matrimonium secundum certò tale, præualet primo dubiosè valido; cùm ergo Professionis Matrimonium in casu nostro sit sub dubio an sit validum, poterit relinqui in Matrimonio certo, prout cum Sanch. docui *decis.* 24. *num.* 42. Nec releuat quòd vnum sit spirituale, & aliud sit carnale, quia attenditur sola ratio obligationis per contractum, non autem ratio spiritualitatis, quæ temporalibus esset præferenda. Probatur verò, esse dubium in nostro casu Matrimonium Professionis, nam contra ipsum datur reclamatio, cuius non subsistentia donec pateat, dubium, aut incertitudinem relinquit, vnde quinquennio elapso si reclamatio fiat, non impedit quin *vt professus* habeatur reclamans, iuxta prædicta. Cùm ergo habere *vt professum*, dicat in præsenti tantummodò similitudinem, consequenter relinquit dubietatem pro veritate; nec aliter est discurrendum in casu nostro attentis circumstantiis, & his, quæ traduntur *l.* 1. *in princi. ff. ad l. Falcidiam*; & à Card. Tusch. *practicar. conclus. tom.* 2. *lit. D. conclus.* 402. *num.* 4. Bald. *cons.* 106. *num.* 3. *vers. sed interdum, lib.* 1. & aliis cum Barbosa *diction. vsufreq. dictione* 479. *num.* 11. & 12. & confirmatur, quia *habere vt professum*, significat professum reputare, siuè verè sit professus, siuè non: ergo extat dubium de veritate.

Ad secundum expedit recolere, quæ diximus in nostra decisione duodecima §. 4. *per totum*, vbi docuimus quid hodie sit tenendum circa inualiditatem Matrimonii validandam, stante damnatione primæ propositionis inter alias damnatas ab Innocentio XI. Sunt etiam videnda, quæ ex Sanchez, & ex Pontio notauimus *num.* 48. & 49. *huius decisionis*; sed hic nihil tangitur de doctrina damnata, cùm supponatur certò nullum esse Matrimonium ob fictum consensum, & solùm quæratur an sit cogendus coniux ad contrahendum ex animo; & nos cum Pontio affirmatiuè pro omni casu tenemus, non verò limitatè iuxta edocta à Sanchez; & ratio est eadem ac de Professo, vt dicebamus numero antecedenti, quia currit paritas de Religione, & de Sponsa, imò à fortiori est ita dicendum de Sponso, qui finxit consentire, vt ex se patet.

---

# DECISIO XLIX.

*An initiatus Minoribus Ordinibus, vt Beneficio fruatur, peccet, & ad restitutionem teneatur, si cum animo nubendi prædicta acceperit: Et quid dicendum sit, si postea vouit non nubere, sed ad Sacerdotium ascendere, & post votum nouit se fore non obseruaturum continentiam.*

## Casus, seu Historia XLIX.

### SVMMARIVM.

1 *Casus proponitur.*
2 *Difficultates examinandæ.*
3 *vsque ad* 7 *Beneficiatus nolens ascendere ad Sacerdotium, ad quid teneatur.*
8 *Vndè scietur beneficio vniri Ordinem.*
9. 10 *Est veniale seruire in beneficio simplici sinè obligatione Ordinis Sacri, sed noliti.*
11. 12 *Intentio quandò habeatur, necne.*
13. *vsque ad* 16. *De obligatione beneficiati nolentis ascendere.*

17. 18.

17. 18. 19 *Votum circa Matrimonium, quando teneat.*
20. 21 *Quid si duo fiant vota.*
22. *vsque ad* 26 *Quid possit astrictus voto castitatis in aliquo casu.*

1 ZEno cupidissimus ducendi quamdam puellam statim, ac ad sufficientem peruenerit ætatem, vt possit in Matrimonio collocari, voluit interim frui Beneficio quodam sibi oblato, & ideò Minores Ordines suscepit; & tale beneficium ipse acceptauit, vt illud renunciaret Nepoti, quando Matrimonium celebrabit, seque à beneficio liberabit. Post vnum annum mortua est puella, ideò Zeno proposuit non ampliùs nubere, sed ad Sacerdotium ascendere. Verùm transactis sex mensibus, propriam sciens incontinentiam, putauit sibi licere Matrimonium contrahere, sed dum cogitabat beneficium renunciare, mortua est Hortensia, quam vouerat ducere; quare Zeno vouit non nubere toto tempore vitæ suæ. At quia verè mortua non erat hæc secunda, ideò post paucas horas signa vitæ dedit.

Quærit ergo Zeno, an votum non nubendi, vel votum nubendi teneatur adimplere. Secundò quærit, an fuerit aliqua culpa nolle ascendere ad Ordines sacros; & an ad restitutionem fructuum beneficii cum tali animo retenti, teneatur.

2 Ad multa respondere debeo in proposito casu, in quo septem concurrunt difficultates. Prima est, an peccauit Zeno accipiens beneficium sine animo progrediendi ad susceptionem Ordinis sacri, sed cum animo nubendi.

Secunda est, an pro tempore, quo noluit ascendere ad sacros Ordines, sed nubere, teneatur restituere fructus beneficii.

Tertia est, an facta intentione non nubendi, sed ascendendi ad Sacerdotium, possit retinere omnes fructus etiam temporis, in quo volebat nubere.

Quarta est, an pro quocunquè beneficio verificetur obligatio restitutionis, & peccati contractio, si accipiatur cum animo non progrediendi, nec permanendi in Ministerio Ecclesiæ.

Quinta est, an votum non nubendi, sit validum.

Sexta est, an facto voto de ducenda Hortensia, quæ quia putabatur mortua, ille, qui vouerat eam ducere, vouit non ampliùs nubere, sed Sacerdotium accipere; si inueniatur viuam esse, sit iuxta votum ducenda, vel potiùs sit suscipiendum Sacerdotium.

Septima, & vltima difficultas est, an si post votum factum non nubendi, sed Ordinem suscipiendi, possit Matrimonium contrahi ob præuisionem continentiæ non obseruandæ, & hoc maximè an possit fieri, cùm etiam detur votum ducendi Hortensiam, quæ non est defuncta, sicuti defuncta credebatur à Zenone.

3 Dico ad primam difficultatem, peccare mortaliter eum, qui Beneficium curatum recipit, nec intrà annum intendit ascendere ad Sacerdotium. Ratio est, quia contrauenit præcepto iustissimo Concilii Lugdunensis *c. licet canon. de elect. in 6.* Tum etiam, quia recipit fructus contra iustitiam, & ità tradunt Sotus *lib. 10. de iust. q. 5. art. 6. col. 3. vers. sed est præterea.* Angelus *ver. clericus 7. num. 5.* Toletus *lib. 5. summa cap. 5. num. 5.* Nauar. *in summa latina c. 25. num. 118. vers. 10.* Grassius *1. p. decis. lib. 2. c. 97. num. 54.*

4 Quare tenetur hic, aut mutare voluntatem, ità vt velit intrà annum promoueri ad Sacerdotium; aut tenetur beneficium dimittere, aliàs peccabit mortaliter, quia durat in prima mortali voluntate. Sic Nauarr. *c. quando, de consecra. d. 1. c. 21. num. 51.* & Sotus *vbi suprà.*

5 Et quamuis habuerit animum nubendi, & non promouendi, sufficiet quòd mutet animum, & velit intrà annum presbyter fieri, vt possit sinè noua prouisione beneficium retinere; nam *cap. licet canon. de elect. in 6.* & *cap. commissa, vers. cæterùm, eod. tit.* non irritant titulum, sed solùm priuant non habentem legitimam intentionem.

6 Si verò beneficium sit simplex, & ipsi nullus Ordo sacer sit annexus, nulla culpa est illud accipere cum intentione non recipiendi aliquem Ordinem sacrum, sed permanendi in statu clericali, & adimplendi onera, ad quæ obligat illud beneficium. Ratio euidens est, quia si nullum ius obligat taliter beneficiatum ad Ordinem sacrum suscipiendum, neque aliquod præceptum habet violare ille, qui dictum Ordinem non vult suscipere, ergo nec venialiter peccat, cùm nec contra leue præceptum faciat. Sit Lud. Lopez *1. p. instruct. c. 256. col. 3. §. iam & alia minutiora.* Vega. *1. tom. summa, cap. 36. cas. 23.* Gutierez *lib. 2. quæst. canon. c. 5. num. 26.* Nauar. *summa latina c. 26. num. 118.* & alii.

7 Notandum hinc est, habentem beneficium simplex, cui sacer Ordo non est vnitus, non teneri habere voluntatem recipiendi sacros Ordi-

dines, extante necessitate, aut vtilitate Ecclesiæ; sed sufficit si velit exequi onera talis beneficij pro tẽpore, quo illud possidebit; & disiunctiuè sufficit voluntas recipiendi sacrum Ordinem, quando cogente necessitate, aut vtilitate Ecclesiæ, Episcopus iusserit, aut dimittendi beneficium. Nauar. *lib. 3. consil. tit. de prabendis, cons. 1. in fine.*

8 Notandum item est, quòd ad cognoscendùm, quando beneficio simplici sit annexus sacer Ordo, & quando non, debet attendi, an ei sit annexum aliquod clericale obsequium, seu onus, ad quod exequendùm requiritur sacer Ordo, vel non; si tale onus, aut obsequium habet, dicitur habere annexum Ordines sacros; secus si tali onere, aut obsequio caret. Ità Nauar. *c. quando c. 21. num.* 51 Sotus *lib.* 10. *de iust. q.* 5. *art.* 6. *col.* 4. *vers. de alijs.*

9 Ex dictis infero, & probabiliori sententiæ adhæreo, non esse peccatum mortale, recipere, aut retinere beneficium simplex, cui non est vnitus Ordo Sacer, animo retinendi illud ad tempus, nec non & percipiendi eius fructus, ac deindè transeundi ad vitam coniugatam, seu sæcularem, dummodò illud recipiat, retineatque cum voluntate sufficienter inseruendi pro tempore, quo illud tenebit, & donec illud dimittat. Ratio est, quia nullum ius obligat taliter beneficiatum, imò illi concedit liberum transitum ad sæculum, dummodò relinquat beneficium. *cap. Ioannes. cap. diuersis, de cler. coniug.* & Nauar. *vbi suprà.* Tamen à ve-

10 niali culpa non excusatur, cùm rationis ordo aliqualiter in hoc peruertatur. Sanchez *de matrim. lib. 7. disput.* 45. *num.* 19.

11 Quia autem Beneficium Parochiale potest recipi cum animo conditionali, aut hæsitante circa promotionem ad Sacerdotium, ideò resoluo, quòd si hæsitat an promouebitur, peccat mortaliter, quia hæsitans non habet veram intentionem; & sic docent cum Soto, & Gutierez, Manuel, Ludouic. Lopez, Vega

12 *vbi suprà.* Si verò habet animum conditionalem, habet intentionem, quia intentio conditionalis, est vera intentio, sicut dispositio conditionalis, est vera dispositio, quamuis non tanti effectus, ac simplex. *§. omnis, instit. de verb. oblig.* & *cap. si pro te, de rescript. in 6.* & sic non peccat accipiens Beneficium Parochiale cum conditionali intentione promouendi ad Sacerdotium.

13 Dico ad secundam difficultatem, teneri ad restitutionem fructuum beneficij illum, qui peccauit mortaliter accipiendo beneficium sinè intentione ascendendi, aut permanendi in statu clericali, vbi autem non fuit culpa mortalis, nec est obligatio restitutionis. Et hæc verificantur maximè in Beneficio Parochiali, quia sic præcipitur. *cap. licet canon. de elect. in 6.* & *cap. commissa, versic. caterùm eod. titul.*

14 De beneficio simplici non verificantur, nisi quando adest praua, & peccaminosa intentio iuxta prædicta.

15 Dato modò, quòd vnus tenuerit beneficium per decem menses, & postea vult mutare voluntatem, quam semper habuit non assumendi Sacerdotium, & de facto resoluit promoueri, tenebitur ne restituere fructus decem mensium? Respondeo negatiuè, quia expressè textus *d. cap. commissa, §. caterùm,* non obligat hunc absolutè, vt fructus restituat, sed sub conditione, nisi mutata voluntate, eo anno promotus fuerit, quæ conditio deficit in casu præsenti. Non est ergo tenenda opinio Soti in hoc, quamuis contrarium tueatur *lib.* 10. *de iust. q.* 5. *art* 6. *col.* 3. & sic patet quid dicendum sit ad tertiam difficultatem.

16 Ad quartam difficultatem dico, non verificari obligationem restitutionis in omnibus beneficijs, cuiuscunque generis sint, si accipiantur, & retineantur cum animo non ascendendi, vel nubendi. Nec in hoc immorabor, cùm constet ex supradictis, præcipuè *num.* 9. vbi de beneficio simplici aliter discurritur ac de Parochiali; ergo nõ pro omnibus beneficijs currit obligatio restitutionis, quoties habeantur sinè animo suscipiendi Sacros Ordines, si tali beneficio non sint annexi.

17 Ad quintam difficultatem dico, nullum esse dubium, quin votum non nubendi sit validum; imò ab opposito, votum nubendi ordinariè est inualidum, quia ordinariè est melior cælibatus: ità Busembaum cum alijs, *medulla, lib. 3. tract. 2. cap. 3. dub 3. num.* 9.

18 Imò & votum Matrimonij ad vitandam fornicationem non est validum absolutè, ità vt non possit irritum reddi, sed solùm ex suppositione, nempe supposito, quòd ille qui sic vouit, nolit alia remedia adhibere ad superandas carnis tentationes. Si verò generosè alia remedia conabitur exercere, tunc liber erit à voti obligatione. Lessius *de iust. & iur. lib.* 2. *cap.* 40. *dub.* 7. *num.* 44.

19 Ad sextam difficultatem patet responsio ex dictis, nam votum factum à Zenone ducendi Hortensiam, non est validum ordinariè loquẽdo; propterea adimpleri debet votum suscipiendi Sacerdotium, quamuis Zeno nouerit

non esse mortuam ipsam Hortensiam. Dixi *ordinariè*, quia votum matrimonij est validum si sequatur infamia fœminæ, & proli, vndè à sponsalibus nōn potest recedere. Item erit validum, si ex eo matri. ionio speretur Pax, Regni tranquillitas, Hæreticorum conuersio. Tertiò erit validum, si fiat à fragili in labendo ob inueteratam consuetudinem peccandi, ità vt satiùs sit nubere, quàm vri. Videantur Bonacina, Filliucius, Nauarrus, Suarez, & Layman *lib.4. tom.4. cap.2. num.12.*

20 In casu ergo, quo votum Zenonis de ducenda Hortensia esset validum, qualenam votum teneretur Zeno adimplere, primum quod fecit de nubendo, an secundum de suscipiendo Sacerdotio? Respondeo Zenonem teneri ad illud votum, quod cognoscit esse maioris perfectionis, & de alio debet satisfacere iuxta Superioris consilium. Naldus *in summa, verb. votum, num 17.*

21 Si autem ambo illa vota cognoscantur æqualis perfectionis esse, tunc primum votum est adimplendum, & secundum satisfaciendum iuxta consilium Superioris; nam ad primum remanet obligatio, ad secundum debetur satisfactio. Syluester *verb. votum 2. num. 17.*

22 Ad septimam, & vltimam difficultatem, potest deduci ex duobus antecedentibus numeris aliqua responsio. Clariùs tamen vt difficultati satisfaciam, dico, quòd astrictus votis non potest matrimonium sinè dispensatione inire, quamuis vehementissimis carnis stimulis vrgeatur, & experientia constet eum sæpissimè labi, cognoscatque se viribus carere ad resistendum; & hoc currit in quacunquè difficultate se continendi, nempè siuè difficultas extiterit antè emissionem voti, siuè ad idem votum fuerit subsequuta. Ratio est, quia quilibet Fidelis est & persona particularis, & pars communitatis Ecclesiæ, vndè datur bonum, aut malum vt proprium particularis personæ, vel vt proprium Ecclesiæ. Licèt igitur magis expediat nubere iuxta bonum priuatum, non tamen iuxta bonum commune, cùm omnibus pensatis, res melior, & Deo gratior sit, & cum Superioris difficultate dispensetur in voto. Pullularent etiam multa mala, & scandala Ecclesiæ, si permissum esset cuilibet propria authoritate ad nuptias transire, non obstantibus votis, propter frequentes lapsus carnis, etiamsi essent sacrilegia, aut adulteria. Ità Sanchez *lib.7. de matrim. disp. 11. num.9.*

23 Item probatur, quia, vt ait Valentia 2.2. *disput.6. q.6. punct.2. dub.4. col.10. & punct.4. dub. 4. col. 8.* materia votorum Castitatis, & Religionis est res grauissima, & perquàm Deo grata, quapropter adest magnum periculum errandi, si relinquatur arbitrio ipsius vouentis matrimonium contrahere propria facultate, causa lapsuum in peccata veneris; & ideò Superioris dispensatio exigitur, & hoc quatenus quilibet est pars communitatis Ecclesiæ, & non solùm particularis persona.

24 Igitur Zeno in nostro casu non potest sua sponte ducere Hortēsiam, nec aliam, supposito quòd vouerit fieri Sacerdos; nec ad ducendam vxorem dispensatur sinè Superiore, ex eò quia agitetur tentationibus, nam istæ sunt causa sufficiens ad obtinendam dispensationem, quamuis alia causa non habeatur, & ad dispensandum validè, requiratur causa, vt cum multis docui *decis. 42 num. 15.* Votum verò, quod priùs emisit Zeno de ducenda Hortensia, iam suprà dicebam quando obligabit, & quando non: recolantur *num. 19. 20 & 21.*

25 Nec solùm sunt causa sufficiens ad obtinendam dispensationem à voto ipsi stimuli vehementes carnis cum periculo incidendi in grauia peccata; sed etiam possunt dispensare coniugatum ab impedimento petendi debitum propter votum, aut propter incestum, aut propter spiritualem cognationem: Dato igitur casu tanti periculi in coniugato, qui commodè dispensationem ab impedimento petendi debitum non potest habere, licitè poterit
26 debitum petere. Imò quamuis tutiùs sit dispensationem quærere, nihilominus probabile etiam est, non esse in tali casu necessariam dispensationē, etiamsi facilè obtineri possit in illo casu, nam nec lex, nec votū obligat, seu casus ille non cadit sub lege, nec sub voto, vt latè probat Quintanadueña *singular. de Sacrament. tract.9. singulari 12 per totum.* Adeatur ipse, ego enim moram non facio in explicatione istorum, quæ obiter adduxi, & tetigi. Solùm aduerto esse petendam dispensationem, transacto illo casu.

DECI-

# DECISIO L.

*An Hæres teneatur adimplere legata, si non inueniantur res legatæ à testatore, aut si reperiatur quòd sint aliena?*

## Casus, seu Historia L.

### SVMMARIVM.

1 *Casus proponitur.*
2. 3. 4 *Hæres non tenetur de re non existente.*
5 *vsquè ad* 8 *Etiamsi sit in loco, sed non nominato.*
9. 10 *An nomine* Vrbis *veniat* Suburbium.
11 *An deficiente exemplo deficiat exemplandum.*
12 *vsquè ad* 16 *An non extante re legata, hæres teneatur de suo, vel aliter.*

1 Dominus Sigismundus institutus hæres omnium bonorum amici sui Alexandri, cum testamentaria obligatione adimplendi quatuor legata, videlicèt, 1. dandi sorori eiusdem Sigismundi mille scuta inclusa in arca parua eburnea, quam ipse Alexander testator depositatam habet apud Abbatissam Monasterij Sancti Vlderici. 2. dandi D. Melchiori Capellano testatoris decem saccos frumenti extantis in horreo, dicto *il nouello*, sito in domo Ruris magni. 3. vt ipse hæres faciat erigi pro ipso Alexandro sepulchrum omninò simile illi Comitis de Bonis ædificato in Ecclesia Cathedrali Vrbis patriæ dicti testatoris. 4. vt Vineã, nuncupatam de Stirijs, det Alexio in signum amicitiæ, seu veluti fideli amico eiusdem testatoris. Verùm Dominus Sigismundus, cùm in dicta parua arca solùm quingenta scuta reperit; & in horreo nihil frumenti inuenerit; cùm tamen de facto in alio horreo, dicto *il vecchio*, nominata frumenti summa extet; nec sepulchrum Comitis de Bonis appareat, sed solùm Comitis de Donis; & vinea legata Alexio non fuerit Alexandri, sed Iulij; ideò hæres petit ad quid in his casibus teneatur, vt testatoris mentem, suamque adimpleat obligationem.

2 Respondeo, & dico Dominum Sigismundum hæredem D Alexandri debere quidem mentem testatoris adimplere, maximè soluendo legata, ità vt si hæc sint de nominata, & indiuiduali materia, & ista non extet, non teneatur hæres complere, seu dare de alijs bonis, vel testatoris, vel suis; & ideò si legatum sit dandi alicui mille scuta inclusa in arca nominata, in qua realiter quingenta tantummodò reperiuntur, debetur sola quantitas reperta: sic *text. in l. si seruus. §. quinque. ff. de leg.* 1.

3 Et confirmatur, quia si fiat legatum de scutis mille, existentibus super reudditibus certi montis, & non extent, nihil debetur. *l. sed si certos nummos. ff. de leg.* 1. Castr. *cons.* 285. *ad primam, in princ. lib.* 2. Ergo D. Sigismundus tenetur dare sorori suæ totam summam scutorum, quæ inuenitur extare in dicta parua arca eburnea, siuè sint mille, siuè minus, absque eò quòd compleat numerum millenarium, si mille non reperiuntur. Imò nihil dabit, si nihil inueniet.

4 Ad legatum Capellani, eadem est applicanda doctrina. Igitur si in illo assignato horreo extent dicta frumenta, sunt danda Capellano: si non ad numerum decem saccorum, sed solùm quatuor inueniuntur; ista quatuor sunt danda, & non aliud. Nec refert, quòd decem
5 sint in horreo dicto *il vecchio*, ad hoc vt hæres teneatur decem dare, quæ decem supponebantur à testatore extare in horreo dicto *il nouello*, nam qui legauit frumentum vnius horrei nominati, exclusit frumentum alterius horrei non nominati; sicut si quis legat frumentum extans in vrbe, non legat aliud frumentum, quod est in suburbijs. Bart. *in l.* 2. *in fin princ. ff. de verb. signif.* Socinus *in l.* 2. *n.* 3. *ff. de rebus dubijs.* Rebuffus *in l.* 2 *col.* 5. *in vers. glossa in secunda par.* Crauet. *in cons.* 297. *col.* 1. *versic. videretur.* Baldus *in cap. Rodulphus, num.* 8. Felinus *cap. eod. num* 3. *de rescript.*

6 Hoc probatur, quia Ciuitas, aut Vrbs propriè dicitur, quæ cingitur muris. *lege secunda. l. vt Alphenus, & l. ædificia. ff. de verb. signif.* cùm ergo legatum debeat strictè, & propriè interpretari, dicendum est, excludi frumentum exstans in suburbijs, à legato, quod nominat frumentum extans in vrbe. Ità manifestè remanet exclusum frumentum, quod est in horreo veteri, si legatum loquatur de frumento
7 extante in horreo nouo. Idem conuincitur per text. *l. nam quod liquidè, §. si ità legetur. ff. de penu. lega.*

8 Vrget veritatem aduerbium *intrà*, seu *in*; nam dictio *intrà*, seu *in* prout dicit intrà, sicut est in nostro casu, solùm significat, quæ intus habentur. *l.* 1. *§. cùm vrbem. ff. de offic. præfect. vrbis.* Ergo legatum frumenti, quod est intrà horreum nouum, solùm significat frumentum, quod intus dictum horreum extat, excluso alio frumento alibi existente.

9 Neque militant contra nostrum casum limitationes faciendæ in casibus frumenti legati, quod non extat in Vrbe, sed in suburbio, quia inter Vrbem, & suburbium est aliqualis connexio, & non rarò promiscuè nominantur, quod nullatenus verificatur de duobus horreis, vtpote omninò separatis. Valdè enim extortum est, quòd vnum horreum pro alio præsumatur intellectum à testatore; valdè autem facilè est, præsumere intelligentiam suburbij, dum nominata est Vrbs talis suburbij. Sic euenit in legatis, quæ largam admittunt interpretationem, sicuti sunt illa sanguine coniunctis; nam in tali legato præsumuntur comprehensa ea, quæ sunt in suburbijs. Crauet. *cons.* 297. *n.* 2. Menochius *de arbitrar. iudic. q.* 99. *n.* 15.

10 Imò & comprehendi frumentum extans in suburbijs dicendum est, quando non extat frumentum in Vrbe; nam in hoc præsumitur legatum frumentum extans in suburbijs, quamuis testamentum nominet frumentum extans in Ciuitate. Ità declarant Baldus *in l.* 1. §. *in initio. col.* 2. *vers. sed quid si non dicit. ff. de officio præf. vrbis*. Albericus *num.* 4. & Felinus *cap. Rodulphus*, *num.* 4. & ratio est, quia legatum diceretur inutile, quod non est asserendum. At in casu nostro vnum horreum non habet affinitatem cum alio; sicut Vrbs est affinis suburbijs suis.

11 Ad tertiam obligationem ædificandi Sepulchrum simile illi Comitis *de Bonis*, quod de facto est *de Donis*, respondeo hæredem non teneri, quia si deficit exemplar, deficit exemplandum. *l. in testamento*, *ff. de conditionibus, & demonstrationibus*. Nisi aliundè constet de errore, & de mente, nam facilè est scripsisse per errorem *Bonis* pro *Donis*, & non benè audiuisse Notarium, an testator dixerit *Bonis* vel *Donis*; vndè cùm etiam fieri possit, vt ipse disponens errauerit in tam affinibus verbis; maximè quia de facto reperitur in nominata Cathedrali Sepulchrum Comitis *de Donis*, debet interpretari fuisse mentem disponentis, vt fieret Sepulchrum simile illi, & sic est *text. l. cit. per Gloss. ibid.* Ideò Sepulchrum est faciendum in nostro casu.

12 Ad quartum legatum factum de danda vinea Iulio, cùm illa non esset testatoris, dico, non ideò debere hæredem dare Iulio æstimationem, nam docent Doctores, quòd si quis legat bona subiecta fideicomisso restituendo alteri, quàm suo hæredi, non intelligatur legatum nisi ius, quod ipse habet etiam morte finitum, & quòd non debeatur æstimatio ab hærede, quamuis legatum redderetur inutile. Iason *cons.* 109. *per totum*, *vol.* 4. Nicol. Bellon. *cons.* 9. *num.* 5. Natta *cons.* 502. *num.* 36. Rota *decis.* 621. *num.* 1. *part.* 1. *nouissim. diuersor. incerti collectoris*. Peregr. *de fideicom. art.* 33. *num.* 23. *vers. denique ad hoc est decisio*.

13 Et si testator neque haberet ius aliquod in re, sed tamen putaret se aliquod habere, adhuc nulla debetur æstimatio, etiamsi expressisset, quòd legabat pleno iure. Cyriacus *controuers. forens. lib.* 3. *contro.* 145. *num.* 25.

14 Nec obstat si dicatur, quòd si testator scienter legauit ius suum, quod sciebat sua morte finiturum, tùnc voluerit esse dandam æstimationem; nam si aliter ex coniecturis non constet, quòd voluerit legare aliquid, quamuis ius suum sit morte finiturum, adhuc non debetur æstimatio, vt declarat Aldob. *cons.* 25. *num.* 20. *vol.* 1. & Rota *decis.* 621. *num.* 1. *par.* 1. *nouissim. diuer. incerti collectoris*.

15 Multò minùs debetur ipsa æstimatio, quando testator legauit rem, quam sibi deberi putabat ex aliqua causa, vel iure particulari, vel credebat habere facultatem ità legandi, quæ tamen causa erat nulla, vel finita, vel erronea, quamuis legasset coniunctæ personæ, *vt ex gl. in l. si domus* 71. *aliàs* 74. §. *de euict. in verb. ex stipulata*.

16 Hæc opinio est verior, & communior, quidquid in oppositum aliqui sentiant: vt affirmat Cyriacus *loco citato*, *num.* 21. Ergo testator scienter, aut ignoranter legauerit vineam non suam, hæres non tenetur dare æstimationem.

---

# DECISIO LI.

*An post datum iuramentum à duobus, vendendi sibi inuicem propriam domum, si vnus vendat suam vni tertio, teneatur seruare iuramentum suum ille, cui iuramentum non fuit seruatum; & an ad Iudicem sit recursus?*

## Casus, seu Historia LI.

### SVMMARIVM.

1 *Casus proponitur.*

2 *Dubia tractanda in præsenti.*

3 *vsquè ad* 8 *An prior, vel secunda promissio iurata teneat.*

9. 10 *Promissio prior, an præcedat posteriorem iuratam.*

11.12.

11. 12. 13. *Si res traditur, non obstat iuramentum, licet sit periurium.*
14 *Iuramentum non mutat contractum.*
15. 16 *Fidei fractio quid operetur.*
17 *Licet debitum creditori simul debitori, non dare.*
18 *vsquè ad 21 Iurantes sibi inuicem vendere, supponit correspondentiam.*
22. 23 *An ad inuicem obligatio possit referri, & non referri.*
24. 25 *Solutio pro casu nostro.*
26. 27 *Quinam sit Iudex de iuramento.*

1 Florus iurauit Horatio, se ei venditurum propriam domum; Horatius item iurauit Floro se postea venditurum ei domum, in qua habitabat de præsenti; imò & iurauit se venditurum ei etiam equum, nam scit fore ipsi carum emere illum, & hæc Florus acceptauit. Post hanc conuentionem, Florus contra datam iuratam promissionem vendidit suam domum vni tertio; ideò Horatius non vult ampliùs nec ipse vendere Floro suam domum; imò & vni tertio vendidit equum. Recursum fecit Florus ad Iudicem Ecclesiasticum, qui à me quæsiuit, quid in hoc facto sit resoluendum, maximè cùm idem Florus insistat vt ei domus vendatur ab Horatio, qui non obstante tali recursu, vendidit statim Petro cum iuramento nouo ei facto de hac venditione domum prætensam à Floro.

2 Ego respondeo, quamuis qui meam quærit responsionem, possit se solo propria doctrina, totam difficultatem enodare, omniaque dubia in isto facto occurrentia, quæ sunt. Primum, an promissio posterior etiam iurata, præualeat priori, vel simplici, vel iuratæ? Secundum, an posito recursu ad Iudicem, fuerit postea validè facta venditio, itaut emptor possit retinere? Tertium, an non obstante, quòd Florus domum vendiderit contra iuramentum, licitè vendat suam contra iuramentum etiam Horatius? Quartum, an equus venditus contra iuramentum ab Horatio sit benè, & licitè venditus?

3 Ad primum dubium dico, quòd licèt aliqui existiment seruandam esse secundam promissionem si iurata sit, satisfaciendo priori promissioni alio modo, vt tenent Innocentius *cap. veniens, num. 1. de iureiuran.* vbi Imola *num. 4.* dicit, hoc posse sustineri, & tenuit Ab-
4 bas antiquus, teste Antonio *cap. sicut, de sponsal. fine*, nihilominus tenendum est præualere priorem promissionem, quamuis simpliciter factam; nam secunda promissio iurata est de re iniqua, & quæ præiudicium infert tertio, in quo casu non obligat; & ideò sponsalia priora non dissoluuntur per posteriora iuramento firmata, quia tale iuramentum est contra bonos mores, & contra ius acquisitum à tertio. Ità tenent multi Iurisperiti, & Theologi; & sic inter Iurisperitos sunt Innocentius sibi contrarius *cap.*
5 *sicut, de sponsal. num. 1.* Ioannes Andreas *num. 4.* Hostiensis *cap. veniens, de iureiurand. verb. eod.* vbi Ioannes Andreas *num. 7.* Anton. *num. 7.* Cardinal. *num. 3.* Ancharanus *num. 6.* Abbas *num. 6.* Alexande. de Neuo *capit. ex parte, de sponsal. num. 19. & 20.* Alexander Carrerius *lib. 1. de sponsal. cap. 11.* Matienzo *lib. 5. recopilat. titul. 1. rubric. glos. 1. num. 44.* Lancelotus *inst. iuris canonici, lib. 2. titul. de sponsal. verb. compelli.* Perez *lib. 5. ordin. tit. 1. l. 1. vers. ampliatur.* Couar. *4. decret. 1. par. cap. 4. initio, num. 3.* Gutier. *de iuramen. 1. par. cap. 51. num. 6.* Syluester, *quæst. 20. dicto 3.* Angelus, *verbo sponsalia num. 25.* & alij.

6 Inter Theologos idem docentes, inuenio Bartholomæum à Ledesma *de matrimon. dub. 13. casu 2.* Ludouicum Lopez, *2. part. instructorij, de matrimon. cap. 38.* Vegam *lib. 2. summ. cas. 497.* Henriquez *lib. 11. de matrim. cap. 13. numero 3.* Philiarcum *de officio Sacerdot. tom. 1. part. 2. lib. 2. cap. 1.* Viualdum *candelab. de sponsal. 1. par. cap. 4. num. 24.* Sotum, *4. d. 27. quæst. 2. art. 4. dub. 3.* D. Antoninum *3. par. tit. 1. cap. 18. §. 1. & 2.* Richardum, *4. distinct. 27. art. 5. quæst. 4. fin.* D. Bonauenturam, *4. dist. 28. in exposit. literæ*, & alios.

7 Verum tamen est, quòd quamuis priora sponsalia etiam non iurata non dissoluantur ex parte iurantis per secunda sponsalia iurata; dissoluuntur tamen ex parte illius, cui prior fides erat data: ità Sanchez *lib. 1. de matrim. disp. 49. num. 2. & disput. 50. num. 3.*

8 Et si detur iusta causa recedendi à primis, tunc standum est secundis sponsalibus, nam non peccauit posteriora contrahens: Syluest. *verb. sponsalia, quæst. 10. dicto 3.* & sic sponsalia secunda erunt valida, & iuramentum obligat.

9 In casu nostro ex dictis constat debuisse Florum stare priori promissioni iuratæ dandi per venditionem domum suam Horatio, propterea non tenebatur eam vendere vni tertio etiamsi
10 huic iurasset se eam venditurum. Imò & hæc vera sunt, etiam in casu, quo non fuisset factum iuramentum vendendi eam Horatio; nam per antecedentem promissionem vel simpli-

plicem, vel iuramento firmatam, fuit ius acquisitum ab eo, cui promissio facta est; & res iniqua est priuare alium iure suo, vndè iuramentum adiectum secundæ promissioni nullius est roboris, nec subsistit, nec obligat, prout clarè tradit Azorius *instit. moral. cap. 16. q. 1. & 2. libro vndecimo*.

11 Sed quia Florus iam vendidit domum vni tertio, & huic illam tradidit, peccauit peccato periurij, sed nec ipse, nec emptor tenentur ad
12 aliquid respectu illius, cui priùs fuerat promissio facta. Ratio est, quia venditioni siuè iuratæ, siuè non, sed sinè rei traditione, præualet venditio postmodum facta cum rei traditione, nam in hoc casu dominium transfertur in hunc
13 secundum emptorem. Id probatur, & constat ex natura contractus emptionis, & venditionis, qui contractus talis est, vt ante rei venditæ traditionem, dominium non transferatur in emptorem, & si ante traditionem res eadem alteri vendatur, & isti tradatur, emptor iste secundus fit dominus ipsius rei, quam non tene-
14 tur restituere, vtpote suam. Iuramentum verò, quod factum fuit, non mutauit, nec potuit mutare naturam contractus, quapropter contractus semper retinet suas proprietates, nec in essentialibus alteratur, licèt periurij culpa incurratur à vendente contra iuramentum priùs factum. Sic constat ex *l. Quoties, C. de rei vindic.* & etiam ità tradunt Iason, Imola, & alij, inter quos Couarruuias *de pact. 1. p. §. 4. num. 2. & in 4. Decret. 1. p. c. 5. num. 9. & 10.* Azorius *lib. 11. institut. moral. cap. 9. q. 3.*

15 Ad secundum dubium respondeo, posse Iudicem Ecclesiasticum in hoc facto interponi, itaut ipse faciat seruari iuramentum. Si ergo ille, cui promissio iurata facta fuit vendendi ei domum, vel cui fuit vendita, sed non tradita, extraiudicialiter admoneat venditorem, vt ei seruet iuramentum, nec contra hoc aliquid faciat aut directè, aut indirectè, appellando ad Iudicem Ecclesiasticum, tunc secunda venditio, vel eius causa, facta rei traditio esset nulla, quia facta fuit pendente appellatione, quæ impedit, aut suspendit quodlibet ius, de quo appellatur; vndè emptor nullum ius acquirit, quamuis rem accipiat, & pretium soluat, sed & venditor pretium emptori, & emptor rem venditori debet restituere: ità docent Iason, & Gerardus relati à Couarruuia *de pact. 1. §. 4. nu. 2. & in 4. decret. 1. p. c. 5. num. 9. & 10.* videatur: & ità fieri debet Iudex decernere.

16 Ad tertium dubium dico esse recurrendum pro eius solutione, ad quæsitum, an stare teneatur iuramento, quo alteri fides datur, si ille alter non seruato iuramento primus fuit ad fidei fractionem, iuxta commune Iuridicum proloquium: *Frangenti fidē, fides non est seruanda, l. cū qui, §. 1. ff. de inoff. testam.* & alibi pluries. Et quidem videtur iuramentum non esse seruandum ei, qui prior iuramentum datum violauit, nam non est danda res promissa illi, qui non dat id, pro quo res promissa fuit: sed ideò iuratum fuit ei dare, quia & ipse iurauerat dare; ergo non dante primo, nec tenebitur secundus; & hæc videtur communis omnium doctrina, cùm in omnibus contractibus, seu conuentionibus correlatiuè se habeant dare, & accipere, quorum vnum si deficiat, corruit, & deficit aliud.

17 Idem probatur, nam si quis iuret se daturum alicui decem, & ab eo tantumdem debet habere, potest ea decem non dare, sed sibi ea in compensationem tenere, quia ea compensatio censetur quædam solutio, *l. 4. §. soluisse, ff. de re iud.* ergo & licebit non vendere domū ei, qui & propriam non voluit vendere, contra iuramentū inuicem factū de sibi inuicem vendenda domo; videtur namque quædam compensatio hæc, non stare iuratæ promissioni de vendenda domo ei, qui nec stetit iuratæ promissioni de vendenda alia domo eidem, à quo & ipsi venditio negatur.

18 Confirmatur, nam promissio iurata de vendendo domum Floro, tacitam habet annexam conditionem, si Florus postea non se ingratum, nec infidelem exhibebit, frangendo promissionem de altera domo vendenda, iuxta iuramentum, quod fecit; sed ingratum, & infidelem Florus de facto se præbet, fragens datum iuramentum, & domum vendens vni tertio; ergo neque Floro seruanda est iurata promissio; & ità docent, Molina *tom. 2. de iust. disput. 272. ad fin.* Mercado *lib. 6. de contractibus, c. 16.*

19 Et quia est quædam compensatio hoc non seruare iuramentum iuramento frangenti, dico esse vera, dicta numero antecedenti, quamuis iurans habuerit animum se obligandi, nec vtendi compensatione, licèt alter fidem frangat, si talem animum non acceptauit, quia promissio iurata facta homini, debet acce-
20 ptari, vt habet Sanchez *lib. 1. de matrim. lib. 1. disp. 7. num. 24.* & idem docent quàm plures apud eumdem loco citato adducti; nam iuramentum sortitur naturam, & conditionem actus, pro quo interponitur, *l. fin. C. de non numer. pecun. l. si. ff. qui satisd. cogantur*; & natura primordialis illius obligationis est, si ab alio ac-

acceptetur, scilicet habet hanc tacitam conditionem; ergo si animus alteri non indicetur, non subsistet obligatio facta eo animo, vt compensatio non sit volita. Cùm igitur externa promissio ab altero acceptata non excludat compensationem, & reuocationem ratione ingratitudinis, & infidelitatis, & animus nolendi compensare non sit alteri notificatus, vt ab eo acceptetur; poterit iurans retrocedere vtendo compensatione, & non stando promissioni iuratæ ratione fidei sibi violatæ per non positionem promissionis similiter iuratæ.

22 Ad quartum dubium respondent aliqui cum hac distinctione, quæ similiter ad prædicta potest applicari. Aut enim quando duo se inuicem cum iuramento obligant, eorum duæ obligationes ad se inuicem referuntur, eò quòd vterque promiserit intuitu promissionis sibi factæ, ita ut altero non implente alter maneat li-
23 ber: aut illæ duæ obligationes ad se inuicem non referuntur. Exemplum sit in casu, quo quis promisit iureiurando dare alteri suum equum, & ille alter hac de causa item promittat iuramento dare illi aliquid aliud: en mutua duarum obligationum inter se correlatio, seu relatio. Si verò quis iureiurando promittit equum alicui, qui non hac de causa, sed simpliciter promittit aliquid facturum pro dante equum, etiamsi illum non dederit; in hoc casu debet præstari promissum, quamuis ille non det equum; at in primo casu non est standum promissis, si vnus ex ipsis promissa non seruet. Ità tradunt Angelus, *verb. Iuramentum* 5. *num.* 17. Tabiena *verb. iurare q.* 28. Manuel. 2. *tom. sum. c.*27. *num.* 1. Azorius *instit. moral. lib.* 11. *cap.* 8. *q.* 4. Nauar. *sum. c.* 18. *num.* 7. Armilla *verb. iuram. num.* 27. Syluester *verb. Iuramentum* 4. *q.* 13. vbi citat Abbatem, & Cynum tenentes hanc opinionem.

24 Ex dictis sequitur pro casu nostro, quòd quando equus fuit promissus absolutè, & cum intentione illum vendendi ei, cui promittitur promissione iurata, quamuis non adimpleat id, quod & ipse iurauerat, tunc equus est dandus; nam promissio de dando illo non habet annexam tacitam aliquam conditionem, imò illam positiuè excludit, & obligans se ligat ad dandum etiamsi alter nihil præstet de his, quæ præstare iurauerat.

25 Quòd si id, quod promittitur, & iureiurando firmatur, habeat annexam tacitam conditionem, vt videtur esse in illa conuentione vendendi ad inuicem proprias domos; tunc deficiente vno, alter deobligatur, sicut fusè dictum est supra in responsione ad tertium dubium, *à num.* 16. *vsquè ad* 21. *inclusiuè*.

26 Et si quæratur, an etiam ad Iudicem sæcularem possit appellari, ad hoc vt iuramentum seruetur iuxta prædicta sub numero decimoquinto huius decisionis, dico quòd quando agitur de iuramenti cognitione, vtrum obliget in conscientia, aut non obliget; vtrum possit relaxari, aut non relaxari, spectat ad Iudicem Ecclesiasticum, vt patet ex *cap. final. de foro compet. in* 6. Vndè quia in præsenti casu lis est, an teneatur in conscientia seruare iuramentum ille, cui iuramentum non fuit seruatum, ideò ad Iudicem Ecclesiasticum attinet rem decidere, & benè ad eum facta fuit appellatio.

27 Potest etiam spectare aliquando ad Iudicem sæcularem remittere, & relaxare iuramentum in casibus manifestæ iniuriæ, & iniustitiæ exactoris, vt quando constat iuramentum Reipublicæ noxium esse; sed hoc cùm non faciat ad rem nostram, non est in eo immorandum. Videatur Lessius *lib* 2. *de Iustitia, & iure, capite* 42. *dubitatione* 12. *num.* 66.

---

# DECISIO LII.

*An Professus in vna Religione, si transeat ad aliam, quæ tempore Nouitiatus extinguitur à Summo Pontifice, teneatur ad priorem Religionem reuerti, vel possit Clericus fieri.*

## Casus, seu Historia LII.

### SVMMARIVM.

1 *Casus proponitur.*
2. *vsque ad* 6 *Explicatio dubÿ præsentis.*
7 *In fauorabilibus Nouitÿ sunt Religiosi.*
8. *vsque ad* 11. *Plura de libertate.*
12. *vsque ad* 27 *Nouitius extra Conuentum an interrumpat Nouitiatum.*
28. *vsque ad* 31 *Quanto tempore interrumpitur.*
32 *Nouitius extra Conuentum cum licentia, participat cum alÿs Religiosis.*
33. *vsque ad* 36 *Quomodo Nouitiatus interrumpatur, vel non.*
37 *Nouitius quando suppleat tempus.*
38 *Agitur in casu nostro.*
39 *Extinctio Religionis est de odiosis.*
40. 41 *Cogitur Religio vt recipiat Professum.*
42 *Si nolit recipere, quid faciet?*
43. 44. 45 *Resoluitur casus præsens.*

1 Mau-

1 MAurus Religiosus Professus in Religione A. transiuit ad Religionem B; & in illo tēpore Nouitiatus obtinuit facultatem commorandi per aliquot tempus in domo Patris sui, in qua dum aliqua negotia expediebat, accepit fuisse extinctam Pontificia authoritate Religionem, in qua erat Nouitius; quapropter cœpit dubitare, an teneretur ad Priorem Religionem statim redire, vel an posset sua negotia expedire, atque ad statum Clericalem transitum facere, quemadmodum faciunt alij Religionis extinctæ.

2 Dico, quòd si Pontificium Breue emanatum pro dictę Religionis extinctione specialiter nominaret etiam Nouitios alterius Religionis Professos, si qui dantur in extincta Religione, tunc absquè dubio tales Nouitij æquiparantur Professis Religionis extinctæ, nam expresè Papa de ipsis disponit in tali nominatione, ac disponat de alijs, vt per se patet. Sed quia de Nouitijs in talibus extinctionibus non disponitur à Pontifice, sed ad domos vndè venerunt debent reuerti, ideò & de Nouitio alterius Religionis Professo, reuertendum esse iudico ad Religionem priorem, prout infrà probabitur.

3 Casum istum in terminis apud neminem reperi ex multis Authoribus, quos viderim; sed nemo eum citauit, ea forsitan ratione, quòd pro certo, & tamquam indubitatum habeant, talem Nouitium esse obligatum ad pristinam Religionem statim reuerti; & hoc quia prior
4 Religio est domus talis Nouitij; ergo ad eam debet reuerti. Item quia prior Religio potest
5 compelli ad eum acceptandum, si in secunda non profiteatur, nam facultas, & abdicatio iuris, quod quis habet, facta ex causa, non obtinet firmitatem, nec est rata, ea non sequuta: Sed sic est, quòd transitus fuit concessus, vt in Religionè emitteret professionem; ergo ista non sequuta viget ius reuertendi ad primam. Ità docent: Azorius *tomo 1. instit. moral. lib. 12. cap. 14. q. 11.* Gregorius Lopez *lib. 9. tit. 7. part. 1.* Tabiena *verb. Religio, quæst. 24. nu. 25. fine.* Anton. Cucus *lib. 3. institut. maior. tit. 1. num. 140.* Syluester *verb. Religio 4. quæst. 5.* Rosel. *verb. religio. 4. num. 9.* D. Anton. *3. part. tit. 16. cap. 4. §. fin.* Astensis *sum. 1 part. lib. 1. tit. 20. art. 10. quæst. 4.* Baldus *l. cum in*
6 *adoptiuis in princ. num 4. C. de adoption.* & alij. Et hæc verificantur quando transiens ad aliam Religionem iustè transijt, & petita facultate, iuxta Azorium *loc. cit.*

7 Verùm, quòd possit talis Nouitius connumerari inter alios Religiosos extinctæ Religionis, & sic non reuerti ad illam, in qua est Professus, videtur conuinci; nam sub nomine *Religiosi*, quod est generale, *Glos. 1. Clement. 3. de procur.* veniunt etiam Nouitij in fauorabilibus, quia sunt in via status Religiosi, ad quem acquirendum fatigantur, & qui est in via, reputatur ac si esset in termino, *arg. l. ex eo tempore, ff. de milit. testam.* Rodri. *tom. 1. quæst. 21. art. fin. tom. 1. tamen 3. qu. 51. art. fin.* Portel. *verb. Nouitius num. 53.* & idem etiam tradunt Molina *tom. 3. tract. 2. disput. 671. num. 2.* & ferè omnes Theologi, cum Iurisconsultis: Sed quòd Religionis extinctione liberum sit Religiosis onus Religionis excutere, & in propriæ libertatis statum redire, est quid fauorabile; ergo Nouitius talis Religionis veniet sub nomine *Religiosorum*.

8 Confirmatur, quia certum est, quòd libertatis amissio, est quid odiosum; ergo posse amissam libertatem acquirere, est quid fauorabile; vndè cum libertatē acquirendi à Summo Pontifice concedatur facultas Religiosis extinctæ Religionis, manifestè videtur sequi, comprehendi etiam Nouitios sub nomine *Religiosorum* illius Religionis, cùm simus in fauorabilibus. Quòd amissio libertatis sit quid odiosum, faciliter probatur nedum ex volatilium illaqueatione; aut ex captiuorum detentione, aut ab hominum naturali instinctu libertate fruendi, sed etiam probatur ex eiusdem li-
9 bertatis excellentia, & conditione, quæ talis est, vt libertatis venditio rata non sit, nisi sex conditiones illam comitentur de iure communi in fauorem eiusdem libertatis. Syluester *verb. Seruitus, q. 3.* apud Leonardum Lessium *lib. 2. de iust. & iure, cap 5. dubit. 4. num. 15.* Ergo adeptio libertatis est quid fauorabile; propterea etiam Nouitius veniet sub nomine *Religiosorum* in statuto concedente libertatis datæ nouam acquisitionem, quæ obtinetur per liberationem à statu Regulari.

10 Iterum confirmari potest exemplo Diui Paulini seipsum in seruum vendentis, propriamque libertatem desperdentis, vt filio Viduæ captiuo libertatem obtineret; ergo libertatem dare est quid de linea, imò Princeps rerum odiosarum; ac per consequens libertatem readipisci est rerum optatarum, atquè fauorabilium vera Regina. Hinc fit, quòd quia Re-
11 ligiosi dant propriam libertatem, eamque à se abdicant propter Christum, vt obseruat Lessius *vbi suprà, loco mox citato*; si per Religionis extinctionem à statu Religionis eximuntur Pontificio

ficio diplomate, acquirent deperditam (vt sic loquamur) libertatem, tamquam quid fauorabile; ergo & Nouitius alterius Religionis Professus participabit tali fauore alijs Religiosis Professis concesso.

12 Nec obstat si dicatur, quòd Nouitius nostri casus commorabatur extra Monasterium in domo paterna, quando Religio fuit extincta, & sic habetur tamquam extra numerum Nouitiorum pro eo tempore, vndè nec potest participare fauorabilia aliorum Religiosorum: 13 Nam id probatur ex eo quòd annus probationis debeat esse continuus, & non interruptus, ità Ioannes Lignanus teste Syluestro, *verf. Religio 5. q. 4.* quam opinionem putat esse veriorem Abbas *in cap. ad Apostolicam, de regulari.* 14 Et quidem secundùm ius commune, hæc est verissima, quoniam iura, quæ certum tempus postulant, intelligi debent de tempore continuo, & Bartolus *in l. interdum, §. quoties, ff. de* 15 *public.* apertè docet, seruum dici *Veteranum*, qui anno continuo seruiuit; *Nouitium* verò, qui ad annum non continuatum seruiuit, & Ioan. Ancha. *in cap. 1. de elect. in 6.* ait, cùm iu- 16 ra postulant annum, vel certum aliud tempus, intelligunt continuum.

17 Deindè probatur idem, quia præscribitur annus integer probationis, vt Nouitius integrè experiatur dura, & aspera Religiosi instituti onera; & inter alia hoc vnum est, vt ea sustineat per annum continuum, etenim faciliùs est ieiunium quadraginta dierum cum interruptione sustinere, quàm cum continuatione.

18 Indè fit, vt si Nouitius per annum integrum habitum deferat, & omnia probationis onera sufferat, sed extra Monasterium absquè consensu Superioris, nihil prosit, aut valeat ad probationem, cùm hoc sit Concilio Tridentino contrarium, quod *sess. 25. cap. 15. de Regulari.* decernit, ne professio emittatur ante decimum sextum annum expletum, nec antequam per integrum annum post habitus susceptionem, in probatione steterit ille, qui ad professionem erit admittendus. His ergo positis; cùm Nouitius actu reperitur extra Conuentum, dum Religio sua in extinctionem finit, non comprehendetur sub nomine *Religiosorum*, in ordine ad participandum de fauorabilibus, quæ Religiosis alijs conceduntur à Pontifice in Breui extinctionis; nam tunc non est Nouitius, si Nouitiatus tempus ei non currit ratione non habitationis in Monasterio.

19 Qòd autem pro Nouitiatu exigatur annus integer in Conuentu pro Nouitijs educandis specialiter deputato, aliter nulla sit professio subsecuta, habetur expressè in duobus Clementis Octaui decretis; quorum vnum incipit. *Regularis disciplina*: aliud *Sanctissimus in Christo* extensis apud Vecchiũ *initio disput. 11.* & Tambur. *tom. 3. disput. 6. q. 4.* Et eadem decreta confirmauit Vrbanus Octauus per suum Breue incip. *Religiosos viros.* apud eũdem Tamburinum *q. 7. num. 26.* Si ergo Nouitius prout in nostro casu moratur extra Conuentum pro Nouitijs assignatum, non est computandus inter Nouitios, sic consequenter nec veniet sub nomine *Religiosi* in fauorabilibus.

20 Igitur vt respondeam ad hæc obiecta, quæ tendunt ad excludendum à statu veri Nouitij illum, qui extra Conuentum moram facit, dico ea non probare intentum; nam Superior localis, & à fortiori Prouincialis, aut Generalis potest dare licentiam Nouitio manendi per aliquot dies, aut menses apud parentes, vel amicos, dummodò in aliqua Religione non detur lex, aut statutum in contrarium; ergo non erit in culpa Nouitius degens in domo extra Conuentum cum licentia; ergo nec meretur pænam exclusionis à fauorabilibus communibus alijs Religiosis per hoc quòd non sit in Monasterio.

21 Confirmatur, quia Nouitiatus tempore Nouitius est immediatè subiectus suo Superiori etiam locali; ergo iste Superior poterit legitima subsistente causa concedere licentiam Nouitio, quod est signum subiectionis.

22 Confirmatur secundò, quia Superior potest talem gratiam facere professis; ergo poterit etiam Nouitijs, cùm vtriquè illi subijciantur. Ità Bordonus *Variarum Resolutionum, part. 2. resol. 54. num. 100.* ergo per præcisam commorationem Nouitij extra Conuentum, non erit priuandus nomine veri Nouitij, neque Nouitiorum priuilegio, vt & ipse veniat in fauorabilibus sub nomine *Religiosi*.

23 Sed nec ratione temporis, aut anni interrupti cessat Nouitius à Nouitiatu, nàm tenet, & valet Nouitiatus ex parte peractus extra Conuentum de licentia Superioris. Dixi *ex parte*, quia certum est ex præcedentibus dictis requiri Conuentum deputatum tamquam quid substantiale ad valorem Nouitiatus, sicut infrà dicam.

24 Et quòd talis Nouitiatus valeat, nec interrumpatur, suadetur ratione, quia manens extra de licentia Superioris æquiparatur permanenti in Conuentu, cùm semper sit sub sui Superioris obedientia; ergo sic erit, ac si non

esset extra Conuentum; sed dum Nouitius est in Conuentu, certum est currere ei annum; ergo & currit ei licèt sit extra Conuentum cum facultate illius Superioris, qui eam potest concedere.

25 Quòd si contra dicatur obstare specialem Conuentus deputationem, in quo Conuentu Nouitius non moratur; respondeo cum Bordono *Variarum Resolutionum, part. 2. resolut. 99. num. 39.* quòd etiam ante Decreta obligantia de præsenti Nouitios, vt habitent in Conuentu deputato, Nouitiatus erat adhuc peragendus intrà Conuentum, & nihilominus quãdoquè Nouitij de licentia manebant extrà Conuentum, nec tempus Nouitiatus habebatur pro interrupto, sed Nouitijs pro bono computabatur non minùs ac si per integrum annum habitassent in Monasterio; ergo & modò
26 dicendum est idem, quia non spectatur deputatio, sed solùm Conuentus deputatus sub ratione clausuræ; & ità docent omnes cum Lezana *tom. 1. cap. 2. num. 11.* Peyr. *de Prælato, q. 3. c. 1. num. 101.* Tamburin. *de iur. Abbat. tom. 3. disp. 6. q. 7. num. 16.* & alios citat Barbosa *ad hoc cap. 15. sess. 25. num. 28.*

27 Imò & hoc procedit, quamuis licentia concessa non sit iusta, vt tradit Suarez *tom. 3. de Religione, lib. 5. cap. 14. num. 14.* quem pro se citat Vecchius *disp. 11. dub. 3. num. 10.* Bordonus *resol. 54. quæst. 32. num. 117.*

28 Et ex iusta causa, puta infirmitatis, posset Nouitius manere extrà Conuentum maiori parte anni. Ità Sanchez *in summ. tom. 2. lib. 5. cap. 4. num. 28.* Miranda *tom. 1. q. 22. art. 5. §. ad*
29 *Primam*, etiam per decem menses, sed videtur id, tempus nimis prolixum; Nauar. *cons. 41. de Regul.*

30 Vlteriùs extendunt alij id temporis spatium cum Pelizzario *cap. 2. de Monial. num. 49. in fine*, sed non placet, quia omnia iura exigunt, & requirunt probationem in Conuentu; ergo per aliquod tempus debet fieri, & non manere extra Monasterium per totum annum etiam cum licentia, quod tamen an fieri possit notat Diana *summ. verb. Nouitiatus, num. 1.* sed fieri posse negatur.

31 Quantum tempus sit sufficiens, vt Nouitius intrà Conuentum manens dicatur facere probationem, computato postea integro anno cum tempore, quo mansit extra, dico sufficere sex menses, vel quid simile: ità Bordonus *resolut. 99. num. 39.*

32 Prædicta placuit fusè adducere, vt constet qualiter annus Nouitiatus non interrumpatur per hoc quòd Nouitius cum licentia degat in domo sæcularium, ex quo sequitur esse verè Nouitium, & venire sub nomine Religiosi in fauorabilibus; vndè quamuis Maurus in nostro casu maneret de licentia in domo parentum, erat verè Nouitius, & frui poterat fauorabili diplomate fauore libertatis, si tamen extinctio Religionis sit quid fauorabile, vt infra dicam *num. 38. & seq.*

33 Notandum est, quòd omnia prædicta currant, si licentia adsit, nam si sinè licentia Nouitius claustra relinquat, & postea redeat, Nouitiatus interrumpitur, & non continuatur, quãuis in hoc detur paruitas temporis, quæ adhuc non interrumperet, & hæc esset paucorum dierum, vt docet Lessius *lib. 2. de iust. cap. 4. dubit. 7. num. 59.* quia in tali parua materia temporis non impeditur experimentum austeritatis Religionis, & in fine anni posteà suppletur. Nal-
34 dus *in summ. verb. Nouitius, num. 4.* assignat vnum, aut alterum diem pro non interruptione Nouitiatus; tres verò, aut quatuor dicit
35 sufficere ad interrumpendum. Tandem Suarez cum distinctione procedit, *tom. 3. de Religione, lib. 5. cap. 15. num. 6.* vbi ait, quòd aut exiens à claustro dimittit habitum, aut non: si dimittit, interrumpitur Nouitiatus per quodlibet temporis spatium, quia tunc censetur mutasse statum: si verò exit cum habitu, & animo reuertendi, nec à Prælato dimittitur, tunc per aliquot dies non interrumpitur.
36 Omnia semper sunt intelligenda, nisi statutum singulare detur in illa Religione, à qua egreditur; aut nisi extet Priuilegium, vel prohibitiuum, vel concessiuum.

37 Ex dictis patet, non esse supplendum tempus, quod transit Nouitio manenti cum licentia extra claustrum, quod videtur esse volitum à *Glossa in cap. eum, qui, de Regulis iur. in 6.* nam si esset supplendum, sequeretur esse concedendum, quòd Nouitius pro eo tempore se haberet, ac si non esset in Religione, cùm tempus ei non currat vt Nouitio; atquè de consequenti vt Religioso in fauorabilibus.

38 Nunc omnia, ad conclusionem redigens, dico, quòd quamuis Professus vnius Religionis factus Nouitius alterius Religionis, & de licẽtia Superioris maneat in domo sæcularium, sit, & comprehendatur sub nomine *Religiosi* in fauorabilibus; hinc non sequitur eum posse ad statum Clericalem transire, sicut transire debent alij Religiosi ex Pontificis indulto, quando eorum Religionem extinguit; Quòd adeò verũ est, vt prædictus Nouitius nec possit

sit Clericus fieri, quamuis dum Religio extinguitur, inueniretur manere, & semper mansisse in Conuentu. Ratio est, quia Pontifex extinguens Religionem, non facit aliquid fauorabile Religiosis eiusdem Religionis, sed quid odiosum; ergo Nouitij non veniunt sub nomine *Religiosi* extincti.

39 Et quòd extinctio Religionis sit quid odiosum, & non fauorabile, patet ex eo, quòd est quædam pœna, seu punitio data propter relaxationem, aut propter inobseruantias introductas taliter, vt cùm de obseruantia antiqua vix vestigia appareant, aut cùm alia iusta causa Pontificis iudicio detur, mereatur ab ipso totaliter aboleri Religio illa, scilicet Religiosi sint omninò extinguendi: sed intuitu inobseruantiæ, aut causæ prædictæ non datur præmium, nequè fit fauor, sed solùm pœna infligitur, quæ omni iure est odiosa; ergo extinctio semper fit, itaut nũquã sit fauorabilis, sed odiosa, & cõsequenter nõ afficiet Nouitios, qualiter afficit professos, & illos finit liberos reuerti ad domos vndè venerunt. Cum ergo domus Religiosi professi in vna Religione, sit eadem Religio, donec in alia Religione professionem emittat, debet ad eam redire Nouitius Religionis extinctæ, sed professus in alia. Videatur Sanchez *in præcept. decal. lib. 6. cap. 7. num.* 104. Bordonus *variar. resolut. 1. parte, resol. 29. num. 57.*

40 Et si à priori Religione sit egressus, sed iniustè, vt sit non petita venia, aut venia iustè denegata, potest adhuc prior Religio cogi ad ipsum recipiendum, vt docet Abbas *cons. 95. num. 2. volum. 1.* citatis Ioanne Andrea, & Hostiensi, quia transitus ille non valuit.

41 Confirmatur etiam *ex cap. final. de Regular.* vbi imponitur Abbatibus admittere fugitiuos, si secundum ordinem regularem admitti poterunt, & non solùm qui verè fugitiui sunt, sed etiam qui prætermisso iuris ordine ad aliã Religionem recesserunt; ergo ad priorem Religionem tenentur reuerti Nouitij Religionis extinctæ, & prior Religio tenetur eos ad-

42 mittere: Quòd si admittere recuset, quid debeat facere ille Professus, videatur apud Sanchez *loco citato, num.* 107.

43 Id autem, quod adducebatur ad probandum esse quid fauorabile, quòd Religio extinguatur, quia ponit Religiosos in statu libertatis; non probat, cùm sit falsum; tum quia sequeretur Pontificem fauere inobseruantibus Religiosis, quod est manifestum absurdum; tum quia nunquam homo liberior est, quàm cùm Deo libertatem dicat per professionem Religiosam, vt docent Theologi mistici vnà cum scholasticis; vndè est notissima sententia: *Seruire Deo, regnare est*. Ergo nullo titulo potest Professus vnius Religionis Nouitius in alia, dum hæc extinguitur, clericare sicut cæteri professi extincti.

44 Tandem clarè constat ex mente Pontificis Religionem extinguentis, debere Nouitios cuiuscunquè conditionis sint actu in ea, redire vndè venerunt; nam istis nulla datur prouisio,

45 prout datur Professis. Igitur Maurus cùm à tempore extinctionis secundæ Religionis perseueret in Professione prioris Religionis, à qua exiuit, tenebitur non ampliùs manere in domo sæculari extra claustrum, sed aut licentiam à debito Religionis pristinæ Superiore petere; aut ad Religionem reuerti, nec extra clausuram commorari, quia tunc si adhuc maneat extra Conuentum, manet sinè licentia, cùm per extinctionem principalis, corruant accidentalia, sicque per extinctionem Religionis, & Superiorum, extinctæ remanent eorum licentiæ, ac facultates, & quidquid antè extinctionem proprium erat Religionis; nec non & ipsius statuta, aut leges, aut iura, siuè omnium in communi, siuè cuiusuis in particulari, & maximè potestatis Superiorum circa facta, disposita, aut facienda, & disponenda, remanent in toto extincta, id enim est hoc, quod est extingui, & talis est intentio extinguentis, extinctum enim ex toto nunquam est, nisi quod extinguitur itaut nec in scintilla vigere conspiciatur.

---

# DECISIO LIII.

*An ignorans Simoniam, teneatur restituere tum simoniacè accepta, tum lucrata in ludo temporalium contra spiritualia.*

## Casus, seu Historia LIII.

### SVMMARIVM.

1 *Casus proponitur.*
2. 3. 4 *Fur, & Simoniacus mente, an teneatur restituere.*
5 *Sola intentio potest afferre Simoniam.*
6. 7. 8 *Simoniæ diuisio, culpa, & pœna.*
9. 10. 11 *Quæ ignorantia tollat culpam.*
12 vsquè ad 15 *De acceptis per Simoniam.*
16 *Res aliena nequit vendi.*

17 *Ius humanum non tollit Diuinum*.
18 *vsquè ad* 28 *Varia de Simonia, quoad restitutionem accepti, salua doctrina damnata ab Alexandro VII. & Innocentio XI.*
29. 30. 31 *Simonia iuris Diuini, & Canonici, ad quid obligent*.
32 *Accipere sustentationem non est Simonia*.
33 *vsquè ad* 38 *Cui sit restituendum simoniacè acceptum; & satisfit contrarijs*.
39 *Non est Simonia ludere rem spiritualem contra temporalem*.

1 DEcius ignorans etiam quid nominis Simoniæ, attentè inseruiebat cuidam Parocho cadentis ætatis, eique sæpè multa donabat, ea intentione hæc faciens, vt eius Parochiale beneficium per renunciationem obtineret, sicut & de facto illud obtinuit. Factus Parochus Sacramenta quælibet administrabat, quia mercedem intendebat taliter, quòd si sciret aliquem fore eam denegaturum nihil dando, huic Sacramentum nullum administrare internè decreuerat, & tamquam volitionem continuam id sibi firmo animo proposuerat. Decursu temporis conuocati fuerunt ab Episcopo omnes Parochi ad decisionem quorundam casuum conscientiæ, inter quos cùm aliquid de Simonia tactum fuerit, cæpit de seipso dubitare an Simoniacus sit, & an eius ignorantia eum excuset à culpa, ab obligatione restitutionis, & à depositione Beneficij, atquè à restitutione lucratæ pecuniæ in ludo contra orationes pro illa, cùm omnis sua Simonia, si quæ adest, sit interna, ac Deo solummodò nota.

2 Potest sibi aliquis persuadere, non esse restituendum in vtroquè foro quidquid detur, aut accipiatur cum Simonia tantùm mentali: nam fur mentalis non obligatur ad aliquam restitutionem; ergo nequè obligatur Simoniacus mente: antecedens est communiter admissum, nec ab aliquo negatur ex Doctoribus; ergo & consequens videtur admittendum.

3 Sed alius respondebit, quòd ideò fur mentalis non tenetur, quia nihil accipit; at Simoniacus mentalis cùm de facto aliquid accipiat, aut det, erit restituendum datum, aut acceptum. 4 Idem verificatur in illo, qui temerariè iudicat; nam iste aufert famam proximi mentaliter, & intrà se, & ideò tenetur iudicium retractare, & famam proximo sic restituere, quia aliquid à proximo accepit, & tamen sola mente id fecit.

5 Vt ergo cum ordine procedatur in decisione præsentis dubitationis, varia sunt resoluenda, quorum primum sit, quando quis sit Simoniacus. Dico esse Simoniacum, qui dedit, aut accepit; seu qui dare, aut accipere conuenit, vel intrà se voluit, vt aliquid spirituale obtineret. De hoc nulla est controuersia inter Doctores, qui distinguunt Simoniam in mentalem, conuentionalem, & realem; nam aut 6 mente tantùm; aut tantùm pacto; aut facto, seu reipsa committitur. Nec refert, quòd aliqui eam diuidant in mentalem, & realem: alij in mentalem, & conuentionalem; nam primi sub reali comprehendunt conuentionalem; secundi verò sub conuentionali comprehendunt realem: Ità Azorius *instit. moral. part.* 3. *lib.* 12. 7 *cap.* 2. *quæsit.* 1. & est peccatum mortale contra virtutem Religionis, prohibitum iure diuino, naturali, & humano; nec admittere paruitatem materiæ putat Suarez *de Religione, tom.* 1. *lib.* 4. *cap.* 3. *num.* 5.

8 Et Simoniacus præter culpam sacrilegij, incurrit ipso iure in Papalem Excommunicationem, in priuationem beneficij empti, vel venditi, & in obligationem restituendi pecuniam acceptam: *extrauag.* 1. *&* 2. *de Simonia*. Igitur ex prædictis concluditur, quòd Decius in casu nostro, quia ministrabat, & dabat illi Parocho ea intentione, vt eius beneficium Curatum obtineret; imò & Sacramenta ministrabat paratus non ministrare, si ei non dabatur, profectò est Simoniacus mente, nam temporale cum intentione spiritualis acquirendi; & spirituale pro temporali volito dedit: Ità D. Thomas 2. 2. *q.* 100. *art.* 1. Layman *lib.* 1. *tract.* 10 *cap.* 8. & alij communiter, sicque est omninò tenendum absolutè loquendo.

9 Secundum resoluendum sit circa ignorantē Simoniā. De isto dico, quòd si quid eum excusat à culpa, est ignorantia tum iuris, tum facti, si sit inuincibilis, idest si de malitia operis nulla suspicio, vel scrupulus in mentem ei venerit, nam tunc opus in quantùm malum non erit voluntarium, quia nulla ratione fieri potest, vt voluntas velit malum, quod intellectus non præcognouerit: Videatur Sanchez *in sum. tom.* 1. *lib.* 1. *cap.* 16. *num.* 21.

10 Sed quia agimus de Parocho ignorante etiam nomen Simoniæ, qui Parochus ratione officij, quid sit Simonia scire debet, & potest, si delinquit quamuis ignorans, & non aduertens malitiam, peccat, quia ignorat vincibiliter; & culpabiliter, iuxta Valentiam *tom.* 2 *disput.* 6. *quæst.* 6. *punct.* 1. Hæc tamen adduxi, non quòd iudicem esse tenenda, cùm probabilior, & commu-

munior sit opinio numeri antecedentis, sed vt videat Parochus iste, quanta sit eius obligatio secundùm nonnullorum opinionem.

11 Tertium resoluendum sit circa res acceptas. Dico quòd eadem ignorantia dicta *sub num. 9.* suffragatur ipsi Simoniaco ignoranti ad hoc, vt circa accepta non peccet ea retinendo, quia comparatur possessori bonæ fidei. At quando non ampliùs bona fide possideret, sed sciret se Simoniacè accepisse, certè tenetur ad restitutionem. Probatur hoc ex doctrina Azorij *institut. moral. part. 3. lib. 12. cap. 21. q. 11.* vbi docet, quòd si Titius sit consecutus beneficium per Simoniam realem commissam à Caio dante pecuniam pro ipso, ità tamen vt Titius id ignorauerit; nihilominus quando Titius id rescierit, debet, & cogitur beneficium resignare, non quia Titius Simoniam admiserit, sed quia benificium fuerit consecutus à Simoniaco, qui beneficium Simoniacè conferre non potuit. Ergo à fortiori deducendum est ex prædicta doctrina Azorij, quòd restituere, & beneficium resignare cogatur ille, qui quamuis priùs igorans, posteà venit in cognitionem, se per propriam Simoniam à se commissam beneficium obtinuisse.

12 Nec valet dicere, quòd Simoniacus in casu nostro, quamuis realem Simoniam contraxisset, non teneatur nisi ad restitutionem beneficij, videlicet debere beneficium Simoniacè acceptum resignare, non verò rem, aut pecuniam acceptam pro Sacramentorum administratione, quod probatur ex Decretis Pontificum, & Conciliorum in titulo *de Simonia*, quæ loquuntur de receptis per realem Simoniam in tribus, nempè in Ordine, in Beneficio Ecclesiastico, & in ingressu ad Religionem; si ergo solùm hæc tria nominantur, non erit lex ad non nominatum extendenda, iuxta quòd clamant omnes Doctores, seu sint Theologi Morales, siuè sint Iuristæ.

13 Et confirmatur cum opinione Tanneri, *in 2. 2. disput. 5. q. 8. dub. 4. num 95.* & aliorum asserentium omnes pœnas Simoniæ incurri quidem in tribus præfatis casibus, non tamen in alijs, cùm in iure nulla pœna imponatur nisi

14 illis: ità *extrauag. 1. & 2. de Simon.* ex quibus sequitur, quòd pretium acceptum pro Sacramentorum collatione non sit ipso iure restituendum, iuxta probabilem sententiam, vt fatur Turrianus *in consil. theol. cent. quarta, dub. 59.* ergo ex hac Turriani sententia, non debebit restitui à Decio prout in casu proponitur, quamuis realem Simoniam commisisset, nisi beneficium, quod Simoniacè accepit.

15 Istis obiectionibus respondeo, vel potiùs contra illas acriter respondet Azorius, *instit. moral. part. 3. lib. 12. cap. 20. q. 3.* vbi sic loquitur, dictam sententiam reijciendo: *Hæc opinio est omnino falsa, & contra omnium Doctorum sententiam, & pugnat cum eo, quod dixit Christus. Matth. 10. Gratis accepistis, gratis date.* In istis Christi Domini verbis, non sit aliqua restrictio, sed generaliter loquitur; ergo non est cur Doctores velint ea limitatè intelligere.

16 Sed & ratione suadetur ista responsio, nam Sacramentorum Dominus est solus Christus; homines vero, qui sunt Sacramentorum Ministri, sunt tantùm dispensatores; ergo si rem Domini dispensent, & aliquid pro tali dispensatione acquirant contra Domini voluntatem, non possunt illud tuta conscientia retinere, vndè cum Dominus Sacramentorum imponat suis Ministris, *gratis date*, apertè sequitur esse restituendum, quotiescunquè gratis non dent, sed lucratiuè.

17 Potest igitur responderi ad obiectionem quòd quamùis ex iure Canonico expresè habeatur debere restitui datum, vel acceptum Simoniacè in dictis tribus casibus, nepè in Ordine, in Beneficio Ecclesiastico, & in ingressu ad Religionē; nihilominus per hoc ius humanum non derogatur, nec derogari potest iuri Diuino, quod absolutè præcipit qualiter Deus Legislator supremus velit, vt nihil acquiratur per rerum Sacrarum administrationem, dicens: *Gratis accepistis, gratis date.*

18 Quòd si adhuc objciatur ex dictis verbis *gratis date*, non colligi esse restituēdum acceptum respōdetur, quòd manifestissimè colligitur debere acceptū restitui, quia quandocunquè Dominus rei imponit Ministro, vt rem illam donet Petro, non potest minister ille rem illam vendere eidem Petro; & si vendat, tenetur pretium restituere, non minùs ac ille, qui rem alienam vendit; ergo eo ipso, quòd Christus iubet Ministris suis *gratis date* res sacras, quarum ipse est Dominus, imposita intelligitur obligatio restitutionis, quotiescunquè gratis non dabunt.

19 Prædicta verificantur in conuentionali, vel reali Simonia, in qua aliquid datum est, vel solùm ex parte vnius ex conuenientibus, vel ex parte vtriusquè, aut plurium, si plures sint in conuentione, & in facto. Si autem Simonia sit solùm mentalis, sed adhuc nihil datum est, aut receptum, certum erit nihil esse restituendum,

cùm

cùm in re non extet quid restitui debeat, tanquam iniustè datum, seu acceptum. Nihilominus circa hactenus dicta à num. 11. sunt omnino videnda, quæ sequuntur.

20 Quartum resoluendum cum maiori difficultate sit, an mentaliter Simoniacus, sed cum effectu talis, teneatur acceptum restituere. Exemplum est in prænarrato casu, in quo Decius scienter ex intentione beneficij obtinendi, dedit multa temporalia: & idem ex intentione obtinendi temporalia, dedit spiritualia, sed de his nec pactum fecit, nec mentem suam alicui notificauit. Dico me circa hanc difficultatem inuenire Doctores diuisos in triplici opinione.

21 Prima est aliquorum, qui dicunt esse restitutionem faciendam à mentaliter Simoniaco: ità Medina, Adrianus, Sotus, & Maior *in 4. dist. 15. quæst. 7. §. sed de Simonia*. Probant isti suam sententiam à pari de Vsura, nam mentaliter vsurarius tenetur lucrū restituere; ergo & mentaliter Simoniacus; quemadmodum enim quia mutuum debet gratis dari, ideò acquisitum ex mutuo debet restitui; sic & in Simonia, in qua quamuis sit mentalis tantummodò eius commissio, attamen quia in spiritualibus debet excludi quodcunquè temporale acquisitum, ideò si temporale acquiratur, vel detur, non potest retineri.

22 Secunda opinio est primæ ex diametro opposita, nam affirmat non esse restituendam pecuniam acceptam per mentalem Simoniam; & hanc tradunt ex Summistis Tabiena, *verbo Simonia, nu. 76. & verbo Restitutio num.* 15. Syluester *eod. verb. quæst.* 20. Armilla *eod. verb. num.* 18. Caietanus *in summa, in verbo Simonia; & 2. 2. quæst.* 100. *art.* 6. & idem tenet Nauarrus *in Manuali, cap.* 23. *nu.* 103. Astensis *lib. 6. tit.* §. *art.* 5. *quæst.* 4. Hanc opinionem probant Doctores isti *ex cap. Mandato, de Simonia*, in quo decretum est, quòd Simonia mentalis commissa in receptione cuiusdam Monachi propter pecuniam ab eo datam, delenda sit sinè aliqua restitutione, sed sola cordis pœnitentia.

23 Tertia opinio cum distinctione procedit, & dicit: si pecunia accipiatur per Simoniam mentalem, quæ prohibetur tum iure diuino, tum iure naturali, erit obnoxia restitutioni: si verò recipiatur pecunia per mentalem Simoniam prohibitam solo iure Canonico, tunc nullatenus erit restituenda. In hac sententia sunt Innocentius, Hostiensis, Ioann. Andr. Butrius, Panormitanus, Henricus, & Felinus, quorum aliqui id docent *in cap. Mandato, de Simonia*; & alij *in cap. Tua nos, de Simonia*.

Sed circa hac tertiam opinionem, imò & circa secundam videri poterit nonnullis eas esse conformes doctrinæ damnatæ ab Alexandro VII. in propositione 22. inter alias ab ipso damnatas, & est ista: *Non est contra iustitiam beneficia Ecclesiastica non conferre gratis, quia Collator conferens illa beneficia Ecclesiastica pecunia interueniente, non exigit illam pro collatione beneficij, sed veluti pro emolumento temporali, quod tibi conferre non tenebatur*. Si ergo est contra iustitiam in beneficiorum Ecclesiasticorum collatione pecuniam exigere propter beneficij emolumentum temporale, consequenter à fortiori erit contra iustitiam pecunię exactio pro ipsis beneficijs, aut pro illorum collatione, quia nullo iure illa pecunia potest exigi, etenim spirituale non est pretio æstimabile, & si exigitur erit iustitiam violare, & per consequens debebit restitui, quia in omnium Doctorum opinione tunc restitutionis obligatio insurgit, quando contra iustitiam aliena res accipitur. Hinc sequitur dicendum esse, quòd Simoniacus mentalis, idest qui aliquid accipit pecuniæ, vel temporalis emolumenti per Simoniam iure Canonico tantùm vetitam, vt contingit in beneficiorum collatione, tenebitur ad restitutionem, quamuis eius intentio sit accipere pro temporali beneficij collati emolumento, quod conferre non tenebatur; multoque magis tenebitur restituere, si intendat temporale recipere pro ipso beneficio, atquè pro eius collatione; & ideò tenebitur, quia contra iustitiam accepit, & oppositum dicere est damnatum, loquendo de pecunia exigita pro Ecclesiastici beneficij temporali emolumento, vt clarè patet in præallegata propositione damnata ab Alexandro VII. nec minùs est damnatum affirmare, quòd contra iustitiam non sit, atquè sinè vitio Simoniæ, & sinè restitutionis obligatione, si pecunia accipiatur pro spirituali, quamuis non vt pretium, sicuti *in decisione* 27. *num.* 41. *& seq.* dictum est, vbi duas propositiones damnatas ab Innocentio XI. attulimus: ergo opinio generatim excusans à restitutione Simoniacum mentalem, sicut & opinio excusans dictum Simoniacum Simonia vetita solo iure humano, videntur opiniones omninò falsæ, ac reijciendæ, vtpote conformes doctrinis damnatis; & tales opiniones sunt secunda, & tertia immediatè antecedenter relatæ.

Nihilominus respondetur negando esse confor-

formes doctrinis damnatis duæ illæ opiniones. Sed antequam id ostendam, notare oportet in quo sensu stet damnatio illius 22. propositionis, quam meritò damnatam fatemur ab Alexandro VII. est ergo damnata, quia licitum facit, & contra iustitiam non esse docet, si pactum fiat à Collatore beneficij cum beneficiario, vt pecuniam det pro emolumento temporali eiusdem beneficij, ibi: *non exigit illam pro collatione beneficij, sed veluti pro emolumento temporali, &c.* verbum autem *exigit*, pactum, & obligationem de re iniustè exigita, in nostro casu saltem implicitè significat; ergo contra iustitiam est talis exactio, adeoque restitutionis onus importat. Dixi *de re iniustè exigita*, nam emolumentum temporale beneficij, debetur ei, cui beneficium confertur, vtpote annexum ipsi beneficio, vnde de eo non potest pacisci exigendo aliquid temporale, nisi iustitia violetur, quemadmodum violatur etiam paciscendo pro ipso beneficio, atquè pro istius collatione, in quo pacto siuè tacito, siuè expresso consistit vitium Simoniæ, cui semper restitutionis obligatio annectitur, etiamsi non solùm spirituale, sed etiam spirituali annexum detur pro temporali. Cùm igitur beneficij emolumentum sit quid annexum ipsi beneficio Ecclesiastico, certè contra iustitiam erit exigere pecuniam pro tali emolumento, quare & erit Simonia, in qua ex vi pacti iniustitia semper interuenit. En quàm meritò Alexander VII. damnauit illam propositionem, & Innocentius XI. alias à nobis adductas *in d. decis.* 27.

24 Ex his constat esse aliter discurrendum de mentaliter accipiente Simoniacè, quia iste nullum pactum facit, nec cum dante conuenit, sicque iniustitiam ei non facit, ac proinde nihil contra doctrinas damnatas dicitur in illa secunda, & tertia opinione. Igitur sunt opiniones probabiles; & ratio probans debere restitui acceptum cum mentali Simonia damnata iure naturali, & diuino est, quia contra voluntatem Domini est acceptum: ergo non potest retineri.

25 Ratio suadens non esse restituendum acceptum per mentalem Simoniam prohibitam solo iure Canonico est, quia hoc ius id non præcipit, vt constat *ex cap. Mandato, de Simon.*

26 Vt ergo sciatur, quid in hac difficultate decernendum sit, dico esse amplectendam tertiam opinionem; & sic quandocunquè aliquis est Simoniacus per solam mentalem Simoniam iure naturali, ac Diuino prohibitam, tenetur pecuniam acceptam restituere. Ratio desumitur ex D. Thoma, qui 2. 2. *quæst.* 100. *art.* 6. docet, neminem posse licitè retinere id, quod acquirit contra voluntatem Domini, quando est solùm dispensator rei eiusdem Domini: & ideò ille, qui muneris interuentu obtinet spiritualia quælibet, illa licitè non potest retinere; sed Minister Christi, vt est Parochus in nostro casu, est tantùm dispensator rei propriæ eiusdem Christi; ergo quidquid acquirit in tali administratione contra Domini voluntatem, retinere non poterit, ac per consequens id verificatur etiam in sola mentali Simonia.

27 Hoc idem confirmatur à pari de Vsura mentali, in qua lucrum est restituendum; ergo etiam in mentali Simonia, quæ iure naturali, & Diuino sit prohibita, sicuti est Vsura.

28 Confirmatur, nam *in capitulo si quis nequè*, 1. *quæst.* 1. ponuntur hæc verba: *sinè fraudulento munusculo*; vndè cùm in mentali Simonia interueniat ista fraudulentia, erit restituendum acceptum contra Diuinam prohibitionem.

29 Probatur quoquè ex eodem Sancto Thoma *quæst. & art. suprà cit. sed in responsione ad 6. argum.* vbi dicit, quòd quoad Deum, sola voluntas facit Simoniacum; sed quoad pœnam Ecclesiasticam non punitur, vt abrenuntiare teneatur; sed debet de mala intentione pœnitere; ergo Simoniacus mentalis semper peccat pro qualibet volita Simonia; at quoad obligationem restituendi non tenetur in illa, quæ non est damnata iure Diuino, ac naturali, sed solo iure Canonico, aut Ecclesiastico; ergo tenetur si Simonia sit damnata iure naturali, ac Diuino, prout apertè deducitur ex allata doctrina D. Thomæ.

30 Non ergo est obligatus restituere, seu renuntiare acceptum ille, qui est mentaliter Simoniacus per Simoniam solo iure Canonico prohibitam; & probatur *ex cap. Mandato, de Simonia*, vbi Pontifex de hac sola Simonia videtur loqui, nisi alia de causa esset obligatio restituendi. Et etiam id probatur ex D. Thoma, vt dictum est numero immediatè antecedenti.

31 Igitur Decius in casu nostro, quia est mentaliter Simoniacus duplici genere Simoniæ, videlicet Simoniæ iure Diuino damnatæ, qualis est Sacramentorum administratio ob pecuniam; & Simoniæ solo iure Canonico prohi-
32 bitæ, qualis est in Beneficijs; ideò non tenetur beneficium resignare: benè verò tenetur pecuniam restituere. Notandum tamen est, quòd etiam in administratione Sacramento-

to-

torum, & Sacramentalium potest exigi necessarium ad sustentationem, sed de hoc non est sermo, aut dubium, an sit restituendum, vt per se patet, nam licitè datur, & retinetur.

33 Vt autem sciat cui debeat restitutionem facere, dico: si Simonia est completa, & realis ex vtraquè parte, pretium est restituendum ei, qui dedit, si fiat restitutio ante sententiam Iudicis; si verò fiat post sententiam, standum est eidem sententiæ prout per ipsam Iudex determinabit, cui debeat restitui. Ità Bann. 2.2. *q.* 32. *art.* 7. Sotus *l.* 9. *q.* 8. *art.* 1. cum multis alijs.

34 Sed veriùs tenendum est, pretium esse restituendum, cui illud dedit, si adhuc nihil accepit pro pretiò dato, nam hoc est conforme ad ius naturæ: sic tradit, Sotus *lib.* 9. *q.* 8 *art.* 1. Caietanus, *verb. Simonia*, *c.* 3. Victoria, *re-*

35 *lect. de Simon. p.* 2. *n.* 6. Si verò sit iam datum, & acceptum, est restituendum Ecclesiæ etiam antè sententiam Iudicis, & sic docuit D. Thomas, 2. 2. *quæst.* 32. *art.* 7. & idem expressè docens *quæst.* 62. *art.* 5. *ad* 2. habet hæc verba: *Pretium Simoniacum non est restituendum danti, sed in eleemosynas erogandum*; nam sic Ecclesia meritò potest Simoniacos punire.

36 In casu autem nostro, quia Decij Simonia est tantummodò intrà mentem ipsius, sic nulla est culpa respectu aliorum, ac propterea cùm sint innocentes, nec sunt puniendi, ideoque ipsis est facienda restitutio, sicut ità esse faciendum sequitur ex dictis sub numero antecedenti, Si autem nesciatur cui sit à Decio restituendum, tunc in eleemosynas erogabit illicitè, ac Simoniacè acceptum iuxta prædicta.

37 Nunc vt satisfiat rationibus primæ, & secundæ opinionis, dico ad id, quod *sub num.* 21. *huius decisionis* dicebatur, esse quidem restituendum lucrum à mentaliter vsurario, quia Vsura est contra ius naturæ, & diuinum; vndè sequitur esse etiam restituendum à mentaliter Simoniaco Simonia damnata iure naturali, vel Diuino; nec aliud deberent concludere Authores primæ opinionis; qui nimis amplè loquuntur, si comprehendant etiam mentaliter Simoniacum Simonia solo iure Canonico damnata.

38 Ad Doctores secundæ opinionis allatos *sub num.* 22. respondetur debere intelligi capitulum illud, iuxta quòd dictum est in tertia, & veriori opinione. Cùm ergo concesserimus non esse restitutionem faciendam à mentaliter Simoniaco Simonia iuris Canonici, sic & Pontifex est loquutus in capitulo citato, in quo ideò Monachi illi non tenentur restituere, quia solo animi affectu deliquerunt, recipientes ad Monasterium ob pecuniam, quòd est contra ius Canonicum; sicque satisfaciant sola cordis pœnitentia; vndè nihil contra nostram assignatam opinionem constat sequi, & in hoc sensu intelligunt, & explicant textum adductum Canonici iuris interpretes.

39 Quintum resoluendum sit circa quòd idem Decius luderet res spirituales eo affectu, vt pecuniam à colludente acquireret, an sit censendus Simoniacus. Respondeo eiusmodi ludum frequentiùs inter Religiosos exerceri, sed non ideò vitium incurrunt Simoniæ. Ratio est, quia Simonia in vtroque contrahente ponit aliquid lucri, sed hoc non potest accidere in ludo, in quo si vnus acquirit, alter perdit; ergo in tali ludo nulla intercedit Simonia: Sic tenet Megala *de contractib. lib.* 2. *cap.* 19. *num.* 17. *in fine libri*. Bonacina *disput.* 2. *de restitut. q.* 3. *puncto* 1. *num.* 8. Portellus *verb. Ludus*, *num.* 4. Sed esse apertè Simoniam vult Sanch. *consilior. lib.* 1. *cap.* 8. *dub.* 24. *num.* 15. sed nullam assignat rationem.

# DECISIO LIV.

*An Amasius iurans quinquè olim suis concubinis, ob affectiuam erga illas recordationem, quotidie recitare pro singula vnam Angelicam salutationem, peccet recitando, vel omittendo.*

## Casus, seu Historia LIV.

### SVMMARIVM.

1 *Casus proponitur.*
2. *vsque ad* 5 *De promissis meretrici.*
6 *Memoria erga meretricem est peccatum, quatenus affectiuà.*
7. 8 *Iurare facere peccatum, an sit peccatum.*
9 *Quid agendum in perplexitate.*
10. 11 *An teneat iuramentum de peccato.*
12. 13 *In voto, & iuramento an detur paruitas.*
14. 15. 16 *Quis deobligetur à iuramento.*
17. *vsque ad* 32 *Quale peccatum sit omissio, aut volitio omissionis voti, vel iuramenti in re leui, vt in casu.*

1 QVidam nimiùm præ diuitijs Veneri deditus, & ex alia parte salutis propriæ animæ aliqualiter sollicitus, postquam cum quinquè

què nuptis non semel concubuit, tandem illas, omnesque alias non suas tangere desijt, sibique Virginem vnam Matrimonio copulauit. Accessit adulter iste ad Confessarium, cui exposuit secum nupta vna aliquoties peccasse, sed eam nolens ampliùs tangere, promisit ei, promissionemque iuramento firmauit, se quotidie habiturum illam in memoria, & ideò se pro ea in singulos dies recitaturum vnam Orationem Angelicam. Post hæc iterum deliquit cum alia; eam deriliquit, eique idem iuramentum fecit; & sic successiuè cum quinque se obligauit. Obligationem istam adimpleuit per integrum annum, licèt aliquando illam omiserit. Dum dictam Orationem recitabat, memor præteritorum prouocabatur ad libidinem; propterea quæsiuit: 1. an fuerit peccatum mortale illa omissio? 2. an ratione tentationis insurgentis teneatur non recitare? 3. an sit ei licitum velle semper in posterum talem recitationem non adimplere?

2 Ad casum istum non parùm curiosum, dum mihi narraretur, mentem applicui, ac ei non statim resolutionem dedi, quamuis quid responderi posset, facilè videretur interroganti, sed qualis esset ipsius resolutio, se ignorare fatebatur. Dum ergo ea omnia examinabam, quæ in isto facto continentur, quæsiuit quidam, cuius Confessionem excipiebam, an peccauerit mortaliter, nihil dando meretrici, cui iurauerat se daturum post eius corporis vsum. Ex cuius dubij propositione cœpi cogitare intrà me, an idem sit de violatione iuramenti facti isti meretrici; ac de non adimpletione iuramenti in prænarrato casu.

3 Igitur edocto prædicto pœnitente meo de obligatione obseruandi iuramentum factum meretrici, cui quamuis prodigè centum aurei iureiurando promittantur, sunt nihilominus soluendi, iuxta Caietanum *in 2. 2. quæst. 32. art. 7.* ex quo sequitur à fortiori tenere iura-
4 mentum dandi ei pretium iustum: Attamen vt minùs rigidè agerem cum eodem pœnitente, quandoquidè sperabam eum fore se perfectè emendaturum, admonui illum sic: Si promisisti ad exorbitantiam, & cum prodigalitate, non obstante iuramento, teneris solùm dare illam quantitatem, quam viri paris conditio-
5 nis cum te ipso consueuerunt dare; & ità docet Sotus *lib. 4. q. 7. art. 1. ad 2.* Imò cum liberarem à quacunque solutione etiam consueta, nisi iureiurando se astrinxisset, nam multi probabiliter tenent, promissionem factam meretrici pro actu turpi, secluso iuramento, non obligare in conscientia, etiam post actum turpem. Diana *p. 4. tract. 4. resol. 27.* Sed veriùs est, esse ei dandum iuxta consuetum.

6 Sed hæc hactenus adducta, ad rem præsentem inseruiunt, vt resoluatur, an iurata promissio facta ab Amasio suæ Bertæ semper obliget, & subsistat? Vndè deducetur, an valeat iuramentum perpetuæ memoriæ conseruandæ de Caris Amasio; prout in casu: Et tale iuramentum esse potiùs peccatum iudico, quia recordatio affectiua Amasij circà suam Bertam, vel est peccatum mortale, vel est veniale; est enim de vano affectu, supposito quòd vlte-
7 riùs non intendat: sed iuramentum promissorium faciendi aliquod peccatum, est semper peccatum; & quidem mortale, etsi sit de re veniali, secundùm Turrianum; quia in eo adducitur Deus, vt fideiussor peccati faciendi, in
8 qua re grauis iniuria Deo infertur; vel ad minùs est semper peccatum veniale, si sit de re veniali ratione paruitatis materiæ, vt docent Tannerus, *in 2. 2. disp. 5. q. 5. dub. 1. num. 14.* & alij communiter; ergo tale iuramentum Amasij in isto facto est ad minùs peccatum veniale, vtpote de re saltem veniali; qualis est affectiua recordatio Bertæ dilectæ ab Amasio ipsius recordante.

9 Hinc oritur dubitatio, quid igitur faciet Amasius in præsenti; cùm si non recordetur Bertæ data opera quotidie, delinquat in iuramento, & sic peccabit; si verò recordabitur, & in hoc peccatum committet? Respondeo hoc dubium spectare ad tractatum de conscientia perplexa, in qua quis reperitur aliquando, itaut ignoret quid agere debeat, aut quàm partem eligat. In hoc igitur casu si occurrat nescire quid fiat, cùm si fiat peccetur; si non fiat, peccatum committatur, debet ad doctos recursum facere iste perplexus; & si non potest aliquem consulere, cogitet quale est minus malum, & illud eligat: si verò ad mentem nihil subuenit, nec peccabit operans per quamcunque partem habebit eligere. Ratio est, quia ad impossibile non obligamur, vndè cùm impossibile sit in tali casu, quòd aut operetur, aut non operetur, sequitur de necessitate esse eligendam vnam partem, ac propterea non peccat, qui liberè non operatur. Ità Layman, Filliucius, Bonacina; & Busenbaum *medul. lib. 1. tract. 1. cap. 2. dub. 1. resp. 4.*

10 Sed in hoc casu falsum est dari conscientiam perplexam, etenim Iuramentum factum cum promissione rei peccaminosæ nullatenus obligat, & hoc ex duplici ratione. Prima est, quia

inuoluit cōtradictionem, quòd aliquis obligetur ad peccatum perpetrandum. Secunda ratio est, quia iuramento, cui deficit iustitia, non est standum, vtpote non obligatorium; sed iuramentum excitandi quotidie in seipso memoriam vani affectus erga Bertam, est peccaminosum, & sinè iustitia, ac rectitudine; ergo non obligat Amasium in casu nostro. Ità Lessius *de iust. & iur. lib. 2. cap. 42. dubit. 4. num. 18.*

11 Secus erit, si ex sancto motiuo Amasius iurauerit recordari quotidie Bertæ, esclusa vanæ memoriæ affectu erga illam.

12 Et quia iste Amasius promisit per aliquot dies talem recitationem, dico eum non peccasse mortaliter si vnam omisit, nam in iuramento promissorio datur paruitas materiæ, secundùm communem sententiam Doctorum, dummodò Deus non vocetur in testem mendacij leuis, vt dicit Innocentius Vndecimus, & quidem omissio vnius Orationis Angelicæ est parua materia; ergo si omittatur erit peccatum solummodò veniale, quamuis omissio fiat per singulos dies integri anni, & obligatio promissionis iuratæ sit de recitanda illa Oratione quotidie: ità expresè docet Villalobos *tom. 2. tract. 36 difficult. 5. num. 9.* nam si in Voti obli-
13 gatione datur pauitas materiæ, multò magis dabitur in iuramento, quod est minoris obligationis iuxta D. Thomam in *2. 2. quæst. 89. art. 8.* & nos in hac Decisione infra dicemus. Et videatur infrà *num. 17. & num. 28. & seq.*

14 Nunc breuiter explicabo, an ille Amasius ratione tentationum insurgentium ex vi recordationis Bertarum, pro quibus recitat, deobligetur à tali iurata obligatione? Dico fieri posse, vt deobligetur, & etiam fieri posse vt non deobligetur. Igitur puto non deobligari per hoc præcisè, quòd tentetur; nam quisquis
15 vacat operi licito, & ex obligatione, non ideò dispensatur per hoc, quòd sciat se fore passurum tentationes. Sic Parochus obligatus Sacramenta ministrare, tenetur munus, & obligationem suam adimplere, quamuis præuideat se debere tentari. Sic assistens ad Sacrum diebus festis, licèt ex obiectis tentetur, tenetur ad Ecclesiam pergere, & Missam audire; & idem dicendum est in tot alijs casibus, in quibus sola inuoluntaria tentatio habet insurgere, vt tradunt ex communi consensu Doctores.

16 Casus autem, in quo non obstante iuramento promissorio deobligabitur Amasius, prout in præsenti facto, est, si illud, quod bonum erat tempore iuramenti, propter circumstantias posteà fiat illicitum, vel vanum, vel impeditiuum maioris boni, vel meliùs sit omitti, quàm impleri, dummodò iuramentum non sit factum in alterius commodum, quia tunc nec Deus vult proximum defraudari. Ità Sanchez apud Busenbaum *lib. 3. tract. 2. cap. 2. dub. 6.* Vndè quamuis recitatio Orationis Angelicæ cedat in commodum illius, cui applicatur; tamen in casu nostro fieri potest vt non cedat in commodum, cùm ordinariè ab Amasijs huiusmodi orationes fiant pro Bertis potiùs ex vano amore, & ex vana memoria, quàm cum merito proprio, & quàm cùm satisfactione, & impetratione in commodum Bertæ. Cogitet ergo Amasius nostri casus, qualiter se gerat in sua recitatione, vt dignoscat an censendus sit deobligatus à sua promissione, iuxta dicta sub hoc numero.

17 Dictum est supra *sub num. 12.* peccare solummodò venialiter eum, qui per integrum annum omitteret recitationem vnius Orationis Angelicæ, quam vouerat quotidie recitare; tamen circa hoc est attentiùs examinandum, an possit dari casus, in quo grauiter per talem, aut similem omissionem, peccetur. Igitur agendo de voto, de iuramento, aut de quocunque alio præcepto recitandi quotidie quid modicum, aut erogandæ quotidie modicæ eleemosynæ, potest quæri an aliquando constituant aliquam notabilem quantitatem, vt si longo temporis spatio omittatur adimplere. Aliqui sentiunt esse peccatum mortale, quando peruenitur ad quantitatem, cuius omissio est notabilis quantitatis. Ratio eorum est, quia grauior est obligatio, quam aliquis habet recitandi quotidie toto tempore vitæ suæ vnam Angelicam Orationem, quàm recitandi semel calculum virgineum, scilicet integrum Rosarium: sed omissio recitationis vnius Rosarij contra votum, seu contra iuramentum, aut contra præceptum, est peccatum lethale; ergo & erit illa omissio Orationis Angelicæ, quādo ad notabilem quantitatem perueniet. Sic docet Zumel *1. 2. quæst. 88. art. 4. dub. penult. vers. nec obstat.* Valentia *2. 2. disput. 6. quæst. 6. punct. 4.* Manuel *in 2. tom. sum. cap. 99. num. 1.* idem allegato Ca-
18 no tenet, quando is haberet propositum longo tempore omittendi tale votum, aut talem obligationem rei paruæ, quia sic grauiter intendit delinquere per vnum actum voluntatis, qui fertur in grauem omissionem: Ludouicus Lopez *1. part. instructor. cap. 42. vers. quando quis.* Videatur nostra Decisio 5.

19 Alij cum distinctione procedentes, aliter loquuntur de omissione Orationis Angelicæ, & ali-

& aliter de non erogatione modicæ eleemosynæ; & dicunt, quòd si omittatur illa Oratio, erit solùm veniale; secus si non fiat illa exigua eleemosyna. Ratio ipsorum est, quia elapsa vna die, transijt obligatio recitationis, non tamen obligatio largiendi eleemosynam, quæ in alium diē potest adimpleri, & sic modicæ eleemosynæ omissæ coadunantur, sed non coadunantur illæ Orationes Angelicæ. In hac opinione sunt Aragon. 1.2. *quæst.* 88. *art.* 3. *paulò post princ. concl.* 3. Sotus *lib.* 7. *de iust. & iur. quæst.* 2. *art.* 1. *col.* 4. *vers. concl. ergo*. Et sigillatim de coadunatione modicarum eleemosynarum tradunt idem, Petrus de Ledesma 2. *tom. sum. tract.* 10. *cap.* 3. *dub.* 1. Medina 1. 2. *quæst.* 88. *art.* 4 *ad* 4. Igitur ex prædictis deducitur, quandonam sit graue peccatum, vel non, omissio rei, aut obligationis modicæ, de qua extat quotidiana obligatio.

20 Nihilominus placet prædictorum opinionibus dupliciter obstare. Primò, quia non apparet qualiter obligatio limitata huic diei, possit vnionem facere cum illa alterius diei. Exēplum est euidens in modica violatione ieiunij quadragesimalis facta per singulos dies quadragesimæ, etiamsi ab initio quadragesimæ proposuisset aliquis velle quotidie in re modica contra ieiunium omnium dierum delinquere. Certè in hoc casu, nullus Doctorum condemnaret taliter delinquentem de graui culpa; & de hoc fusè actum est à nobis in his nostris Decisionibus *decis.* 5. Et quod dicitur de modica violatione ieiunij, applicandum est multis alijs præceptis, vt per se notum est.

21 Secundò, nec apparet quare omissio hodiernæ eleemosynæ erogandæ componat, & vniatur cum omissione crastina, & aliorum dierum; non verò sic coadunentur omissiones Orationis Angelicæ varijs diebus non recitatæ. Cùm igitur nō detur ratio disparitatis nisi illa, quòd cras possit fieri eleemosyna non facta hodie, non verò recitari omissum; cùm hoc sit falsum, vt ex se constat, optimè enim potest cras recitari id, quod est recitandum hodie, si semel est verum, quòd cras possit erogari eleemosyna, quæ est eroganda hodie; sequitur non esse verum, quòd illæ eleemosynæ omissæ coadunentur, sicut non coadunātur Orationes Angelicæ, aut dicendum est, quòd etiam istæ in grauem quantitatem coadunentur, cùm cadant sub æquali voto, aut sub æquali iuramento, vel sub æquali præcepto.

22 Dicendum est ergo idem esse de vtroque voto, vel iuramento, vel præcepto; sed quoad veritatem an possint coalescere in grauem quantitatem, necne eorum omissiones modicæ, sed replicatiuè positæ, oportet distinguere sic. Si obligatio sit limitata diei, itaut absolutè pro illa die determinata sit adimplenda, est enim votum, aut iuramentum sic emissum, vt ratione cuiusque diei sit exequendum; tunc omissio modicæ quantitatis non recitatæ, seu non erogatæ in eleemosynam, non est mortalis, nec vnquam in quid graue coalescit. Contrarium verò contingit, si votum, aut iuramentum non sit factum pro die limitata, seu intuitu diei, sed solùm dies est assignata velut terminus voti, aut iuramenti, vel præcepti adimplendi; in tali casu omissio singulorum dierum erit venialis, sed si per longum spatium fiat, fiet mortalis propter coadunatio-

23 nem. Ratio est, nam in priori casu, si vna die omittatur contra obligationem, hæc obligatio finitur finita eadem die; vndè cùm omissio sit de re leui, non erit culpa grauis. At in secundo casu, quamuis hodie omittatur, obligatio durat etiam post præsentem diem, quapropter alia die est adimplenda, & si non adimpleatur, sed sæpè ad notabilem quantitatem omittatur, erit peccatum graue. Hæc opinio est Vasquez 1.2. *quæst.* 88. *art.* 4. *disp.* 146. *c.* 2. *in fin.* Azorij *instit. moral. part.* 1. *lib.* 11. *cap.* 5. *quæst.* 3. & Sayrus *in claui regia, lib.* 6. *cap.* 6. *num.* 6. dicit esse mortale, tum omittere eleemosynam modicam, tum non recitare quid modicum quotidie, quia alia die possunt hæc adimpleri, si vna die non adimpleantur. Sed hoc verificatur, quotiescunque obligatio non sit facta in gratiam, aut in honorem, aut in respectum diei, vt dicebatur supra.

24 Nec obstat, quòd plus sit votum recitandi quotidie per totam vitam vnam Angelicam Orationem, quàm semel vnum Rosarium; & tamen huius omissio est mortalis; ergo & à fortiori omissio illius Orationis. Respondetur enim esse quidem plus extensiuè, non tamen intensiuè, seu in ratione obiecti respectu voti, vel iuramenti, nam respectu voti, & iuramenti est obiectum leue, & sic leuiter obligat tale votum.

25 Nunc ex dictis noua sequitur dubitatio, & est, an dicta verificentur etiam in casu, quo idem votum sæpius pro eadem die, & de re leui multiplicaretur, vt v.g. si facto voto dicendi quotidie vnam Angelicam Orationem, itaut obligatio sit facta in honorem illius diei, seu intuitu ipsius, vt supra dicebatur, ac deinde addatur aliud simile votum; & postmodum plu-

ra similia vota emittantur vsquè ad centum, & pro diuersis personis, an scilicet esset solùm veniale omittere has centum Orationes paruas?

26 Videbitur fortasse aliquibus, esse asserendam leuem culpam, etiamsi haberetur propositum illas omittendi toto tempore vitæ. Posset id probari, nam omnes illæ Orationes paruæ sunt diuisim diuersorum votorum obiecta; ergo retinent semper rationem paruitatis materiæ respectu voti, cuius illarum Orationum singula Oratio est obiectum. Sic si quis eadem die non seruaret perfectè diuersas obligationes, sed eas leuiter transgrederetur, peccaret venialiter, non obstante, quòd illæ transgres-

27 siones essent multæ. Hoc cernitur in illo, qui in die festo omittit aliquid leue in auditione Missæ, in recitatione horarum, in obseruatione ieiunij ad quod tenetur, & in adimpletione voti, aut iuramenti; ergo & venialiter peccabit ille, qui plures leues transgressiones faceret eadem die contra varia vota, seu contra votum sæpius multiplicatum cum sua particulari obligatione; nam non minùs sunt plures illæ transgressiones leues in genere ieiunij, auditionis Missæ, recitationis horarum canonicarum, &c. ac sint plures transgressiones leues contra illa multa vota eadem die obligantia.

28 Sed dicta, & paritatem non subsistere tenendum est. Dico igitur, quòd si quis multiplicaret vota de recitanda eadem die & vna, & alia, & alia, & alia vsquè ad notabilem quantitatem, Oratione Angelica, si omittat vna die recitare, peccabit grauiter, quamuis singula vota essent emissa intuitu, seu in honorem diei. Ratio euidens est, nam licèt illa vota sint plura, tamen illorum obligatio est vna & eiusdem Orationis, & eadem ratione spectat ad Religionis virtutem, & ad eiusdem præceptũ, quod in tali casu grauiter violatur: ergo grauiter delinqueret ille, qui per plura vota facta recitandi vna die multas vices Orationem Angelicam, istam non recitaret.

29 Confirmatur, quia si quis per varias replicatas promissiones promitteret alicui varias modicas quantitates pecuniæ, vel alterius rei, & postea nihil daret, peccaret grauiter. quamuis magna quantitas, quæ non daretur, esset coadunata ex modicis quantitatibus promissis; ergo idem curret de modicis illis Orationibus per varia vota, aut per varias promissiones cadentibus sub obligatione eiusdem virtutis.

30 Ad id quod adducebatur *sub num.* 27. respondetur concedendo totum antecedens, sed negando consequentiam. Et quidem verum est, esse quid leue transgressiones eadem die leuiter factas contra præcepta ieiunij, auditionis Missæ, recitationis Officii Diuini, sed hoc ideò est, quia sunt trangressiones contra præcepta diuersæ rationis, diuersæque obligationis, & sic illa multa leuia non coalescunt in vnum; at verò obligationes leues, sed sub ratione eiusdem virtutis, semper coadunantur, & quamuis sint leues diuisiuè, fiunt graues collectiuè. Ità apertissimè docuit Thomas Sanchez *summ. part.* 1. *lib.* 1. *cap* 4. *num.* 16.

31 Hæc plenè currunt ad rem nostram in hac Decisione; siquidem Amasius ille sæpè replicauit iuramentum dicendi quotidie Angelicam Orationem, & sic cùm ad numerum quinarium iurauerit per quinque promissiones eiusdem rationis eam recitare, grauiter delinquet, si eas recitare vnica die omittat, quia leues illæ transgressiones componerentur, & in vnum graue adunarentur. Hinc multò magis non licebit habere volitionem, vel propositum omittendi semper dictas Orationes, quamuis iuramentum sit factum intuitu, vel in honorem diei.

32 Igitur Amasius in casu nostro attentè consideret seipsum conformiter ad dicta in hac Decisione in gratiam ipsius, puto enim sufficienter tactum, quidquid ipse poterat pro dubiorum suorum solutione à me desiderare. Casu autem quo fictè fuisset iuratum ab isto Amasio; videatur quid sit dicendum, stantibus Propositionibus damnatis, prout in nostra Decisione 32. à num. 21. eas posuimus.

---

# DECISIO LV.

*An Filius familias teneatur restituere lucra ex pecunia furata, & ex agro ei legato, sed post annos detecto alieni domini.*

## Casus, seu Historia LV.

### SVMMARIVM.

1 *Casus proponitur.*
2 *Quatuor dubia sunt in isto casu.*
3 *vsquè ad* 10 *De furtis filiorum.*
11 *vsquè ad* 15 *De peculijs filiorum.*
16. 17 *Quando non sit dandum legatum.*
18 *Militia non liberat à patris potestate.*
19 *vsquè ad* 24 *Quodnam peculium, & quinam*

*fru-*

*fructus competant filijs.*
25 *Res aliena legata vsucapitur.*
26 *vsquè ad 29 Regula, & exempla adsciendum quando quis re aliena ditescat.*

1 AD bellum processurus Arnoldus filiusfamilias, furatus est patri suo non modicam pecuniarum quantitatem, quam proprio nomine, & industria taliter in negotiatione adhibuit, vt ex ea multùm lucri retulerit. Item propria industria sic exercuit agrum occasione militiæ sibi à Seruilio legatum, vt lucrum copiosum ex eo obtinuerit, quod & bona fide consumpsit. Contigit vt post aliquos annos redeunte in patriam Proculo, hic detectus sit Dominus dicti agri; quapropter & agrum, & fructus ipsius, amicabiliter tamen, cæpit prætendere à patre Arnoldi vtpote filij familias; sed quia pater Arnoldi nihil scire se velle circa hoc protestatus est; ideò quæritur an ager, & fructus sint restituendi à patre, vel à filio; & an lucrum ex suffurata pecunia, vt prædictum est, sit filijfamilias, vel sit patris ipsius.

2 Dico, quòd ex quatuor capitibus componitur proposita difficultas; primum est furtum pecuniæ, quam filius accepit in domo patris. Secundum est lucrum, quod fecit ex industria cum dicta pecunia. Tertium est possessio agri sibi legati, sed à non Domino eiusdem agri. Quartum est consumptio fructuum industriosę exercitationis dicti agri.

3 Quantùm ad pecuniam suffuratam, dicendum est Filium peccare posse mortaliter, si notabilem quantitatem accipiat proprio patri, & ad restituẽdum tenetur; & sic docent communiter Doctores: Ratio est, quia est verum furtum in materia graui, quemadmodum Spiritus Sanctus loquitur in Prouerbijs, *cap.* 28. *Qui subtrahit aliquid à patre suo, & à matre, & dicit hoc non esse peccatum, particeps homicidæ est.* Ex quibus verbis indicatur id esse mortiferum.

4 Illud tamen notandum est, quòd diuersimodè sit loquendum de furtis filiorum, & de furtis extraneorum, nam minori quantitate peccat grauiter extraneus fur, ac peccet filius, qui maiorem quantitatem debet accipere, vt lethaliter dicatur peccare. Ità Petrus Nauarrus *lib.3.p.2.cap.1.* & est communis.

5 Hæc autem quantitas quanta debeat esse in filio, non est assignabilis, sed ad iudicium prudentis remittitur, qui attendat ad conditionem status, ætatis, personæ, loci, aliarumue circumstantiarum. Hinc dico, quòd si filius parentis prædiuitis furetur ei duos, vel tres aureos, non est illico condemnandus de mortali, & hoc maximè cùm parens talis, sæpè non sit multùm inuitus. De graui tamen peccato censendus esset reus, si patri angustæ facultatis tantam quantitatem suffuraretur filius. Fagundez *in decal. tom.2. lib.7. cap. 3. n.2. & seq.*

6 Et quas diuitias habere debeat, vt prædiues reputetur, itaùt non peccet grauiter filius per furtum duorum, aut fortè etiam trium aureorum, dico debere esse bis mille aureos annui redditus; ità docet plus, minùsue Lessius *de iustitia, & iure, lib.2. cap.12. de iniurijs furtun. dub. 13. num. 76.* & Petrus Nauarrus *de rest. lib. 3 cap.1. num. 66.* Et ratione id suadetur, nam non est rationabile, vt huiusmodi parentes nolint aliquando suos filios gaudere cum alijs honestis adolescẽtibus sibi ęqualibus.

7 Et potest dari casus, in quo filius nec peccabit suffurando patri, videlicet quando putat, quòd pater rogatus facilè concederet; tunc enim parens non est inuitus quoad substantiam, sed solùm quoad modum: ita Lessius *loco cit. sed dub.* 8. *num.* 49.

8 Item alii dantur casus, in quibus peccatum non committeret filius, furando patri, sed quia ad rem præsentem non faciunt, ideò remitto lectorem ad Authores, præcipuè ad Lessium *loc. cit. dub.* 13. *num.* 78. *& seqq.*

9 Igitur Arnoldus in casu nostro, si ad bellum procedens furatus est patri suo magnam pecuniæ quantitatem, putans patrem eam concessurum ei, si rogasset, sed ob aliquã iustam causam rogare noluit, certè mortiferè non peccauit, nec aliquam restitutionem facere debebit, sed eam pecuniã ad sui libitum in honestas, aut necessarias expensas insumere poterit, quia pater præsumendus est quòd concessisset rogatus, & ideò sic debet præsumi, quia ad vsus licitos dare intendebat; nec enim æquum est iudicare, aut præsumere, velle patrem cooperari ad filii perditionem, ei viam sternendo cum pecuniarum largitione.

10 A contrario sensu est discurrendum, si Arnoldus absolutè furatus est magnam quantitatem patri suo, cui & restituere tenetur, & peccasse grauiter certum est. Qualiter autem filius restituat, si vndè restituat non habet, non immoror in huius quæsiti examine, sed breuiter dico, eum teneri postea minùs accipere de patris hæreditate, vt communiter docent DD. Extant hodie aliquæ Propositiones damnatæ circa furantes, sed eas ponemus in Decis. 94.

11 Cir-

11 Circa secundum caput propositæ difficultatis, nempe quid sit dicendum de lucris factis cum propria industria eiusdem Arnoldi in negotiatione pecuniarum suffuratarum patri, iudico esse resoluendum, quòd Dominus directus, & proprietarius talis lucri sit ipse filius. Pro probatione meæ opinionis supponendum est in præsenti id, quod apud omnes est notissimum, scilicet filijsfamilias quadruplex genus peculij posse competere, & sic numerantur, *Castrense*, *Quasi Castrense*, *Aduentitium*, & *Profectitium*. Videatur Syluest. *verbo Peculium*, & Nauarr. *cap.* 17. *num* 142. & communiter Doctores, apud quos passim traditur essentia, & notitia huiusmodi peculiorum.

12 Igitur cùm ad aliquod genus peculij ex recensitis quatuor generibus spectare debeat peculium ex industria acquisitum à filio, dico illud esse de genere peculij *aduentitij*. Ducor, quia tale peculium industriosè collectum nequit esse *Castrense*, cùm hoc dicat ordinem ad militiam: nec *quasi Castrense*, cùm hoc ex beneficio Ecclesiastico acquiratur: nec *profectitium*, cùm hoc à parente viuo proueniat, vel principaliter eius intuitu, & causa detur: ergo remanet vt sit de bonis *aduentitijs*.

13 Nec ex sola inductione per partium enumerationem conuincitur dictum peculium esse *aduentitium*; sed etiam probatur ab essentia peculij aduentitij, quod est illud non prouenìens à parente; respectu cuius dicitur aduentitium; neque eius causa, vel intuitu principaliter datur; sed successione, vel donatione alio intuitu facta, vel industria propria, vel fortuitò ei obuenit, sicut esset si thesaurum inueniret; si lucrum acciperet ex mutuata pecunia; vel etiam ex furata negotiando, vt docet Leonard. *lib.* 2. *cap.* 4. *dubit.* 3. *num.* 7. ergo peculium factum à filiofamilias cum negotiatione industriosa pecuniæ proprio patri furatæ, est peculium *aduentitium*.

14 Quibus positis restat manifestè probatum, quòd dominium directum, & proprietatis de tali peculio aduentitio, sit ipsius filijsfamilias, ità tamen vt eius vsusfructus, seu vtilitas sit patris, quamdiù filius manet sub patria potestate: ita Sanchez *in decal. tom.* 2. *lib.* 7. *cap.* 13. *num.* 24. & est sententia communis inter DD.

15 Et quamuis talis peculij industrialiter acquisiti ipse filius habeat dominium proprietatis, nihilominus tenetur illud non consumere, sed conseruare; & sic dum lucratur acquirit patri rei lucratæ dominium vsusfructus, ac propterea quemadmodum hæres non potest disponere de re sibi legata, sed alteri eiusdem rei relicto vsufructu, quoad vsquè viuat ipse vsufructuarius, si ad vitam ipsius est ei relictus vsusfructus; vel quoadusque finiat tempus à testatore determinato, vt vsusfructus vsufructuario spectet; ità nec poterit filiusfamilias disponere de bonis lucratis sub ratione aduentitiorum bonorum, quorum quidem proprietatem possidet, sed ad patrem spectat vsumfructum donec ipse filius patriam potestatem euadat.

16 Circa tertium caput propositæ difficultatis, videlicet de agro occasione militiæ legato ipsi Arnoldo, cùm tamen ipse ager non esset testatoris, dico non potuisse legari, nam legata debent fieri de bonis proprijs, & ideò si quis alteri habet legare bona subiecta fideicommisso alteri restituendo, non intelligitur legare ea bona, cùm non sint sua, sed ad summum legat ius, quod ipse habet circa dicta bona, quamuis sit ius finiturum morte ipsius testatoris. Videatur Natta *cons.* 502. *num.* 36. Iason *cons.* 109. *per totum, vol.* 4. Rota *decis.* 621. *nu.* 1. *part.* 1. *nouissim. diuersorum incerti collectoris*, & alij.

17 Imò si testatore disponente de re non sua, in hac neque ius aliquod habeat, nihil testatoris dispositio operatur, nihilque hæredi debetur. Niger, *controuers. forens. lib.* 3. *controu.* 145. *num.* 25. cum alijs. Ergo ager relictus Arnoldo, sed à testatore non Domino dicti agri, non est acquisitus Arnoldo, sed semper clamat ad Proculum Dominum suum. An verò aliquando detur hæredi, vide *Decis. L.*

18 Quòd si Seruilius legasset dictum agrum Arnoldo occasione militiæ, sed dominium habens dicti agri; tunc reuera Arnoldus esset Dominus proprietatis, & vsusfructus eiusdem agri, sicque omnimoda dispositione disponere posset de illo, ac de ipsius vtilitate, alienando, vendendo, donando, dilapidando, atquè perperam consumendo. Ratio est, quia quamuis filius per hoc, quòd fiat miles, non emancipetur, nec à patria exeat potestate, sicut decretum est, *Institut. quibus modis ius patria potestatis soluatur*, §. *filiusfamilias*, & *l.* 2. & 3. *C. de Castrensi peculio lib.* 12. nihilominus de Castrensi peculio, quoad proprietatem, & administrationem filius habet plenam, & liberam dispositionem. Ita Fagundez, *tom.* 2. *in decal. lib.* 7. *cap.* 4. *nu.* 191. & alij communiter. Castrense autem peculium est, quod à qualibet persona, causa, & occasione militiæ, primò, & principaliter donatur, & quidquid cum prædicto peculio, seu cum re, vt dictum est, donata intuitu militiæ, ipse filius quocunquè modo acquirit: ità constat

stat *ex l. Castrense, §. de peculio Castrensi*, & sic etiam tradit Petrus Nauarra *lib. 3. de rest. cap. 1. num.* 68. Nauarrus, *cap.* 17. *num.* 142. Molina *de iustit. disp.* 230. *§. licet filius*. Syluester, *verb. Peculium, quaest.* 1.

20 Ex quibus sequitur, quòd Arnoldus in hoc casu nihil deberet dare proprio parenti de lucro industriosè collecto ex agro sibi occasione militiæ legato, si ager spectasset ad testatorem, quia quoad omnia filius fuisset factus Dominus dicti agri, sed quia ager non erat testatoris, sic non fuit benè legatus, propterea est restituendus. Sed an simul sint restituendi fructus ex eo percepti ab Arnoldo, mediante ipsius industria, vel an pater Arnoldi illos debeat restituere; respondeo cum distinctione loquendo de ijsdem fructibus; nam aut fructus prouenerunt ex mera industria; aut sunt mixti, scilicet prouenerunt ex industria mediante re. Si fructus per solam industriam obtineantur à filiofamilias, iam dictum est, quòd eorum proprietas est filij, & vsusfructus est patris; at huiusmodi fructus nec à patre, nec à filio sunt restituendi, cum fructus nudæ industriæ non debeant restitui, sed possint retineri etiam à possessore malæ fidei, & à fortiori à possessore bonę fidei: sic docet Lessius, *de iust. & iur. lib. 2. cap. 14. dubit. 2. num.* 8.

21 Si verò fructus percepti à possessore bonæ fidei, vt fuit Arnoldus in casu nostro, extent, & illi sint aut merè naturales, aut mixti, debent restitui; & si non extent, tenetur dare id, in quo factus est locupletior ratione dictorum fructuum, vt dicit Ioannes Medina *C. de restit. quaest.* 10. Gabriel *distinct.* 15. *q. 3. art. 2. dub.* 5. Couarruuias, & alij passim.

22 Ratio, qua communiter id probatur, est, quia fructus sunt debiti Domino, sed expensis detractis; & deficientibus fructibus substituitur eorum pretium pro ea parte, in qua factus est ditior; & hoc Syluester *verb. fructus. quaest.* 1. dicit esse obseruandum in foro conscientiæ.

23 An verò pater Arnoldi, vel Arnoldus teneatur ad hanc restitutionem, dico teneri Arnoldum, quia agitur de fructibus, qui essent percepti ex agro dato Arnoldo causa militiæ, & sic totaliter ei spectante etiam quoad fructus, qui cùm sint naturales, aut mixti, ad Dominum rei habent attinentiam, & sunt ipsius, vndè & sunt sub obligatione restitutionis modo prædicto.

24 Circa quartum caput propositę difficultatis, nempe de fructibus ex pura industria acceptis, remanet declaratum nunquam esse restituendos à quocunque siuè bonæ, siuè malæ fidei possessore; & hoc veritatem habet, etiamsi extent, & etiam quamuis per dictos fructus factus esset ditior. Igitur Arnoldus, de quo in casu, debet cedere agrum Domino ipsius, & sibi fructus retinere, eosque nec patri dare, cùm sint effectus solius industriæ in negotiatione rei sibi legatæ ob causam militiæ.

25 Nec valet dicere, quòd ager legatus, inualidè fuerit legatus, ac proinde nec titulus militiæ subsistit, nam corruente principali, cadit & accessorium, substantiæ enim innititur accidens, sicut Philosophi, & Iurisperiti docent; vndè lucrum perceptum à filiofamilias de re fictè data titulo militiæ, non erit eiusdem filijfamilias, nec quoad proprietatem, nec quoad vsumfructum: nam respondetur, esse semper filijfamilias quidquid acquiritur ab ipso ratione ipsius puræ industriæ vt supra dicebatur, sed cum ista distinctione, quòd in bonis aduentitijs si lucrum industrialiter filiusfamilias inuenit, dominium talis lucri est filij, & vsusfructus est patris. In bonis verò Castrensibus, totum acquiritur filio. Ad id autem quod contra dicebatur, scilicet non adesse in casu nostro rem Castrensem, cùm ager titulo militiæ datus non posset dari; & rei alienæ legatum, vt est de isto agro, esse nullum, quamuis bona fide factum, vt notat Hostiensis, *summ. lib. 2. titul. pro derelicto, & pro legato, rubricella*; vndè ab Arnoldo talis ager non poterat capi, iuxta regulam traditam, *C. pro herede l. vlti.* vbi decernitur, quòd non præcedente vero titulo, non procedit vsucapio: ergo non erit iste ager de bonis Castrensibus; dico ad prædictam Codicis regulam esse subaudiendum: vel non præcedente putatiuo errore facti probabili comprobante: ità Hostiensis *loco citato*; vndè cùm talis error currat in præsenti casu, stabit vsucapio agri sub ratione militiæ dati; & sic erit de genere bonorum Castrensium ipsius filijfamilias, qui quidquid ex eo propria industria obtinuerit, erit item peculium Castrense, ac per consequens secundùm omnem sui rationem erit proprium eiusdem filijfamilias lucrum

26 prouentum ex agro tandem decreto esse alieni Domini à testatore.

Placet hìc addere regulam ad dignoscendum, quandonam aliquis dicatur fieri ditior cum re aliena, itaut teneatur restituere, & talis regula sit; Quòd tunc possessor bonæ fidei dicitur fieri ex re aliena consumpta locupletior; quando occasione illius rei sic consumptæ patrimonium suum est aliquo modo auctum, vt

quæ

quia sũptus aliquos alioqui ex suo patrimonio facturus, non fecit: aut aliquid lucri fecit illius rei occasione. Quòd si patrimonium non creuit, nec illius rei occasione aliquid lucri fecit, non dicitur fieri locupletior. Quare si occasione illius rei bona fide consumptæ, lautiùs, aut splendidiùs vixit, quàm eam non expendens victurus erat, non dicitur fieri ex illa ditior, quia patrimonium suum non est auctum. Ità docent DD. & habetur *l. sed etsi lege* 28. §. *Quod autem quis ex hæreditate, ff. de petit. hæredit.* ibi; *Vt si quid lautiùs contemplatione hæreditatis impendit, in hoc non videatur factus locupletior; in statutis verò suis sumptibus videatur factus locupletior; vtiquè enim, etsi non tàm lautè erogasset, aliquid tunc ad victum quotidianum erogasset.*

27 Totum hoc nonnullis exemplis demonstratur. Si quis bona fide lautissimis cibis furtiuis vesceretur, aut splendidissimis vestibus furtiuis indueretur; ille tamen communibus cibis, aut vestibus vsurus erat, non dicitur factus ditior in toto illo epularum, aut vestium valore, sed solùm in ea pretij quantitate, quam insumpsisset, vestes communes, aut cibos viles emendo iuxta ordinariam sui sustentationem. Ratio est, quia ratione rei bona fide consumptæ solummodò pepercit ijs sumptibus ordinarijs, quos fecisset, atquè ideò solùm ex istis restat auctum suum patrimonium; propterea solùm hoc modicum, quod non expendit, cùm expendere debuisset, debet restituere, vtpote in hoc factus ditior.

28 Aliud exemplum pono in illo, qui bona fide equum furtiuum ad longum iter adhibuit; si ergo iste alium equum conducturus erat, certè pepercit sumptibus proprijs, quibus patrimonium suum auxit, & ideò factus est ditior in tota hac quantitate. Si autem pedester iturus erat, sed ratione equui adhibiti citiùs peruenit ad terminum, & sic minùs insumpsit in hospitijs; tenetur dare in restitutionem solùm id, quod non expendit ratione equui, ipsum ad terminum itineris citò ferentis; nam sic constat esse factum locupletiorem propter equum bona fide adhibitum. Quòd si pedester, aut equitando æqualiter peruenturus erat sinè expensis ad finem itineris; tunc ad nihil teneretur, quia in nihilo factus remanet ditior. Notetur tamen, quòd in obligatione restituendi pro isto equuo sunt detrahendę expensæ pro ipso factæ.

29 Tertium exemplum sit, quando quis erogaret eleemosynam, donationem, aut ludens perderet, & totum ratione rei alterius, tunc si erogaturus erat eleemosynam, aut facturus donationem, aut lusurus, certè pepercit propriæ crumenæ, & factus est ditior, ideò debet restituere hoc totum, quod de suo expensurus erat, sed non expendit. Si autem erat quidem lusurus, donaturus, ac eleemosynam facturus, sed non in tanta quantitate, tunc debet restituere non totum, quod dedit, sed illam minorem quantitatem, quam aliàs dedisset, aut perdidisset; nam ratione rei alienæ factus est ditior solummodò in hac minori quantitate. Quòd si nihil lusurus erat, nec donaturus, aut in eleemosynam erogaturus, tunc patrimonium suum in nullo augetur, vndè nec ad aliquam restitutionem tenetur. Quæ omnia sunt intelligenda, nisi ex propria pura industria aliquid lucretur, vt supra dicebatur.

# DECISIO LVI.

*An teneatur seruare iuramentum ille, qui ab alio didicit Secretum sanatiuum morbi, cum promissione iurata illud nemini notificandi, nec eo vtendi solo titulo Charitatis.*

## Casus, seu Historia LVI.

### SVMMARIVM.

1 *Casus proponitur.*
2. 3 *In damnum magistri non est vtenda scientia sub iurato secreto accepta.*
4 *Duæ difficultates sunt in casu.*
5. *vsquè ad* 10 *In quibus casibus sit lethale, si iuretur.*
11. *vsque ad* 17 *Varia de iuramento facto Deo, vel homini.*
18. 19. 20. 21 *Non facere rem promissam, non est mentiri.*
22. *vsquè ad* 30 *In quibus casibus sit obligatio tacendi remedium sub iurato secreto edoctum.*
31 *Tres modi iurandi.*
32. *vsquè ad* 38 *Casus, in quibus tenet iuramentum non vtendi remedio scito sub secreto.*

1 Nicephorus artis Spargiricæ professor, Secretum medicinale inuenerat probatæ virtutis ad sanitatem restituendam ægrotantibus gallico, & caduco morbo, in quorum morborum curatione maxima congerebat lucra, & ideò nemini Secretum suum dicebat, ne spes quæ-

quæstus sui aut minueretur, aut deficeret; etenim plus æquuo auarus, tali Secreto nullum Charitatis actum exercuit, sed & pauperes curando mercedem expetebat. Erat Nicephoro huic amicus carissimus nomine Damianus, qui post varias instantias, vt eum Nicephorus Secretum tale edoceret, tandem annuit exoratus, sed iuramentum voluit de nunquam alicui illud dicendo, nec quòd illo vnquam vsus fuisset, neque titulo Charitatis, quoadusque Nicephorus viueret. Non obstante tamen iuramento, quod Damianus dedit, non raro tali vsus est remedio ob motiuum Charitatis; mortuoque Nicephoro, cogitauit Damianus an licitè posset aliquem edocere, vt egentes mederetur, quandoquidem ipsi hoc dedecebat, erat enim Marchio.

Quæritur ergo in præsenti, an licitè Damianus Charitatem fecerit illis infirmis, non obstante iuramento, & an possit contra datum iuramentum notificare alicui Secretum illud, accepta etiam pecunia pro illo edocendo.

2 Et statim videtur esse respondendum, quòd Damianus iuramentum non seruauerit cum graui culpa, nam qui se altori per iuramentum obligat vel tacendi Secretum, vel non vtendi eo, non debet facere aliquid in detrimentum illius, qui tale Secretum dedit, & docuit; sed si quis publicat, aut vtitur Secreto medicinali, quod ei dictum fuit cum iuramento non vtendi, nec publicandi, faceret damnum illi, cui iurauit; ergo erit periurus si deficit. Patet, quòd damnum inferret, quia lucrum, aut aliud tolleret.

3 Confirmatur, quia in ordine ad æternam salutem non habet obligationem tale Secretum communicandi; ergo non debet communicare, si iurauit tacere; ergo si communicat frangit iuramentum, quod sub mortali obligat.

4 Sed antequam ponamus veram opinionem, quam debeamus sequi in isto casu, est aduertendum, quòd ex duplici difficultate componitur. Prima est, an teneat iuramentum non communicandi remedium edoctum. Secunda est, an saltem possit vti tali remedio, quandocunquè ob motiuum Charitatis illud applicat, non obstante quòd iurauerit non applicare.

5 Circa primam difficultatem, nempè an teneat iuramentum datum, dico reuera tenere, & subsistere iuramentum promissorium factum per verba de præsenti, quæ habebant veritatem, nam si veritas de præsenti defuisset, eò quòd non concordauerit vox externa cum animo interno adimplendi promissionem, fuisset peccatum mortale taliter iurare. Et hoc verificatur tum in re licita, tum in illicita, siuè magna, siuè parua, quæcunquè sit causa ob quam habetur intentio non exequendi rem promissam. Ratio est, quia in hoc iuramento deest veritas, quæ semper ad iuramentum requiritur; & veritate exclusa, est perfectum mendacium, cùm ille, qui iurat habeat animum, & mentem, contra quam vadit, iurans se facturum id, quod facere minimè vult. Hæc sententia putatur certissima ab Authoribus, & in illa sunt Sayrus, *lib. 5. cap. 4. num. 27.* Suarez, *lib. 3. cap. 15. num. 2.* Lessius, *de iust. & iur. lib. 2. cap. 42. dub. 4. num. 18.* Azorius, *tom. 1. lib. 11. instit. moral. cap. 4. q. 1.* Valentia, *2. 2. disput. 6. q. 7. punct. 3. concl. 2.* Sotus *de iust. & iur. lib. 8. q. 1. art. 7. & q. 2. art. 1. & 3.* Syluester, *verb. Periurium q. 1.* Armilla, *eod. verb. nu. 3.* Caietanus *in summa, eod. verb. cap. 2. initio, & cap. 3. initio.* Idem, *2. 2. q. 89. art. 7. ad 1. & q. 98. art. 2. & 3.* Nauarr. *in summ. cap. 13.*

6 Extenditur prædicta doctrina, vt sit item peccatum mortale, si iuramentum promissorium emittatur cum animo dubio, an res, quæ promittitur executioni mandabitur; quia etiam in hoc deficit veritas, non minùs, ac si aliquis assertorio iuramento affirmaret rem dubiam, & ità docent communiter Doctores. Hinc Sotus, *de iust. & iur. lib. 8. quæst. 1. art. 7. ad 1.* dicit, quòd ad veritatem huiusce iuramenti requiritur firma voluntas faciendi quidquid per iuramentum promittitur.

7 Si autem probabiliter putetur fore vt rem promissam non possit adimplere; aut si ex sola leui probabilitate credatur fore exequendam, est semper lethale peccatum illam promittere cum iuramento; non erit tamen peccatum si habeatur probabilis causa credendi, quòd adimplebitur res cum iuramento promissa. Ratio est, quia in hoc secundo casu adest veritas requisita, sed deest in primo casu. Ità Suarez *de religione, tractatu de iuramento lib. 3. cap. 18. in fine*, cum Hostiensi, Abulensi, Angelo, & alijs.

8 Similiter peccat mortaliter ille, qui promissionem iuratam facit, dubitans an possit, & debeat facere id, quod iuramento confirmat. Syluester, *verb. Periurium quæs. 1.* quia veritas deficit.

9 Et quia potest etiam aliquis promissionem obfirmatam iuramento facere, credens fore, vt implere nequeat, dicò hunc quoquè peccare

 gra-

grauiter; etenim non est iuramentum cum veritate, nec cum animo firmo adimplendi. Sic tenet Abulensis *in cap. 5. Matth. q. 207.* Philiarcus *de officio Sacerdotis, tom. 1. par. 2. lib. 3. cap. 13. fine.* Azorius *tom. 1. instit. moral. lib. 1. cap. 5. q. 1.* Suarez *de religione lib. 3. cap. 18. fine.* Nauar. *summ. cap. 12. num. 22.* Syluester, *verb. Iuramentum 4. q. 18. & 25.* Angelus, *eod. verb. 5. num. 31.* & alij.

10 Dicta de iuramenti promissorij vario modo, inseruiunt ad dignoscendum, an factum iuramentum non communicandi Secretum edoctum, nec illo vtendi, fuerit factum aliquo modo ex recensitis; nam si veritas defuit; seu si animus erat non adimplendi; seu si dubitabatur, &c. vt prædictum est, fuit tale iuramentum cum peccato graui emissum, & defectu veritatis non subsistens, nec tenet.

11 Quòd si cum veritate, ac animo, & certitudine adimplendi promissa, fuit data promissio iureiurando confirmata, dicendum est eam tenere, & obligare. Et hoc à nemine negatur, quamuis sit iuramentum factum, & præstitum soli homini in eius vtilitatem, & res promissa potest adimpleri sinè aliquo peccato nec mortali, nec veniali; & sic tunc tantùm obligat, quando sic potest fieri, secus si cum aliqua culpa etiam veniali, vt constat *ex c. quamuis pactum, de pactis in 6. & c. cum contingat de iureiur.* Et quòd iuxta prædicta sit tenendum, conuincitur etiam ob damnatas propositiones circa iuramentum, quas vide *in decis. 32. num. 21.*

12 Et quòd tale iuramentum præstitum homini sit seruandum, probatur, quia regula generalis est, quòd iuramentum factum homini, si æternam salutem non impedit, est necessariò seruandum; sed tale est iuramentum de non communicanda re edocta, supposito quòd nullum peccatum sit eam tacere; ergo tenet huiusmodi iuramentum. Et si sinè culpa veniali non possit iuramentum adimpleri, non obligat, quia
13 esset impeditiuum salutis æternæ. Nec valet dicere, peccatum veniale non esse impeditiuum salutis æternæ, quia cum veniali stat gratia, ac per consequens non deperditur gloria æterna. Respondetur enim, quòd quamuis peccatum veniale non impediat consecutionem salutis æternæ, tamen disponit ad illam amittendam, & hoc sufficit, vt pro regula generali teneatur, iuramentum datum homini in eius vtilitatem non obligare, quando sinè peccato veniali non potest adimpleri. Sic tradit Abbas *c. cum contingat, num. 7.* Molina, *tom. 1. de iustit. disp. 149. & tom. 2. disput. 171.* Suarez, *tom. 2. de religione, tract. de iuramento, lib. 2. cap. 22. num. 3.* Sanchez *de matrim. lib. 1. disput. 32.* Si ergo sinè quocunquè peccato potest non communicari Secretum, stabit iuramentum datum de illo non communicando.

14 Imò & obligat iuramentum datum homini in eius vtilitatem, quamuis maius bonum impediat; sicut docuit Paludanus *4. dist. 38. quæst. 1. num. 29.* Syluester *verbo Iuramentum, 4. q. 20.* Lessius *de iust. & iur. lib. 2. cap. 42. dub. 4. num. 20.* Molina *disput. 149. supra cit.* Rebellus *de iust. p. 2. lib. 1. q. 9. num. 4. & num. vlt.* Suarez, & alij.

15 Et si iuramentum præstitum homini sit de re indifferenti, adhuc tenebit, & obligabit iuxta Saytum, *in claui Regia, lib. 5. c. 5. num. 3. in fin.* Suarez, *lib. 2. tom. 2. de relig. cap. 16. & cap. 22. num. 3.* Lessium, *vbi supra num. 21.* Molinam, *vbi supra.* Nauar. *sum. c. 12. num. 17.* Angelum, *verbo Iuramentum, 5. num. 5.*

Et hoc declaratur exemplo, nam si quis iuret non ire ad officinam, vel ad furnum Petri, tale iuramentum est de re indifferenti, nec obligat; at si tale iuramentum præstetur homini ex aliquo pacto cedenti in eius vtilitatem, vt esset, si iuretur non ire ad furnum Petri, vt solùm adeat furnum Pauli, cui lucrum afferat, tunc tale iuramentum tenet.

16 Ratio inducens dictam obligationem erga hominem, & non erga Deum est, quia homo vult vt iuramentum sibi factum pro eius vtilitate adimpleatur, quamuis sit impeditiuum maioris boni. Deus autem non acceptat, nec vult adimpleri votum, seu iuramentum, ex cuius obseruantia, & executione bonum maius impeditur, nam implicat, quòd Deus in sui obsequium velit, & acceptet id, quod maius obsequium impedit, maioremque illius honorem
17 tollit. Et hoc confirmatur ex doctrina Sanchez, *in decal. lib. 3. cap. 9. num. 19.* vbi dicit, quòd si quis iurat fœminæ se eam ducturum, tenetur eam ducere, nec licet ampliùs ipsi iuranti vitam cœlibem eligere, & tamen iuramentum, seu votum Deo factum de nubendo, non obligat, nisi in casu raro, vt si tale votum fiat ad tollendos frequentes lapsus carnis; & ratio disparitatis est, quia Deo plus placet status cœlibatus, quàm status Matrimonialis; & sic votum nubendi non tenet, vt dictum est, cùm bonum maius impediat. Respectu verò hominis, cùm Matrimonium fœminæ iuratum, sit in eius vtilitatem, ipsa vult vt illud adimplea-

pleatur, quamuis maius bonum impediat; etenim homini nihil refert, quòd alter se gerat maius, vel minus bonum exercendo; at id Deo multùm premit, volens vt minus bonum omittatur, quandocunquè maius bonum impeditur. Igitur in casu nostro attendendum est, an iuramentum homini præstitum, fuerit de re indifferenti, aut de re cedenti in vtilitatem illius, cui iuratur; & si sit de re purè indifferenti, non obligabit, sed poterit Secretum edoctum communicari, & applicari; si verò afferat alteri vtilitatem non communicatio, nec vsus dicti Secreti, tunc viget obligatio non communicandi illud, nec vtendi illo.

18 Et est aduertendum, quòd non adimplere rem promissam, & iuramento firmatam, non est verè, & propriè mendacium, sed est infidelitas, sicut optimè docet D. Thomas, 2 2 *quæst.* 110. *art.* 3. *ad* 5. ibi: *Qui aliquid promittit, si habet animum faciendi quod promittit, non mentitur. Si verò non faciat quod promittit, tunc*
19 *videtur infideliter agere*. Et idem ratio suadet, quia mentiri est intrinsecè malum, nec aliquando licet; at verò aliquando, & sæpè licet non adimplere promissionem. Igitur quando quis promittit & iurat se promissum adimpleturum, iste si verè habet animum adimplendi, non mentitur, quia non loquitur contra id, quod gerit in mente; nec Deus adducitur in testimonium mendacij; vndè si postmodum non præstet promissum, erit solummodò infidelis in præstanda re promissa sub diuina au-
20 thoritate. Id quoquè euenit in contractu, & sponsionibus factis sub testificatione alicuius hominis, nam hic homo inducitur solùm, vt attestetur de re præsenti, & de obligatione indè oborta, non tamen adducitur in testem obligationis executiuè, videlicet non vocatur vt testis executionis futuræ, sed vt præstet authoritatem per modum cuiusdam fideiussionis; ergo si promissio non impletur, ille homo per hoc
21 non fuit testis alicuius mendacij. Sic & Deus non adducitur tamquam testis mendacij, quotiescunquè iuratur animo adimplendi; & si non adimpleatur, erit defectus infidelitatis; propterea si materia erit leuis, erit culpa venialis. Videantur Petrus Ledesma *tom* 2. *summæ*, *tract.* 11. *c.* 3. *dub.* 1. Emanuel Sà, *summ. verb. Iuramentum*, *num.* 7. Azorius, *instit. moral. tom.* 1. *lib.* 5. *cap.* 27. *q.* 2. Sotus, *lib.* 8. *de iust. q.* 1. *art.* 7. *dub.* 1. Sylyester, *verb. Iuramentum* 4. *q.* 1. *in fine*. Arragon, 2. 2. *q.* 89. *art.* 3. Manuel, 1. *tom. summæ*, *cap.* 192. *num.* 5. Suarez, *de religione*, *tom.* 2. *de iuramento*, *lib.* 3. *cap.* 16. *à num.* 9. *vsque in finem*. Henriquez, *lib.* 5. *de pœnitentia c.* 20. *num.* 4. *in commento*, *litera M.* & alij multi. Si ergo ille, qui iurauit se non fore communicaturum remedium Medicinale, nec eo vsurum, si res sit parui momenti, non erit mortale peccatum periurij, sed solùm peccatum veniale contra fidelitatem, dummodò promissio iurata fuerit obligans, nam si non obligat, nullum erit peccatum communicare remedium illud, ac illo vti. Nec obstat 24. ex propositionibus damnatis ab Innocentio XI. quia nos hìc agimus de vero iuramento, ideo vide *dec.* 32. *num.* 22.

22 Verùm absolutè loquendo dicendum est, quòd iuramentum non communicandi alteri doctrinam habitam alicuius experimenti, sit inualidum, ac per consequens non obligare
23 nisi in aliquo casu. Et quantùm ad iuramentum factum non vtendi tali experimento, neq; titulo Charitatis, item non obligat, vnico tantùm excepto euentu, vt infra *num.* 34. videbimus.

24 Probatur primò, quòd iuramentum tacendi doctrinam experimenti non obligat; nam communicare remedium sanitatis, & salubre, est denegare communicationem boni: sed non communicare quodcunquè bonum, est contra Charitatem; ergo iuramentum de re contra Charitatem non obligabit, quia sic ei deest Iustitia, quæ semper ad validitatem iuramenti requiritur. Ità D. Thomas *quodlibet* 12. *art.* 21. *quæst.* 14. & Syluester *verb. Iuramentum, quæst.* 1.

25 Confirmatur, & probatur secundò, nam Iuramentùm factum de non faciendo aliquo bono est illicitum, & contra Spiritum Sanctum; sed iuramentum non communicandi vtilem doctrinam, est iuramentum non faciendi aliquod bonum; ergo non erit obligatorium, sed illicitum.

26 Nec contra militat si dicatur, nullam dari obligationem communicandi tale Secretum sanitatis, vt etiam dictum est supra *sub n.* 3. huius Decisionis; ergo si iuretur non communi-
27 care illud, iuramentum tenebit. Respondetur enim, quidem non dari obligationem non communicandi: non tamen licet iurare non communicaturum; & huius ratio est, quia quamuis non tenear facere aliquod bonum particulare, vt v. g. vnam Missam secundam audire in die festo, tamen non possum iurare me non auditurum Missam secundam etiam in die festo, aliàs sequeretur esse licitum interponere iuramentum inductiuum obligationis

non faciendi bonum, cùm tamen bonum sit semper faciendum, vel omittendum si non obliget, nunquam verò omittendum ex vi alicuius obligationis, & maximè obortæ ex interposito iuramento. Ergo absolutè loquendo est inualidum iuramentum reticendi doctrinam acceptam alicuius salubris experimenti. Sic idem D. Thomas *loc. cit.*

28 Id constat ex communi doctrina omnium, asserentium in iuramento requiri *Iudicium, Iustitiam, & Veritatem*; at in nostro casu deest Iudicium discretionis, & Iustitia, cùm in damnum aliorum iniustè obligare se prætendat iurans non communicare alijs id, quod ipsis est vtilitatis, & boni; ergo dictum Iuramentum non est obligatorium, nec tenet absolutè loquendo.

29 Ex dictis apertè sequitur multò minùs non obligare iuramentum non vtendi tali remedio sub titulo solius Charitatis; patet enim esse omninò condemnabile propositum non exercendi Charitatem; ergo à fortiori erit damnabile iuramentum eam non faciendi, & consequenter erit inualidè factum huiusmodi iuramentum. Ità tenet Fagundez *in decal. lib. 2. cap. 14. num. 17.*

30 Et quòd tale iuramentum non impediat exercere Charitatem, non obstante quòd fuerit emissum, probatur sic: Nullum impedimentum spiritualis profectus est ex Deo; sed iuramentum est ex Deo; ergo non impedit spiritualem profectum, qui consistit in exercenda Charitate. Hinc D. Thomas *quodlibeto 5. quæst. 13. art. 27.* quærit, Vtrum qui iurauit se non intraturum Religionem posit licitè intrare? & resoluit in argumento *sed contra*, non posse iuramentum impedire spiritualem profectum ingrediendi Religionem.

31 Pro maiori explicatione huius veritatis, afferam hic tria genera iuramentorum, allata ab eodem D. Thoma *loco citato*; Primum est, quando iuramentum est de re illicita, & obligatio est item illicita: exemplum est, vt si quis iuraret non audire Sacrum in die festo, aut adulterium committere. Secundum est, quando res est licita, & iuramentum item est licitum; vt si iuretur dare eleemosynam, in quo casu iuramentum est adimplendum. Tertium est, quando res est quidem licita, iuramentum tamen de ea est illicitum, vt si quis iuramentum faciat non intrandi Religionem; etenim non intrare in Religionem, non est peccaminosum, cùm nulla lex obliget ad talem ingressum; & non velle intrare Religionem ex vi iuramenti, est quid illicitè factum, non enim potest quis sibi obligationem imponere resistendi Spiritui Dei, qui vocat electos suos ad sui seruitium intrà Claustra, prout ei placuerit. Igitur quemadmodum non habet obligare iuramentum resistendi Deo vocanti; sic nec inducet obligationem iuramentum non exercendi Charitatem, cùm Deus sit ille, qui quia *Charitas est*, alios inflammat ad Charitatem. Et tali iuramento manifestè apparet deficere *iudicium* discretionis, quia vergit in deteriorem exitum, retrahendo à meliori bono. Videatur D. Thomas *dicto quodlibeto 5. art. cit.*

32 Sub *num. 26.* huius Decisionis fuit sufficienter responsum Confirmationi adductæ sub *num. 3.* ad probandam obligationem dicti iuramenti non communicandi, nec vtendi eo remedio. Nunc vt respondeatur ad rationem positam sub *num. 2.* quæ intendebat probare, non posse communicari, nec vti, est obseruandum dari casus, in quibus verè erit seruandum iuramentum datum tacendi acceptam scien-
33 tiam illius probati remedij. Casus vnus est, si ille, qui docuit est præsens, & ipse velit manifestare, ac applicare dictum remedium; nam tunc cessat motiuum non obseruandi iuramentum propter proximi vtilitatem, cùm adsit ille, qui docuit, & indigenti velit subuenire.

34 Casus alter est, cùm sit in promptu alter, qui æquè efficax remedium est applicaturus iuxta præsentem necessitatem, ad illam subleuandam, & curandam, non minùs ac præstaretur per remedium illud sub iuramento edoctum; nam etiam nunc iniuria fieret illi, cui fuit iuratum, si absquè causa applicaretur contra eius voluntatem, quæ causa non adest, dum alter medicus æqualiter scit mederi.

35 Casus tertius est, si damnum inferatur edocenti remedium, non sinendo vt ipse lucretur per curationes à seipso factas; sed curando infirmos ille, qui dicit remedium; siuè id faciat cum lucro, siuè non; sufficit enim vt damnificet magistrum suum, & sic ratione damni tenetur stare iuramento. Per hanc doctrinam huius tertij casus, patet responsio ad primum argumentum *num. 2.* adductum.

36 Tandem notetur, quòd iuramentum non vtendi eodem remedio neque titulo Charitatis obligat in casu, quo eodem motiuo Charitatis velit mederi ille, qui iuramentum accepit; seu adest alter non minùs peritus, qui paratus est ex sola Charitate subuenire indigenti.

37 Et si petatur, an licitè applicaretur dictum remedium titulo Charitatis ab eo, qui dedit iuramen-

ramentum, quamuis sit ibi alter paratus sub eodem titulo, vel idem remedium, vel aliud simile applicare, cùm actus Virtutis debeant ad æmulationem aliorum exerceri, & sic meliùs erit facere Charitatem, quàm cedere socio, vt ipse Charitatiuè subueniat indigenti:

38 Respondeo non licere illi applicare remedium, sed teneri seruare iuramentum, nam in tali casu præsentiæ alterius medici æquuè apti, cessat ratio Charitatis respectu ipsius, & ità tradit Fagundez *in precept. decal. lib. 2. cap. 14. num. 17.* sed iste Author nullam de hoc assignat rationem, quæ fortassè est, quia supposito quòd adest alter peritus ad medendum, infirmus non est indigens ope illius, qui rem scit sub secreto; & quamuis ille indigens dicatur talis respectu cuiuscunquè scientis ipsum curare, vndè omnis sciens curare, faciet ipsi Charitatem, si remedium applicabit; nihilominus hoc totum verificatur non solùm in sciente, sed etiam in simul potente remedium applicare. Cùm ergo ille, qui iuramentum dedit non vtendi remedio neque titulo Charitatis censeatur non posse, vtpote impeditus à iuramento, dum alter vult necessitati subuenire, non erit in statu faciendi Charitatem, sicque sinet hanc ab alio præstari, absquè eò quòd ille deficiat in Charitate.

---

# DECISIO LVII.

**An annuum legatum 200. librarum monetæ, cum conditione, vt legatarij Filius Sacerdos Regularis celebret 200. Missas annuas, possit à legatario recipi, omissa ea conditione.**

## Casus, seu Historia LVII.

### SVMMARIVM.

1 *Casus proponitur.*
2 *Aliqua prænotantur.*
3 *Conditio non semper est talis.*
4 *Missæ eleemosyna est Filij, qui celebrat.*
5 *Non datur suum, nisi soluatur.*
6 *Filij obligatio erga parentes.*
7. 8 *Conditio impossibilis reijcitur.*
9. 10. 11 *Filius licèt professus tenetur adiuuare Patrem extremè indigentem.*
12. 13 *Hinc infertur pro nostro casu.*
14 *vsque ad 22 Varia de Professo erga Patrem grauiter, vel extremè egenum.*
23. 24 *Conditio interdum est modus.*
25 *vsque ad 28 Quæ conditiones suspendant, vel non suspendant actum.*
29. 30. 31 *Conditiones, quæ sunt potiùs modi.*
32. 33 *Resolutio præsentis casus.*

1 IN Ciuitate N. mortuus est Pirrus, relicto per legitimum testamentum legato ducentum librarum patriæ monetæ Siro fratri suo, qui cùm haberet Filium Religiosum Sacerdotem, posuit conditionem testator in dicto legato, vt idem Filius Siri, & nepos Pirri defuncti, celebret per singulos annos 200. Missas, quibus iuxta assignationem factam in Synodo dictæ Ciuitatis, correspondet eleemosyna ducentum librarum. Quæritur ergo an dictus Religiosus teneatur dictas Missas celebrare; & an in casu, quo eas non celebret, possit eius Pater dictum legatum recipere? Casus est rarus, & ad eum resoluendum non pauci fuerunt rogati, ac demùm requisitus etiam ego respondi vt sequitur.

2 Vt concludatur, quid in hoc casu dicendum sit, necesse est nonnulla prænotare. Aut enim Filius Siri est Religiosus Sacerdos Sæcularis; aut est Professus in aliqua Religione. Deinde, aut Religio in qua est Professus concedit aliquas Missas liberas ipsi Religioso; aut non concedit. Deniquè, aut Pater dicti Religiosi est in extrema necessitate, aut solùm est in graui egestate; & vel talis necessitas extrema fuit ab ipso contracta ante ingressum Filij in Religionem, vel post ingressum; sicut & grauis egestas Patris, aut successit ei post ingressum, vel eam patiebatur antequam Filius Religionem profiteretur.

3 Vlteriùs est attendendum ad mentem testatoris, an reuera tamquam veram conditionem addiderit in testamento, quòd Filius legatarij celebret per singulos annos 200 Missas, & maximè attendendum est an legatarius indigeat.

4 Dico primò, si Filius Siri est Sacerdos sæcularis, est dominus suorum Sacrificiorum, & eleemosynæ illi pro Missis obuenientes sunt propriæ ipsius, & non sui Patris. Ratio est, quia tales eleemosynæ sunt bona quasi castrẽsia; sed Filius habet dominium talium bonorum, vt communiter tradunt Doctores. Non ergo Filius Sacerdos sæcularis absolutè tenetur aliquid dare Patri de bonis, quorum est dominus; vndè Testator non potuit ponere in facto legato conditionem, vt Filius legatarij celebret, data eleemosyna non ipsi celebranti, sed alteri, qui quantùm ad hoc, est vt extraneus

neus respectu dicti Sacerdotis.

5 Confirmatur etiam, quòd dictus Filius Siri non teneatur Missas celebrare, nam nullus mercator tenetur dare suas merces iuxta mentem illius, qui soluit pecuniam alteri extraneo respectu dicti mercatoris; sed solummodò potest exigi à mercatore vt det suas merces, si ipsimet fiat solutio: ergo similiter seruatis seruandis, est dicendum de dante stipendium Missarum celebrandarum alicui extraneo, volens vt sinè stipendio quidam Sacerdos nominatus Missas celebret. Cùm igitur Filius Sacerdos sit velut extraneus respectu Patris quoad ei dandum suas Missas, non potest obligari nec à Patre, nec ab alio, vt eas celebret, nisi ipsi detur eleemosyna conueniens, vel nisi ipse consensum dederit, vt obligaretur, quod tamen non currit in nostro casu.

6 Limitanda est tamen doctrina allata, itaut verificetur, nisi Pater eiusdem Sacerdotis sit in egestate; etenim si est indigens, tunc recurrendum est ad doctrinam dicentem, Filium teneri succurrere, & adiuuare Patrem egentem, imò & matrem, etiam per operas artificiales ex pietate, quamuis non de iure iustitiæ. Ità Rebellus *de obligationib. iust. p. 2. lib. 15. quæst. vlt. num. 2.* Ex quo sequitur, quòd Filius Siri teneretur dictas Missas celebrare, vt sic succurreret Patri, qui eleemosynam recipit per legatum ei factum à testatore, qui testator meritò posuit conditionem illam in testamento, stante indigentia Siri, & obligatione eum adiuuandi in Filio Sacerdote sæculari.

7 Dico secundò: Si Sirus in nulla esset egestate, & Filius illius non celebraret Missas à testatore assignatas, posset nihilominus Sirus licitè recipere ipsum legatum ducentum librarum monetæ patriæ. Ratio est, quia impossibile censetur, quòd quis velit sibi onus imponere celebrãdi annuatim 200. Missas sinè eleemosyna, & sinè obligatione, sed solùm quia sic ab ipso exigit in testamento aliquis defunctus: sed conditiones impossibiles habentur, vt non appositæ in dispositionibus vltimæ voluntatis, iuxta communem opinionem, quam sequitur Molina *de primogenijs, cap. 12. num. 41.* Gregorius *ad l. 3. tit. 4. partita 5.* ergo non obstabit quin Sirus legatum recipiat, etiamsi Filius Missas non celebret, quia testatoris conditio est impossibilis, ac per consequens est vt non adiecta. Idem docent Gomesius, *2. resolutionum, cap. 4. num. 17.* Costa *ad l. cùm tale, §. arbitrata, limitatione 2. num. 2.* Et probatur hoc per multas leges, *§. de conditionibus Institutionum, & ff. de conditionibus, & demonstrationibus.*

8 Dico tertiò, si Filius est Sacerdos professus in aliqua Religione, & Pater ipsius non est in egestate, non tenetur Missas celebrare, & Pater potest legatum recipere, & hoc propter rationem allatam sub numero antecedenti, currit etiam paritas, quia censetur impossibilis talis conditio etiam respectu Filij Religiosi Sacerdotis professi, si eius Pater non indigeat.

9 Dico quartò, quòd si Pater laborat extrema necessitate antequam Filius intret Religionem, vel postquam Filius professus est incidit Pater in extremam necessitatem, tenetur omninò egredi, & sic omni modo subuenire Patri, petendo tamen licentiam egrediendi, etiamsi dictam licentiam non obtineat. Et

10 ratio est, quia si persona extranea esset in pari necessitate, & posset à Religioso subueniri, deberet talis Religiosus exire ad subueniendum ei, petita priùs licentia, licèt non obtenta: ergo à fortiori tenetur Filius Professus id præstare pro Patre extremè indigente.

11 Inde sequitur, quòd vt Pater possit recipere legatum ei relictum sub conditione, quòd eius Filius Religiosus professus celebret 200. Missas, teneretur eius Filius illas celebrare; nam cum ratione extremæ necessitatis Patris possit Religionem egredi vt eum adiuuet, non obstante reluctantia Superioris; à fortiori poterit Missas dicere, iuxta mentem testatoris, si cum illis Missis succurat extremæ Patris indigentiæ; & hæc est opinio, & doctrina omnium Doctorum, videatur Lessius *de iust. & iur. lib. 2. cap. 41. dub. 3. num. 34.* Quòd si Filius dictas

12 Missas non celebraret, & testator posuerit in testamento tamquam vera conditio, vt eas celebret, non posset Pater legatum recipere, conditione non impleta, cùm nec impossibilis, nec iniqua sit censenda talis conditio, stante Filij obligatione erga Patrem positum in ex-

13 trema necessitate. Notandum tamen est, quòd adhuc deficiente conditionis purificatione, posset Pater legatum recipere eo modo, quo extremè indigens potest accipere alienam rem, vt suæ prouideat necessitati.

14 Dico quintò: Si necessitas Patris est tantummodò grauis, & hanc patiatur antequam Filius intret Religionem, non potest Filius Religionem intrare, si non potest Patri succurrere, nisi manendo in sæculo; aut poterit Religionem ingredi, si per alium prouideat Patri. Ità Diuus Thomas *quodlibeto 3. quæstione 6. art. 16.*

15 Deo-

15 Deobligatur nihilominus ipse Filius manere in sæculo, vt Patri grauiter egenti prouideat, si manente in sæculo, esset in periculo propriæ salutis, quia non tenetur causa Patris se tali periculo exponere; sic tradit Syluester *verb. Religio 2. quæst. 7.*

16 Si ergo Filius intrauit Religionem, & professionem fecit existente Patre in graui necessitate, tenetur egredi, si aliter Patri nequeat subuenire. Ratio est, quia non poterat Religionem ingredi, contracta iam obligatione erga parentem. Ità Ioannes Maior *in 4. d. 38. quæst. 2.* & Nauarrus *comment. de Regularib. num 45.*

17 Vndè patet, Filium teneri Missas celebrare prout testator exigit in conditione posita ad legatum relictum suo Patri, vt Pater sic subleuetur, si per dictas Missas potest à Filio subleuari à graui sua necessitate. Si autem conditio volita à testatore non adimpleatur per eam celebrationem Missarum omissam à Filio legatarij, poterit, vel non poterit ipse Pater legatarius legatum recipere, iuxta prædicta *sub num. 11. 12. & 13.* huius Decisionis.

18 Dico sextò: Si Pater incidit in grauem necessitatem post Filij professionem, Filius non tenetur egredi; neque potest egredi repugnante Prælato. Ità docet D.Thomas *dicto quodlibeto 3. quæst. 6. art. 16. & 2.2. quæst. 101. art. 4. ad 4.* & Caietanus *ibidem*. Id probatur, quia Professus iam mutauit statum, nec ampliùs subest patriæ potestati, sed Prælato, vndè illi obligationi superuenienti non tenetur satisfacere, nisi quantùm potest saluo statu suo.

19 Ex hoc infertur, quòd si saluo statu suo, potest Filius professus Patri grauiter egenti succurrere, celebrando 200. Missas tenetur illas celebrare. Vel saltem debet tot Missas celebrare, quot saluo statu suo potest, sicuti esset si Religio concedat ei liberum aliquem numerum Missarum, qui numerus non pertingeret ad 200. In hoc casu posset postea Pater adhuc recipere legatum, quia conditio adiecta legato, vt Filius Religiosus celebret Missas, quas saluo statu suo non potest celebrare, haberetur pro non adiecta, vt supra dicebatur *sub numero 7.*

20 Verum tamen est, quòd quamuis Filius professus non teneatur egredi ad succurrendum Patris indigentiæ obortæ post Filij professionem, si solùm sit indigentia grauis; possit tamen egredi obtenta Prælati facultate; & in hoc casu si egrediatur, tenetur semper habitum deferre, dummodò cum habitu possit succurrere, aliàs posset habitum deserere, de quo videndus est Nauarrus *comment. 3. numero 44.*

21 Quare autem Professus non teneatur exire à Religione, vt succurrat Patris necessitati, in quam incidit post Filij professionem, nisi Prælatus ei det licentiam, est quia per votum obligatur Religiosus Prælato, & Deo, quæ obligatio superat obligationem erga Patrem, cùm præceptum de obseruando voto sit de prima tabula; præceptum verò de honorando Patre, est de secunda. Item quia primum præceptum est negatiuum, & secundum est affirmatiuum: ergo multò magis obligat, & astringit. Item quia illa, quæ semel Deo sunt dicata non possunt contra ipsius voluntatem vsurpari: ergo contra voluntatem Dei in Prælato prohibente non potest professus ad Patrem redire.

22 Nec obstat, quòd præceptum de honorando Patre extaret ante ingressum Filij in Religionem; ergo tenetur illud adimplere. Respondetur enim, quòd quidem extabat, sed vt præceptum affirmatiuum, & ideò obligabat limitatè, scilicet pro loco, & tempore; ac proinde cùm Filius non esset tunc obligatus, nequit in illo oriri obligatio, postquam ad alium statum transiuit. Multa alia luculenter ad rem præsentem adducta, videri possunt apud Emanuelem Rodericum *tom. 2. quæst. regular. quæst. 57. art. 3.* per totum.

23 Dico septimò, quod dicta hucusquè supponunt esse veram conditionem illud adiectum à testatore dicente; *lascio per ragione di legato à Siro mio fratello ducento lire annue, con conditione, che suo Figlio Religioso Sacerdote, e mio Nipote celebri ogni anno* 200. *Messe*. Nihilominus attendendum est ad mentem eiusdem testatoris, an reuera tamquam veram conditionem id addiderit. Est igitur sciendum non esse tam facilè scire cognoscere, quænam dispositio sit reuera conditionalis, & quæ sit modalis; nec enim per hoc, quòd cum expresso nomine conditionis dispositio exprimatur, de facto talis dispositio est semper verè conditionalis, sed potest fieri vt sit solùm modalis. Ita

24 & aliquando dispositio, quæ sub nomine expresso modi, aut pacti sit, iudicatur conditionalis; quapropter diligenter attendenda est intentio disponentis ex circumstantijs, an modalem, vel potiùs conditionalem dispositionem voluerit, & intenderit facere. Sic notat Rebellus *de obligationibus iustitiæ, part. 2. lib. 18. quæst. 14. num. 2.*

25 Est quoquè notandum, quòd conditio propriè

priè dicta, suspendit dispositionem propter appositionem euentus futuri incerti, sicque dispositio interim absolutè non obligat, donec talis euentus succedat, iuxtà §. *ex conditionali, Instituta de verbor. obligationibus*.

26 Conditiones verò respicientes tempus præsens, aut præteritum, aut quæ sunt de futuro necessario, vel impossibili, non suspendunt dispositionem, sed illam confirmant, seu infirmant, redduntque dispositionem puram, aut nullam, prout est à parte rei, quamuis à paciscentibus ignoretur. Sic habetur *ex §. conditiones, instituta citata*, & videatur Gomes 1. *re-*

27 *solut. c.* 112. Ratio quare tales conditiones confirment, aut infirment dispositionem, est quia ipsæ habent suam veritatem iam effectuatam, & sic dum apponuntur, sunt statim, nec indigent tempore, vt adimpleantur. Quòd si sint conditiones impossibiles, habentur tamquam non adiectæ, & ideò non vitiant, aut

28 firmant dispositionem. Exempla vt tales conditiones cognoscantur sint: si quis relinquat legatum alteri sub conditione vt Sol semel exortus post testatoris obitum, numquam occidat, hæc conditio est impossibilis, & reijcitur, & habetur tamquam non posita. Si autem quis dicat, dono tibi meum equum, si cràs Sol orietur; hæc conditio est de futuro necessario, & sic statim tenet. Si verò quis dicat, dono tibi meum equum si Petrus tuus frater discessit à Ciuitate; ista dispositio statim pariter tenet, cùm de facto verum sit, quòd Petrus aut est, aut non est in Ciuitate, sed discesserit.

29 At contra fit in quacunquè conditione, quæ tantummodò est modus, nam modus dispositioni appositus, etiamsi non seruetur, non ideò facit nullam esse dispositionem. Igitur ad cognoscendum an conditio sit vera conditió, vel sit modus, seruandum est pro regula generali, quòd in omni dispositione, & donatione, & legato, standum est voluntati disponentis, cùm liberalis dispositio alicuius non habeat maiorem vim, quàm fuerit disponentis intentio, & hæc intentio detegenda est, qualis sit, vel ex ipsis verbis, vel ex alijs circumstantijs, quæ dant præsumptionem, quid disponens intenderit, & voluerit. In dubio autem præsumitur potiùs modus, quam conditio. Rota *decis.* 362. *num.* 1. apud Farinac. *in prima collect. nouiss.* Menochius *l.* 4. *præsumpt.* 125. *num.* 15.

30 Si ergo in modali dispositione dicitur, vt modus adimpleatur antequam res in dispositione nominata obtineatur, tunc modus est vera conditio, & ideò si non impletur, nec res obtineri potest. Si verò modus ponitur in legato facto Ecclesiæ, aut ad pias causas tunc præsumendum est, non fuisse modum ea intentione appositum, vt intelligatur voluisse disponentem esse nullam suam dispositionem per hoc, quòd modus non ponatur: secus tamen est dicendum, si id exprimitur. Ità Rebellus *vbi supra, num.* 4.

31 Sic si Nuncius Papæ dispensaret cum Religioso, cui daret beneficium sæculare cum clausula, vt intrà annum obtineat nouam illius beneficij prouisionem à Papa, non deperderet ille Religiosus tale beneficium, nec vacaret, quamuis nouam prouisionem à Papa non obtineret; & ratio est, quia non est necessaria talis beneficij noua collatio, cùm clausula illa, *vt intrà annum obtineat nouam prouisionem*, non sit vera conditio, sed modus, vt expresse habet Sanchez *consilior. lib.* 2. *cap.* 2. *dub.* 27. *num.* 3.

32 Stabiliendum est igitur, quòd si Pater, cui factum est legatum, nullam patitur necessitatem, & conditio posita in testamento, sit potiùs modus, poterit etiam non impleto illo modo, videlicet vt Filius legatarij celebret Missas, legatum recipere. Item poterit legatum recipere, etiamsi esset vera conditio, quia censenda est imposibilis, ac per consequens erit vt non adiecta, sicut supra dicebatur: Hæc verificantur, quando Pater non eget neque grauiter.

33 Nec obstat, si dicatur: Pater non positus in aliqua egestate potest ex mox dictis recipere legatum ei factum cum vera conditione, vt eius Filius celebret tot Missas, etiamsi eas non celebret; ergo multò magis poterit Pater egens grauiter. Respondetur enim negando consequentiam, nam conditio adiecta vt Filius celebret, habetur vt imposibilis, quandocunquè Pater non patitur egestatem; pro quo recolantur supradicta *sub num.* 7. At si Pater indiget, Filius tenetur ei succurrere, vndè conditio exigita à testatore, vt Filius celebret, est possibilis, si potest poni saluo statu Filij professi ante Patris grauem indigentiam.

DECI-

# DECISIO LVIII.

*An vt Viaticum ministraret, & aliquos communicaret, licuerit Parocho Regulari celebrare in camera Infirmi, hora vigesima prima cum dimidia, die 20. Decembris.*

## Casus, seu Historia LVIII.

### SVMMARIVM.

1. *Casus proponitur.*
2. *vsque ad 6 Nunquam licet celebrare fracto ieiunio, aliàs punitur.*
7. *vsque ad 14 Hora celebrandi tum de iure, tum ex Priuilegio.*
15. 16. 17 *Hora communionem accipiendi.*
18. 19 *Aurora quid est.*
20. *vsque ad 26 Regulares posse vbique celebrare aliqui negant, alij affirmant.*
27. 28 *An sit lethale celebrare in loco priuato.*
29. *vsque ad 34 In cellis Infirmorum Regularium, & suarum Monialium licet celebrare.*
35 *Secus si sæcularis sit Infirmus intrà Monasterij cameram.*
36 *In Mari qualiter liceat celebrare.*
37. 38 *An subsistant citata Priuilegia.*

1 ÆGrotante Illustrissimo quodam Domino, cùm iam illi Viaticum esset administrandũ optauit Missam celebrari in eius camera, in qua decumbebat, propterea rogauit Parochum, qui erat Regularis, vt iuxta desiderium suum celebraret. Annuit votis infirmi ipse Parochus, & erecto ad intentum Altari in cubiculo ægrotantis, qui eo die multa passus est accidentia, impediuit Missam celebrari vsquè ad horam vigesimam primam cum dimidia diei vigesimæ Decembris. Dicta igitur hora celebrauit Parochus, Viaticum administrauit infirmo, & Communionem dedit familiæ ipsius. Hæc omnia vt sciuit Episcopus, aduocauit Parochum, & eum de factis increpauit: respondit Parochus se benè, & licitè omnia fecisse. Quæritur ergo quid iuris pro vtroquè foro quoad tempus, locum, & modum Missam celebrandi, sanosque, atquè infirmos communicandi.

### §. I.

*Ponuntur Regularium Priuilegia circa horam celebrandi Missam; & agitur de hora communicandi Laicos, & de ieiunio exigito.*

2 QVoad ieiunium est dicendum, nullatenus licere Sacerdoti non ieiuno Missam celebrare, etiamsi esset Parochus, qui suũ Parochianum communicare vellet, quamuis pro Viatico esset danda communio, & in Sacrario non haberetur nec vna particula consecrata. Hæc opinio est communis inter Doctores, eamque nominatim docent, D. Thomas 3. *part. quæst.* 80. *art.* 8. *& quæst.* 83. *art.* 6. *ad* 4. Victoria *in summa* §. 82. Sotus *in* 4. *dist.* 12. *quæst.* 1. *art.* 8. *col. penultima.* Syluester *verbo Eucharistia*, 3. §. 6. Nauar. *in Manuali, cap.* 21. *num.* 53. Ratio est, quia aliud est accipere Viati-
3cum; aliud est Viaticum dare: primum permittunt iura etiam non ieiuno; secundum verò prohibetur à iuribus nolentibus non ieiunum
4celebrare. Confirmatur, nam non est tanta necessitas dandi Viaticum, vt possit dispensari sine Papa, quòd Sacerdos non ieiunus celebret ad illud conficiendum, & ministrandum.

5 Imò si Sacerdos non ieiunus celebraret, posset priuari officio, & beneficio, iuxta Cardinalem *in cap. Nihil* 7. *quæst.* 1. *& in cap. ex parte, de celebrat. Missarum.*

6 Item posset excommunicari, prout tradit Bernard. Dias *in sua practica criminali, per cap. nihil, citatum, cap.* 29. & Boerius, *decisione* 4. ergo nunquam est licitum non ieiuno celebrare; quinimò si quis non ieiunus celebret, potest puniri.

7 Circa horam celebrandi Missas multa habent priuilegia Regulares, & primum sit illud, quod Alexander VI. *Bulla* 13. eis concessit; vt
8possint Missam facere ex causa, immediatè post duas horas mediæ noctis; & hoc priuilegium extendit ad Cleros sæculares, si celebrent in Domibus Regularium. Ità tenet Cruz, *lib.* 2. *cap.* 5. *dub.* 6. *conclus.* 2. F. Martinus à S. Ioseph, Caspensis, Dicastillus, & Lugo, quos citat, & sequitur Diana, *part.* 11. *tract.* 11. *resol.* 25.

9 Aliud priuilegium fauorabile Regularibus, est illud, per quod possunt Missas celebrare per horam ante auroram, videlicet per tres horas ante solis irradiationem. Ita Peyrinus, *de priuil. ad Constitut. Pyrrhi*, *num.* 2. Leander, Thomas Tubur. Pellizzarius, & alij apud Dianam, *loc. cit. resol.* 246.

10 Tertium priuilegium fuit concessum Viuæ vocis oraculo à Leone X. Minoribus, vt illico post matutinum possint Missas celebrare. Et hoc idem priuilegium concessit postea Congregationi S. Iustinæ Gregorius XIII. similiter Viuæ vocis oraculo; & sic testatur Peyrinus, *ad Constit. Pyrrhi*, *num.* 20. & Dicastillus, *de Eucharistia*, *tract.* 5. *disp.* 4. *dub.* 4. *nu.* 58. Et

hæc tria priuilegia cùm se teneant ex parte temporis celebrandi ante auroram, non inseruiunt ad decisionem casus propositi, quamuis ad plenariam lectoris scientiam placuerit illa adducere, vt tum cum ipsis, tum cum adducendis noscantur omnia priuilegia circa horam celebrandi Regularibus concessa.

11 Nunc transeundo ad horam celebrandi ex priuilegio post meridiem; dico posse Regulares celebrare vna hora post meridiem, iuxta priuilegium PP. Societatis Iesu concessum à Gregorio XIII. *Bulla* 22.

12 Extat & aliud priuilegium magis amplum, quod concedit Regularibus posse celebrare Missam vsquè ad horam nonam inclusiuè, nempè vsquè ad tres horas post meridiem; & ità concessit Eugenius IV. *Bulla* 11. Benedictinis itinerantibus, aut alia de causa. Sic dicit Cruz, *in Epitome lib. 2. cap. 5. dub. 7. conclus.* 2. Dicastillus, *de Eucharistia, tract. 5. disp. 4. dub. 6. num.* 58. & alij. Notandum tamen est, quòd

13 causa, quæ requiritur ad hoc priuilegium, non est necesse, vt sit maxima, quapropter sufficiet causa valetudinis, ob quam non tam citò à lecto surgere quis posset. Item sufficiens causa erit, si studendi causa fuerit quis occupatus; seu in perficienda incæpta Confessione; seu si alia similis occurret causa, quæ rationabilis rationabiliter iudicetur. Ità Tambur. & Diana *part. 10. tract. 15. resol.* 27.

14 Ex hoc priuilegio sequitur manifestè pro decisione præsentis dubij, an scilicet Parochus Regularis potuerit licitè celebrare hora 21. cum dimidia die 20. Decembris, quòd potuerit, si tamen sit ieiunus, & causa dandi Viaticum sit rationabilis. Ratio est nota, nam Regulares habent Priuilegium celebrandi per tres horas inclusiuè post meridiem data causa: sed hora 21. cum dimidia, die 20. Decembris est intrà tres horas post meridiem, vbi altitudo poli surgit ad gradus 44. ergo Parochus ille Regularis, cùm celebrauerit in tali poli altitudine dicta hora, & ex iusta causa, & iuxta suum priuilegium, & ieiunus, profectò licitè celebrauit, & officio suo rectè functus, Viaticum administrauit, siuè darentur, siuè non darentur particulæ consecratæ in Sacrario, cùm illis vti non teneretur, non minùs, ac si medio mane celebraret, & particulam pro Viatico consecraret, non attendens, nec considerans, nec scire volens, an in pixide dentur particulæ iam consecratæ.

15 An postmodum tam serò potuerit Laicos communicare; seu an ipsi Laici potuerint in illa tam tarda Missa Eucharistiam recipere; respondeo affirmatiuè tùm ex parte administrantis, tùm ex parte recipientis, si sit ieiunus. Ratio est, quia nullo iure, aut consuetudine datur prohibitio, ne communio accipiatur post meridiem; ergo licitum erit Laicis in illa Missa, quæ ante meridiem incipit, & post meridiem continuatur, Eucharistiam accipere, dummodò sint ieiuni; ergo etiam in illa Missa poterant Laici communionem accipere, quam Missam Sacerdos ob priuilegium, quod habet, inchoauit vna hora post meridiem, aut ante lucem, sicut clarè docet Azorius *instit. moral. tom.* 1. *lib. 10. cap. 25. quæst.* 8. Henriquez *lib. 9. de Missa, cap. 24. num.* 6. Syluester *verbo Eucharistia*, 3. *q.* 15. Angelus *verbo Eucharistia*, 3. *num.* 35. Ergo & poterant Laici si sint ieiuni communicari in Missa, quam Sacerdos celebrat ex priuilegio quacunquè hora.

16 Et si obijciatur dari consuetudinem, vt communio ante meridiem accipiatur; respondetur, quòd talis consuetudo ideò datur, quia tunc communiter Missæ dicuntur, non verò quòd ita sit introducta, vt non possint Fideles communionem accipere qualibet hora diei, si sint parati, ac ieiuni; & sic obiectioni respondet Fagundez *in primum Ecclesiæ præceptum, lib. 3. cap. 17. num.* 20.

17 Et idem Fagundez *in tertium Ecclesiæ præceptum, lib. 3. cap. 7. num.* 13. animaduertit, nulla diei hora etiam post meridiem, prohiberi ieiunum communicare, etiamsi sanus, ac benè valens sit; & idem tenent Syluester *verbo Eucharistia* 3 §. 16. *num.* 5. Angelus *verbo Eucharistia*, 3. §. 36. Tabiena *verbo Missa, nu.* 6. Henriquez *lib. 8. Euchar. cap. 53. num.* 5. & alij. Se-

18 cus est de celebratione Missæ, quæ est facienda statutis horis iuxta communem consuetudinem, nisi quis habeat priuilegium, vt dictum est. Hora autem celebrandi communiter, est

19 ab aurora vsque ad meridiem. Aurora verò est, quando signa orientis solis per discussionem tenebrarum, & aliquam aeris illustrationem incipiunt apparere, nam ipsa aurora ad diem ciuilem, seu artificialem spectat, vt dicit D. Tho. 3. *part. quæst.* 83. *art.* 2. Durandus *in 4. dist. 13. quæst.* 2. Paludanus *ibi, quæst. 2. art.* 2. Mandosius *in praxi signaturæ, titulo Altare*; & alij multi.

§. II.

## §. II.

### An post Concilium Tridentinum possint Regulares extra claustrum celebrare in omni loco decenti in Altari portatili.

20 NVnc restat videre, an Parochus ille Regularis potuerit celebrare in camera sæcularium. Et respondeo, quòd pro respectu ad duplex tempus, potest de hoc dubitari, nempè vel ante Concilium Tridentinum, vel post dictum Concilium celebratum. Si ergo quæratur an potuerit antè dictum Concilium in dicta camera sæcularium Missam celebrare cum Altari portatili consecrato, dico quidem potuisse ratione Priuilegij Regularibus concessi, vt possint vbilibet celebrare, etiam in Domibus priuatis particularium sæcularium. Tale priuilegium concessit Minoribus Sixtus IV. *Bulla* 14. & Eugenius item IV. & sic tenent Cruz, Ledesma, Rodrig. Portel. quos refert, & sequitur Diana *3. part. tract. 2. resol.* 80 Lezana *summ. tom. 3. verbo Altare, num.* 13. Belasius *verbo Altare, num.* 8. Lugo, quem refert, & sequitur Dicastillus, *de Eucharistia, tract.* 5. *disp.* 4. *dub.* 6. *num.* 104. Ledesma, Marchinus, & alij, qui omnes loquuntur indefinitè, scilicet non limitantes hanc suam opinionem ad tempus ante, vel post Concilium Tridentinum, propterea certum est, licitum fuisse Regularibus vtentibus, & communicantibus in priuilegijs, posse celebrare cum Altari portatili in cubiculis sæcularium, nam si quæ de hoc est difficultas dubitandi, est propter quoddam decretum eiusdem Tridentini Concilij, de quo mox loquemur. Imò idem tradit Lezana, *part. 1. quæst. Regul, cap. 21. num.* 14. vbi asserit, ità concessisse Carmelitis Vrbanum V. & Minimis Iulium II.

21 Possunt quoque Regulares Missas celebrare, ob priuilegium Alexandri VI. inter eius Viuæ vocis oracula concessum, in cameris sæcularium, & in plateis, dato quòd non videantur loca honesta, quia in cameris sæcularium dormiunt coniugati, & in plateis fiunt multa profana, vt notat Antonius à Spiritu Sancto, *in directorio regularium, part. 1. tract. 2. disput. 2. sect. 4. §. 2.* qui totus est de consimilibus priuilegijs concessis Regularibus circa locum, & tempus Missas celebrandi.

22 An verò post Tridentini Concilij celebrationem sint reuocata priuilegia celebrandi Missas in Altari portatili in quocunquè decenti loco Regularibus concessa, diuersimodè sentiunt Doctores. Et primò pro parte affirmante dicta priuilegia esse reuocata per decretum Tridentini, *de obser. & vitand. in celebrat. Missæ*, quod habetur *sessione* 22. sunt Azorius, *instit. moral. tom. 1. lib. 10. cap. 26. quæst.* 7. Suarez, *3. part. tom 3. disp. 81. sect. 3. vers. Quarta exceptio.* Fagundez, *de quinque præceptis Ecclesiæ prac. 1. lib. 3. cap. 13. num.* 16. Chamerota, *dub. 15. de Eucharist.* Faustus, *de Eucharist. lib. 2. de sacrific. Missæ, quæst.* 171. Coninchus, *de sacramen. quæst.* 83. *art. 3. dub. 1. nu.* 226. Peregrin. *in compend. priuileg. Cler. regul. par. 1. tit. Missa*, § 2. Lezana, *part. 1. quæst. regular. cap. 21. num.* 14. Barbosa, *de offic & potest. episc. part. 2. allegat.* 23. *num.* 4. Bcca. *part. 4. resp. cas. conscient. c. s* 33. *ver. & q. amuis.* Tabena, *verbo Missa*, §. 7. Henriquez, *lib. 9. de Missa, cap. 27. num.* 2. Nauarrus *in Manuali, cap. 25. num.* 82. Ratio horum Doctorum est, quia dictum Tridentini decretum continet clausulam: *Non obstantibus quibuscunquè priuilegijs*. Et in eodem decreto Episcopi constituuntur delegati Sedis Apostolicæ ad corrigendos abusus in celebratione Missarum, & singulariter eis imponit, ne patiantur Missas celebrari extra Ecclesiam, seu in Domibus priuatis, nec à sæcularibus, nec à Regularibus Sacerdotibus; ergo videtur fuisse ablata quælibet priuilegia contraria huic Decreto Sacri Concilij Tridentini.

23 Item facit pro citatis Doctoribus priuilegium Gregorij XIII. concessum Missionarijs Societatis Iesu, vt possint ad libitum in quocunquè loco decenti celebrare cum Altari portatili; & ex hoc priuilegio inferunt fuisse per Tridentinum reuocata priuilegia huiusmodi, nam si non essent reuocata, superfluum esset hoc priuilegium de nouo concessum, esset enim non necessarium, si aliud simile, imò magis amplum daretur.

24 Nihilominus non desunt alij plures Authores negantes dicta priuilegia fuisse reuocata per dictum Tridentini Decretum. Ità Marchinus, *de sacram. ordin. tract. 3. part. 3. cap. 9. nu.* 12. Rodriguez, *tom. 1. quæst. regular. quæst. 43. art. 5. & tom. 3. sum. cap. 19 num.* 3. Portellus, *in dubijs regul. verbo Altare, num.* 1. Ledesma, *1. par. sum. cap. 20. de Euchar. difficul. 4. circa conclus.* 2. vbi ait ità sentire alios viros doctos, & nominatim citat Medinam. Io. à Cruce, *lib. 2. de priuileg. regular. cap. 5. dub. 7. post conclus 4. ver. Si obijcias decretum*, Hieronym. Rodriguez, *in compend. quæstion. regular. resol. 9. num.* 4. Lugo, *disput. 20. de Eucharist. sect. 2. num.* 51. & alij, qui omnes asserunt,

etiam hodie licitum esse Regularibus Missas celebrare cum Altari portatili in quolibet decenti loco, dummodò id ab Episcopis non prohibeatur ipsis, quia tali data prohibitione non possent celebrare. Hinc est, quòd si Episcopus nullam intimauerat prohibitionem Parocho Regulari, de quo agitur in ista Decisione, potuit licitè idem Parochus cum Altari portatili celebrare in camera illius infirmi, supposita loci decentia.

25 Quantum spectat ad citatum Decretum Tridentini, respondendum est, non esse prohibitiuum actus celebrandi, sed concessiuum Episcopis, vt facultatem habeant prohibendi etiam ipsis Regularibus, non obstantibus quibuscunque eorum priuilegijs. Ergo possunt Regulares vti priuilegio prædicto, donec eis ab Episcopo prohibeatur; nam ante Episcopi prohibitionem nulla alia datur prohibitio, quominùs valeant tali priuilegio vti. Ità respondent, & tenent Cruz, *in epitome lib. 2. cap. 5. dub. 7. conclus. 2.* Vrbanus, *tract. 2. part. 2. dist. 1. cap. 2. regula 7.* Dicastillus, *de Eucharistia, tract. 5. disp. 4. dub. 6.* Pasqualigus, *decision. moral. decisione 54. num. 4.* Et ità pro veriori opinione est tenendum, vt latè docet Leza, *Summ. tom. 3. verb. Altare, num. 13.*

Hinc ad casum præsentem duas adduxi opiniones, ex quibus iudicium fit in fauorem tam Episcopi, quàm Parochi; & ideò Episcopus non poterat contra Parochum reclamare, nisi priùs prohibuit, cùm ex vi Trident. *sess. 22. in decret. de obseru. & vitand. in celebrat. Miss.* ius habeāt Episcopi prohibendi Regularibus eiusmodi Missarum celebrationem in Altari portatili, & tunc non poterunt celebrare, quia accedente Episcopi prohibitione, Tridentinum reuocat apertè priuilegia taliter celebrandi in dicto Altari. Et notetur, quòd nullo fundamento prætendi potest semper vigere dicta priuilegia adhuc facta prohibitione per Episcopum, licèt sic Tridentinum ea reuocet; & ideo Alexander VII. hanc damnauit propositionem, quæ est 36. inter alias ab ipso damnatas: *Regulares possunt in foro conscientiæ vti priuilegijs, quæ sunt expressè reuocata per Concilium Tridentinum.* Nec iuuat distinguere de priuilegijs concessis titulo remunerationis, & de concessis sinè tali titulo, vt inferatur propositionis damnationem non stare pro priuilegijs recōpensatiuis, sed de alijs; & posse celebrare in Altari portatili fuisse priuilegium in remunerationem Regularibus datum: Hæc inquā distinctio non suffragatur, nam eluderet, & frustraneam redderet Tridentini dispositionem, cùm omnia Priuilegia Regularium possint prætendi eis in remunerationem concessa; eiusmodi autem elusoria interpretatio non admittitur, *l. 3. ff. de milit. testam.* & *l. si quando, ff. de legat. 1.* & traditur à multis, quos retuli *decis. 10. num. 52.* Quòd si dicatur frustranea illa dispositio Concilij tantùm quoad forum internum, eò quia priuilegia data titulo remunerationis nequeunt reuocari: Respondetur negando totum, & ideo Alexander VII. expressè damnauit doctrinam loquentem pro foro conscientiæ. Et quòd saltem ex causa Principi benè visa, possit reuocari remuneratoriè concessum priuilegium, *vide decis. 61. num. 18. vers. Idem Alexander*; & docent Iason, Rim. iun. Afflict. Roland. Tiraquell. Pinel. Gab. Nauar. & alij, quos citat Gabr. à S. Vinc. *de remed. ignoran. disp. 13. dub 8. num. 58.* Igitur nihil conforme propositioni damnatæ continet affirmare, quòd possint Regulares celebrare in Altari portatili.

26 Et Pasqualigus *loco citato*, sed *num. 8.* respondens ad Priuilegium Gregorij XIII. adductum *sub num. 23. huius decisionis*, dicit non esse frustraneum, cùm aliquid de facto operetur, nam operatur ne ab Episcopis possit prohiberi illis Missionarijs Societatis Iesu, vt ad eorum libitum non celebrent cum Altari portatili in quocunquè loco decenti. Non igitur ex hoc nouo priuilegio rectè arguitur reuocatio priuilegiorum antecedentium circa eamdem materiam, cùm tantummodò arguatur ablata, seu adempta facultas Episcopis, quæ eis per Decretum Tridentini Concilii fuerat concessa, vt possent prohibere, prout dictum est.

27 Et si quæratur, an dato non licere Sacerdoti celebrare in loco priuato sinè iusta, & legitima causa, peccet mortaliter, si in tali loco sinè causa celebraret; respondet Sotus, *in 4. dist. 13. q. 2. art. 3.* quòd si id faceret sinè contemptu legis, & sinè alicuius offensione, non

28 peccaret mortaliter. Probabilior est tamen contraria opinio Nauarri *in Manuali, cap. 25. num. 81.* quem citat, & sequitur Azorius *instit. moral. tom. 1. lib. 10. cap. 26. quæst. 8.* nam colligitur hoc esse lethale, ex graui pœna in iure constituta contra Sacerdotem taliter facientem, & sic *in cap. Nullus, de consecra. d. 1.* habetur: *Nullus presbyter Missas celebrare præsumat, nisi in consecratis ab Episcopo locis, qui sui particeps de cætero voluerit esse Sacerdotij.* Et *in Conc. 6. generali, can. 31.* videtur constitui, vt qui extra Ecclesiam ministrat, vel baptizat,

ab

ab officio amoueatur; & habetur *in cap. Clericos, de consecra. d. 1.* Et ex hucusquè dictis, manifestè constat prudenter, doctè, & licitè celebrasse cum Altari portatili Parochum Regularem.

## §. III.

*An, & quando liceat Regularibus celebrare Missam in cella Infirmi intrà clausuram etiam Monialium; & quid de Sacerdotibus in Mari.*

29 AD complementum huius decisionis, ratione dubiorum, quæ possent oriri circa Regulares Infirmos, vel in camera Monasterij, vel in cubiculo sæcularium, expedit adducere breuiter, quali gaudeant priuilegio, vt in eorum cameris Missa celebretur. Dico igitur, amplissimè licitum est Regularibus celebrare in cameris, seu in cellis suorum Infirmorum, si tales Regulares communicent in priuilegiis. Ità concessit Pius IV. Canonicis Regularibus Sancti Saluatoris Lateranensis, sub die 18. Maii, anno 1565. Pontificatus sui anno sexto; & sic habetur *in priuileg.* eorumdem Canonicorum Lateranensium; & refertur *in compend. Priuileg. Congreg. Sanctæ Mariæ Fulensis, tit. Infirmi, §. 5.* & ità notant Peregrin. *in compend. priuileg. Cleric. Regul. tit. Infirmi, §. 2.* Marchinus; *de sacram. ordin. tract. 3. de sacrificio Missæ, par. 3. cap. 9. num. 12.*

30 Nec tali priuilegio obstat Decretum supradictum Concilii Tridentini; nam fuit concessum post dictum Concilium, & cum amplissimis clausulis derogatoriis Constitutionum editarum in Conciliis Generalibus, nec vlla requiritur Episcoporum licentia, sicut expressè habetur in dicto priuilegio; & ità obseruat Pasqualigus, *Decision. mor. decisione 176. num. 2.*

31 Et *loco citato, num. 3.* notat idem Pasqualigus, quòd hoc priuilegium non est solùm pro Religiosis viris, verùm etiam pro mulieribus Regularibus, quæ viuunt sub eodem instituto eorumdem Regularium, dummodò subsint eorum regimini, & Monasterium sit ipsorum; sicque & ipsæ ex vi huius mox dicti priuilegii poterunt facere celebrare in cubiculis suarum infirmarum, de licentia tamen illorum, quibus competit eam dare pro ingrediendo Monasterio. Expedit tamen hoc priuilegium non tam facilè practicare intrà Monialium Monasteria.

32 Et vt dictum priuilegium ad praxim deducatur, non exigitur infirmitas magni momenti, cùm in ipso priuilegio exprimatur sufficere, vt causa infirmitatis non possit Infirmus exire à cubiculo.

33 Item cauendum est, ne in huius priuilegii exercitio scrupolosè procedatur, cum possit practicari cum tota illa amplitudine, cum qua fuit concessum; propterea cùm sit concessum pro omnibus, & pro quacunquè infirmitate, non est restringendum ad aliquas personas, nec ad solas graues infirmitates; neque debent Superiores esse parciores in illo admittendo, quàm Pontifex in concedendo. Summoperè tamen caueatur, vt semper cum debita decentia exerceatur.

34 Quòd si contingat Regularem infirmari in cubiculo sæcularium, poterit ad se aduocare quemcunquè Sacerdotem maluerit, vt intrà ipsius cameram, in qua decumbit, celebret Missam. Ratio est, quia Priuilegium celebrandi in cameris, aut cellis Regularium infirmorum, non est locale, sed personale, & sic semper sequitur personam, vbicunquè sit. Ità habetur *cap. priuilegium, de regulis iuris, in 6. & l. priuilegia quædam; & l. in omnibus, ff. de regulis iuris.*

35 Vndè sequitur, quòd in camera, aut cella intrà Monasterium posita, si infirmetur aliquis sæcularis, non potest celebrari, nisi priuilegium esset locale, vt de se clarè constat; vel nisi celebrans habeat priuilegium personale.

36 An autem liceat celebrare in Mari; respondent multi affirmatiuè, seruatis tamen quibusdam circumstantijs, vt quòd nauis sit magna, & tempus serenum, Mareque tranquillum, & nauigatio sit longissima, vt quando fit ad Indias, & hoc licet ex priuilegio concesso à Clemente VII. & à Paulo V. quod priuilegium est commune Regularibus priuilegiatis, & alijs Sacerdotibus. Ità cum multis tenet Antonius à Spiritu Sancto, *in director. regular. part. 1. tract. 2. disput. 2. sect. 4. §. 2.* vbi item notat idem licere in fluminibus, cum Layman, Hurtado, Diana, Pellizzario, & aliis.

37 Prædicta Priuilegia ferè omnia admittit Molfesius, & cum eo nouissimè illa approbat Nouarius *in Lucerna Regularium, verbo Missa, num. 20.*

38 Nec obstat, si cum Lezana *tom. 1. cap. 20. num. 2* dicatur fuisse quasi omnia reuocata per quandam declarationem Sacræ Congregationis, & ideò non posse ad practicam deduci. Respondetur enim, quòd de tali declaratione nobis authenticè non constat; & idem dicendum est de quadam reuocatione Pii Quinti,

ti, quam refert Belasius, *verbo Missa, num.* 26, & ità respondet Antonius à Spiritu Sancto *loc. cit.*

# DECISIO LIX.

*An parentes Beneficiati defuncti tempore messis possint licitè eius mortem celare, donec messem fructuum beneficij pro se ipsis recondant.*

## Casus, seu Historia LIX.

### SVMMARIVM.

1 *Casus proponitur.*
2 *De bonis beneficij nequit testari.*
3. *vsque ad 6 Cui debeantur fructus beneficij vacantis.*
7 *An aliquando debeantur parentibus.*
8. *vsque ad 21 De quibus possit beneficiatus interdum disponere, vel non, ità vt peccent recipientes.*
22. *vsque ad 25 De superfluis beneficij quando licitè, vel illicitè disponitur.*
26. *vsquè ad 35 Varia circa beneficiati testamentum, ac circa eius beneficij fructus; & de consuetudine pro illorum consumptione vanè, vel auarè.*

1 INstante iam tempore messis, obiit in quadam Villa, quidam Beneficiatus, & quidem morte subitanea. Erant huic Beneficiato Pater, Mater, & Soror vna, & omnes vnanimi consensu messem citò colligentes, eam domi condiderunt, qua reposita publicauerunt mortem ipsius Beneficiati, ad cuius beneficii fructus ea messis spectabat. Cùm ergo in veritate facti fuerit messis collecta post obitum Beneficiati, quæsitum fuit an messis sit restituenda.

2 Non paucis viris doctis visum est, ad hoc dubium fuisse respondendum tamquam pro certo, messem esse iniustè reconditam, ac proinde obnoxiam restitutioni. Potissimam adducebant rationem; nam de redditibus beneficij non potest beneficiatus testari; ergo à fortiori mortuo beneficiato, non poterunt spontè ab eius parentibus tolli fructus beneficij iam vacantis totaliter pro successore.

3 Vndè suam confirmabant opinionem, quia in iure cautum est, quòd Beneficiorum, & Præbendarum fructus, qui colliguntur tempore vacationis ob mortem beneficiati, debent expendi in vtilitatem Ecclesiæ, vel debent reseruari futuro successori, & si defunctus erat Canonicus, dantur Collegio Canonicorum, & sic habetur *cap. quia sæpè, de electione in 6. & cap. præsenti, de offic. ordin. in 6. cap. relatum,* 2. *de testam. & extrauag.* Ioann. XXII. *suscept. de elect.* Couarruuias *eodem cap. relatum, num.* 2. & 3. Syluester *verb. Beneficium* 5. *n.* 1. ergo defuncto beneficiato vt in casu, non poterant fructus vacantis beneficij à defuncti parentibus sibi appropriari, dummodo ex dictis fructibus tantum non acceperint, quantum opus erat pro soluendis debitis, vt infra traditur posse fieri.

4 Et idem confirmatur, quia etiam Episcopatu vacante, fructus ipsius reseruantur successori, & Canonicorum Capitulum tenetur de illis rationem reddere; & ità faciendum esse colligitur *ex d. cap. quia sæpè*, & ex Couarruuias *ibi, num.* 3. ergo quorumcunquè beneficiorum vacantium fructus, reseruantur successoribus, vel in Ecclesiæ vtilitatem insumuntur, vt dictum est.

5 Vlteriùs probant hoc idem, nam fructus Beneficij vacantis non possunt à successore, qui illos percipit pro suo libito, neque in proprios vsus, aut in sui vtilitatem insumi, sed tantùm in pias causas, aut in Ecclesiæ vtilitate. Ratio est, quia illi fructus, seu redditus dantur propter ministerium; sed ille successor nihil laborauit, nec ministrauit toto tempore vacationis beneficij; ergo pro suo libito non potest expendere fructus perceptos temporis vaca-

6 tionis. Insuper probatur, nam tales fructus dantur successori tamquam administratori; ergo tenetur eos dispensare; & sic manifestè colligitur *ex dicto cap. relatum*, vbi dicitur: *Is ea bona, sicut & alia ipsius Ecclesiæ in Dei timore dispenset.* Et Syluester *verb. Clericus* 4. *q.* 17. *num.* 13. dicit teneri ea administrare sicut bona communia Ecclesiæ; ergo nullà apparet ratio, cur potuerint parentes beneficiati defuncti percipere sibi ipsis fructus beneficij prout narratur in præsenti casu.

7 Verùm hucusquè dicta quamuis habeant veritatem si aliud non concurrat, & obstet, nihilominus fieri potest, vt licitè messem illam sibi acceperint consanguinei beneficiati defuncti. Quomodò autem id possit accidere, constabit ex infra dicendis inter varias conclusiones, quas ad abundantem huius materiæ intelligentiam adducere videtur expedire.

8 Conclusio prima sit, quòd Clerici benefi-

ciati

ciati si bona patrimonialia possident possunt de illis ad suum placitum disponere etiam per testamentum, ea quibuscunquè voluerint relinquendo. Probatur, nam de talibus bonis habent plenum dominum, & tale vt nulla lege eis prohibeatur de illis testari, sicut neque obligantur aliquo iure ea in pios vsus applicare; ergo liberum totaliter est Clericis beneficiatis sua bona patrimonialia pro suo libito distribuere. Hæc opinio est certa; & communis, & sic eam docent Molina *lib. 2. de primog. cap. 11. in num. 27.* Couarru. *cap. 1. de testam. num. 3.* Nauarrus *opuscul. de reddit. q. 3. num. 1. & summa vulgari, cap. 25. num. 130.* Turrecrem. *12. q. 5. c. nulli dubium, num. 2.* Panormitanus *cap. cùm omnes, de testam. num. 22.* Richardus *4. dist. 45. art. 3. quæst. 1.* Alensis *3. p. q. 36. membr. 5. art. 3.* Armilla, Abulensis, Rosella, Syluester, D. Anton. & alij. Si ergo beneficiatus moriatur, bona patrimonialia ipsius spectabunt ad eos, quibus de iure competunt, nisi ipse disposuerit.

9 Conclusio secunda sit, quòd si Clericus habeat quasi patrimonialia bona possit de illis liberè testari, sed cum distinctione secundùm aliquos. Igitur si bona quasi patrimonialia relicta sint Clerico intuitu, & contemplatione Ecclesiæ, vt quia erat Sacerdos parochialis; de talibus bonis nequit testari, nec ad libitum suum disponere; & hanc sententiam tradunt Syluester *verb. Clericus 4. q. 3.* Armilla *verb. clericus, num. 18.* Rosella *verb eod. 4. num. 3.* Ang. *eod. verb. 13. num. 5.* Panormitanus *cap. cùm in offic. de testam.* & alij plures apud Couarruuiam *cap. 1. de test. num. 11.* Et iuxta hanc opinionem non possunt bona quasi patrimonialia Clerici ab eius parentibus hæreditari, si contemplatione Ecclesiæ fuerant Clerico relicta.

10 At generaliter loquendo, verior opinio tradit, licitum esse Clerico liberè testari de quibusuis bonis quasi patrimonialibus; & hoc suadetur eadem prorsus ratione, qua supra probatum est, posse testari de patrimonialibus; sic dicit Innocentius *cap. quia nos, de testament.* Nauar. *opuscul. de reddit. q. 3. num. 1.* & alij; vndè parentes beneficiati defuncti possunt talia bona percipere, non attendendo an sint quasi patrimonialia relicta intuitu Ecclesiæ, in qua erat Sacerdos, an intuitu personæ.

11 Conclusio tertia sit, quòd, de bonis immobilibus beneficiorum, non possunt Clerici testari, cùm talium bonorum non sint domini, & ea alienare illis nullatenus liceat; & ità communiter tamquam certissima tenetur ista opinio, & nominatim eam docent Nauar. in *summa vulgari, cap. 25. num. 128.* D. Antoninus *3. par. tit. 10. cap. 3. §. 14.* Abulensis *in Matth. cap. 7. quæst. 74.* Gabr. *4. dist. 15. q. 8. art. 3. dub. 9.* Syluester *verb. Clericus, q. 2.* Rosella *Clericus 4. num. 1.* Armilla *verb. Clericus, num. 18.* Turrecrem. *12. q. 5. c. nulli dubium, num. 9.* Iuxta quam sententiam bona immobilia alicuius beneficij nulla ratione possunt ità à beneficio seiungi, vt ipsi beneficio deperdantur; quapropter si beneficiatus expenderet de patrimonialibus bonis suis in vtilitatem Ecclesiæ, nunquam posset pro expensis sibi accipere de bonis immobilibus beneficij, & multò minùs id possunt eius parentes, aut hæredes, seu debitores; vndè ad seruandam in hoc iustitiam, & æquitatem, ponam qualiter sit faciendum in conclusione sequenti.

12 Conclusio quarta sit, quòd quando beneficiatus insumpsit de suo patrimonio in vtilitatem Ecclesiæ, potest de tanta quantitate redditiuum beneficij testari, quanta fuit quantitas, quam expendit pro Ecclesia. Ratio euidens est, nam in tali casu, non ponit in testamento dispositionem aliquam cum redditibus Ecclesiastici beneficij, sed solùm propriè disponit de bonis patrimonialibus; ergo licitè testatur. Sic colligitur *ex c. si Episcopus 12. q. 5.* & ita etiam tenent Panormitanus *c. cùm in officijs, de testam.* Nauarr. *opusc. de reddit. q. 3. num. 6. & 7.* Syluester *verb. Clericus 4. q. 3.* Rosella *verb. eod. num. 1.* Ang. *Clericus 13. num. 2.*

13 Ex hac quarta conclusione potest difficultari, an ergo parentes beneficiati defuncti licitè acceperint messem collectam ex fundo beneficij, sed post mortem beneficiati, dato casu, quòd ipse de patrimonio insumpserit in vtilitatem Ecclesiæ, & messis sit tanta, quantæ fuerunt dictæ expensæ de patrimonio pro Ecclesia. Ad hanc difficultatem videtur posse responderi cum distinctione. Aut enim constat mentem beneficiati fuisse expendere de patrimonio pro Ecclesia, vt sibi postea compensaret cum messe beneficij; aut non constat de tali mente: Si constat, dicerem posse parentes, ad quos perueniunt bona patrimonialia beneficiati defuncti, accipere talem messem, tamquam partem bonorum patrimonialium ipsius beneficiati; & ratio esse potest, quia ipse beneficiatus dum expendit de suo pro Ecclesia cum intentione sibi resarciendi expensas dictas cum messe futura, fuit ab Ecclesia ipsimet beneficiato facta tacita renuncia-

ciatio, aut tacita hypotheca talis messis pro eo, quod de præsenti ipse dabat Ecclesiæ, & hypotheca optimè fit etiam de bonis futuris, vt patet *l.fin. C.quæ res pign.* ergo Ecclesia non ampliùs vt suam expectat illam messem, quamuis beneficium vacet, à cuius fundo talis messis colligenda est. Sed hæc, cum confirmatione sequenti, & obiectione, solùm censeo vera esse, si aliud non obstet.

14 Confirmatur, nam fructus beneficiorum, & bonorum Ecclesiasticorum possunt elocari, aut vendi in plures annos, cùm non sint res Ecclesiæ, sed priuatorum; ergo & potest beneficiatus locare sui beneficij fructus vnius anni cum obligatione in conductore, vt statim pro solutione locationis expendat debitum reficiendo v.g. murum Ecclesiæ corruentem: sed si in hoc casu moreretur beneficiatus, antequam conductor fructus percipiat, posset licitè dictos fructus beneficij percipere. vt per se constat sic exigi ab ipsa iustitia; ergo similiter si beneficiatus expendat de patrimonialibus cum intentione vt messis futura beneficij cōpenset præsentes expensas in bonum Ecclesiæ, poterunt hæredes beneficiati talem messem computare inter bona patrimonialia defuncti. Videatur Lessius *de iust. & iure, lib.2. cap.24. dub.11. num 70.*

15 Nec valet dicere, quòd mortuo beneficiato locante expirat locatio, quia conductor non acquirit ius aliquod in fundum, iuxta Lessium *loco citato*. Respondetur enim id esse verum; sed data suppositione, quòd conductor iam soluerit, debet ei restitui pretium solutum, aut debent ei concedi fructus, aliàs Ecclesia acciperet iniustè & pretium, & rem pro pretio accepto iam concessam, quod nemini licet, nec est faciendum, maximè ab Ecclesia, & hoc ex se est notissimum.

16 Si autem non constaret de mente beneficiati defuncti, an voluerit gratis dare Ecclesiæ de suis bonis patrimonialibus, nec ne; respondeo cum doctrina generali, quòd melior est conditio possidentis Ecclesiæ, sicque mortuo beneficiato, statim vacat beneficium cum fructibus pro successore, vt supra dicebatur, nec Ecclesia tenetur se priuare, aut spoliare de illo, quod iam possidet. In hoc igitur euentu parentes defuncti beneficiati nullatenus poterant sibi accipere messem beneficij, vt in casu.

17 Dices, si vera essent prædicta *sub num.* 13. 14. & 15. sequeretur, quòd si viuente beneficiato expenderet de patrimonialibus suis in vtilitatem Ecclesiæ maximam pecuniarum quantitatem, itaut æquiualeret redditibus decem annorum beneficij, & id faceret cum intentione recipiendi dictos redditus, eosque inter patrimonialia sua bona connumerare, possent eius hæredes sibi accipere, aut prætendere redditus beneficij per decem annos, quāuis alter in tali beneficio succedat; imò & posset de ipsis redditibus ipse beneficiatus testari, nam intelligerentur locati, aut hypothecati; sed hoc non videtur asserendum; ergo nec est licitum parentibus beneficiati defuncti ac-
18 cipere illam messem vnius anni. Respondeo concedendo ità esse de facto; quapropter quandocunquè aliquis beneficiatus expendit in vtilitatem Ecclesiæ de suo patrimonio cum intentione aggregandi patrimonio fructus, quos de beneficio recipiet, intelligitur semper cum conditione, quòd viuat; & si moriatur, nihil potest per testamentum de fructibus beneficij disponere, præterquam de iam perceptis, & nullatenus de percipiendis. Ratio est, quia mortuo ipso, vacat statim ipsi totaliter beneficium, vt supra dicebamus; ergo non est suum, sed successoris, ac per consequens non est dominus disponendi de his, quæ sunt alterius domini; ideò nec parentes defuncti beneficiati potuerūt messem sibi retinere, si eam collegerunt post mortem; fructus enim faciunt vnum cum fundo, quoadusquè à fundo non sunt separati, vt tradunt Doctores.

19 Quando autem beneficiatus locasset fructus beneficij cum obligatione vt conductor statim soluat locationem, ædificando murum Ecclesiæ, vel quid simile proprijs expensis faciendo in Ecclesiæ vtilitatem, & ipse beneficiatus statim facto muro moreretur; dico tunc quidem deberi conductori fructus ipsos eiusdem beneficii, vndè spectaret ad collatorem non conferre alicui tale beneficium, donec solutus maneat conductor, vel nisi aliter ipsi satisfiet, vel nisi cedat iuri suo, vel nisi succesor in beneficio renunciet fructus pro tempore necessario. Debuisset enim non fieri talis locatio, at cùm iam sit facta, iustum est vt qui dedit pretium, fruatur re, & ad Superiorem spectat ad inconueniens factum prouidere, vt iustitia non lædatur.

20 Conclusio quinta sit, quòd si beneficiatus in vita sua erogauit pauperibus eleemosynas, vel in alias pias causas expendit de bonis suis patrimonialibus, aut quasi patrimonialibus, potest licitè testari de tanta quantitate ex redditibus beneficii, eam relinquendo cuicunquè maluerit; & hoc conuincitur eadem ratione,

qua

qua probauimus conclusionem quartam *sub numero* 12. Et insuper etiam, quia tanta reddituum quantitas remanet libera à speciali obligatione dandi pauperibus, & illa potest in quotcunquè vsus conuerti; & ità docent multi Doctores, cum Nauarro *opuscul. de redditibus, quæst. 1. num. 67. & summa vulgari, cap. 25. num.* 126. Ex his tamen non infertur, quod liceat parentibus beneficiati defuncti accipere de fructibus beneficij in tanta quātitate, quanta fuit illa, quam viuens dedit egenis, si tales fructus nondum sunt percepti à beneficiato, vtpote necdum separati à fundo, quando ipse decessit.

21 Conclusio sexta sit; si Clericus in seruitium Ecclesiæ taliter laboret, & magna industria se exerceat in illius gubernatione, vt plus mercedis mereatur, quàm ad decentem eius sustentationem opus sit, quemadmodum esset, si vltra debitum suum exerceat in sua Ecclesia munera, quæ digna sunt stipendio, vt si prædicaret, confessiones audiret, &c. potest ex superfluo reddituum deducere aliquam quantitatem, quam pro suo labore meretur, & de tali quantitate poterit liberè disponere, ac testari, sicut potest de bonis patrimonialibus. Hoc suadetur, quia vt dicitur 1. *ad Tim.* 5. & Lucæ 10. dignus est operarius mercede sua; & id est iuxta ius tum diuinum, tum naturale. Ità etiam tenent Molina *tom. 1. de iust. disput.* 144. *colum.* 801. §. *illud tamen*. Couarruuias *cap. cum in officijs, de testam. num.* 2. Nauar. *eadem q.* 1. *num.* 70. & 71. Ananias *consf.* 87. Petrus Soto *lect.* 3. & alii. Sed & hanc quantitatem spectat ad ipsum beneficiatum viuentem accipere, non verò ad ipsius hæredes.

22 Conclusio septima sit: Peccat mortaliter Ecclesiasticus, qui redditus superfluos, vel prodigè, & vanè expendit, vel auarè custodit, aut cum eis thesaurizat. Ratio est, quia ex diuina, & humana obligatione, tenentur Ecclesiastici expendere superflua, vel in pauperes, vel in necessitates præsentes, vel in eas, quæ probabiliter proximo imminent, at contra hoc delinquunt illi, qui ex Ecclesiæ redditibus thesaurizant. Ità Sotus *de iust. lib.* 10. *quæst.* 4. *art.* 4. Nauar. *opusc. de redditibus, q.* 1. *num.* 51. Gerson *alphab.* 40. *littera E.* Lodulphus Carthusianus *in vita Christi, part.* 1. *cap.* 68. Abulensis *in Matth. cap.* 6. *quæst.* 74. & alij.

23 Non erit tamen auaritia, nec peccatum, si retineatur mediocris quantitas superfluorum pro proprijs necessitatibus probabiliter euenturis, vt ægritudinis, sterilitatis, litium, &c. Nauar. *vbi supra, num.* 57. & 58.

24 Conclusio octaua sit: Peccant mortaliter tum Clerici prodigè expendentes redditus superfluos, tum etiam illi, qui ab ipsis recipiunt, nam eorum peccato cooperantur, vt benè docuit Cord. *lib.* 1. *quæst.* 18. §. *nota secundo.* Syluester *verb. Clericus* 4. *quæst.* 15. Nauar. *vbi supra, num.* 97. & alii communiter. Et ex hac conclusione poterunt parentes beneficiati discere, non ipsis licere accipere de superfluis reddituum beneficii, etiamsi eis ab ipso beneficiato donentur, nisi in casu, quo pauperes sint, & indigeant, vt notat Palacios *verb. beneficium, cap.* 2. Nauar. Cord. Rosella, Greg. Lopez, Abulensis, Honcala, Turrecrem. Panormit. *cap. peruenit. de arbitris, num.* 1. Molina *disput.* 146. *colum* 816. *littera C. & D.* & alii.

25 Conclusio nona sit, quòd omnes conclusiones prædictæ supponunt, omnes Clericos teneri sub peccato mortali, si habent redditus beneficii, sibi tantùm vsurpare necessaria ad decentiam sui status, & quod superfluum est, in pauperes, aut in alios piòs vsus expendere. Hoc probatur ex multis Sanctis Patribus, ex pluribus Conciliis, & Pontificum decretis, & ex Doctoribus communiter ità sentientibus, & de hoc nulla est dubitatio in contrarium. Videatur Sanchez *consiliorum moral. lib.* 2. *cap.* 2. *dub.* 38.

26 Imò & de redditibus beneficii non potest beneficiatus testari, indistinctè loquendo de quibuscunquè beneficiatis: ità Couarruuias *cap. cùm in officijs, de testam. num.* 6. vbi multos alios Doctores citat. Nauarr. *opusc. de redditibus, quæst.* 3. *num.* 5. & *summa vulgari, cap.* 25. *num.* 128.

27 Item nec possunt beneficiati testari de bonis acquisitis ex redditibus Ecclesiasticis, ac de bonis emptis pecunia, quæ ex iisdem redditibus fuerit collecta. Ratio est, quia dicuntur bona Ecclesiæ omnia illa, quæ intuitu Ecclesiæ, aut de Ecclesiæ facultatibus aliquis acquisiuit. Ità dicit Couaruuias *vbi supra, num.* 5. referens plures, & dicens hanc esse opinionem communem, contra Paludanum 4. *dist.* 15. *quæst.* 3. *art.* 6. *concl. vltim.*

28 Conclusio decima sit: Si consuetudo alicubi vigeat, vt beneficiati testari valeant de redditibus Ecclesiasticis, tripliciter iuxta triplicem sententiam potest hoc intelligi. Prima sententia amplè loquitur, & dicit, quòd si talis datur consuetudo, taliter valet, vt excusetur à peccato beneficiatus, qui vigore dictæ consuetudinis testatur, etiam ad vsus profanos,

& etiam parentibus, seu hæredibus relinquendo. Huiusmodi consuetudo ab immemorabili tempore viget in Hispania pro quibuscunquè beneficiatis, exceptis Episcopis. Ratio est, quia talis consuetudo est obseruata, recepta, & approbata tacito consensu Papæ, & Prælatorum, necnon & confirmata lege Caroli Quinti, quæ extat *lib.* 5. *ordinam. tit.* 8. *l.* 13.

29 Quæ consuetudo limitatè admittitur, & approbatur à Corduba *lib.* 3. *quæst.* 18. *ad* 1. & 2. dicens, posse Clericos ex tali generali licentia, vel ex speciali Papæ testari ex iusta causa in vsus profanos; & ait iustam causam esse Ecclesiæ vtilitatem, quam vtilitatem iam accepit, & sic gratificatur persona, à qua talis vtilitas prouenit; vel est accipienda dicta vtilitas ab Ecclesia. Sed aliqui sinè restrictione aliqua fatentur licere, & posse Clericos ex dictis redditibus testari, vbi talis viget consuetudo. Hi sunt Hostiensis, Ioan. Andr. Ioan. Gallus, Paludanus 4. *dist.* 24 *quæst.* 3 *art. vltim.* D. Antoninus 3. *part. tit.* 10 *c.* 3. §. 14. & alij.

30 Secunda sententia tenet, dictam consuetudinem tantummodò suffragari, vt Clerici possint ex Ecclesiæ redditibus testari ad vsus pios in modica quantitate, & nullo modo in vsus profanos, nec ad pios in magna quantitate. Ratio est, quia si hoc liceret plenè, valdè onerosum esset Ecclesijs. Sic docent Syluester *verb. Clericus* 4. *quæst.* 2 & 3. Rosella *eod. verb. num.* 1. Ang. *clericus* 13. *num.* 2. Turrecrem. *cap. nulli dubium* 12. *quæst.* 5 *num.* 11. Gabr. 4. *dist.* 15. *quæst* 8. *art.* 3. *dub.* 9. Panormit. Nauar. Couarruuias, cum pluribus aliis.

31 Tertia sententia tenet cum secunda, & dicit non valere consuetudinem ad hoc vt Clerici possint testari ad vsus profanos, sed deinde non ponit illam restrictionem, vt in modica quantitate possint testari ad vsus pios. Ratio est, quia solo iure humano prohibetur Clericis testari ex beneficii redditibus ad pios vsus: ergo tali prohibitioni potuit per consuetudinem derogari, Et confirmatur ex eo, quòd hoc non sit onerosum Ecclesiis, ac si in vita sua beneficiatus expendisset omnia in vsus pios. In hac sententia sunt Auendaño, Honcala, Greg. Lopez, Nauar. *opusc. de redditibus, quæst.* 3. *num.* 10. & alii. Has tres sententias satis est indicasse.

32 Conclusio vltima sit, quæ & fortasse faciet pro parentibus beneficiati, prout in casu nostro: Si alicubi viget, & obseruatur consuetudo, vt post mortem beneficiati fructus primi, vel secundi anni sequentis seruentur ipsi beneficiato defuncto, non ad hoc vt à parentibus, vel ab hæredibus ad vsus profanos vtantur, sed ad soluenda debita defuncti, si quæ sunt; vel vt pro anima ipsius in pauperes, aut in pios vsus expendantur, talis consuetudo sic intellecta, est valida, & licita. Attendant igitur hæredes beneficiarii, si sint pauperes, & in loco vbi vigeat dicta consuetudo, & tunc sciant, quòd titulo eleemosynæ possunt sibi accipere, & retinere. Idem possent, si tantumdem expendissent de suis bonis in soluendis debitis defuncti, vel in aliis piis operibus pro defun-
33 cto. Ita Nauar. *opusc. de redditibus, quæst.* 3. *num.* 12. quamuis aliqui adducti, & sequuti à Couarruuia *cap. cùm in officijs, num.* 9. contrarium docentes, asserant, hæredes, & consanguineos posse in eis succedere, & beneficiarium ipsis relinquere. Si ergo hæc verificantur pro casu præsentis Decisionis, potuerunt parentes messem recipere beneficii, celata morte beneficiati.

34 Nec obstat id, quod aliqui afferunt iuxta quandam Extrauagantem Iulii Tertii, ad limitanda mox prædicta, itaut sint intelligenda de fructibus, & redditibus beneficii à beneficiato iam perceptis, non tamen de illis, qui tempore mortis ei debebâtur, sed nondum eos perceperat, nec ei fuerant soluti: nam in illa Extrauaganti iubet, vt debita beneficiati, quæ tempore mortis eius reperiuntur, non soluantur ex redditibus Ecclesiasticis debitis beneficiato, qui sibi nondum soluti erant. Verùm teste Nauarro *lib. de redditibus, quæst.* 2. *num.* 38. ista Extrauagans non est recepta.

35 Quando autem dicitur fas esse beneficiatis, ratione consuetudinis testari ad pios vsus ex beneficii redditibus, intelligēdum est, vt etiam relinquant cognatis suis, aut famulis, si sint pauperes, & titulo paupertatis, imò meliùs faciunt si suis relinquant, quia plus tenentur suis, quàm extraneis, si aliud non concurrat, vt tradunt Nauarrus, Abulensis, Honcala, Cordub. *lib.* 1. *quæst.* 18. Item possunt relinquere pro soluendis debitis, pro exequijs faciendis, &c. Quibus positis, possunt parentes beneficiati ex improuisò defuncti, & ab ipsis celati, donec beneficij messem sibi ipsis citò collegerint, discere, & scire an id licitè fecerint, vel an ad restitutionem teneantur successori, vel insumendo ad pias causas, prout abundè explicatum fuisse puto in prædictis.

DECI-

# DECISIO LX.

*An possidens sine pensione beneficium obtentum, putatis mortuis pensionario, & beneficiato antecedentibus, teneatur beneficium restituere, & pensionem soluere, si pensionarius, & prior beneficiatus compareant.*

## Casus, seu Historia LX.

### SVMMARIVM.

1 *Casus proponitur.*
2 *vsque ad* 9 *Regula* de triennali, *an iuuet in vtroquè foro.*
10. 11 *Conditiones, & origo dictæ Regulæ.*
12 *vsque ad* 16 *Quibus illa non iuuet.*
17. 18 *Pro qua dignitate stet.*
19 *vsque ad* 27 *Possessor* triennalis *quando, & quid debeat restituere.*
28. 29. 30. *De modo dandi pensionem.*
31 *vsque ad* 40 *Ponuntur, & explicantur conditiones Regulæ* de triennali.
41 *Primus maritus putatus mortuus debetur vxori etiam secundò nupta.*

1 DEuotionis gratia voluerunt quidam iter facere ad Sanctum Christi Saluatoris sepulchrum in Hierusalem. Inter istos itinerantes erant vnus Beneficiatus, eiusque Pensionarius, nec non cuiusdam Monasterii Abbas perpetuus, simulque ibant multi vxorati, aliique sæcularibus dignitatibus insigniti. Contigit in eorum itinere, vt magna exorta Maris tempestate, exagitatis tribus nauigantium nauibus, quæ simul pergebant, omnes naufragium fecerint, & qui in ipsis erant mortui sunt, exceptis quinquè nautis, qui ad patriam reuersi, testati sunt omnes alios fuisse mortuos. Realiter tamen seipsos saluauerunt prędicti Abbas, Beneficiatus, eiusque pensionarius, & duo vxorati, qui ideò mortem fugerunt, quia adiuti à Turcarum naui, ducti sunt captiui. Igitur testantibus illis quinquè nautis, quòd omnes fuerint mortui, electus fuit alter beneficiatus; alter Abbas; & duæ viduæ creditæ, ad secundas nuptias transierunt. Post spatium annorum fugerunt à captiuitate omnes supradicti, qui ad domos suas reuertentes, gaudium pro redditu, & pro vita non deperdita, simulque confusionem causauerunt, quia tum Abbas, tum Beneficiatus, tum Mariti, tum Pensionarius, quod suum erat prætendentes; Pensionarius volebat pensionem; Mariti volebant vxores; Beneficiatus volebat beneficium cum fructibus transactis; & Abbas volebat Abbatiam.

Fuit igitur circa hæc valde disputatum; sed quid reuera tenendum sit in vtroque foro, censeo esse vt sequitur, addendo quid esset dicendum, si sæculares comparerent, & vellent & ipsi suas dignitates.

2 Potest in hoc casu fauere, & non fauere tempus elapsum in captiuitatis statu: nam Abbati, & Beneficiato fauet tempus, si eorum successores per tres annos Abbatiam, & Beneficium modo infra dicendo non posséderunt; itemque tempus è conuerso eis non fauet, si à tribus dictis annis essent in possessione. Pensionario autem, & vxoratis, quodcunquè tempus non nocet; & quamuis sponsæ Abbatis, & Beneficiati sint eorum Ecclesiæ, tamen diuersa ratione discurrendum est de sponsa carnali, ac de spirituali.

3 Est ergo supponendum, dari quandam regulam Cancellariæ, quæ est 33. & dicitur regula *de triennali*, quam hic ponere expedit, & est ista: *Si quis quacunquè Ecclesiastica beneficia, qualiacunquè sint, absquè simoniaco ingressu ex Apostolica, vel ordinaria collatione, vel electione, & electionis huiusmodi confirmatione, seu præsentatione, & institutione illorum, ad quos beneficiorum huiusmodi collatio, prouisio, electio, & præsentatio, seu quæuis alia dispositio pertinet, per triennium pacificè possederit; dummodò in beneficijs, si dispositioni Apostolicæ ex aliqua reseruatione generali in corpore iuris clausa, reseruata fuerint, se non intruserit, super eisdem beneficijs taliter possessis molestari nequeat: Nec non impetrationes de beneficijs ipsis sic possessis factas, irritas, & inanes censeri debere decreuit, antiquas lites super illis motas penitus extinguentes.*

4 Qua regula posita, insurgit dubitatio ad rem nostram; an successor in beneficio per triennium ab hoc successore pacificè possesso, non tamen titulo legitimo, sed solùm colorato, & non vero, possit tuta conscientia transacto triennio ex vi regulæ *triennalis*, seu *de triennali*, dictum beneficium retinere, an verò per dictam regulam priuetur aduersarius solus suo iure agendi in foro externo, vt beneficium illud repetat. Et respondetur, quòd seruatis quibusdam conditionibus infra ponendis *num.* 10. huius decisionis, conceditur taliter possidenti, vt in vtroque foro beneficium possit retinere transacto triennio. Suadetur hoc, quia illud triennium est tempus sufficiens, & à iure

assignatum ad præscribendum in hoc particulari; ergo elapso triennio ille possidens præscripsit; ergo & debet frui eadem securitate, qua fruuntur præscribentes per 40. annos; sed isti sunt securi pro vtroque foro; ergo & idem est tenendum de præscribente cum regula *de triennali*.

5 Item probatur: nam si quid obstaret ne possidens esset in vtroque foro securus, esset defectus tituli veri, cùm solùm habeat titulum coloratum, qui titulus est inualidus; sed Papa cum illa triennali possessione reualidauit dictum titulum inualidum, vt lites tolleret, & scrupulos vitaret; ergo nihil obstat, quin in vtroque foro iuuet illa regula de triennali; non enim satis prouisum esset scrupulis, si etiam pro foro interiori non suffragaretur: Ita docent Rebuffus *de pacific. possess. num. 7. vsque ad* 18. Ludouicus Gomez *regula de triennali*, *q.*4. Philippus Probus *addit. ad Cosmam, pragm. sanctio, tit. de pacif. possess. super verb. Coloratum, glos.* 13. Nauarrus *lib. 3. consilior. tit. de prabendis, cons.* 41. *fine, & 42. per totum*; & alij.

6 Dictam opinionem censeo veriorem opinione dicente, quòd regula *de triennali* non reddit tutum in conscientia, cùm tantummodò iuuet pro foro contentioso, sicut probari potest cum verbis dictæ regulæ, quæ sunt, vt per triennium pacificè possidens beneficium, *à nemine molestari valeat*, non tamen dicit, vt illud beneficium possit retinere, & sic sentit Cosmas *pragm. sanctio, tit. de pacifica possess. super verb. Triennium, & verbo molestari*. Igitur iuxta hanc sententiam possessor beneficij etiam per triennium completum, teneretur illud restituere in cōscientia illi, cuius titulo vero erat, si compareat. At iuxta primam sententiam posset illud retinere securè conformiter ad vtrumque forum, nisi beneficiato comparenti aliud suffragetur, vt ei beneficium restituatur, non obstante dicta regula, prout infra dicetur.

7 Et est animaduertendum, quòd aliqui volunt hanc *regulam de triennali* non concedere possidenti titulum, sed solam exceptionem, & possessionem ad eius vitæ durationem, & hoc etiam pro foro conscientiæ. Ille autem, qui verum titulum habet, non perdit suum titulum per dictam regulam, sed ei suspensus remanet, quoadusque viuat possessor triennalis, quo defuncto, potest alter prosequi suum ius. Ità Gomez *regula de triennali*, *q.* 58. Felinus *cap. sicut, de sentent. & re indic. num.* 13. affirmans sic iudicasse Rotam. Couarruuias *regula possess.* 2. *p.* §. 10. *num.* 10. Sed cum Rebuffo *de pacific. possess. num.* 21. *& num.* 29. tenendum est verius esse, quòd per dictam regulam concedatur possessori triennali titulus verus, & vera actio ad agendum, vt sibi beneficium retineat contra aduersarium.

9 Ex dictis inferendum est pro casu nostro circa beneficiatum, & successorem ipsius, quòd si successor nondum compleuit triennium, per consequens dicta regula ei non fauet, nec aliquem concedit titulum ad possidendum; vndè tenetur in conscientia beneficium restituere, & in foro exteriori potest compelli ad restituendum. Ratio est, quia nullum ius eum liberat ab obligatione restituendi; aut ei concedit vt possit retinere; ergo in vtroque foro tenetur resignare.

10 Vt autem regula *de triennali* valeat pro possidente, debent nonnulla concurrere in priori beneficiato; & insuper decem aliæ requiruntur conditiones. Prima est, bona fides. Secunda est, possessio. Tertia est, quòd sit pacifica talis possessio. Quarta est, quòd sit per triennium. Quinta est, vt talis possessio sit Ecclesiastici beneficij. Sexta est, vt adsit titulus. Septima est, vt talis titulus sit saltem coloratus. Octaua est, vt possessor non sit Simoniacus. Nona est, vt non sit violentus. Decima est, vt non sit intrusus in beneficio dispositioni Apostolicæ ex aliqua reseruatione generali in corpore iuris clausa reseruato. Quas omnes conditiones explicabimus, vt clariùs cognoscatur, quando regula *de triennali* verè faueat possidenti.

11 Sed antequam dictas conditiones examinem, ponam hic id, quod requiritur in priori beneficiato, vt regula *de triennali* nō obstet illi. Dico ergo, quòd regula *de triennali* incæpit, aut potiùs ortum suum habuit ex quodam Decreto Concilij generalis Basiliensis, quod incipit: *Quicunque non violentus*; prout notant Felinus, *c. sicut, de sententia, & re indic. num.* 31. & Ludou. Lopez *supra regul. de triennali, in proœmio*. Tale verò Decretum extat in dicto Concilio Basileæ *sess.* 21. *paulò post princip. tit. de pacificis possessorib. & sic illud loquitur. Quicunquè non violentus, sed habens coloratum titulum, pacificè, & sinè lite prælaturam, dignitatem, beneficium, vel officium triennio proxime hactenus possedit, vel in futurum possidebit, non possit postea in petitorio, vel possessorio à quoquam etiam ratione iuris nouiter impetrati molestari, excepto hostilitatis casu, vel alterius legitimi impedimenti, de quo protestari, & illud intima-*

*re*

*retineatur*. Quod Decretum meritò emanauit contra negligentiam eorum, qui non petunt ius suum intra triennium; & ideò eis denegatur actio, ne beneficia possideantur sub titulo incerto.

12 Quo Decreto posito, manifestè intelligitur dari exceptiones, per quas regula, *de triennali* non valet pro successore in beneficio. Si ergo prætensor beneficij fuit legitimè impeditus, non sequitur præscriptio beneficij per triennium pacificè possessi, quamuis in alijs curreret præscriptio contra legitimè impeditum; ratio est, quia sic habetur specificatum in prædicto
13 Decreto. Hinc est, quòd si causa belli, aut pestis, quæ viget in loco beneficij, vbi debet citari possessor; vel si actor est captus ab hostibus, quapropter non potuit constituere procuratorem, tempus illud, pro quo durat impedimentum, debet de medio tolli, & dicitur dormire, & hoc taliter, quòd finito impedimento, tempus sequens continuatur cum præsenti. Probatur hoc, nam dictum Decretum, à quo deriuat dicta regula, expressè excipit casum hostilitatis, aut alterius legitimi impedimenti; & ità tradunt Rebuffus *de pacific. possess. à num. 301. vsquè ad num. 310.* ponens tamen limitationem *num. 302.* nisi tempore belli posset adi-
14 re locum cum saluo conductu. Et idem Rebuffus in numeris sequentibus ponit etiam alia impedimenta excusantia iuxta mentem dicti Concilij; vt sunt infirmitas; abesse causa Reipublicæ; aut aliud simile, quod impeditus remouere non potest.

15 Et quia citatum Concilium vult, vt actor intimet impedimentum, & de illo protestetur, illudque possessori faciat intimare; notandum est hoc esse intelligendum, si intimatio fieri potest, nam si actor esset incarceratus, aut violenter detentus, remanet excusatus ab intimatione. Ità Rebuff. *loc. cit. num. 310.* & Ludou. Gomez *regula de triennali, q. 37.*

16 Imò notandum est, quòd talis protestatio non est necessaria, si postmodum fiet probatio de impedimento, iuxta eumdem Gomez *loc. cit.* & dicit sic Rotam iudicasse. Ergo beneficiatus in casu nostro, cùm fuerit legitimè impeditus, & etiam in eo cùm verificetur casus hostilitatis, captus enim, & captiuus à Turcis detentus fuit, per consequens regula *de triennali* non valet successori, sed hic tenetur beneficium restituere in vtroque foro; & hoc multò magis tenetur præstare si necdum per triennium possedit, cùm in hoc casu nequeat in aliquo iure fundari, vt possideat, & restitutionem non faciat; nec actori currat obligatio probandi impedimentum, sicut ei curreret, si possessor compleuerit triennium in possessione.

17 Quod dictum est de beneficiato, dicendum quoquè omnino est de Abbate; ratio est, quia in dicto Decreto comprehēditur *Prælatura, Dignitas, Beneficium, vel Officium*, & Abbates sunt Prælati, sicut & comprehenduntur ob eamdem rationem Abbatissæ, & vnico verbo omnes dignitates tàm sæculares, quàm Regulares, quando sunt dignitates Ecclesiasticæ. Ità Rebuffus *loc. cit. à nu. 63. vsquè ad 75.* Sed quia fuerunt nominatæ etiam Abbatissæ, notandum est, quòd fœmina etiam iuuatur hac regula, in ea dignitate, cuius est capax, vt quando fœminæ conceditur dignitas per Papam in titulum, vel administrationem, vt in Abbatissa, vel Priorissa perpetua: sic Rebuff. Gomez, & Cosmas *pragmat. sanctio, tit. de pacific. possess.*

18 In casu autem, quo aliquis in dignitate sæculari, & temporali constitutus, idem naufragium faceret, & esset in eadem naui cum dictis Abbate, & Beneficiato, non current pro ipso illa, quæ hactenus diximus, vnde difficultas nostra tantùm est pro dignitatibus Ecclesiasticis. Sæculares autem videant, & consulant, an in eorum patria, aut loco vbi dignitatem possidebant dentur statuta, vel statutum in eorum fauorem, & secundùm ea se gerant; vel cum Principe agant, quatenus ad suas pristinas dignitates post naufragium restituantur.

19 Quòd si petatur, quid debeat restituere ille possessor, triennalis sit, seu non triennalis, & ipse beneficiatus, cui facienda est restitutio, quid possit prætendere; dico currere in isto casu regulam generalem possessorum bonæ fidei. Inde fit, quòd quemadmodum possessor bonæ fidei tenetur restituere rem bona fide ablatam, seu retentam, si res ipsa extat, vel saltem id, quod de ipsa extat, quando cognoscit non esse suam; & simul debet restituere id, in quo factus est ditior, & ad nihil aliud tenetur, vt docent communiter DD. ità possessor alieni beneficij, vt in casu præsenti, tenetur restituere beneficium, & illud in quo se ditiorem factum recognoscit; constat enim æquiparari possessori bonæ fidei.

20 Verùm limitanda est prædicta doctrina, seu paritas, nam possidens bona fide illud beneficium, vel seruiuit, vel non seruiuit Ecclesiæ: si non seruiuit, certè nec aliquam mercedem potest sibi retinere: si autem seruiuit, debetur ei aliqua merces, *dignus est enim operarius mercede sua*,

*sua*, iuxta ius Diuinum, & naturale, & sic habetur 1. *ad Cor. cap.* 9. & in Euangelio Lucæ, *cap.* 10. Et probatur, nam si aliquis beneficiatus plus exerceat in Ecclesia, quàm teneatur, vt si vltra suam obligationem prædicet, confessiones audiat, &c. potest ex vi huius meriti sibi aliquam sui beneficij quantitatem retinere, & illam inter patrimonalia aggregare, vt docent Molina *tom.* 1. *de iust. disp.* 144. *colum.* 801. §. *illud tamen*. Ananias *cons.* 87. Maior 4. *dist.* 24. *q.* 17. Couarruuias *cap. cùm in officijs, de testam. num.* 2. Nauar. Soto, & alij; ergo & aliqua merces debetur illi possessori bonæ fidei, si Ecclesiæ inseruiuit.

21 Et maximè debentur dicto possessori quotidianæ distributiones, si præsens fuit Choro, vel officijs; nam si has teneretur restituere cum beneficio, sequeretur posse aliquem ditari cum damno tertij, quod non est dicendum; vndè sicut per absentiam à Choro non potest beneficiatus prætendere partem distributionum, quæ solummodò dantur assistentibus, ità nec potest istas distributiones exigere ab illo, qui bona fide fuit præsens nomine proprio, non alieno.

22 Dici etiam potest in confirmationem, quòd illa assistentia Choro, est propria industria; ergo lucrum inde proueniens non est restituendum, sicut non teneretur ad restitutionem lucri industriosi ex re aliena nec ipse possessor malæ fidei, vt tradit Lessius *de iust. lib.* 2. *cap.* 14. *dub.* 2. *num.* 8. Et quòd assistentia Choro sit industria, ex qua fructus aliqui percipiuntur, probatur quia illi sunt fructus meræ industriæ, qui ex natura rei non producuntur, sed ex hominis sola, & pura operatione; sed fructus prouenientes beneficiato ex residentia in Choro, producuntur à sola residentis operatione, vt per se notum est: ergo sunt fructus industriæ, ergo debentur industrioso, nec sunt obnoxij restitutioni.

23 Quòd si bonæ fidei possessor fecerit expensas in re veri beneficiati melioranda, quæ expensæ fuerunt necessariæ, potest illas recuperare, cùm hoc concedatur etiam possessori malæ fidei: ita Sanchez *consilior. lib.* 4. *cap.* 1. *dub.* 32. *num.* 4. & numero sexto docet cum multis legibus, & Doctoribus, dictas expensas esse recuperandas iuxta earum valorem tempore restitutionis, non tempore, quo fuerunt factæ.

24 Ratio est, quia illa melioramenta sunt possessoris, ergo sibi accrescunt, vel decrescunt in pretio. Et confirmari potest; nam restitutio est actus iustitiæ commutatiuæ, quæ debet præseferre æqualitatem, vt nec plus, nec minùs restituatur Domino: si ergo tempore restitutionis creuit pretium meliorationis supra id, quod expensum fuit, quando facta est, sequeretur quòd plus restitueretur Domino, si solueretur solum pretium in ea melioratione expensum.

25 Si autem expensæ meliorationis sint factæ voluntariè à possessore bonæ fidei, illas non recuperat, quià istæ non cedunt in vtilitatem Domini, qui seruari debet indemnis, ideò non

26 est æquum, vt cogatur eas soluere. Posset tamen possessor bonæ, vel malæ fidei sibi auferre ipsa melioramenta, si non damnificetur in nullo res meliorata, sed relicta remaneat in pristi-

27 no statu suo; vel nisi Dominus velit dicta melioramenta soluere: Et casu quo Dominus esset facturus illas expensas voluntarias; vel si illico vendit rem, & maiori quidem pretio ratione dictæ meliorationis, tunc in his duobus casibus teneretur soluere expensas voluntariè factas à possessore. Hæc omnia tradit luculenter Sanchez *consilior. lib.* 4. *cap.* 1. *dubio* 32. *per varios numeros*. En quid sit restituendum, necne, in casu quo compareat beneficiatus putatus mortuus à possessore triennali, aut non triennali beneficij illius crediti defuncti.

28 Circa pensionarium, an si & ipse putatus defunctus, postea compareat viuus, sit ei soluenda pensio; dico debere ei solui à beneficiato, cui sit restitutio beneficij, non verò à possessore ipsius beneficij. Ratio est, quia cùm possessor bonæ fidei restituat omnia, quæ extant, & id in quo fortasse factus est ditior, non debet grauari aliquo onere sinè lucro. Item quia pensio, est perceptio de fructibus alterius beneficii, vt communiter definitur, & notatur à Lessio *de iust. & iure*, *lib.* 2. *cap.* 34. *dub.* 37. *num.* 201. ergo ille debet eam dare, qui habet beneficium, & fructus: sed hìc, & nunc omnia habet beneficiatus repertus viuus; ergo ipse debet pensionem soluere.

29 Notare tamen oportet, quòd tota pensio temporis transacti non est soluenda, nisi beneficiato restituantur fructus correspondentes pro illa in integrum soluenda. Hæc conclusio fundatur in generali doctrina de obligatione conductoris soluendi conuentam pensionem, vel non soluendi eam, si sterilitas, aut calamitas absque culpa conductoris acciderit. Quemadmodum ergo conductor liberatur à pensione (si aliter non sit determinatè conuentum cum locatore) si ex eluuione, aut ex sterilitate, vel ex infortunio quouis non percipit fructus fundi; ità & pensionarius nihil potest exigere à beneficiato, qui ob infortunium quodcunque

nul-

nullos fructus recipit de beneficio. Sic deducitur apertè iuxta *l. ex conducto. 15. ff. locati*, & sic communiter admittitur à Doctoribus.

30 Si autem infortunium non sit tale, vt tollat omnes fructus, sed aliquos sinit colligere; in isto casu est solùm soluenda pensio pro rata, vt expressè traditur *cap. propter sterilitatem, 3. de locato, & conducto*; vbi ad rem loquitur Gregorius IX. & etiam colligitur ex *l. si merces, §. vis maior, ff. locati*; estque communis omnium opinio. In casu igitur nostro, attendat beneficiatus, cui fit restitutio à possessore bonæ fidei sui beneficij, quinam fructus ei dentur, & iuxta illorum quantitatem fruātur fortuna, aut patiantur infortunium tum ipse, tum eius pensionarius. Multa quoquè possent dici de hac materia, sed breuitati studens, remitto lectorem cupientem alia scire, ad Lessium *de iust. & iure, lib. 2. cap. 24. dub. 3.* per totum.

31 Examinando nunc sigillatim decem illas conditiones, quas supra diximus requiri ad hoc, vt regula *de triennali* iuuet possessori, aduerto esse multa ea, quæ de qualibet conditione possent dici; at ad euitandam prolixitatem, tangemus in præsenti tantummodò obseruabiliora. Prima conditio est *Bona fides*, quæ requiritur, ne Papa dicatur fauere possessori culpabili, qualis est possessor malæ fidei. Confirmatur, quia possessor iuxta regulam *de triennali* præscribit; sed possessor malæ fidei nunquam præscribit, nec ad quodcunque longum tempus, iuxta *cap. possess. de regulis iuris, in 6.* ergo bona fides requiritur ad præscribendum in possessore triennali. Verum tamen est dari sententiam docentem non requiri bonam fidem; & hanc tenet Gomez *regula de triennali, q. 42.* qui dicit hanc exceptionem etiam mala fide post triennij possessionem reddere tutum etiam in foro conscientiæ possidentem.

32 Secunda conditio est *Possessio*, quæ sufficit si per alium accipiatur, quia qui per alium possidet, ipse possidere videtur *l. 1. §. deiecisse, ff. de vi, & vi armata*, Rebuffus *de pacific. possess. nu. 84.* Si tamen nomine veri possidentis, & de eius mandato alter possideat, nam si sua sponte alter possessionem accipit, nihil fit, etiamsi verus possidens postea ratum habeat, nam à tempore ratihabitionis inciperet vera possessio, quia ratihabitio non retrotrahitur in præiudicium tertij, vt concludunt Doctores, & glos. *cap. ratum, & cap. ratihabitio, de regulis iuris, in 6.* & sic censuit Rota, vt testatur Gomez *regula de triennali, q. 59.*

33 Tertia conditio est, vt dicta *Possessio* sit *Pacifica*. Intelligitur autem pro *pacifica*, vt sit sinè lite, scilicet vt non peruenerit ad citationem, quamuis verba, aut scripta extent ad controuertendam eam, quæ verba, aut literæ ponuntur à parte. Nec obstat si fiat citatio, sed inualidè. Et sufficit ad perturbandam possessionem, si conueniretur ante triennium, & sinè culpa actoris laberetur triennium antequam aliud fiat. Et perturbatur possessio si fiat soli Vicario possidentis. Et etiam perturbatur si moueatur lis intrà triennium. Et perturbatur per compromissum, & per appellationem extraiudicialem factam in principio, aut in medio triennij. Ità dicunt varij textus, & Doctores.

34 Quarta conditio est, vt per *Triennium* possideat, quod debet esse completum de momento ad momentum *l. 3. §. minorem, ff. de minoribus*, & debet fuisse continuum, vt cum multis probat Sanchez *lib. 5. summæ, c. 4. num 31.* & continuum intelligitur etiam in casu, quo quis possidens vno titulo, postmodum sinè dimissione, possidet nouo alio titulo.

35 Quinta conditio est, vt dicta possessio sit *Beneficij Ecclesiastici*, & hoc est facilè cognoscere quodnam sit. Ideò excluditur Vicarius Episcopi, cùm beneficium non sit Vicarij, sed Episcopi: excluduntur etiam Pensionarij: Item non habetur regula de triennali pro feudis Ecclesiasticis, quamuis aliquando nomine beneficij veniant. Item sunt exclusi habentes ius conferendi, aut præsentandi ad beneficium. Et quando dicitur non posse molestari, intelligitur præcisè super titulo beneficij, non tamen circa decimas, aut circa alia beneficij.

36 Sexta conditio est, *vt adsit titulus*, qui sufficiet si sit tantùm præsumptus; nec est necesse, quòd sit verus, sed sufficit coloratus, vt dicetur in sequenti conditione.

37 Septima conditio est, *vt titulus sit saltem coloratus*, scilicet figuratus, quia non est verus, sed habet figuram, & colorem tituli; & vt sit validus, non debet dari inhabilitas in recipiente beneficium; & talem titulum habent omnes non excepti in tali regula *de triennali*.

38 Octaua conditio est, *vt non sit Simoniacus*; & hoc intelligitur de solo simoniaco reali, non de mentali, aut conuentionali, & debet esse simoniacus sciens, & non ignorans. Nec refert si post simoniam possideret per triennium nouo titulo, quia tunc reuera ei iuuat regula de triennali, quæ item iuuat, si à principio quis habuit titulum, sed post committit simoniam.

39 No-

39 Nona conditio est, *vt non sit violentus*, & hìc reducitur quidquid violentiam sapit, vt si metus inferatur; vt si inuito possessore alter per alium ad possessionem eat; vt si sit spoliator non violentus, & si quæ alia daretur excogitata violentia.

40 Decima, & vltima conditio est, *vt talis possessor non sit intrusus*. Hoc ad effectum huius regulæ intelligitur tripliciter. Primò, quando quis non habet titulum verum, vel præsumptum. Secundò, quando quis habet titulum, sed non ab eo, qui habet facultatem conferendi, quia tunc non est titulus. Tertiò, quando quis habet officium simoniacè; vel est prouisus de beneficio reseruato reseruatione clausa in corpore iuris, non facta mentione huius regulæ, quia tantùm isti casus excipiuntur in ea. Dicta sufficiant breuitatis gratia, & vt pateat quid dicendum sit de regula *de triennali*, casu quo beneficiatus, & Abbas in facto præsentis decisionis indigeant ista scire, vt suas dignitates sibi faciant restitui.

41 Restat tandem vt respondeamus ad illud, quod in proposito casu dicebatur, nempe non esse mortuos illos vxoratos, qui mortui crediti ab eorum vxoribus, ideò istæ ad alias nuptias transactæ, quæritur an sint primorum, vel secundorum virorum vxores veræ: & respondetur absque controuersia, quòd earum quælibet est vxor primi viri, quoadusque ipse viuat, qui si putabatur mortuus, & ideò ad alias nouas nuptias factus est transitus, bona fides excusat à culpa, sed cognita veritate, non potest amplius fœmina stare cum secundo viro, vtpote non suo, nec ipsa illius; nam *Mulier alligata est legi, quanto tempore vir eius viuit*, habetur 1. *Corinth*. 7. ergo omnes illæ vxores debent redire cum primis maritis, qui illas meritò, & iure exposcunt.

# DECISIO LXI.

*An sæcularis, vel Religiosus committentes reseruatum in Ciuitate, aut Monasterio vbi sunt hospites, possint absolui à quocunque Confessario, maximè si reseruationem ignorabant: & quid agendum, si talis sæcularis etiam commiserit peccatum hæresis.*

## Casus, seu Historia LXI.

### SVMMARIVM.

1 *Casus proponitur.*
2 *Iurisdictio est erga solos subditos.*
3. *vsque ad* 11 *Religiosus hospes habens reseruatum, à quo possit, aut non possit absolui.*
12. *vsque ad* 18 *Aduenam sæcularem cum reseruato, quis absoluet.*
19. *vsque ad* 25 *Reseruatio an liget pueros, & eam ignorantes.*
26. *vsque ad* 30 *Suspensio quid sit, & quandò teneat.*
31 *Episcopus an possit absoluere ab hæresi occulta.*
32. *vsque ad* 38 *Quando aliquid dicatur occultum.*

1 DVm quidam Religiosus morabatur hospes in Conuentu suæ Religionis, vbi quidam casus fuerat reseruatus, peccauit in dicto reseruato, cuius reseruationem ignorabat, & cùm accessisset ad peccati sui Confessionem sacramentalem faciendam, recusabat Confessarius ipsum absoluere defectu potestatis in reseruata; at pœnitens petijt omninò absolui, tum vt hospes, tum vt reseruationis ignarus, sicuti & fuit absolutus, sequente Confessario opinionem docti pœnitentis. Post paucos dies venit ad dictum Confessarium alter Confessarius sæcularis, petens consilium, an quamuis sit Confessarius priuatus, possit nihilominus absoluere à reseruatis hospites ea committentes, dum versantur in Ciuitate; & cùm dicerit se posse, ità & fecit, & absoluit, sicque se fecisse contulit cum alijs Confessarijs sæcularibus, qui hoc ad Episcopum detulerunt, & ideò ab Episcopo fuit valdè obiurgatus, & à Confessionibus audiendis suspensus, tamquam vtens potestate, quam non habebat circa reseruatorum absolutionem. Respondit Episcopo ipse suspensus: ego si absolui, absoluere potui, sed si quis minus sapiens me accusauit, fortasse fuit ille, qui consilium dedit dominat. vestræ Illustris. ne absolueret ab Hæresi nudius

dius tertius illum sæcularem, quia non poterat, cùm tamen potuisset eum absoluere, quia occultum erat eius delictum, & non publicum, sicut ille Consultor contendebat non esse secretum.

Quæritur ergo quid sit respondendum ad prædicta, quæ sunt varia. Primum est, an hospes Religiosus si committat reseruatum in Conuentu sui hospitij, possit absolui à quolibet Confessario. Secundum est, an sæcularis aduena in vna Ciuitate possit absolutionem obtinere à quocunquè Confessore, si committat peccatum reseruatum in ea Ciuitate. Tertium est, an ignorantia reseruationis excuset ab ipsa. Quartum est, an supposito nullam extitisse culpam in Confessario sæculari, fuerit nihilominus verè suspensus à Confessionibus audiendis. Quintum est, an à peccato hæresis possit Episcopus absoluere, si sit occultum; & quid requiratur, vt verè iudicetur occultum. Ad singula igitur est danda responsio in hac decisione.

2 Ad primum respondeo, ritè, & rectè potuisse illum hospitem Religiosum absolui à quocunquè Confessario, quamuis non habente facultatem absoluendi à reseruatis. Ducor, quia Religiosus ille peccauit quidem mortaliter, non tamen commisit peccatum reseruatum, nam reseruatio datur, & fit tantummodò erga subditos; sed ille hospes non est subditus: ergo pro eo non est reseruatio; nunquam enim actus iurisdictionis, qualis est reseruatio, extenditur ad nō subditos. Ità Vega *lib.2.cas.*326.

3 Limitare tamen oportet, & dicere id habere veritatem, nisi detur lex, aut consuetudo in illa Religione, vt etiam hospites alicuius Conuentus sint subditi Superioris illius Conuentus, eò ipso, quòd in dicto Conuentu hospitium faciant, etenim in tali casu essent veri subditi, & vt tales afficerentur reseruatione, quemadmodum illa reseruatio haberet ligare quemcunquè alium Religiosum, qui ad dictum Conuentum mitteretur, vt in eo habeat domicilium suum, & sit verus subditus Superioris illius Conuentus, ad quem venit de nouo. At in casu nostro Religiosus ille hospes ad nullam subiectionem obligabatur respectu Superioris Conuentus, in quo peccatum reseruatum commisit, & ideò potuit à quolibet absolui. Iuxta infra dicenda, *num.*18. meliùs intelligetur ista materia. Vide etiam *num.* 13.

4 Et si daretur, quòd dictus Religiosus commisisset etiam ante tale, peccatum, aut aliud reseruatum in Conuentu à quo discessit, & posteà accessisset ad Confessarium habentem facultatem absoluendi à reseruatis in Conuentu illo, vbi est hospes dictus Religiosus, dicendum est posse absolui à tali Confessario tum propter patratum in Conuentu hospitij, tum propter peccatum reseruatum in Conuentu sui domicilij. Id suadetur ex paritate cum sæculari, qui reseruatum commisit in sua patria, sed in aliena diœcesi accedit ad confitendum illud Confessario habenti potestatem absoluendi à reseruatis; nam iste Confessarius posset validè, & licitè illum absoluere. Ità Nauarrus *in Manuali lat. vltim. edit. cap.*27. *num.* 261. §. *decimò dico*. Viualdus *in candelab. aureo, vbi de absolutione, num.* 58. Capua *lib.* 1. *decis. aure. cap.* 13. *num.* 48. Soarius, *tom.*4. *de pœniten: disput.* 30. *sect.* 1. *num.* 4 vbi pro eadem opinione citat Caietanum *in summa, verb. absolutio* 2. Paludanum *in* 4. *distinct.* 17. *q.* 3.

5 & D. Antoninum 3. *part. tit.* 17. *cap.* 4. & ratio est triplex. Prima est, quia sicut quilibet confessarius approbatus iuxta formam Tridentini Concilij potest absoluere quoscunquè venientes ex alienis diœcesibus à quouis peccato non reseruato vbicunquè commisso ex tacito consensu Episcoporum propriorum eorundem pœnitentium; ità videtur vt Episcopi tacitè consentiant, posse absolui suum subditum à Confessario habente facultatem absoluendi à reseruatis suo Episcopo. Ità censeo iuxta tutiorem sententiam in collatione valida Sacramenti, & maximè propter doctrinam, quam dedimus *in decisione* 26. *num.* 17.

6 Secunda ratio idem probans est, quia id videtur consuetudine receptum, vt Confessarij expositi ad absoluendum à reseruatis in vna diœcesi, recipiant indistinctè, quoscunquè venientes cum reseruatis, nec illos remittant ad proprios Episcopos, nisi obligatio sit remittendi eos vt satisfaciant, vel vt scandalum tollatur, nunquam tamen remittuntur ratione solius absolutionis; & sic docet Syluester *verbo Confessor* 1. *num.* 6.

7 Tertia ratio pro eodem intento est; extranei sic accedentes cum reseruatis ad Confessarium habentem facultatem absoluendi, non vtuntur aliqua facultate eligendi sibi Confessarium, sed sic accedunt ac alij eiusdem diœcesis, cuius est Confessarius, qui non curat scire, an reseruatum sit commissum in hoc, aut in alio Episcopatu. nec id scire tenetur; ergo possunt liberè absolui; & sic idem concludendum est de Religioso, qui hospes in vno Conuentu confiteretur peccatum reseruatum commis-

missum in Conuentu hospitij, & etiam aliud factum in alio Conuentu, si Confessor ad quem accedit sit expositus pro reseruatis.

8 Et vt adducamus quidquid potest desiderari pro præsenti materia, ponam hic quid sit dicendum de Religioso, qui reseruatum commisit in vno Conuentu, & postea transit ad alium, an in isto secundo Conuentu possit ab illo reseruato absolui à quocunquè Confessario, si casus ille ibi non reseruatur. Ad hoc respondent aliqui sic distinguendo: aut ille Religiosus transit ad alium Conuentum, vt ibi domicilium, aut quasi domicilium in posterum habeat: aut debet ad priorem Conuentum statim reuerti; & sic in primo casu acquirit nouum Superiorem, non verò in secundo, cùm sit à tali Superiore discessurus. Si ergo acquirit nouum Superiorem, & mutat habitationem, vel quasi habitationem, tenendum est posse talem Religiosum absolui à quocunquè Confessario non habente facultatem in casus reseruatos: nam eò ipso quòd est aggregatus illi familiæ, debet tractari sicuti cæteri Religiosi, respectu quorum ille casus non est reseruatus. Si autem sit statim reuersurus, non potest absolui à quolibet, quia retinet subiectionem illi Superiori, in cuius Conuentu commisit reseruatum. Et id potest ea ratione suaderi, quòd si sic posset hospes à quolibet absolui à reseruato in proprio Conuentu, illuderetur lex reseruatiua, vt satis per se patet. Hanc opinionem docent Sotus *in 4. dist. 18. quæst. 4. art. 4. col. 8. vers. Aliud*. Syluester *verbo Confessor 1. quæst. 12.* Bartholomæus Medina *instr. confess. cap. 10. §. 3.* Graphis *lib. 1. decision. aur. cap. 13. num. 47.*

10 Et notat idem Medina *loco citato*, quòd Mendicantes ratione suorum priuilegiorum, si transeunt ad Conuentum non vt ibi maneant, sed vt reuertantur ad suum, possunt in illo Conuentu, ad quem proficiscuntur reuersuri, absolui à reseruato commisso in proprio Conuentu, si accedant ad Superiorem, vel ad alium Confessarium de illius licentia in dicto Conuentu, ad quem profecti sunt; ergo signum est, quòd non possunt absolui à quolibet Confessario, & idem tenet Graphis citatus, & sic est consuetudo. Sed propter infra dicenda *num. 18.* dico vt sequitur, & tu vide etiam dicto *numero 18.*

11 Mihi tamen videtur dicendum esse in hoc particulari, quòd si aliquis Religiosus committat reseruatum in suo Conuentu, & non ea confidentia, vt posteà absolutionem obtineat in alio Conuentu ad quem ibit, eligens ibi quemcunquè Confessorem, qui ipsum absoluat; sed solùm ex fragilitate peccauit, & postea alia de causa reperitur esse in alio Conuentu, vbi tale peccatum non est reseruatum, poterit absolui à quolibet Confessario. Ratio est quia si peccaret cum dicta confidentia, peccaret cum fraude legis; *sed fraus nemini patrocinatur*, vt iura clamant, & notum est; ergo in tali casu nequiret absolui. Benè autem in secundo casu, quia in illo non interuenit fraus, & ipse vteretur iure suo confitendi sua peccata, quando à Dei gratia adductus est ad pænitentiam, nihil obstante, sicut non obstat seclusa fraude. Item ducor ad hoc sic dicendum, ratione paritatis cum sæculari, de quo infra loquar, an possit absolui in aliena diœcesi, in qua non est permansurus, si accedat ad quemcunquè Confessarium Regularem cum peccato solùm reseruato in propria diœcesi, vbi illud patrauit: vide ergo infra *num. 14. vsque ad num. 19.* & dicta sint satis circa confessionem reseruatorum in Religioso.

12 Ad secundum propositum in casu, scilicet an sæcularis aduena in vna Ciuitate, possit absolui à quolibet Confessore, si committat peccatum reseruatum in eadem Ciuitate, in qua vt aduena versatur, respondeo affirmatiuè. Ratio illa est, quam supra *num. 2.* adduximus, nempe quia non est subditus, & reseruatio vtpote iurisdictionis actus, non est nisi erga subditos, quapropter pro illo aduena illud peccatum est quidem mortiferum, sed caret motiuo reseruationis, vndè consequenter à quouis Confessario potest absolutionem recipere.

13 Nec refert quòd Soarius *tom. 4. disput. 30. sect. 1. num. 6.* contrarium doceat, & dicat nullatenus posse absolui à non habente facultatem circa reseruata, eum qui reseruatum incurrit vbi hospes versatur. Ratio Soarij est, quia licèt ille hospes non sit subditus, attamen reputatur vt subditus; ergo sicut subditus delinquens per commissionem reseruati nequit à quolibet Confessario absolui, ità nequè iste hospes. Ad Soarium bona pace respondentes, concedimus ipsi suam sententiam vt probabilem; sed nostram dictam sequi placet, vt probabiliorem, imò & vt tutiorem, cùm de Fide sit leges afficere solos subditos, saluis prædictis *num. 3.*

14 Nunc venientes ad casum promissum supra sub *num. 11.* quæro an Confessarius vnius diœcesis nullam habens potestatem iurisdictionis circa casus reseruatos, possit absoluere pænitenten-

tentem alterius dioecesis, qui innodatur casu reseruato in propria dioecesi, vbi tale peccatum commisit, aut si illud commisit in illa dioecesi, in qua de præsenti commoratur. Ad hoc respondendum est primò, quòd si tale peccatum reseruatur in vtraque dioecesi, pro certo tenendum est, nullatenus posse absolui à non habente facultatem circa reseruata; & ità expressè tradit Soarius *tom.* 4. *de pænit. disput.* 30. *sect.* 1. *num.* 6. nec hoc indiget probatione, cùm de se manifestè constet, supposito esse casum reseruatum etiam in dioecesi, in qua versatur.

15 Si autem in sola poenitentis dioecesi reseruatum est, iudicat idem Soarius, posse absolui à quocunque Confessario in altera dioecesi. Ratio est, quia quantùm ad forum internum animæ illius pænitentis, censetur incola illius dioecesis; ergo tractandus est sicut alij, qui sunt illius dioecesis; cùm ergo pro incolis talis dioecesis ille casus non sit reseruatus, nec erit pro illo pænitente aduenienti ab alia dioecesi. Sed quia in conferendis Sacramentis, hodiè damnatum est posse sequi sententiam non tutiorem quoad valorem, ideò vide *num.*18.

16 Obijcies: regula generalis est, quemque sortiri forum ratione delicti, iuxta *l. primam*, *C. vbi de crimine agi oporteat.* & *l. soleat*, *de custodia reorum*; ergo si peccatum est commissum in altera dioecesi, debet in illa iudicari, & sic non potest absolui extra dioecesim, in qua delictum patratum fuit. At respondetur concedendo totum, si loqui velimus de foro fori; at contra totum negatur, loquendo de foro poli, vt asserit *glos. in cap placuit* 1. 16. *quæst.* 1. & iuxta Abbatem *in cap. si quis contra*, *num.* 50. *de foro competenti*, & Iacobum de Graphis *lib.* 1. *decis. aur. cap.* 13. *num.* 47. Poterit ergo aduena existens in vna dioecesi, absolui à reseruato commisso in propria dioecesi: sed hoc intelligendum est semper cum illa limitatione, vt fraus non interueniat, prout diximus superiùs sub *num.* 11. huiusce Decisionis, quia si fraus adesset, absolui non posset: ità probabilis
17 est. Sotus *in* 4. *distinct.* 18. *quæst.* 4. *art.* 2. *colum* 9. *fine.* & Veiga *lib.* 2. *casu* 326. cum Graphis *vbi supra, num.* 46. tenent tamquam probabiliorem sententiam oppositam, docentes non posse absolui à quolibet Confessario alterius dioecesis illum, qui habet reseruatum commissum in dioecesi domicilij sui. Ratio est, quia nisi mutet domicilium, aut quasi domicilium, videtur præsumendum, quòd fraudulenter ad illam dioecesim se contulerit, vt sic reseruationis pænam effugeret impositam à proprio Episcopo volente cum dicta reseruatione impedire, ne liberè peccent sui subditi in illa specie peccati, quod reseruatur. Bona autem mens Episcopi eluderetur, nec intentum in reseruando consequeretur, si transgressor posset absolui ab altera dioecesi à quocunquè exposito ad excipiendas Confessiones, quamuis non ibi permansurus iuerit ad aliam dioecesim. Vtraquè opinio est proba-
18 bilis; sed quænam maiorem contineat probabilitatem, crederem eã continere primam opinionem, exclusa tamen ratione fraudis, vt si nec ea confidentia peccetur, quòd postea alibi absolutionem posset; nec ad alienam dioecesim hac intentione euitandi reseruationem pergat. Hoc similiter dicatur de Religiosis, vt supra dicebatur *num.* 11. Quia verò ad rem præsentem faciunt verba Clementis Papæ Decimi *in sua Constit. incip. Superna magni Patris familias*, emanata *die* 21. *Iulij* 1670. ideò illa hìc transcribenda esse opportunum duxi. Dicit ergo sic: *Habentes facultatem absoluendi ab omnibus casibus Sedi Apostolicæ reseruatis, non ideò à casibus Episcopo reseruatis posse absoluere. Posse autem Regularem Confessorem in ea dioecesi, in qua est approbatus, confluentes ex alia dioecesi à peccatis in ipsa reseruatis, non autem in illa, vbi idem Confessor est approbatus absoluere, nisi eosdem Pœnitentes nouerit in fraudem reseruationis ad alienam dioecesim pro absolutione obtinenda migrasse.* Ex quibus verbis constat qua limitatione possint pænitentes à reseruatis in aliena dioecesi, seu in loco delicti, iuxta tutiorem opinionem validè absoluere. Sed hæc tenent pro Confessario Regulari, nam pro non Regulari res est sub probabilitate, quare pro ipso interdum inseruient, quæ docuimus numero decimoseptimo Decisionis decimæ, supposita damnatione Propositionis primæ in serie damnatarum ab Innocentio XI.

Et vt faciliùs Confessarij quicunquè sciant quid hodiè anno à Virginis Partu 1681. minimè possint quoad absolutionem pænitentibus dandam, præcipuè succedente damnatione nonnullarum Propositionum lata ab Alexandro Septimo, & ab Innocentio Vndecimo non grauabor hìc illas transcribere quatenus tamquam proprium locum istum sibi habent vindicare pro plena resolutione tituli Decisionis præsentis.

Igitur prædictus Alexander Septimus damnauit hanc Propositionem, quæ est tertia inter alias: *Sententia asserens Bullam Cænæ so-*

*lùm prohibere absolutionem ab hæresi, & aliorum criminum, quando publica sunt, & id non derogare facultati Tridentini, in qua de occultis criminibus sermo est, anno 1629. 18. Iulij, in Consistorio Sacræ Congregationis Eminentissimorum Cardinalium visa, & tolerata est.* Absit vt talem sententiam quis neget esse temerariam, & scandalosam, non solùm ex qua parte docet esse ab Eminentissimis Cardinalibus toleratam, verùm etiam quoad primam illius partem. Sed circa illam petes, an etiam Episcopis sit adempta facultas absoluendi ab hæresi, & ab alijs criminibus Bullæ Cænæ, cùm de alijs Confessarijs certissimum sit ipsos carere tali facultate. Suppono omnibus notum Tridentini Decretum *sess. 24. cap. 6.* per quod conceditur Episcopis absoluere à quibuscunquè casibus occultis, etiam Sedi Apostolicæ reseruatis subditos suos in sua diœcesi, per seipsos, aut per Vicarium ad id deputatum, excepta hæresi occulta, à qua per se solos, non per Vicarium possunt absoluere. Nunc ad petitionem respondet Bossius *de iubilæo, sect. 1. c. 10. §. 2. num. 10.* cum alijs ab ipso citatis, non esse Episcopis sublatam facultatem absoluendi à prædictis casibus, & ab hæresi, stante omnia esse occulta, nec ad forum contentiosum deducta. Ratio est, quia non ex vi priuilegiorum, sed ex facultate ordinaria priùs restricta, postmodum à Tridentino relaxata absoluunt. Confirmatur, nam spoliandi non sunt Episcopi facultate, quam habent, cùm clarè non constet de reuocatione. Probat hanc opinionem Gabriel à S. Vincentio *de censur. disput. 1. num. 364.* sed *de remed. ignorant. disput. 12. num. 32. dubij 3.* tenet contra suas rationes dicto numero 364. adductas, & contra Bossium. Deinde idem Gabr. *d. dub. 3. num. 33.* dicit posse Episcopos absoluere non valentes accedere ad Papam, vel ad eius Nuncium potentem absoluere. Demum *num. 35.* compillat aliquas occasiones, ob quas delinquentes reputantur impotentes ad accedendum ad Pontificem, vel ad eius Nuncium, vndè ab Episcopis poterunt absolui si hæresis, vel crimina sint occulta. Ego crederem esse tenendam opinionem Bossij *loco citato.* Ducor, quia sicuti Episcopi possunt absoluere impotentem ad accedendum ad Pontificem ex aliqua causa, quia sic conceditur *à cap. de cætero, de sent. excommunic.* cui capitulo non derogatur quando Bulla Cænæ renouatur, vt ait Gabriel *loco citato*, ità nec derogabitur dispositioni Concilij Tridentini quoties renouatur eadem Bulla, vti patet dicendum ex paritate rationis, cùm vbi eadem est ratio, idem ius sit statuendum, idemque iudicium faciendum per *l. illud, ff. ad leg. Aquil. l. illud, C. de Sacros. Eccles. §. si igitur, Instit. quod cum eo, & tenent* Abb. *in cap. nihil, num. 5. de elect.* Deci. *cons. 15. num. 12.* Bald. *cons. 324. Omissis, in fin. lib. 9.* Alex. *cons. 75. Videretur num. 3. & 4. lib. 5.* & alij, nec non & alibi sæpè in Iure. Et dicta non conformantur doctrinæ damnatæ in præallegata Propositione, quæ meritò fuit damnata, quia docebat non prohiberi per Bullam Cænæ absoluere ab hæresi, vel ab alijs criminibus occultis, sed solùm à publicis, & hanc sententiam esse visam, & toleratam in Consistorio Eminentissimorum Cardinalium: Sic quilibet Confessarius potuisset facere sibi licitum ab eis occultis absoluere, cùm tamen Tridentinum solis Episcopis id concedat, nec credibile videtur velle Pontificem huic decreto derogare per Bullam, & verisimile videtur non esse mentem Pontificis aliquid demere in Concilio vltimo, & adeò rigorosè seruato, ac reuerito, vnde *verisimile* haberi debet pro veritate, imò & pro lege, vt tradunt Stephan. Grat. *discept. forens. tom. 5. cap. 878. num. 16.* Riminald. iun. *cons. 362. num 18.* Cæphal. *con. 287. Cùm Dominus, num. 23.* Crauet. *cons. 61. num. 9.* Franc. Becc. *cons. 101. num. 46.* & Castill. *controuers. lib. 5. part. 2. cap. 63.* per totum.

Idem Alexander Septimus damnauit istam Propositionem, quæ est quarta in ordine cæterarum. *Prælati Regulares possunt in foro conscientiæ absoluere quoscunquè sæculares ab hæresi occulta, & ab Excommunicatione propter eam incursa.* Agit hæc Propositio solùm de sæcularibus, quare respectu Regularium sibi subditorum liberum est disputare, an Prælati Regulares possint eos absoluere. Quo circa scio nonnullas Religiones habuisse priuilegia: Sic Eugenius Quartus, & Sixtus item Quartus concesserunt meæ Religioni, vt Prælati subditos absoluant ab omnibus censuris, pœnis, & excessibus, nisi hæc mereantur ad Sedem Apostolicam destinari, vt essent *Hæretici relapsi, Schismatici, & litterarum Apostolicarum falsarij, aut ad infideles prohibita deferentes*; & ità explicauit idem Sixtus Quartus in Bulla incipiente *dum attenta*. Extant quædam alia priuilegia data à Paulo Tertio Patribus Societatis Iesu in Bulla *licet debitum*, & Religioni Ministrantium infirmis à Gregorio Decimoquarto. Sed quamuis aliqui asserant ea non reuocari

cari per Bullam Cœnæ, tamen verè reuocari dicendum est, prout etiam declarauit Sacra Congregatio teste Diana *part. 1. de absolut. ab hæresi, resolut. 6.* Hinc non fauent plura priuilegia, & maximè illud Gregorij Decimitertij, quod solet allegari emanatum 18. Maij 1584. sicut constat ex Viuæ vocis oraculo *pag. 133.* per quod dicitur, quòd nullæ facultates censeantur reuocatæ per Bullam Cœnæ. Et si dicantur irreuocabilia, vtpote recompensatiua; respondetur primò iuxta tradita *in decis. 58. num. 25.* Secundò, negatur suppositum, tum quia licèt Pontifices aliqua concesserint Religionibus intuitu meritorum, tamen ex sui placito sunt data, & ideò censentur reuocabilia ex multiplici motiuo: 1. Quia Principis gratia non præiudicat alijs, maximè successori, *l. 2. §. si quis, à Principe, ff. ne quid in loco publico,* & *cap. super eo, de offic. deleg.* & tenet Decius *cons. 11. num. 4.* cum alijs communiter. 2. Quia successori non ligat manus prædecessor, cùm super illum nō habeat imperiū, *l. nam & magistratus, ff. de recept. arbitr.* & *cap. inferior,* & *cap. denique, dist. 21.* & *cap. innotuit 20. de elect.* Adde, quòd cessāte causa, cessat priuilegium, prout scribit Ancharan. *cons. 394 num. 3.* ergo à fortiori potest reuocari; vnde dicitur mereri priuilegium perdere, qui eo abutitur, *cap. vbi, dist. 74. cap. priuilegium, dist. 11. q. 3.* & *cap. tuarum 11. cap. vt priuilegia, de priuileg.* & docent Card. Tusch. *lit. P. concl. 754.* & Suar. *de legib. lib. 8. cap. 36.* cum alijs. Licèt ergo irreuocatio sit semper vnita contractibus, non tamen priuilegijs etiam remuneratoriè factis, propterea ad maximum durant tempore concedentis, non succedentium in eadem facultate, à quibus iudicandum erit, quid in hoc expediat, ac proinde per Bullam Cœnæ reuocantur priuilegia, sicut hactenus declarauimus de Prælatis Regularibus erga subditos, quamuis erga sæculares certum sit non posse absoluere, vt volebat posse Propositio damnata.

Adest eiusdem Alexandri Septimi damnatio Propositionum duarum, quæ sunt 6. & 7. in serie cæterarum; vna est: *Confessarius, qui in Sacramentali Confessione tribuit Pœnitenti chartam postea legendam, in qua ad Venerem incitat, non censetur sollicitasse in Confessione; ac proinde non est denunciandus.* Non possunt ergo Confessarii absoluere Pœnitentes ab alio Confessario sollicitatos ad venerea, nisi promittant se sollicitantem denunciaturos. Pro verbis *in Sacramentali Confessione,* intellige, vt communiter dicunt Doctores, seu occasione confessionis, seu paulò ante, vel paulò post illam, aut in loco confessionis, ad eam electo. Esse autem veram sollicitationem, quòd modo dicto tradatur charta, adeò clarum est, vt temerariè, (saltem post latam damnationem) & scandalosè id negetur, cùm verificetur hæc Propositio, si à dante chartam sollicitationis dicatur: *Ego non incitabo, seu inuitabo ad Venerē per datā chartam, sed nunc dum do chartam inuito: ergo actu sollicito, & est falsū quòd tantùm dum leget de futuro sollicitabo.* Si ergo hæc Propositio est vera, vt est verissima, consequenter est falsa Propositio, quam Papa meritò damnauit. Caueant ergo Confessarii ne absoluant taliter sollicitatos, quasi non obligati sint ad denunciandum. Nec modus euadendi eiusmodi obligationem est, si sollicitata persona confiteatur apud sollicitantem, eò quia hic non teneatur obligare ad sui denunciationem; quare alia Propositio extat damnata ab eodem Alexandro Septimo, quæ dicebat: *Modus euadendi obligationem denunciandæ sollicitationis est: si sollicitatus confiteatur cum sollicitante, hic potest ipsum absoluere absque onere denunciandi.* Non est vera ista doctrina hodiè damnata, nam sollicitatus tenetur sub mortali denunciare, vt optimè docent Doctores communiter, & videri possunt Rodriguez *tom 2. quæst. Regularium, quæst. 27. num. 1.* Sanctarell. *de hæresi, c. 46. dub. vnic. num. 10.* Acugna *de confess. sollicitan. quæst. 21. num. 6. & 7.* Henriquez *lib. 6. c. 2. num. 6.* ergo non liberatur à sua graui obligatione per hoc, quòd confiteatur cum sollicitante, qui in hoc casu seipsum considerare non debet, sed pœnitentem obligare tenetur, vt denunciet sollicitantem, quisquis ille fuerit, aliàs absolutionem impertiri minimè potest. Aut ergo sollicitans recuset audire sollicitatum, aut sibi imputet, quòd velit audire cum obligatione monendi pœnitentem, vt denunciet, si vult iure absoluere posse.

Vlteriùs damnauit Alexander Septimus varias alias Propositiones, quas posuit inter alias *num. 11. 12. 13. 14. 15. 16.* easque omnes scire debent Confessarii.

Illa, quæ est 11. dicit: *Peccata in Confessione omissa, seu oblita ob instans periculum vitæ, aut ob aliam causam, non tenemur in sequenti Confessione exprimere.*

Illa, quæ est 12. dicit: *Mendicantes possunt absoluere à casibus Episcopis reseruatis, non obtenta ad id Episcoporum facultate.*

Illa, quæ est 13. dicit: *Satisfacit præcepto annuæ Confessionis, qui confitetur Regulari Episcopo*

*scopo præsentato, sed ab eo iniustè reprobato.*

Illa, quæ est 14. dicit: *Qui facit confessionem voluntariè nullam satisfacit præcepto Ecclesiæ.*

Illa, quæ est 15. dicit: *Pænitens propria auctoritate substituere alium potest, qui loco ipsius pænitentiam adimpleat.*

Illa, quæ est 16. dicit: *Qui beneficium curatum habent, possunt sibi eligere confessarium simplicem Sacerdotē non approbatū ab Ordinario.*

Circa vndecimam Propositionem est tantùm obseruandum, quòd quamuis sint dabiles casus excusantes à materiali integritate confessionis, vt videre est apud Doctores tamen post casus illos sunt confitenda omissa peccata, aut etiam oblita, & oppositum dicere, cadit sub damnatione, vtpote contra Tridentini *canonem* 7. *sess.* 14. imò & *can.* 8. vbi integritatem confessionis exigi dicitur, & id de iure diuino est, vt patet ex *cap.* 5. *d. sess.* 14. Vide infra *vers. Circa quinquagesimam nonam.*

Circa duodecimam Propositionem dico, eā claram esse, nec vnquam fuisse interpretandam de Mendicantibus quà mendicantibus, non verò quà priuilegiatis. Sed quidquid sit de hoc, hodiè cessat omnis dubitatio, cùm non posse absoluere à reseruatis manifestè dicat Clemens Decimus in sua declaratione facta priuilegiorum, quæ habent Regulares quoad Confessiones audiendas, & verbum Dei prædicandum: Verba autem dicti Pontificis iam sunt posita in initio huius numeri 18. Solùm inquiri potest, an ignorantes reseruationem possint absolui; sed de hoc infra *n.* 19. *& seqq.*

Circa decimamtertiam Propositionem censeo non esse damnatum asserere, quòd validè confessiones faciant Regulares absoluentes, licèt ab Episcopo iniustè non approbentur, dum se præsentant, dummodò confessionem, quam audiunt non sit illa pro satisfaciendo annuo præcepto. Ratio videtur manifesta, quia sicuti pro sumenda annui præcepti communione, necesse est ad proprium Pastorem accedere, vel ad huius delegatum; sic & pro præcepto annuæ confessionis: ergo si Episcopus iniustè non approbauerit Regularem præsentantum pro confessionibus audiendis, atque ideò iste validè adhuc absoluet, vt est opinio probabilis, quā cum Coninch. Layman, Finel. Villalob. Mirand. Henriq. Io: à Cruce, Rodrig. Sot. Graff. Vega, Cened. & Fagundez tradit Diana *part.* 3. *de dub. Regular. ref.* 24. tamen nunquam iniustè non erit approbatus, si ei denegetur audire Confessiones ouium Episcopi, vel Curati, quando illę tenentur adire proprium Pastorem; qui non tenetur alium delegare; seu alteri suam authoritatem tunc demandare: igitur in hoc sensu fuit meritò lata, & tenet damnatio præsentis Propositionis, quidquid sit de alijs casibus, excepto isto satisfaciendi Paschalis Confessionis præcepto. Dato etiam, quòd iniustè denegata sit facultas audiendi confessiones Regulari præsentato pro casu annuo præcepto satisfaciendi, tamen facultas de facto non fuit concessa, sicque nisi ad proprium Pastorem, vel ad eius delegatum pænitentes in Paschate accedant, confessionis annuæ pręceptum non adimplent, & oppositum est damnatum. Caueant ergo Confessarij Regulares, ne falsam, scandalosam, & à Pontifice damnatam doctrinam, amplectantur. Et si dicatur Regulares habere iurisdictionem à Papa, non ab Episcopo, vt docent multi, & sic accedentes ad ipsos non approbatos, sed præsentatos, satisfacere annuo præcepto, vt dicit Nauar. *in manual. cap.* 27. *num.* 264 *&* 265. respondetur non approbari neque à Pontifice Regulares pro audienda confessione, cum qua annuo illius præcepto est satisfaciendum, vnde inualidè, & illicitè Pænitentiam ministrarent, vt probant verba Tridentini *sess.* 14. *cap.* 7. ità loquentis: *Persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, & verissimum esse Synodus hæc confirmat nullius momenti absolutionem eam esse debere, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam, aut subdelegatam non habet iurisdictionem.*

Circa decimāquartam Propositionem dico, eam meritò fuisse damnatam, cùm reuerà non sit Confessio illa, quæ nulla fit voluntariè. Nec obstat dicere, quòd Ecclesia non possit præcipere actus internos; respondetur enim posse saltem indirectè iuxta multorum opinionem. Sed dato, quòd neque indirectè id possit Ecclesia, adhuc nihil vrget obiectio, quia dum Ecclesia præcipit confessionem, præcipit tempus externè ponendi Sacramentum à Christo Domino præceptum: ergo Ecclesia non præcipit actum internum, sed externam accusationem omnium peccatorum clauibus subijciendorum ex Diuino præcepto. Notetur hanc nullitatem debere intelligi, siue ex parte Confessarij, siue ex parte Pænitentis voluntariè ponatur, etiamsi à pænitente sciatur postquam partem suam putabat plenè fecisse; ratio est, quia confessione nulla voluntariè voluntareitate saltem consequenti, præsumeret præceptum adimpleuisse, cùm tamen realiter Sacramentum non receperit, sicuti non recepisse,

pisse optimè nouit. Damnationi Propositionis istius conformatur damnatio doctrinæ circa annuam Communionem sacrilegam, prout infrà videbimus in hac eadem Decisione, dum aliquas Propositiones ab Innocentio Vndecimo damnatas referam. Dari autem præceptum annuæ confessionis ex Ecclesiæ iussione, patet ex *cap. omnis vtriusque sexus, de pænit. & remiss.*

Circa decimamquintam Propositionem nihil occurrit dicendum, nisi quòd illa sit omninò scandalosa, cùm nequeat componi cum decreto Tridentini *sess.* 14. *cap.* 8. vbi agitur de satisfactione iniungenda pænitentibus facienda quidem à seipsis, vt Sacramentum totum ponant etiam quoad partem integralem, qualis est satisfactio. Hinc si Pænitens nolit satisfactionem per semetipsum faciendam acceptare ad nutum Confessarii, hic illum vt indispositum non potest absoluere.

Circa decimamsextam Propositionem noto fuisse errorem quorundam parificantium Parochos Episcopis in hoc, quòd sicuti Episcopi suam delegant facultatem pro confessionibus excipiendis, cùm ipsi habeant hanc facultatem vt ordinariam; sic idem esset de Parochis, quibus cùm ordinaria sit facultas ministrandi Pænitentiæ Sacramentum, illam poterunt simplici Sacerdoti delegare, atquè apud ipsum seipsos confiteri. Sed nimiùm ampliatur potestas habentium Beneficium curatum, si vera esset ista doctrina, ex qua facile esset inferre, quòd Parochi similes Episcopis saltem respectu propriarum ouium, possent absoluere à reseruatis, imò & absoluendi ab eis facultatem delegare, necnon aliqua possent reseruare, quæ omnia sunt absurda, & schismatis, seu rebellionis à suo Episcopo ad minùs initia. Facit, quòd communis vsus est, ne à reseruatis Parochi absoluant, atquè & ipsi in reseruationem interdum incurrant. Demum, nullo iure id Parochis conceditur: ergo scandalosè facultas talis vsurparetur. Imò expresè obstat decretum Concilii Tridentini *sess.* 23. *cap.* 15. vbi sic fatur: *Quamuis Presbyteri in sua ordinatione à peccatis absoluendi potestatem accipiant: decernit tamen Sancta Synodus, nullum etiam Regularem, posse confessiones sæcularium, etiam Sacerdotum audire, nec ad id idoneum reputari, nisi aut Parochiale beneficium, aut ab Episcopis per examen, si illis videbitur esse necessarium, aut aliàs idoneus iudicetur; & approbationem, qua gratis detur obtineat; priuilegijs, & consuetudine quacunque, etiam immemorabili non obstantibus.* Ex his discant Sacerdotes sæculares, quòd pro confessionibus audiendis, necesse habent approbari ab Episcopis, aliàs illicitè, & inualidè absoluent. Discant etiam Regulares, quòd eis priuilegia sint à Tridentino sublata in hoc particulari, quare notent sequentem Propositionem damnatam ab Alexandro Septimo, & est 36. in serie cæterarum, cuius etiam meminimus supra in Decisione 58. *num.* 25. & dicit: *Regulares possunt in foro conscientiæ vti priuilegijs suis, quæ sunt expresè reuocata per Concilium Tridentinum*: sed eius falsitatem satis ostendimus *loco citato*. Est ergo à Regularibus valdè obseruandum, quibus priuilegiis vti velint in Sacramentalis Pœnitentiæ administratione, scilicet an ante, vel post Tridentinum sint eis concessa, cùm de concessis ante Tridentinum si datur reuocatio, illis vti non possint. Videatur Gauant. *in manual. verb. Confessarius, num.* 7.

Ad rem nostram facit etiam 41. ex damnatis propositionibus ab eodem Alexandro VII. quæ dicit: *Non est obligandus concubinarius ad eijciendam concubinam, si hæc nimis vtilis esset ad delectamentum concubinarij, vulgò* regalo, *dum deficiente illo, nimis egrè ageret vitam, & aliæ epulæ tædio magno concubinarium afficerent; & alia famula nimis difficilè inueniretur.* Sanè etiam ante huius propositionis damnationem erat eiusmodi concubinarius obligandus ad tollendam proximam peccandi occasionem, non obstantibus tædio, egra vita, & difficultate aliam famulam inueniendi; proxima autem peccandi occasio est, concubinam domi retinere, seu etiã extra domum, sed ad concubinarij dispositionem. Est etiam communis doctrina, quòd quando occasio non est liberè volita, vt est quoties non est in libertate peccantis occasionem tollere, tunc obligatio non vrget eodem modo, ac habet vrgere respectu concubinarij, vndè plena scandalo est propositio allata, meritò proinde damnata. Iudicandus est ergo non dispositus pro Sacramentali absolutione, qui concubinam retinet; & si pro motiuis eam retinendi adducentur prædicta in eadem propositione, tueretur doctrina damnata, vt patet. Addi etiam debet, quòd scandalum continet præsens propositio, dum docet non esse obligandum concubinarium ad concubinam eijciendam, si ex ipsius retentione magnam vtilitatem pro delectamento habendo consequeretur concubinarius. Heu quæ doctrina! Quis etiam non Theologus

scru-

scrupulum sibi non faceret, si delectamenta sumeret ex concubinæ, iuxta dicta *regalo?* Sanè culpa deesse non potest in huiusmodi delectamento potiùs, & semper carnali, quàm simpliciter, aut rationabiliter necessario, seu admisso. Igitur dicatur, quòd nimiùm scandalosè docetur, non esse concubinam eijciendam, sed licitè posse retineri ex motiuis peccaminosis. Hæc sufficiant in præsenti. De occasione peccandi non ablata extant aliæ propositiones damnatæ ab Innocentio XI. quas vide in nostra decisione 18. *num.* 39. Hic de dictis propositionibus ab Innocentio damnatis est breuiter obseruandum, quòd amplè loquuntur, & omnem vtilitatem, ac honestatem comprehendunt, & ideo vt iacènt sunt damnatæ, vndè in aliquo sensu posunt Doctorum disputationi remitti, sicuti notauimus *d. num.* 39. Cæterùm propositio ista ab Alexandro damnata determinat motiua non auferendi peccati occasionem, quæ motiua nullatenus sufficiunt, cùm vtilitatem præseferant tantùm carnalem, atquè culpabilem; & sic debuit damnari, vti nullo fundamento solido innixa, quatenus importat doctrinam iam dictam, animarum saluti nimiùm perniciosam, vt considerantibus patebit, & præcipuè quia liberè, & voluntariè ille concubinarius admittit proximam peccandi occasionem, quam pati diximus non valentes eam reijcere.

A Confessariorum memoria decidere non debent quædam aliæ propositiones ab Alexandro VII. damnatæ in suo Decreto sub die 30. Ianuarij 1656. incipi. *In Congregatione.* Spectant dictæ propositiones ad facultatem absoluendi.

Prima est: *Concilium non obligat Regulares in Gallia ad obtinendas approbationes ab Episcopis, vt sæcularium confessiones audire possint: nequè de illius Concilij auctoritate priuilegia Regularium restringi possunt, cùm idem in Gallia receptum non sit, præterquam in decisionibus Fidei. Nequè etiam Bulla Pij IV. pro illius Concilij confirmatione promulgata.* Debuisset, quisquis huius propositionis sit Author, cogitare, quòd Regulares vbiquè locorum subditi sunt Romani Pontificis, cui consequenter obedire tenentur; ergo eos obligat Tridentinum in omnibus, quæ pro Regularibus sanciuit, nequè ad Principem sæcularem spectat acceptare, vel recusare leges impositas Regularibus ab eorum supremo Principe. Nec posunt Regulares præsumere non acceptationem, seu recusationem Decretorum Concilij citra Fidei Decreta, cùm sinè fundamento id asseratur; nequè non acceptare vnquam fuit in eorum potestate, prout constat ex eo, quòd nullam non acceptandi habuerint causam, quare contra illos facit propositio 28. inter damnatas ab Alexandro VII. quæ dicit: *Populus non peccat etiamsi absquè vlla causa non recipiat legem à Principe promulgatam.* Hinc Censura facta eidem propositioni primæ, est ista: *Est falsa, temeraria, scandalosa, in hæresim, & schisma inducens; Sacro Concilio Tridentino, & Fidei Apostolicæ iniuriosa.*

Secunda propositio est: *Vbi Concilium Tridentinum est receptum, non possunt Episcopi restringere, vel limitare approbationes, quas Regularibus concedunt ad confessiones audiendas: nequè illas vlla ex causa reuocare. Quinimò Ordinum Mendicantium Religiosi ad eas approbationes obtinendas non tenentur. Et si ab Episcopis Religiosi non probentur, reiectio illa valet tantum, ac si probatio fuisset concessa.* Censura huius propositionis est. *Complexè accepta est falsa, temeraria, scandalosa, & erronea.* Dicitur *complexè*, quia multa membra in vna propositione complectitur, & quidem singula, & omnia sunt falsa prout traduntur. Videatur Tridentini Decretum *sess.* 23. *cap.* 15. à nobis relatum suprà sub *vers. Circa decimã quartam*, & illud si dicatur receptum, constabit falsitas istius propositionis. An interdum Episcopi possint reuocare approbationes Regularium data iusta causa, dicendum est affirmatiuè cum Gauanto *in Manua. verb. Confessarius, nu.* 23. dummodò ea causa spectet ad confessiones, aut ob non seruatum Episcopale Interdictum. S. Congreg. Episcopor. 20. *Nouem.* 1615. apud dictum Gauant. *loc. cit.* vbi *num.* 24. notat, quòd non possint adimere facultatem audiendi Confessiones omnibus simul vnius Conuentus, inconsulta Sac. Congreg. eadem: *ibid.* Quòd verò dicitur in propositione circa non approbationem valentem vti approbatio valet, non est verum in tanta generalitate loquutionis, non enim distinguit an ab approbatione reijciantur iustè, aut iniustè; imò & complectitur casum cadentem sub damnatione, scilicet de accedente pro præcepto annuæ Confessionis ad non approbatum licèt præsentatum, vt diximus suprà, *vers. Circà decimam tertiam:* Videatur ibi, & patebit quomodo Censura huius secundæ propositionis accipiat istam *complexè*; & hæc sunt valdè à Confessarijs Regularibus notanda, ne sinè facultate ignoranter absoluant.

Ter-

Tertia propositio est: *Regulares Ordinum Mendicantium semel approbati ab vno Episcopo ad Confessiones audiendas in sua diœcesi, habentur pro approbatis in alijs diœcesibus, neque noua indigent Episcoporum approbatione. Regulares habent potestatem absoluendi à peccatis Episcopo reseruatis, etiamsi ab Episcopo auctoritas alia indulta non fuerit*. Huic propositioni Censura facta fuit vt sequitur. *Quoad primam partem est falsa, & saluti animarum perniciosa. Quoad secundam partem est falsa, auctoritati Episcoporum, & Sedi Apostolicæ iniuriosa*. Demum contra vtramque partem illius stat apertissima declaratio nouissimè facta à Clemente X. in suo Decreto, de quo suprà ab initio huius numeri mentionem facimus, & notauimus emanasse sub die 21. Iulij 1670.

Extant & aliæ propositiones damnatæ ab Innocentio XI. quas ad manum Confessarij debent habere, vt sciant quibus absolutionem valeant impertiri, relictis falsis, & scandalosis, imò etiam damnatis doctrinis.

Extat ergo propositio inter alias à dicto Pontifice damnatas numero 55. posita, quæ dicit: *Præcepto Communionis annuæ satisfit per sacrilegam Domini manducationem*. Est adeo falsa ista propositio, vt contrarium affirmare meritò cogamur propter fundamenta allata suprà, *vers. Circa decimam quartam*, agentes de Confessione inualida. Datur ergo præceptum Diuinum de Sacra Communione, ad cuius adimpletionem requiritur quòd *probet se ipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat*, vt omnibus scriptum reliquit Apostolus Paulus. Qui autem indignè manducat, & bibit, non ponit quod Christus Dominus præcepit, & hoc Ecclesia exigit tempore Paschatis, scilicet vult externum actum eo tempore ab illa determinato, qui actus cadit sub præcepto Diuino, quod certè est de digna, non de sacrilega Communione. Quare si quis Excommunicaretur tamquam transgressor præcepti annuæ Communionis, licèt materialiter Eucharistiam sumpserit, absoluendi ipsum Confessarius non habet facultatem: & sic dici non potest Excommunicationem non tenere, cùm Eucharistia tota fuerit accepta, vndè secretè poterit pro non Excommunicato reputari. Caueat Confessarius, vel alter quiuis ab hac damnata doctrina.

Extat deinde alia propositio, quæ est 56. in serie damnatarum ab Innocentio XI. & eam hìc ponam propter vnitatem aliqualem cum prædicta. Propositio est ista: *Frequens Confessio, & Communio, etiam in his, qui gentiliter viuunt, est nota prædestinationis*. Sanè vt iacet hæc proposito tam amplè loquitur, vt meritissimè damnari debuerit. Ergo ne malè agere, signum est prædestinationis, si in tali malo frequentia ponatur? Ergo ne si Gentilis frequenter indignissimè, aut etiam interdum dignè Synaxim sumat, & semper prolabatur, ac ad vomitum redeat, nihilominus prædestinationis notam dare iudicabitur? Siccinè gentiliter, idest malè viuentes, Confessionem, & Communionem frequentantes, licèt non cum vero emendationis proposito, aut qualitercunquè ea Sacramentorum frequentia à malis ponatur, indicabit eos in libro Vitæ descriptos? Si vera diceret allata propositio, etiam vti veræ meritò inferentur dictæ, & similes consequentiæ, quæ animarum saluti summoperè sunt perniciosæ, quia peccatores ex qualicunquè frequenti accessu ad Confessionem, & Communionem, sibi vt certam persuaderent propriam salutem, vndè & confidenter in peccata laxatis habenis sese præcipites dabunt. En quàm perniciosa sit saluti animarum ista propositio vt iacet, ac in sua generalitate. Si verò loquamur de frequentantibus Confessionem, & Communionem vt par est, indè etiam emendationem, fructumque retrahentes, licèt olim pessimè vixerint, de his agi, & disputari potest, & damnatum non erit, affirmare, talem frequentiam esse notam prædestinationis. Sed hæc quamuis obiter dixerimus, tamen hìc ea tetigisse opus fuit, vt Confessarij sciant qualiter se gerere debebunt in absoluendo, vel non absoluendo similes gentiliter, seu malè viuentes, qui apud ipsos confiterentur. Est tamen obuia doctrina in omnibus Doctoribus de absoluendis, qui relabuntur in aliàs confessa, & ideò de istis recidiuis aliud non addo.

Extant aliæ propositiones ab eodem Innocentio XI. damnatæ circa Pœnitentiæ Sacramentum, & sunt sequentes.

Numero 57. ponitur ista: *Probabile est, sufficere attritionem naturalem, modò, honestam*.

Numero 58. ponitur ista: *Non tenemur Confessario interroganti fateri peccati alicuius consuetudinem*.

Numero 59. ponitur ista: *Licet Sacramentaliter absoluere dimidiatè tantùm confessos ratione magni concursus Pœnitentium, qualis v.g. potest contingere in die magna alicuius festiuitatis, aut Indulgentiæ*.

Numero 60. ponitur ista: *Pœnitenti habenti consuetudinem peccandi contra legem Dei, Natu-*

*ra, aut Ecclesiæ, etsi emendationis spes nulla appareat, nec est neganda, nec differenda absolutio, dummodo ore proferat se dolere, & proponere emendationem.*

De his quatuor propositionibus damnatis plura essent scribenda, tamen breuiter circa illas dicemus in præsenti, quæ necessaria sunt pro nostræ decisionis intento, pro quo opus est hìc eas considerare.

Circa quinquagesimam septimam certum est, nunc esse ablatam omnem disputationem, an attritio naturalis sit dolor sufficiens pro absolutione Sacramentali obtinenda. Verum est, quòd aliqui olim affirmatiuam partem tenentes, explicabant attritionem naturalem cum speculationibus, seu formalitatibus, itaut aliquid supernaturale in ea interuenire saltem obiectiuè conarentur ostendere. Et id fortassè ab istis Authoribus astruebatur, quia cognoscebant necessitatem doloris disponentis ad gratiam, quæ cùm sit forma supernaturalis, consequenter in eodem genere supernaturalitatis debet esse dispositio, idest dolor ad gratiam producendam in Sacramento. Sed isti Authores, si velint sustinere, quòd attritio naturalis sufficiat, prætextu speculatæ supernaturalitatis, non effugient damnatam doctrinam. Si tamen aliqua supernaturalitas sit in attritione, tunc non erit naturalis, de qua stat damnatio. Alij volunt nullam dari attritionem, quæ sit naturalis, sed omnem attritionem esse supernaturalem affirmant, inhærentes verbis Concilij Tridentini *sess.* 14. *cap.* 4. vt videre est apud Fagundez *in precep. Ecclesiæ, precepto* 2. *lib.* 2. *cap.* 4. *num.* 4. *& seqq.* Qui ità sentiunt, tenentur constituere attritionem in dolore de peccatis propter motiua, vel propter aliquod ex ipsis, quæ Tridentinum expressè *loco citato*, assignat, scilicet, *vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex metu gehennæ, & pœnarum concipitur, si voluntatem peccandi excludat, cum spe veniæ, &c.* Nomine tamen *pœnarum*, debent intelligi pœnæ peccati, idest vel Purgatorium, vel Infernus. Isti sic discurrentes, nihil dicunt contra veritatem saltem probabilem, quoad opinionem, quòd non detur attritio naturalis; quare pœnitentes hoc dolore accedentes, verè sunt absoluendi quantùm est ex hoc capite. Loquendo igitur de attritione dicta in hac damnata propositione, debet intelligi attritio verè naturalis, vt si quis doleat de peccatis suis, quia propter illa conspicit sua negotia temporalia de die in diem in peius ruere. Iste dolor satis esset pro Confessione facienda licitè, & validè, docetur in propositione damnata, in qua per illa vocabula, *modò, honestam*, excluditur solùm motiuum naturale dolendi de peccatis, quod sit non honestum, nam si non sit honestum, tunc attritio non sufficeret etiam per doctrinam præsentis damnatæ propositionis. Nihilominus siuè honesta, siuè non honesta sit attritio naturalis, hodiè est meritò damnatum affirmare, quòd sufficiat pro Sacramento; & ità tenebatur à Doctoribus ferè communiter illius insufficientia. Videatur Syluius *in 3. part. supplementi D. Thomæ, quæst.* 1. *art.* 3. *in fine*. Vasq. *in* 3. *par. tom.* 4. *quæst.* 92. *art.* 1. *dub.* 3. Suar. *disp.* 20. *sect.* 2. & alij, qui tenent attritionem naturalem minimè sufficere. Videatur etiam Diana *part.* 4. *tract.* 4. *resol.* 193. Ergo Confessarius nequit absoluere pœnitentes cum naturali attritione; at sciat benè distinguere inter naturalem, & supernaturalem, ne vel dignos attritos iniustè reijciat, vel naturaliter attritos iniustè admittat.

Circa quinquagesimam octauam sciant Confessarij, interdum habere ius ad interrogandos pœnitentes de peccandi consuetudine; & ius tale tunc habent, quando ità vident expedire pro officij sui perfecta executione. Sciant etiam Pœnitentes, interdum teneri Confessarijs respondere, dum interrogant circa peccandi consuetudinem; & tunc tenentur, quando sic pro ipsorum salute expedit, vt id Confessarijs notificent, sunt enim Confessarij Iudices, Patres, & Medici. Interdum etiam non tenentur respondere, quia nec Confessarij deberent interrogare de tali consuetudine, cùm id ad nihil pro Confessarij munere inseruiat. Tota difficultas stat in recto iudicio, an hìc, & nunc teneantur respondere propter datam rationem. Propositio tamen vt iacet fuit meritissimè damnata, quia generaliter loquitur, nec vtitur debita distinctione à nobis assignata, scilicet quando expedit, vt consuetudo innotescat Confessario, sed generatim deobligat penitentes à notificatione facienda Confessario de peccandi consuetudine, quæ doctrina est animabus perniciosa, & Confessarij, ac pœnitentis deceptiua.

Circa quinquagesimam nonam Propositionem ex damnatis ab Innocentio Vndecimo faciunt quæ diximus supra, *vers. Circa vndecimam Propositionem*. Nunc satis erit breuiter dicere, hanc 59. propositionem fuisse damnatam, non quia aliquando Confessarij minimè possint dimidiatè confessos absoluere, sed quia

non

non subsistit, seu non sufficit causa in præsenti allata, vt propter eam, videlicet ratione magni concursus Pœnitentium in die magnæ Solemnitatis, aut Indulgentiæ, liceat sacramentaliter absoluere dimidiatè tantùm confessos. Quocirca sciendum est, omnia peccata in specie, & in numero esse clauibus subijcienda, vt patet non solùm ex Concilio Florentino in Decreto Eugenij, sed etiam in Tridentino *sess.* 14. *cap.* 5. At his non obstantibus contingere potest casus, in quo sufficiat aliqua peccata exprimere, & alia tantùm in genere, sed de omnibus dolorem debitum habere, vt confessarius absoluat dimidiatè confessum, paratum tamen confiteri integrè omnia, transacto illo periculo, seu illo casu. Tota difficultas est, quænam causa satis sit ad sic dimidiandam confessionem; & ad hanc difficultatem dico primò, non esse sufficientem causam concursum populi ad Confessarium, præcisè loquendo, prout loquitur propositio, & ideò talis doctrina vt iacet, & vt est generalis, fuit damnata. Dico secundò cum Gabr. à S. Vincen. *de remed. ignorant. disp.* 12. *dub.* 11. *num.* 84. ad dimidiandam confessionem in aliquo casu, integrandam tamen eo casu transacto, esse periculum infectionis siuè ex parte Confessarij, siuè ex parte pœnitentis; (sed ego dubitarem, an proprius Parochus teneatur postponere tale periculum, vt suum Parochianum infectum integrè audiat.) Item ratio scandali, vel mortis proximæ possunt pro eo casu sufficere ad dimidiandam confessionem. Idem erit dicendum in similibus rationabilibus casibus, inspectis circumstantijs iudicio prudentis Confessarij. Cæterùm, causa concursus Pœnitentium nullatenus per se sufficit, prout iudicauit non sufficere Pontifex, qui propterea eam propositionem damnauit; quis enim non videt, quòd sinè scandalo possit ferè semper sinè absolutione dimitti pœnitens accedens cum confessione multorum annorum, dum concursus pœnitentium confluit ad festiuitatem? Cur ergo debebit dimidiatè absolui? Ergo falsa, & scandalosa, & contra Tridentinum est propositio ista vt iacet, ac in sua generalitate, imò & ratione suæ doctrinæ restrictæ ad causam falsam pro dimidianda confessione. Caueant ergo Confessarij, ne præsentis propositionis doctrinæ damnatæ conformentur: Non conformabuntur tamen, si Pœnitentium concursui comitetur scandalum, v. g. si puella habeat peccata, quorum confessio non possit expediri per duas horas, & mater illius expectat eam ad Communionem sumendam, & populus eam longam confessionem notaret, scandalum sumeret, atquè à Confessione impediretur, tunc videtur licere absoluere dimidiatè pro eo casu, modo prædicto. Ex his tamquam ab exemplis discant Confessarij, quando poterunt iudicare, quod liceat, imò & quibus cautelis liceat aliquando absoluere dimidiatè confessos, reiecta doctrina damnata. Addo & scandalum reperiri in eadem propositione, quia dato, quod liceret dimidiatè confessos absoluere ob magnum concursum Pœnitentium, essent nihilominus confitenda peccata omnia in alia confessione, prout Tridentinum, & Doctores dicunt, & nos supra idem diximus; & tamen hæc obligatio non admittitur à propositione præsenti, attenta illius significatione: ergo etiam ex hoc capite debuit damnari.

Circa sexagesimam propositionem pauca occurrunt dicenda. Suppono igitur nullum Confessarium ignorare, teneri pœnitentes propositum habere cauendi omnia peccata in futurum, idest debere proponere se cum Diuina gratia in posterum Deum non offensuros, & potiùs passuros quodcunquè malum, etiam mortem, quàm illius offensionem commissuros; sufficiet tamen, quòd hoc fiat in generali, vt cum communi docet Fagundez *in præcept. Eccl. præcept* 2. *lib.* 2. *cap.* 3. *num.* 12. Dubitari tamen solet inter Doctores, an propositum illud cauendi omnia mortalia debeat esse formaliter expressum, vel satis sit quòd virtualiter adsit inclusum in legitima detestatione illorum. Volunt aliqui debere esse formale: Ità D. Thomas 3. *part. quæst.* 90. *art.* 4. Tolet. *in summa, lib.* 3. *cap.* 4. §. *quinta est.* Alens. 4. *part. memb.* 9. *quæst.* 69. *art.* 2. & alij, qui suam opinionem fundant in Concil. Florent. *sess.* 6. *c.* 6. vbi ait necessarium esse propositum obseruandi Diuina mandata. Hæc sententia est tutior, & communior per se. Nihilominus sunt dabiles casus, in quibus per accidens sufficiat propositum inclusum in ipsa detestatione peccati, & v. g. ex defectu considerationis, aut vitæ temporalis. Sic Nauar. *in manuali, cap.* 1. *num.* 6. Soar. *tom.* 4. *de pænit. disput.* 4. *sect.* 3. *num.* 6. Vega *de iustificat. lib.* 3. *cap.* 21. Tamen datur etiam nonnullorum opinio probabilis, sufficere propositum implicitum, seu virtualiter inclusum in dolore explicito: Ità Reginald. *tom.* 1. *lib.* 5. *de contrit.* Vegà in Trident. *lib.* 13. *cap.* 21. Bonacina *de pænit. disput.* 5. *quæst.* 5. *sect.* 1. *punct.* 8. Ratio est, quia nemò vult de cætero committere, quod sibi displicet ex vero corde. Notat

tat Card. de Lugo *de pænit. disp. 14. sect. 5. num. 52.* quòd si quis doleat per attritionem ex motiuo turpitudinis vnius peccati, v. g. furti, tunc debebit necessariò addere propositum explicitum de cætero non peccandi. Ratio est euidens, cùm propositum non peccandi debeat esse de nullo peccato committendo, quod propositum nullatenus continetur in eo dolore ex motiuo turpitudinis vnius peccati. Videatur Tambur. *method. expedit. confess. lib. 1. cap. 1. §. 3 per totum*. Est ergo certissimum debere pænitentem habere propositum emendationis iuxta prædicta, aliter cum Confessarius non potest absoluere. Nunc apparet meritum damnationis propositionis præsentis 60. in ordine cæterarum; nam est nimis generica, dum dicit: *dummodò ore proferat*; debet enim corde proferre, sicque si ore, & corde simul proferat, poterit absolui, quia dum pœnitens ex corde loquitur, & dicit, *se dolere, & proponere emendationem*, ponit dispositiones requisitas, vt absoluatur, quę dispositiones deficiunt, si solo *ore dicat se dolere, & proponere emendationem*, vndè absolutio est ei omninò non danda contra doctrinam huius propositionis 60. scandalosæ quoad hanc partem. Item falsum in ea docetur, dum dicitur, non esse negandam, nec differendam absolutionem, etiam si nulla emendationis spes appareat in pœnitente habente consuetudinem peccandi, docent enim Doctores, licere Confessario interdum differre absolutionem, vt inde probet, an emendatio à pœnitente ponatur, nam Confessarius est Iudex, & Medicus, ac proinde remedia pœnitenti vtilia tenetur applicare, quorum vnum interdum est absolutionis dilatio ex iusta causa, qualis est ista experiendi propositum emendationis, vt cum Eminentissimo de Lugo docet Tambur. *method. expedit. Confessio. lib. 3. cap. 3. §. 6.* Hinc à fortiori ab opposito infertur falsitas doctrinæ in hac propositione traditæ, volentis Confessarium non posse negare, neque differre absolutionem, licèt nullam spem emendationis in pœnitente solito peccare videat, dummodò ore proferat se dolere, & emendationem proponere, per quam doctrinam cordis dolor, & voluntatis propositum excluditur, vel non requiritur, saltem prout propositio vt iacet sonat, & docet, ideòque scandalosa est. Sed cùm in præsenti agatur de Pœnitente habente consuetudinem peccandi contra Dei, Naturæ, & Ecclesiæ præcepta, vndè Confessarius fundamentum videtur non habere ad concipiendam emendationis spem, licèt Pœnitens ore, & corde proferat se dolere, & emendationem proponere; quæritur an isto casu sit damnatum affirmare non esse ei negandam, nec differendam absolutionem; & consequenter an sit tenendum debere ei negari, vel ad minùs differri. Exemplum sit in Ioanne, qui per decem annos continuos in aliquod speciale peccatum relapsus est, de quo peccato apud eumdem Confessarium confessus est sæpè in singulo ex dictis decem annis; imò nunc etiam cum eodem peccato ad Confessarium accedit, qui Confessarius ex circumstantijs nullam spem videt emendationis, & maximè quia ipse pœnitens fatetur se timere, imò certò sibi persuadere, se propter consuetudinem, & fragilitatem iterum lapsurum. In tali casu dicendum est, quòd supposito cordis dolore, & voluntatis proposito de emendatione, & non sola prolatione oris dicentis se dolere, & emendationem proponere, sumus extra casum doctrinæ damnatæ, quapropter Confessarius debebit se gerere iuxta quòd iudicabit expedire attentis doctrinis passim à Doctoribus traditis circa caussas negandi, vel differendi absolutionem, vt cum Tamburino dicebamus *supra*: Non est ergo damnatus casus iste, nec similis; propterea si Confessarius iudicet, quòd pœnitens consuetudinarius cum verbis animum vniat, atque ex hoc capite dispositionem habeat vt absoluatur, itaut ei absolutio, si aliud non obstet negari, aut differri minimè possit, doctrinam damnatam non sequetur, licèt nulla spes emendationis, iuxta statim dicenda appareat, & ipsum nihilominus absoluat: Dixi, *licèt nulla spes emendationis appareat*, nam defectus talis spei prouenire potest aut ab intrinseca voluntate pœnitentis, aut ab alijs concurrentibus, aut ab his omnibus simul. Si Confessarius nullam spem emendationis habet ob voluntatis, & animi defectum in pœnitente, tunc iste est indispositus, & ei absolutio est neganda, vel differenda donec ex animo, & voluntate doleat, & emendationem velit, & hoc est adeò verum, vt contraria doctrina sit damnata; nam sic solo ore pœnitens profert se dolere, & emendationem proponere, & emendationis spes non apparet.

Cæterùm, si nulla spes emendationis appareat attenta inueterata consuetudine, & nunquam facta emendatione, atquè attentis aliis concurrentibus citrà verum dolorem, veramquè emendationis voluntatem, ablata etiam (si quæ erat) proxima peccandi occasione, ac positis aliis ponendis, vti esset restituere alienam rem, famam, &c. poterit adhuc Confessarius

rius sinè tali spe pœnitentem absoluere, quia in hoc sensu non loquitur damnata propositio, sicuti ex dictis clarè apparet. Ad hæc facit doctrina Syluestri *verb. Confessio, 1. p. q. 21.* vbi loquendo de pœnitente verè dolente, & emendationem veram volente, sed simul putante se certò relapsurum, docet debere absolui, si aliud non obstet, nam, *Velle, ac proponere est actus voluntatis: existimare autem se relapsurum, est actus intellectus.* Igitur discant Confessarij ex hac propositione 60. quàm sit scandalosè edoctum, non esse negandam, atque differendam absolutionem peccatori consuetudinario, licèt nulla spes emendationis appareat, dummodò ore proferat se dolere, & emendationem proponere: Animus, & voluntas, non sola verba debent inspici in iudicio fori interni, quia oris simul & cordis dolor, spem dat emendationis, & sic pœnitens potest absolui, quantùm ex hoc capite, licèt ex alio motiuo, scilicèt ex consuetudine spes non appareat.

Tres alias propositiones ab Innocentio XI. damnatas pro materia præsenti, vide in nostra Decisione 18. & 89. Item circa facultatem absoluendi, videantur relata *in decis. 26. sub num. 17.* stante obligatione sequendi sententiam tutiorem in validitate Sacramentorum.

Clemens VIII. vt notat Naldus *verb. Confessio, Confessarius, in fine*, damnauit vt falsam, temerariam, & scandalosam doctrinam dicentem posse absolutionem imperțiri absenti, seu localiter non præsenti. Id tamen intellige de absolutione à peccatis, non à Censuris: Ità Lezana *in summa, tom. 3. verb. Absolutio, num 16.*

19 Ad tertium propositum in casu, videlicet an ignorantia reseruationis excuset ab ipsa, Cardinal. de Lugo *de pænit. disp. 20. sect. 1. num. 9.* dicit aliam reseruationem esse pœnam, aliam esse medicinam, & ideò reseruatio Sodomiæ in aliquo Episcopatu ligat pueros, quia non est pœna, sed sic pro meliori remedio reseruatur. Et idem de Lugo *loco citato, num. 10.* dicit se non videre cur peccatum puerorum non sit reseruatum, sicuti dicit tenere sic Homobonum *de casibus reseruatis, p. 1. cap. 3.* Eleazar. *tract. de blasphemia, q. 9. num. 42.* & Floronum *de casibus reseruatis, part. 1. cap. 3. num. 3.*

20 Hinc idem de Lugo *loco citato, num. 9. fine*, notat reseruationem medicinalem afficere semper etiam ignorantes, vt constat ex praxi omnium Religionum, in quibus ignorantia reseruationis non tribuit facultatem absoluendi pœnitentem, qui reseruationem ignorauit: ità ille.

21 Nihilominus inuenio Paludanum *in 4. sent. distinct. 34. art. 1. quæst. 2.* Iacobum de Graffeis *tom. 1. consilior. lib. 5. de adul. cons. 3. num. 13. & sequent.* dicentes, pueros non ligari reseruatione sodomiæ, quia sicut minor ætas in foro exteriori excusat à pœna ordinaria, ità & in animæ iudicio: ergo secundùm istos Doctores, reseruatio est pœna, & non medicina; quapropter in Religionibus, an sit praxis, vt ignorantia reseruationis non excuset à reseruatione, quia hæc est medicina, vt supponit de Lugo, ignoro an sit tam certum, sicut Eminentissimus iste supponit; at hoc magis expedit tanto viro credere, quàm inuestigare.

22 Quòd si dicto Eminentissimo de Lugo credimus, non suffragabatur ignorantia reseruationis illi hospiti Religioso, de quo in casu, vt à quolibet non exposito pro reseruatis absolueretur; licèt absolui potuerit tamquam non subditus, vt prædiximus. Imò nec alicui vnquam iuuabit ignorantia reseruationis, quæ est medicina, non pœna. Generaliter tamen loquendo de pœnis quibuscunque siuè latis à iure communi Papæ, siuè à particulari Episcoporum, non incurrentur ab eas ignorantibus, quamuis ignorantia sit mortaliter culpabilis, siuè iuris, siuè facti, modò talis ignorantia non sit crassa: ità Portellus *in addit. ad dub. regul. vers. ignorantia, num. 25.* Sanchez *de matrim. tom. 3. lib. 9. disput. 32. num. 31.* & sic ex igno-
23 rantia non incurruntur censuræ, ità vt non sit sufficiens aliquem scire opus esse prohibitum ab Ecclesia, sed vlteriùs debet non ignorari, esse prohibitum sub tali pœna, v.g. excommunicationis, suspensionis, irregularitatis, &c. Ità Henriquez *lib. 13. cap. 23. num. 2.* Curiel *in p. 2. quæst. 76. art. 4. dub. 5.* Auila *de cens. part. 2. cap. 5. disp. 5. dub. 7.* Valentia *tom. 2. disp. 6. quæst. 6. punct. 1. corollar. 9.* Sayrus *de cens. lib. 1. cap. 18. num. 37.* ob hanc sententiam, quam validis ra-
24 tionibus firmat Sanchez *loco citato*, poterunt Confessarij cognoscere, quam sæpè pœnitentes ignari sint liberi à censuris, aut pœnis, vt si quis accedat ad cõsanguineam vxoris, ignorans prohibitionem, & pœnam non petendi debitum, hic ob ignorantiam erit liber à tali pœna, & poterit debitum petere.

25 Si autem quis cupiat scire, quænam sit ignorantia crassa, & supina, quæ non excusat à pœnis, respondet Sanchez *loco citato* esse illam, quę ex lata culpa in adhibenda diligentia procedit: culpa verò lata est, quando ignorans, aut nullam, aut valdè modicam adhibuit diligentiam. Graphius *decis. part. 1. lib. 4. cap. 8. num. 20.* cum alijs

alijs, asserit culpam latam, seu ignorantiam crassam esse illam, quæ ex malitia, vel ex nimia negligentia procedit. Imò Anton. *cap. 2. de const. num. 9.* dicit illam ignorantiam esse, quando est latissima culpa, quæ dolo æquiparatur. Ex dictis constabit Religioso, & Sæculari, de quibus agitur in præsenti, an ignorantia reseruationis casus, quem commiserunt, eos excusauerit à reseruatione.

26 Ad quartum propositum in casu, an ille Confessarius fuerit verè suspensus à Cõfessionibus audiendis, supposito quòd nullam commiserit culpam; respondeo id facilè deduci posse à definitione suspensionis propriè, & strictè acceptæ: Igitur *Suspensio est Censura Ecclesiastica, qua Clerico quatenus Clericus est, ob suam culpam prohibetur exercitium Ordinis, Officij, vel Beneficij ab habente potestatem, ad tempus, vel in perpetuum, vel in totum, vel in partem.* Sic suspensionem definiunt Ang. Syluester, Tabiena, & alij Summistæ *verbo Suspensio.* Sotus *4. dist. 22. q. 3. art. 1.* Mart. Ledesma *2. 4. q. 26. art. 2. tract. de suspens.* Nauarrus *in manual. cap. 27. num. 151.* & *tomo 1. consilior. cons. 40. num. 5. tit. de temp. ord.* & *tomo 2. cons. 64. num. 3. tit. de sent. excomm.* Henriquez *lib. 13. de excomm. & suspens. c. 31. §. 2.* Greg. de Valentia *tom. 4. disp. 7. quæst. 18. puncto 1.* & alij omnes.

27 Posita suspensionis definitione ab omnibus admissa, apertè infertur esse nullam, & inanem suspensionem latam sinè culpa, nam inter particulas definitionis adductæ, est ista, *ob suam culpam,* & Sayrus *de censuris, lib. 4 cap. 1. num. 19.* vbi hanc particulam examinat, dicit, quòd
28 cùm omnis censura sit pœna, & pœna non habeat locum vbi non præcessit culpa, non potest aliquis aliqua suspensione affici, nisi præcesserit culpa; & cum multis Doctoribus ità tenet Sayrus *loco citato,* vbi statim obseruat sufficere culpam venialem, si imponitur ab homine.
29 Insuper etiam subdit, quòd qui de culpa propria, aut de causa, ob quam Iudex suspendit, dubitat, teneretur in vtroque foro se gerere vt suspensum, nisi dubium rationabiliter deponeret. In casu autem nostro, cùm ille Confessarius sit certus se fuisse ab Episcopo suspen-
30 sum ob causam non culpabilem, non erit verè suspensus; at ad euitandum scandalum deberet se abstinere à publica, vel nota Confessionis auditione.

31 Ad quintum, & vltimum propositum in casu, dico notissimum esse omnibus Episcopis, posse per se ipsos, non tamen per alium, neque per Vicarium absoluere à peccato hæresis, si sit occultum, iuxta facultatem eis concessam à Tridentino in illo breuissimo, sed succoso, & amplo, atque priuilegijs pleno in Episcoporum fauorem, *capitulo 6. sess. 24. de Reform.* sed videantur prædicta *num. 18. versic. Igitur prædictus.* Difficultas solùm esse potest, quando crimen dicatur notum, necne.

32 Aliqui dicunt, quòd in dicto capitulo Tridentini accipitur occultum, prout in iure distinguitur contra publicum, & notorium: in iure autem illud est publicum, & notorium, quod notum est maiori parti oppidi, viciniæ, collegij, aut communitatis, modò saltem decem personæ in eorũ quolibet inueniantur. Ità dicunt Azorius *instit. moral. tom. 1. lib. 8. cap. 10. quæs. 9.* Sanchez *in decal. tom. 1. lib. 2. cap. 11. num. 19.* Lessius *de iust. lib. 2. cap. 11. dub. 13. num. 73.* & alij: vndè si quinque personæ sciant peccatum erit occultum, & Episcopus poterit absoluere, nam sic pro occulto habetur in iure, *cap. quis aliquando de pænit. dist. 1. §. hæc ergo;* & docet etiam *glossa ibi, verbo Secreta.*

33 Et adhuc erit crimen absoluendum ab Episcopo vt occultũ, quamuis in iudicio possit probari, iuxta Nauarrum *in manuali, cap. 27. num. 255.* & iuxta *glossam in cap. manifesta 2. quæst. 1.* nam in iudicio sufficiunt duo, aut tres, non autem in casu nostro. Quando posteà in iudicio erit probatum, tunc erit publicum.

34 Nec ad hoc vt crimen sit publicum, sufficit quòd actus externus sit publicus, sed causa delicti debet esse publica. Hinc excommunicatus celebrans publicè, sed ignoratur eius excommunicatio, est irregularis occultus, & ab Episcopo potest absolui. Sic fuisse definitum in sacra Pænitentiaria dicit Nauarrus *manual. cap. 27. num. 241.*

34 Et quamuis Concilium Tridentinum dicat in illo capitulo: *Modò non sit deductum in forum externum, seu contentiosum,* crimen de quo Episcopus quærit an sit occultum; dicendum est esse semper occultum donec probetur, licèt in iudicium sit deductum. Auila *de cens. 2. part. cap. 7. disput. 1. dub. 11. concl. 3.* Sanchez *in decal. tom. 1. lib. 2. cap. 11. num 21* & *de matrimon. lib. 8 disput. 34. num. 57. & 58.*

35 Vlteriùs Auila, & Sanchez citati addunt, quòd si delinquens in iudicio absoluatur, licèt falsis testibus se defenderit, eius delictũ est occultum in ordine ad Episcopum, vt absolui ab eo possit iuxta facultatem capitis citati in Tridentino.

36 Et si sint duo complices, quorum vnus in iudicio probatur delinquens, sed alterius crimen

non

non defertur, intelligitur occultum quoad absolutionem Episcopi. Nauarrus *lib. consilior. cons. 2. tit. de sententia, & re iudicata.*

37 Delictum alicuius publicum in vno loco, est occultum pro absolutione in alio, nisi sit spes, quòd etiam illuc breui deferatur. Durandus *in 4. dist. 18. q. 5. fine*. Sanchez *in decal. tom. 1. lib. 2. cap. 11. num. 20.* & alij.

38 Tandem si quis laborat infamia, sed aliqua tergiuersatione celare potest suum crimen, hoc erit adhuc occultum: Sotus *de tegendo secreto, membro 2.* Graphis *decis. aur. lib. 1. cap. 13. num. 43.* & sic poterit ab Episcopo absolui. Quæ omnia intelligenda sunt etiam de crimine hæresis, quod si fiat externè in magna Ciuitate, non erit nisi occultum, quamuis commissum sit coram quinque, vbi sunt decem in communitate collegij, si sit delictum patratum intrà Collegium; si autem committatur extra Collegium in dicta Ciuitate magna, erit adhuc occultum, si decem, aut vndecim sciant: ità ergo in casu nostro, cùm hæresis crimen fuerit commissum ab illo sæculari occasione conuiuij, vbi nouem inueniebantur, & Ciuitas in qua erant esset magna, ideò reuera erat occultum crimen illud, maximè cùm omnes illi socij testarentur Episcopo, se id nunquam publicaturos, ad quod & iuramento se obstrinxerant. Meliùs ergo consuluit Episcopo Confessarius, de quo in præsenti casu, dicens crimen hoc esse secretum, quàm consuluerint alii dicentes esse publicum.

Notetur, quòd circa probabilitates in absoluendo, sunt recolenda, quæ docuimus *decis. 26. num. 17.* quia Sacramenta sunt conferenda iuxta tutiorem opinionem, &c.

---

# DECISIO LXII.

***An ille, cuius frater Religionem intrauerat, si mediante persona Principis illum extrahat à Religione, teneatur cum Principe eidem Religioni aliquid restituere.***

## Casus, seu Historia LXII.

### SVMMARIVM.

1 *Casus proponitur.*
2 *Quinque sunt difficultates in hoc casu.*
3 *vsque ad 7 Grauis necessitas fratris non impedit ingredi Religionem.*
8 *vsque ad 13 Quid de necessitate impudicitiæ in sorore, fratre, & consanguineis.*
14 *Qui ab alio non pendet, eligit statum.*
15 *Solus Papa irritat matrimonium etiam spirituale.*
16 *Princeps an statuat pro Regularibus.*
17. 18 *Nouitij sunt exempti à Laicis.*
19 *vsque ad 23 De metu, & de factis cum eo.*
24 *vsque ad 42 Ad quid teneatur retrahens aliquem à Religione cum fraude, & vi, aut sinè.*

1 Ditissimus quidam voluit mundum, & quidquid in mundo est, vt & Deo inseruiret, & saluti suæ consuleret, generosè deserere, seque Religiosæ vitæ dicare in Monasterio Regularium strictæ obseruantiæ; ideò secretum fecit testamentum, in quo post professionem suam omnia eidem Monasterio relinquebat; quòd si ad professionem non pertingeret ratione mortis tempore Nouitiatus, omnia nihilominus Religioni relinquebat; at si à Religione exiret, fratrem suum carnalem constituebat hæredem omnium, quæ tunc inuenirentur possidere. Intrauit ergo Religionem, sed paucos post menses iuit ad eum Princeps loci illius, in quo Monasterium erat, dixitque ei, vt cogitaret de egressu à Religione, aut spontè, aut coactè intrà spatium vigintiquatuor horarum; & hoc fecerat Princeps ille ad instantiam fratris eiusdem Religiosi, ne Religionis fierent tot diuitiæ nobilissimæ familiæ sibi subditæ, quæ aliundè periclitabatur indigere, nam multos filios habebat frater parum diues ipsius Religiosi. Et quidem intrà tempus præscriptum exiuit à Religione, sic consulentibus Superioribus, qui vnà cum Nouitio timebant à Principe damnum, vel expulsionis à ditione sui Principatus, vel subtractionis eleemosynarum, sinè quibus viuere non possent, vel alterius inexcogitabilis mali; erat enim Princeps pronus ad iram, & facilis ad vindictam contra non obedientes volitionibus suis.

Et quia per talem egressum Religio amisit multos redditus, dubitatum fuit, an Princeps, & frater Religiosi in solidùm, aut eorum alter teneantur aliquid restituere Religioni.

2 Respondeo ad hunc casum, me in eo multa capita videre, quæ grauem causant dubitationem.

Primò est periculum indigentiæ in fratre, ac nepotibus ipsius Religiosi.

Secundò est authoritas Principis, qui vult prouidere necessitati familiæ illustris sibi subditæ.

Ter-

Tertiò est metus illatus ab eodem Principe tum Nouitio, tum Religiosis.

Quartò est damnum, quod spiritualiter patitur Nouitius extractus à Religione.

Quintò est damnum temporale, quod sentit Religio ex amissione redditum, & personæ.

3 Quoad primum caput dubitandi dico, quòd ille Nouitius poterat optimè Religionem profiteri, non obstante quacunque graui necessitate in fratre suo, aut in nepotibus, siuè illa grauis necessitas solùm timeatur, siuè de facto insurgat, & hæc vel ante, vel post ingressum in Religionem. Ratio est, quia inter fratres, & sorores, & à fortiori inter patruum, & nepotes non interuenit dependentia requisita, vt adinuicem teneantur in graui necessitate sibi succurrere, sicuti interuenit inter patrem & filium: ergo nil impediet fratrem, quominus intret Religionem, si pater ipsius, aut mater non sunt in graui necessitate, sed solùm frater, & nepotes. Ità expresè docet Lessius *de iust. & iure, lib. 2. cap. 41. dub. 3. num. 34.*

4 Confirmatur, nam tota ratio cur filius parenti, & parens filio teneatur succurrere in graui necessitate, est mutua dependentia ad modum principij, quia pater dedit esse filio, ac per consequens debet ei alimenta, quibus eum in suo esse conseruet, quod & in irrationabilibus animalibus fieri continuò cernimus. Item filius lege gratitudinis tenetur erga parentem, tamquam principium sui esse: sed huiusmodi motiua in nullo alio consanguineo verificantur; ergo periculum grauis necessitatis, imò & actualis necessitas grauis vnius fratris, ac nepotum, non obligat patruum ad non profitendum Religionem.

5 Probatur etiam cum Azorio *instit. moral. p. 1 lib. 12. c. 1 q 8.* vbi quærens an necessitas subueniendi fratribus, & sororibus, det causam iustam differendi ingressum in Religionē, quam necessitatem explicat, vt si soror dimissa à fratre cadet in impudicitiæ crimen, aut esset in magno illius periculo, quapropter Charitas obligaret fratrem, vt eam à tanto malo liberaret. Si ergo iste author quærit, an necessitas fratris, & sororis sit causa sufficiens ad dilationem ingressus, signum est nunquam sufficere ad impediendum ingressum: ergo in nostro casu non remanebat impeditus, quin Religionem ingrederetur frater illius, qui cum filijs periclitabatur grauiter indigere.

6 Et adeò verum est, quòd necessitas fratris, & sororis non impedit Religionem ingredi, vt nequè talis necessitas grauis possit inseruire ad differendum ingressum in Religionem, etiamsi non habeatur votum ingrediendi Religionem. Ratio est, quia nemo tenetur succurrere fratribus, nec parentibus, priuando se tanto bono, vt illis subueniat; igitur si grauis necessitas fratrum, sororum, cæterorumque parentum non obligat ad solam dilationem ingressus in Religionem; multò minùs impediet, aut obligabit ad non ingrediendum; sicut expresè habet Sanchez *in decal. tom. 1. lib. 4. cap. 20. num. 30.* vbi *num. 29.* dicit, se à nemine huiusmodi difficultatem vidisse tractatam, sed solùm tactam ab Azorio *loco citato*.

7 Supposito postea, quòd iam Religionis habitum induerit ille, qui fratres, & sorores, & nepotes haberet in magna necessitate, aut in illius periculo, dico nullatenus teneri Religionem deserere, si nec ad hoc teneretur filius, vt succurrat patri à graui indigentia oppresso, postquam filius professionem emisit, vt docent Lessius *vbi supra*, & Sanchez *loco citato*, cum alijs, sed *n. 17.* Si igitur nō tenetur filius professus egredi à Religione, vt subueniat patri grauiter egenti; ità proportione seruata, nec tenebitur frater iam Religionis habitu indutus egredi, vt succurrat fratri, sorori, aut nepotibus graui necessitate laborantibus.

8 Fateor tamen, quòd si quis haberet votum ingrediendi Religionem, sed ad illud adimplendum non apposuit tempus, & haberet sororem grauiter egentem, secluso etiam impudicitiæ periculo, talis necessitas esset causa sufficiens ad differendum ingressum, sicut etiam sufficeret magna necessitas fratris, qui subsidii fratris indigeret in sæculo, quāuis masculus possit sibi faciliùs, ac sinè periculo prouidere, quàm fœmina. Ratio est, quia votum emissum sinè temporis præfixione, intelligitur adimplendum, quamprimùm vouens commodam exequendi habuerit opportunitatem, iuxta Sanchez *in decal. tom. 1. lib. 4. cap. 14. num. 5.* Sed mora in sæculo vt subueniat personis egentibus, & adeò sibi coniunctis, non est commoda opportunitas, vt votum in tali circumstantia possit adimplere; ergo potest illud differre, quamuis ad talem dilationem non intelligendus sit obligari.
9 Et quia in ordine ad alios consanguineos non est tanta subsidii obligatio, ideò ad eos hanc prædictam doctrinam non extenderem; sic protestatur Sanchez *lib. cit. cap. 20. num. 31.* Ecce qualiter in casu nostro liber sit ab obligatione succurrendi fratri, ac nepotibus ille Nouitius Religiosus.

10 Si autem daretur periculum impudicitiæ in soro-

sorore, & frater manens in sæculo posset ei subuenire, sed tempus currit, quod fuerat præfixum in voto ingrediendi Religionem; dico talem necessitatem sufficere, vt ingressus differatur. Ratio est, quia iudicio cuiuscunque pij, & prudentis viri, est maius obsequium Dei, vt illa soror à peccato eruatur, quàm vt ingressus in Religionem sic statim adimpleatur, sed per modicum differatur; ergo licebit ex motiuo impudicitiæ in sorore differre ingressum in Re-
11 ligionem contra temporis prefixionem. Id tamen nõ est extendendum ad indigentiã fratris, cùm vir suis periculis minori periculo ac fœ-
12 mina possit prouidere. Neque pro alijs consanguineis currit hæc doctrina, quia de illarum indigentijs non incumbit fratri tanta cura.

13 Quòd si Corduba *in summa, quæst*.141. *fine*, dicit se vidisse Pontificem dispẽsasse professum, vt à Religione exiret ad succurrendũ graui necessitati sororũ; dicendum est fuisse causam iustã illarum graue periculũ impudicitiæ, cui post quam professus prouiderit, breui reuertitur ad Religionem. At ad solam dispensationem differendi ingressum in Religionẽ, sufficit causa iusta, secluso etiam impudicitiæ periculo; imò & sufficit vrgens necessitas fratris, cui solus alter frater succurrere potest; etenim non dispensatur votum in substantia, sed tantummodò in dilatione temporis, quam dispensationem possunt dare etiam Episcopi, vt tenet Sanchez agens de voti dispensatione; sed de hac nihil ad nos in præsenti. Potuit ergo Religionem intrare Nouitius ille, de quo in casu, non obstante grauis indigentiæ periculo in fratre, & in nepotibus, imò & in sororibus si adessent, prout fusè hucusq; ostensum est: & hæc circa primum.

14 Circa secundum præsentis casus punctum; videlicet voluntas Principis intendens sustinere nobilem familiam sibi subditam, an sit sufficiens cum sua authoritate, vt dictus Nouitius exeat à Religione, respondeo negatiuè. Primò, quia quisquis ab alterius non pendet potestate, potest quem statum maluerit sibi eligere. Secundò, quia neque Capitulum Generale alicuius Religionis potest concedere legem, aut statutum irritans professionem, nisi Pontificis con-
15 firmatio accedat, eo prorsus modo, quo nemo, Pontifice Romano excepto, potest matrimonium carnale irritare; ergo Princeps sæcularis nullo iure poterat impedire ingressum in Religionem illi Nouitio, qui extat sui iuris, nec à Principe dependebat quantùm ad electionem status. Pro dictis videatur Nauarrus *lib. 3. consilior. tit. de regular. cons*. 5. satis latè, & *consil*.25. *num*.2. in prima editione; in secunda verò *cons*.26. *num*.8. *& sequentibus, & cons*. 48. *num*.2. Manuel *tom*.2. *summæ, cap*.5. *num*. 1. *& cap*.6. *num*. 3. Vega 2. *tom. summæ, c*.50. *casu* 5. Sorbus *in compendio priuilegior. mendicantium, verbo Nouitius, post notabile* 7. §. *quintò principaliter*. Princeps ergo sæcularis non potest aliquem impedire, vt Religionem profiteatur.

16 Posset tamen Princeps habens facultatem absolutam condere statutum circa bona temporalia suorum subditorum, quatenus habet dominium altum. Et sic de facto in aliquibus locis dantur statuta, ne Regulares emant stabilia, aut illa hæreditariè acquirant, nisi soluant id, quod venditor soluebat: Sic alicubi ex vi statuti Principis non possunt mariti legare vxoribus, nisi determinatam quantitatem, &c. At vbi nullum est statutum iam factum, non potest Princeps impedire, ne Nouitius relinquat Religioni omnia sua, quidquid sit de indigentia fratris, ac nepotum, quorum ad Nouitium nihil attinet, quantùm ad obligationem eos ditandi cum proprijs facultatibus, quamuis nobilissima eius familia non esset duratura in eodem gradu nobilitatis. Dato autem hoc casu, potest Princeps erudiri à praxi, quale statutum poterit promulgare pro bono regimine sui dominij, necnon & subditorum, quos habet; & hoc maximè consulens conseruationi nobilium familiarum. Pro casu autem sequuto, à quo Princeps didicit quid expediat, non potest ampliùs remedium ponere, cùm iam No-
17 uitius exierit ab eius sæculari iurisdictione, tum quoad personam, vt tradit Peyrinus *de Prælato, q*.3. *cap*.1. §. 7. Bordonus *tract. de profess.*
18 *regular. cap*. 4. *q*.54. tum quoad bona temporalia iuxta Molinam *tom*.3. *tract*. 2. *disput*. 671. *num*. 2. Barbosa *in Collectan. tom*. 1. *lib*. 3. *tit*. 49. *cap*.7. *num*. 11. Malder. 2. 2. *tract*. 1. *cap*.6. *dub*.8. & alii.

19 Circa tertium punctum, negari non potest, quin metus grauis dederit causam Nouitio, vt egrediatur à Religione, necnon & Religiosis, vt Nouitio egressum consulerent. Ratio est, quia metus reuerentialis, cui coniunctæ sunt minæ tacitæ, vel expressæ, aut timor diuturnæ, seu grauis offensionis, est metus verè cadens in virum constantem; ergo est metus grauis; & talis metus nunquam adeò vrget, quàm cùm incutitur à Principis persona, prout in casu nostro contingit; & hoc maximè quando iniustè incutitur, sicut iniusta fuit metus incussio facta Nouitio directè, & Religiosis saltem indirectè: Videatur Lessius *de iust. & iure*,

*lib. 2. cap. 17. dub. 6. per totam*.

20 Et quamuis per talem egressum Nouitij à Religione nullus contractus sit extortus à Principe metum iniustè incutiente, tamen cùm id fecerit Princeps inductus à fratre Nouitj, eo fine, & intentione, vt Nouitij facultates non transirent ad Religionem, sed ad fratrem sæcularem, & in huius filios respectu Nouitii nepotes, sequeretur irritandum esse testamentum, atque restituendam esse hæreditatem, cui talis metus causam dedit. Dixi *esse irritandum* id, quod factum fuit ex vi talis metus, quia contractus metu graui celebratus, remanet semper aliquo modo validus, nec est omninò irritus nec iure naturæ, nec iure positiuo, neque ratione illatæ iniuriæ. Ità apertè docent tùm Doctores, tum iura, vt videre est *Institut. de exceptionibus, in princip.* & *l. si mulier.* 21. *§. fin. ff. quod metus causa*, & *l. vlt. C. de his, quæ vi*, & alibi.

21 Probatur etiam ratione, quòd neque iure naturæ sit totaliter irritus talis contractus; nam si esset omninò irritus id proueniret vel ex defectu consensus, vel ex iniuria: sed consensus non deficit, quia ille, qui metu coactus dat consensum, absolutè consentit, & vult; ergo consensus non deest per metum. Nec iniuria irritat, cùm ipsa non sit causa immediata ipsius contractus: ergo licèt non sit irritum id, quod fit per metum, est tamen irritandum, vt docent Doctores communiter. Dantur tamen aliqui casus, qui sunt excipiendi, cùm de facto sint omninò irriti si per dictum metum fiant, quos casus consule apud Lessium *loco citato*.

22 Prædicta ideò adduxi, vt inferrem pro nostro casu, teneri ad restitutionem rei consecutæ illum, qui per talem metum siuè per se, siuè per alium rem aliquam consequeretur, quia qui metum intulit, ratione iniuriæ tenetur omnia in pristinum statum restituere, sicque red-

23 dere id, quod obtinuit. Et si hoc non restituatur, potest dominus illud surripere, si patet via ad surripiendum; vel si non patet via, poterit vti occulta compensatione, sicut fit in aliis debitis. Igitur in casu nostro, si per metum grauem Nouitius extrahatur à Religione, & talis metus sit taliter iniustè incussus, vt aliquid ex Nouitij facultatibus cõsequatur, non erit ritè, nec licitè consecutum, sed erit restituendum; vel poterit à Nouitio egresso surripi, aut ad minùs poterit compensatione vti.

24 Circa quartum, de quo difficultatur in proposito casu, nempè circa damnum spirituale, quod iniustè patitur extractus per metum grauem à Religione, dico teneri culpam suam sacramentaliter confiteri eum, qui tale damnum intulit. Insuper tenetur ei libertatem suam restituere, tollendo vim, aut metum, & exhortando ad reditum, & hoc faciendum est ex iustitia. Ratio est, quia sicut quisque habet ius, ne lædatur in corpore, ità & habet ius, ne lædatur in anima: ergo vtraque læsio si fiat, erit contra iustitiam, & ideò erit resarcienda. Qualiter autem hoc fieri debeat, patebit ex dicendis in sequentibus numeris.

25 Circa quintum, & vltimum punctum huius casus, quem decidimus, multi multa dicunt, sed nos paucioribus verbis quoad poterimus, necessariora pro resolutione adducemus. Videndum est ergo quid sit dicendum in præsenti, ratione extractionis Nouitij à Religione per Principem factæ, instante fratre Nouitii, cùm ex tali extractione senserit damnum Religio ex amissione multorum prouentuum vnà cum persona eiusdem Nouitii. In hac materia respondent Adrianus Quartus *mat. de restitut. sub fin. quæst. de bonis animæ restituendis*. D. Antonin. 2. *part. tit.* 2. *cap.* 2. *§.* 1. Paludanus *in quæst.* 2. *art.* 2. Passarellus *super priuilegia Minimorum*, *cap.* 40. Maior. 4. *distinct.* 15. *quæst.* 17. *dub. vltimo.* Rosella *restit.* 2. *§.* 1. Syluester *verbo restitutio* 3 *q.* 1. Gabr. 4. *distinct.* 15. *quæst.* 17. *art* 3. & ibi etiam Paludanus *quæst.* & *art. citat.* & dicunt, retrahentem iniquo animo volentem ingredi religionem, vel iam ingressum, teneri restituere, suadendo ipsi vt intret, & si nolit, substituendo alium, qui intret, & si hunc non inueniat, tenetur ipse ingredi. Id suadetur exemplo Raymundi, qui propter hanc causam Monachalem vitam professus est. Insuper & probatur ratione: qui potest restituere rem ablatam tenetur restituere eam, vel si illam nõ potest dare, sed æquiualẽtem, tenetur dare.

26 Opinio verò Ang. *verbo religiosus, num.* 63. & Richardi 4. *dist.* 15. *art.* 5. *quæst.* 4. *ad* 8. est, quòd si quis inducit aliquem, ne intret Religionem, & id faciat animo nocendi Religioni, tenetur restituere Religioni iudicio prudentis viri; secus tenebitur restituere soli retracto:

27 Sed veriùs dicendum est, oportere in hoc aduertere, an ille, qui retrahitur à Religione sit Professus, aut Nouitius, aut tantummodò sit volens ingredi; Deindè est obseruandum an talis retractio sit facta cum precibus solis, aut cum vi, vel cum metu, vel cum fraude: vltimò postea est examinandum an aliqua restitutio debeatur Religioni, & retracto, seu eorum alteri.

28 Dico

28 Dico primò, quòd si quis sinè vi, sinè fraude, & sinè metu retrahit à Religione cum animo nocumentum inferendi, vel Nouitium, vel volentem ingredi, non obligatur ex iustitia aliquid alicui restituere, sed ex sola Charitate tenetur retractum consulere ad reassumendum relictum bonum à quo sinè causa ipsum retraxit. Ità Nauarra *lib.2. de restitut. cap. 2. num.* 13.14.15. Sotus *lib.4. de iust. quæst.6. art.3. ad* 2. Ledesma 2.2. *quæst.*18. *art.2. dub.* 1. Salon 2.2. *quæst.62. art.2. controuers.*3. Aragon, Bañes, & alij recentiores. Ratio est, quia seclusa fraude, vi, & metu, nulla fit iniuria volenti, & consentienti; ergo nec ei debetur aliqua restitutio. Item nec Religioni fit iniuria, quia nondum factis votis non habet ius in consentientem retrahi ab ea; ergo Religioni non est facienda restitutio; nec animus nocendi obest, cùm de facto nullum damnum sit illatum, nec obligatio restitutionis insurgit ex solo animo damnificandi.

29 Ex dictis sequitur, quod retrahens aliquem à Religione modo mox prædicto, nullam restitutionem tenetur facere propter damna temporalia inde sequuta. Ita tenet Nauarra *lib. 2. de restitut. cap. 2. num.* 20. & ratio est, quia per iniustitiam non fuit causa eorumdem damnorum, ac consequenter nulla contracta est obligatio restitutionis, & sic etiam manifestè colligitur à supradictis Doctoribus.

30 Dico secundò, quòd si quis per vim, per metum, aut per fraudem retraxerit à Religione aliquem Nouitium, vel alium eam ingredi volentem, tenetur restitutionem facere ipsi decepto, seu retracto; quam restitutionem ex iustitia debet facere, & talis restitutio fiet vim auferendo, aut veritatem detegendo, & edocendo, vt si v.g. dixisset eam Religionem non esse bonam, debet veritatem oppositam aperire. Sic docent Soto, Ledesma, Aragon, & Nauarra *vbi supra, num.*17. Et ratio id probans est euidens, quia talis retractus patitur verè inuoluntarium, ac proindè fit ei iniuria, ex qua

31 oritur restitutionis obligatio. Et hìc notandum est, quòd si Soto credamus, tenetur fortè ille retrahens etiam procurare, vt in Religionem admittatur; & hoc asseueranter, & sinè fortè vult Ledesma esse faciendum, & Ledesmæ adhærent alij Recentiores Doctores.

32 Posito postea, quòd vim, metum, aut fraudem non ampliùs patiatur ille retractus, quia à retrahente fuerunt omnia ablata, iste non tenebitur operari, vt intret Religionem, si loquamur de obligatione iustitiæ, nam in tali casu volens, & sciens patitur damnum spirituale ille, qui recusat intrare, prout ante volebat in-

33 trare, vel iam erat Nouitius. Nec ipse seductor aliqua lege obligatur Religionem ingredi loco retracti; tum quia fortassè ipse non est habilis; tum quia status Religionis debet liberimè, & ex Sancti Spiritus inspiratione eligi: tum quia talis status est perfectionis, & sic non potest profiteri coactè, seu per actiones non liberè volitas, vndè perfectio non potest ortum ducere ab operationibus non spontè, nec ex Charitatis amore factis.

34 An saltem teneatur ex iustitia ille seductor suadere vni tertio, vt Religionem intret pro retracto, etiam postquam vis, metus, aut fraus fuit ablata, affirmat cum limitatione Nauarra *vbi supra, num.*18. dicens sic teneri, si tamen facilè potest hunc inuenire, aut si sciat aliquem ad Religionis statum inclinare, debet eum sua operatione inducere; vel si noscat habere animum Religionis aliquem, cui suo consilio potest iuuare, vt efficaciter ingrediatur. Ratio est, quia cùm seductor fuerit causa damni, tenetur ex iustitia resarcire, si potest, prout posse supponitur modo prædicto; vndè non tenetur quærere per Ciuitatem aliquem, qui intret, nisi de aliquo haberet notitiam.

35 Alij tamen docent, id esse faciendum à seductore, sed solummodò ex æquitate; cùm enim Deo subtraxerit obsequium, quod ipsi præstabatur à seducto, par est vt Deo compensetur si aliquo modo potest. Id autem non deberi ex iustitia ostenditur, nam ipsemet seductus non tenetur ex iustitia redire; ergo nec obligatio iustitiæ erit pro hoc in seductore. Item, quamuis veriùs sit, retractum teneri ex iustitia redire; non tamen tenetur retrahens, nisi vim, aut fraudem tollere, nec aliter potest personam restituere; quòd verò alium det, nec moribus est receptum, nec hoc postulatur à iustitia, cùm Religionem capessere non sit humanæ persuasionis, sed solius Diuinæ vocationis. Item, quia Religio non habet Religiosum loco mancipij; ergo si vnus tollitur, non est de iustitia subrogandus alter. Item, nam si aliquis occidat Religiosum non tenetur ex iustitia aliam personam dare Religioni; ergo multò minùs tenebitur dare alium, si nolit reuerti retractus per fraudem, aut vim, demptis postmodum, & apertis talibus motiuis seducentibus antè ipsum retractum. Vltimò quoque suadetur non teneri ex iustitia alium dare, cùm nullus Iudex in foro externo ad id obligaret.

36 Dico tertiò: quando vi, metu, aut fraude extrahitur Nouitius à Religione, vel volens eam ingredi retrahitur, tenetur ex iustitia ipse retrahens compensare Religioni damnum temporale, quod sperabatur, vel expectabatur ex ipsius retracti hæreditate, donatione, & etiam
37 industria. Hoc probatur, nam si quis vi, fraude, metu, aut mendacio inducit alium, ne relinquat alteri hæreditatem, quam decreuerat ei dare, tenetur ex communi opinione dam-
38 num illatum resarcire. Sic si aliquis apud collatorem beneficij operetur fraude, aut vi, ne illud conferat illi, cui conferre decreuerat, tenetur impediens compensare damna, iuxta communem sententiam. Ratio horum est, quia licèt tu nondum habeas ius ad beneficium, seu ad hæreditatem, habes tamen ius, ne in tui damnum inferatur vis, aut fraus alteri, ex qua sequatur de facto tibi detrimentum; sed violato alterius iure, oritur statim obligatio iustitiæ, vt damna compensentur; ergo facienda est restitutio in dictis casibus. Cùm igitur eadem ratio currat in auertente aliquem à Religione per vim, aut per metum, seu per fraudem, certè restitutio facienda est Religioni, quæ ius habebat ne quis seduceret Nouitium, vel volentem ingredi, à quo magnam, vel aliqualem expectabat hæreditatem, aut donationem. Sic Nauarra *vbi suprà num.* 18. cum pluribus alijs. Notent quæso, & ad
39 praxim deducant ista Principes, seu quilibet alij, qui propriæ vtilitati studentes, auertunt aliquem à Religione, sed non aduertunt in qualem incidant Charybdim, cupientes vitare Scyllam, scilicet nedum lucrantur id, quod sperant, vel recipiunt à retracto ne Religiosus fiat; quinimò & illud perdunt, cùm teneantur illud restituere, si aliàs illud volebat retractus donare Religioni; & insuper tenentur restituere, & compensare, si aliquod aliud malum damnosum retrahendo causauerint; ac vlteriùs & priuant Deum illo obsequio, & retractum auellunt à bono proposito. Id totum est tamen intelligendum de retrahentibus per metum, aut per vim, vel per fraudem, sicut in casu nostro dicitur fuisse factum à Principe mediantibus precibus Fratris dicti Nouitij.

40 Vt autem restitutionis obligatio cesset, casu quo per vim, aut metum, vel per fraudem fuerit aliquis extractus à Nouitiatu, vel retractus à Religione, sufficit si tollatur vis, aut metus, vel si aperiatur fraus, & retractus, seu extractus restituatur suæ libertati, vt possit ad Religionē redire, & de omnibus bonis suis liberè disponere; Ratio est, quia remotis illis impedimentis, non iudicabitur ampliùs causa damni Monasterio ipse retrahens, sed solummodò ipse Nouitius, qui sua sponte non reuertitur. Ità traditur à Lessio *de iust. & iure, lib.* 2. *cap.* 8. *dubit.* 3. *num.* 15. sed id dicit esse tantùm probabile, quia oppositum est tenendum, nam dato quòd retractus à Religione nolit redire, quamuis ei fraus aperiatur, & à metu liberetur, vel vi, nihilominus ipse retrahens manet semper in causa damni sequuti per antecedentem suam fraudem, aut vim, vel metum.

41 Volunt tandem aliqui, quòd extrahens Nouitium, vel auertens à Religione volentem ingredi, si hoc fecerit per fraudem, aut vim, non teneatur tantum restituere, quantum si professum extraxisset, cùm lucrum à professo proueniens sit certum totum, sed quod prouenit à nondum professo, est solùm in spe: sic dicunt Salon 2. 2. *quæst.* 62. *art.* 2. *controuersia* 3. cum Aragone, qui addit, quòd talis extrahens per fraudem, aut vim, tenetur etiam restituere hæreditatem paternam, in qua Religio, seu Monasterium hæreditatis capax succedere debebat. Et hanc opinionem dico esse veram, quia in substantia nihil ampliùs docet, nisi quòd fraudulenter, aut violenter retrahens nondum professum à Religione, teneatur restituere damnum illatum, quod mensurandum est vel à facto, vel à spe, nempe attendendo quale damnum de facto intulerit, seu quantum damnum iuxta spem lucri futuri, tùm propter bona temporalia, tùm propter personam retractam, causauerit.

42 Tandem ne prolixiorem reddamus hanc decisionem, abstineo in præsenti ab adducendis opinionibus circa extrahentes professum à Religione, siue id faciant per metum, vim, aut fraudem, siue non. Qui tamen eas scire cupit, adeat Lessium *de iust. & iure lib.* 2. *cap.* 8. *dubitatione* 3. *per totam*, & Sanchez *lib.* 1. *consilior. cap.* 3. *dub.* 2. *per totam*, & nostram Decisionem 85. *à num.* 38.

DE-

# DECISIO LXIII.

*An aliquando liceat absoluere illum, qui non vult denunciare blasphemum, & quæ dicta sint blasphema.*

## Casus, seu Historia LXIII.

### SVMMARIVM.

1 *Casus proponitur.*
2 *De quo S. Congreg. fuit interrogata.*
3. 4 *Interdum dicitur blasphemum, quod non est.*
5 *A sola intentione aliquando pendet vera blasphemia.*
6. *vsque ad 33 Referuntur varia dicta; & examinantur an blasphemiam contineant.*
34. 35 *Causæ excusantes à denunciatione blasphemi, an dentur.*
36. 37. 38 *An correctio sufficiat pro non denunciando hæretico.*
39. *vsque ad 43 Hæretici sanguine iuncti, an sint denunciandi; & propositio damnata circa hæretici denunciationem.*
44. 45. 46 *Quæ blasphemia sit hæreticalis, quæ verò non, & cuius fori sint.*

1 IN quadam Ciuitate Eminentissimus D. N. Episcopus, & simul Inquisitor Edictum publicauerat circa obligationem denunciandi eos, qui audiuntur blasphemiam proferre; & vt strictiùs cōstringeret omnes ad talem denunciationem faciendam, simul publicauit prohibitionem generalem, ne aliquis ex audientibus posset absolui ab aliquo Confessario, nisi priùs obligationem denunciandi adimpleuerit. Instabat iam tempus Paschale, quo omnes ad Confessarios accedebant, vt obedirent præcepto Ecclesiæ de facienda Confessione in Paschate; sed passim à Confessarijs negabatur absolutio aduenientibus pœnitentibus, qui per plateas, per officinas, & intrà domos suas in anni decursu blasphemantem aliquem seu parentem, seu extraneum audierant, volebantque dicti Confessarij, vt antequam absolutionem eis darent, denunciarent auditos per varia loca blasphemias dicere. Talem denunciationem communiter omnes recusabant facere, protestantes se potiùs velle non Confiteri, donec talis rigor tollatur. Nihilominus quidam Confessarius præ cæteris doctior multos ex dictis pœnitentibus absoluit, de cuius id faciendi ratione interrogatus ab Eminentiss. Episcopo, & Vicario, optimè se defendit; & ad Sacram Congregationem Eminentiss. Episcopus Inquisitor scripsit, vt sciret quid in hoc facere deberet, cùm nimis vniuersalis esset rumor inter populos nolentes denunciare, nec Confessionem, nec Communionem in Paschate adimplentes. Quæritur an detur verè casus, vt potuerit absolui nolens denunciare; & quid dicendum sit in tanto rumore.

2 Non respondeo cum authoritate Sacræ Congregationis, à qua consilium per litteras expostulauerat Eminentiss. Episcopus Inquisitor, quia cùm in illa Ciuitate versater motiuo concionum quadragesimalium in illius Cathedrali, & difficultas in populis orta sit circa festa Paschalia, non vacauit tempus expectandi responsum, debui enim discedere paucos post dies, cùm ibi mea Religio Conuentum non habeat, in quo diutius potuerim commorari. Tamen quamuis ignorem, quid Sacra Congregatio decreuerit, conabor responsum dare ad casum propositum, iuxtà Doctorum opiniones, seu Iurium fundamenta, sicut & tunc requisitus respondi Eminentiss. Episcopo, & Vicario.

3 Primo loco censui necessarium benè cognoscere quænam verba verè contineant rationem blasphemiæ, & quænam tantummodò vulgus putet esse verba blasphema, cùm de facto non sint. Hac veritate patefacta, constabit multos reuera non blasphemasse, sicque audientes eos non teneri denunciare; certum est enim, sicut ab experientia accepi, quòd non pauci iudicant se blasphemias dixisse, cùm in rei veritate solùm protulerint verba incomposita; vndè fit vt isti nescientes verborum qualitatem, iudicent alium blasphemare, quem fortasse audiunt similia dicere. Igitur prudentia Confessarij non parum suffragari poterat ad rumorem, seu scrupulos sedandos in illa Ciuitate, si cautè procedēs interrogasset pœnitentem dicentem, se audiuisse blasphemare, & nondum denunciasse, vt explicet quænam fuerint audita verba blasphemiæ; & non raró deteget pœnitentem esse deceptum, cùm non sint blasphema illa verba audita.

4 Et vt magis appareat quàm vera sint prædicta, expedit hic ponere quædam verba, de quibus Theologi dubitant an sint blasphema, propterea faciliùs errabit circa illa, ac alia similia vulgus ignarum. Quot enim audientes aliquem proferentem *Corpus*, ac *Sanguinē Christi*, statim putant eum blasphemasse? Quot è contra audientes alium dicentem intrà dentes

*rene-*

*renego il*, iudicant nihil mali dixisse, cùm & in illo verbo vera blasphemia possit adesse? Ergo Confessario remittitur, vt indoctos instruat, quando aliquod verbum sit blasphemum, & quando non, ne sinè causa scrupulorum laqueis animæ non paucæ irretiantur; & hoc præcipuè faciendum est in nostro casu.

5 Vt autem sciatur à Confessario alios docere, sciat priùs ipse, quòd aliqua est blasphemia pendens ex sola proferentis intentione; & aliqua est expressè talis; & hoc vt expressiùs pateat, diuersos ponam modos blasphemandi, seu potiùs varia referam verba blasphemiæ.

6 Primò, si quis dicat *Per Dei vitam iuro*, iste verè blasphemat, & tamen hanc esse blasphemiam pauci aduertunt. Cur verò sit blasphemia, est quia non adducitur Deus in testem, vt si dicatur, *viuit Deus, ità est*; sed tunc fit iuramentum execratorium, cuius sensus est: *si non est ità, amittat Deus vitam*; quæ propositio est blasphemia, vt docent Azorius *tom.* 1. *instit. moral. lib.* 11. *cap.* 3. *quæst.* 2. Sotus *de iuramenti abusu, cap.* 6. & *lib.* 8. *de iust. quæst.* 2. *art.* 3. *colum.* 6. Suarez *tom.* 1. *de relig. tract.* 3. *lib.* 1. *c.* 5. *num.* 8. Couarruuias *de pactis*, 1. *par.* §. 7. *num.* 9. *vers.* 6. Ludo. Lopez 1. *part. instruct. ca.* 282. *vers. postquam de malitia.* Menochius *de arbitr. lib.* 2. *centuria* 4. *casu* 375. *num.* 12. Rojas *de hæreticis*, 2. *par. assertione* 12. *num.* 171. Metina *lib.* 1. *summa, cap.* 14. §. 2. & multi alij.

7 Similiter est blasphemia fortasse non obseruata, quando quis dicit. *Per vitam Mariæ Virginis, vel Diui Petri est ità*; & idem est dicendum si alter Sanctus nominetur; nam & talis propositio est iuramentum execratorium, in quo dicitur posse Mariam Sanctam, aut aliquem Sanctum vitam amittere, quod est falsum, & blasphemum: Ita Alcozer, *summa, cap.* 15. *paulò post principium, vers. la segunda dottrina*; & Ludouicus Lopez *vbi suprà*.

8 Secundò, quando quis dicit, *iuro per Deum Bacchum*, fieri potest, vt iste sic dicens blasphemet, si ex intentione, quòd Bacchus sit verus Deus ità iuraret. Et quidem talis blasphemia esset nefandissima, cótineret enim Idololatriam, tribuens diuinitatē falso Deo Gentilium, quia per talem Deum iurans, insinuat, & tenet eum esse summam veritatem infallibilem: sic dicit Sotus *lib.* 8. *de iustit. q.* 2. *art.* 3. *concl.* 1. cum alijs. Id tamen limitandum est, nisi sic iurans intenderet iocari, aut illudere, seu irridere Bacchum, sicut communiter fit, vt nominantes Deum in ira, statim aduertentes addunt *Bacchum*, & hoc faciunt ad euitandum peccatum, & ne Deum verum in vanum nominent. Ecce qualiter potest esse blasphemia in nominatione Dei inanis, & falsi.

9 Tertiò, si quis diceret, *Al dispetto di Dio*, contendunt aliqui an sit blasphemia. Couarruuias *de pactis, par.* 1. §. 7. *num.* 5. *var.* 1. refert multos, pro opinione negante esse blasphemiam. Ratio est, quia in nihilo tale dictum derogat Diuinæ potentiæ, sed solùm habet sensum, quòd quemadmodum multa perpetrantur mala, quæ Deo displicent, ità & illud

10 malum fiet, quamuis cum Dei displicentia. Sed veriùs tenendum est oppositum, vt *loc. cit.* dicit Couarruuias, affirmans esse omnino falsam opinionem contrariam. Nam talia verba significant, quòd id, quod est faciendum, fiet, etiamsi Omnipotens Deus noluerit. Et talis sensus dictæ propositionis colligitur clarè à simili propositione dicta cótra hominem; si quis dicat: *al dispetto di Pietro* faciam hoc, vult dicere, etiamsi Petrus nolit; ergo idem dicitur de Deo, dum dicitur: *al dispetto di Dio*, & ideo est vera blasphemia. Ità docent multi, quos refert, & sequitur Menochius de arbitr. *lib.* 2. *centuria* 4. *casu* 375. *num.* 4. Iulius Clarus *lib.* 5. *receptarum in practica crim.* §. *blasphemia, num.* 2. Decianus *de delictis, tom.* 2. *lib.* 6. *c.* 2. *num.* 4. Tolet. *lib.* 4. *summa, cap.* 13. *num.* 6. Et etiam *lex* 5. *regia tit.* 4. *lib.* 8. *recopil.* & multi alij.

11 Quartò, si eodem modo, quis dicat, *Nolit, velit Deus, hoc faciam*, constat ex dictis numero antecedenti esse blasphemiam, quia expressè nunc dicit se velle id facere, quamuis Deus nolit, quasi Deus non haberet potentiam eum impediendi si velit impedire. Ità tradunt Do-

12 ctores allati eodem numero antecedenti. Non tamen esset blasphemia dicere; licèt hoc sit peccatum, & Dei offensa, illud nihilominus volo facere; nam hìc interuenit solus animus iniquus ipsius peccantis, qui Dei honorem non respicit, sed potiùs vult talem offensam, absquè eò quòd deroget Diuinæ potentiæ, aut alicui attributo Dei.

13 Quintò, si quis dicit, *renego illum*, nec aliud exprimit, fieri potest vt blasphemiam aliquando dicat, aliquando non, cùm totum pendeat ex ipsius intentione; & sic tradunt Manuel 1. *tom. sum.* 2. *edit. c.* 34. *num.* 2. Petrus Ledesma 2. *tom. sum. tract.* 1. *c.* 9. *post* 5. *conclus. dub.* 1. Ludouicus Lopez 1. *par. instruct. c.* 282. *vers. quarto & de his*. Igitur à coniecturis id esset deducendum; cùm enim quis iratus diceret,

ret, *renego illum*, & oculos in cœlum dirigit, præsumeretur id dicere contra Deum, & sic blasphemaret. Non tamen postea esset blasphemia, si dictis illis verbis, ipsemet nesciret de quo dixerit, & sic in neminem renegatum dirigit intentionem, sed potiùs in vanum taliter loquitur.

14 Sextò, si quis conditionaliter dicat, sicut frequenter dici solet à multis: *Non credo in Deum, si hoc non est verum, aut nisi vindictam de inimico expetam. Deus est iniustus, & illum renego, si hoc non faciam*; & similia conditionaliter prolata, dico esse blasphemias, fortassè tamen non animaduersas, quia vt tales non sunt consideratæ. Ratio est, quia ex conditione futura contingenter, seu ex apposito contingenti, fit pendens Diuina fides, & sic denegatur ei totalis, & debita firmitas; & etiam in talibus dictis includitur propositio affirmatiua negandæ fidei, vel Diuinæ iustitiæ, casu quo non ponatur id, quod dicitur, seu circa veritatem rei, seu circa vindictam promissam. Ita tenent Ludouicus Lopez *1. p. instruct. c.* 282. *vers. sextò & de qualitate*. Corduba *sum. q.* 61. Azebedo *lib.* 8. *recop. tit.* 4. *l.* 1. *num.* 14. cum Cantera. Couarruuias *de pactis*, 1. *p.* §. 7. *num.* 9. *vers.* 2. & alij.

15 Septimò, si quis absolutè dicat: *Non credo in Deum: Renego Deum*, aut *Crucem*, aut *Eucharistiam*, aut *Sacramenta*, aut *nego Virginitatem Deiparæ*, absquè dubio diceret verba manifestè blasphema, & quidem hæreticalis blasphemiæ, vt ex se constat, & nos infra dicemus, agentes de modo discernendi, qualis sit blasphemia hæreticalis, & qualis non sit, seu quænam sint blasphemiæ hæreticales, & quænam non sint tales.

16 Octauò, si quis nominaret aliquod attributum Dei, conuitiando, aut irridendo, iste blasphemaret. Ratio est, quia quamuis quoad substantiam attributum illud, quod nominatur conueniat Deo, attamen non conuenit ei vt irrisorium, sed potiùs vt causa, & motiuum summæ laudis, & sic ratione modi redditur blasphemia id, quòd aliàs non esset. Ita Caietanus 2. 2. *quæst.* 13. *art.* 1.

17 Nonò, si quis diceret vituperia, aut indebita in res sacras, in cultum Dei, aut in alia quælibet, quæ ad Deum referuntur, etiam iste blasphemaret, nam ista omnia redundarent in Deum authorem illarum rerum, & Deo nec vituperia, nec indebita possunt tribui sinè blasphemia; & ità docet Corduba *in quæstionar. lib.* 1. *q.* 17. §. 1. *in principio*.

18 Decimò, si quis in Sanctum aliquem profert contumeliam, absquè eò quòd expressè excludatur habitudo eiusdem Sancti ad Deum, esset blasphemus, quia in Sanctis elucet Deus saltem virtualiter, quotiescúque Sanctus laudatur, aut contumelijs afficitur. Sic Caietanus, *loco cit. ad* 2. Suarez *tom.* 1. *de religione*, *tract.* 3. *lib.* 1.

19 *cap.* 5. *num.* 6. Si autem expressè excluderetur habitudo ad Deum, esset solummodò peccatum contra Duliam.

20 Vndecimò, si quis iuraret per sanguinem, aut per caput, aut per aliud membrum Dei, erit euidenter blasphemia, si intelligatur de Deo vt Deus est, non autem de Deo vt homine, nam Deus vt homo habet reuera illa membra.

21 Hoc tamen verum est, si membrum quod nominatur non sit pudendum, vel Christi, vel Sancti alicuius, quia licèt illa membra habuerint, non tamen vt quid ignominiosum, & vituperabile, vndè ex modo loquendi est falsitas, & consequenter est blasphemia. Caietanus *vbi suprà*. Sotus *lib.* 8. *de iust. q.* 2. *art.* 3. *colum.* 7. Couarruuias *de pactis* 1. *p.* §. 1. *num.* 6. Armilla *verb. iuramentum num.* 5. Ang. *verb. eod.* 3. *num.* 12. Nauar. *sum. c.* 12. *nu.* 85. Sylvester, Suarez, Valentia, Castro, & alij.

22 Duodecimò, si quis in actu iræ dicat, *Corpus Dei*, non blasphemat, cùm de Christi corpore intelligatur, & verè Christus habuerit corpus. Et quamuis irreuerenter nominetur, non tamen fit per modum contumeliæ, ac iniuriæ irrogatæ Deo, de quo nihil falsi dicitur; & ideò multi docēt esse solùm veniale peccatum graue, dummodò ira dirigatur in illum hominem, cum quo rixatur, & non in ipsum Deum, quia si ira, & indignatio esset in Deum directa, esset blasphemia, cùm Deo neutrum istorum debeatur. Sic tradit Valentia 2. 2. *disput.* 1. *q.* 13. *punct.* 1. *vers. sed tantùm illud*. Sotus *de iuramentorum abusu*, *c.* 6.

23 Decimotertiò: quando dicitur ab aliquo: *hoc est sic verum, ac est verum Euangelium, aut Deum esse, aut Matrem Christi esse Virginem*, fieri potest, vt blasphemiam proferat, talia dicendo. Si ergo intendit esse æqualiter vera, blasphemat; si verò intelligit esse proportionaliter vera, non blasphemat; vndè in prima intelligentia facit Euangelium, & de fide id, quod non est, dum Euangelio, Deo, Virgini, &c. assimilat rem illam, quam asserit esse veram: in secundo modo dicendi tantùm affirmatur, quòd sicut est verum Euangelium, &c. sic & res illa habet suam propriam veritatem, in quo nulla est blasphemia: & ita tenet Metina

na

na *lib. 1. sum. c. 14. §. 2.* Petrus de Ledesma *2. tom. summa, tractatu 1. c. 9. post 5. conclusionem, dub. 2.* Ludo. Lopez *1. p. instructor. c. 282. vers. Tertio de isto modo.* Manuel *1 to. summa, in 2. edit. c. 34. num. 2.* & plures alij.

24 Decimoquartò, notandum est, quòd aliquando dicuntur verba blasphema ex motiuo ioci, sed in tali casu non excusatur à mortali culpa, cùm non sit leuis iniuria, nominare pudenda Christi, aut Sanctorum, aut dicere alia, quamuis iocando, vt dicit Nauar, *sum. c. 12.*
25 *num.* 48. Sed id intellige, nisi iocus tollat totaliter rationem irreuerentiæ, nam tunc non esset blasphemia, vt supra dicebatur de falsis Dijs iocosè nominatis, non seriò.

26 Decimoquintò, illi qui alicui subiacentes infortunio dicunt: *sic coactè debebat à fato euenire:* seu *sic Diabolus volebat vt fieret*, reuera proferrent blasphemiam, si mens eorum esset, dari fatum, à quo iuxta Gentilium opinionem omnia contingunt; vel si intelligunt Dæmonum ex suo arbitrio ità disponere, & non potiùs omnia euenire iuxta præsuppositam Dei dispositionem, & volitionem. Sed quia ordinariè tales propositiones non dicuntur cum huiusmodi intellectu, sed solùm ex scientia, quæ habetur Deum omnia decreuisse, ideò sunt propositiones vt in plurimùm non blasphemæ; sed semper malè sonantes, vt aiunt Corduba *summ. q. 62,* & Ludo, Lopez *1. par. instruct. c. 282.*

27 Sunt & alij multi modi propositionum, quæ in se rationem continebunt blasphemiæ, sed si benè considerentur prædicta, facilè deducetur quandonam aliqua propositio sit blasphema, quæ fortasse vt talis non ponderatur ex ignorantia, sicut non ponderantur aliquæ ex recensitis. Ad rem autem præsentis decisionis facit, quòd id cōmuniter à simplicioribus reputatur blasphemum, quod tale non est. Hinc dum audiunt aliquem proferre *Corpus, aut Sanguinem Dei:* seu *Hostiam Sacratam:* seu *Dei Potentiam,* putant se audiuisse blasphemias, quapropter si benè à Confessarijs examinentur, inuenient non teneri denunciare similia proferentes, quæ reuera non sunt blasphema, sicut nec erunt tot aliæ propositiones, si ad limam probentur definitionis blasphemiæ, quæ est
28 *Verbum, quod de Deo, vel de Sanctis per contumeliam dicitur; quare vel affirmat aliquid, quod Deo non competit; vel negat, quod ei conuenit; vel quæ Dei sunt, absquè iusto, & debito honore, cultu, & reuerentia nominat irridendo, aut per ea turpiter, & inhonestè iurando:* & hanc definitionem esse iuxta communem omnium sententiam dicit Azorius *instit. moral. lib. 9. cap. 28. quæst. 1.* Alij tamen addunt ad prædictam definitionem debere ea fieri voluntate quadam derogandi Diuinæ Maiestati, seu bonitati: Sic ex D. Thoma *2.2. q. 13. art. 1.* rectè colligit Valentia *2.2. disp. 1. q. 13. puncto 1.* vt taliter blasphemia distinguatur ab infidelitate, quæ putat, & intendit se honorem, & obsequium dare Deo.

29 Et quia est commune inter labiles lingua, vt frequenter etiam extra iræ occasiones audiantur, vt dicitur, *Cospettare*; ideò an tale verbum sit blasphemia, necne, clarè intelligetur ex allata definitione, Et quidem meo iudicio, censeo non esse quid blasphemum, præterquàm quando prorumpitur in incrementum dicti verbi *cospetto*, & dicitur: *cospettonazzo*. Igitur hoc secundum dico blasphemiam, non verò primum. Ducor, quia cum primo verbo nihil additur, aut tollitur Deo contra debitum ei; nequè Deo iniuria, aut irreuerentia aliqua irrogatur. Quòd enim aliquis etiam pacificè dicat; *Al cospetto di Dio*, nec intendit derogare Diuinæ Maiestati, aut bonitati, nec aliud dicit, nisi *alla presenza di Dio*, seu coram Deo, quod est verbum potiùs scandalosum, quàm malitiosum, nisi aliud intendatur; vnde cùm maximè à pusillis pro blasphemia repute-
30 tur, ideò est sub obligatione tacendum. At quando profertur *cospettonazzo*, seu *cospettone*, tunc nimis irreuerenter Dei præsentia, aut facies nominatur, & contemnitur, propterea est blasphemia, quia Deo contemptus non debetur.

31 Limitandum est tamen id, quod dictum est de propositione *al cospetto di Dio*, nam cum hæc verba sonent *alla faccia di Dio*, seu in faciem Dei, profectò blasphemaret ille, qui diceret: *al cospetto di Dio* volo hoc, vel hoc ita est; in euentu tamen, quo ille intenderet sicut inter homines aliquando sumitur, quòd in faciem illius hoc ità euenit, quasi dicatur *in faciem*, prout significat *ad despectum*; cùm ergo dicere *ad despectum Dei* sit blasphemia, vt explicuimus supra *num.* 10. sic erit blasphemia dicere iuxta similem sensum: *al cospetto di Dio*, & probatur eadem ratione. Et erit etiam blasphemia, si dicatur cum quodam contemptu, seu cum quodam despectu, aut simili modo.

32 Ad discernendum autem, an vt blasphemia, necne proferatur *al cospetto*, attendendæ sunt cir-

circumstantiæ, à quibus præsumptio etiam pro foro iudiciali desumitur. Et circumstantijs benè inspectis apparebit, quòd vt in plurimùm cum tali verbo non blasphematur, cùm sæpissimè proferatur etiam in actu ridendi, iocandi, & nulla data causa, nec aduertentia.

33 Cum ergo solitæ blasphemiæ, de quibus communiter habetur scrupulus ab audientibus, ratione obligationis denunciandi, sint *Corpus Dei, Sanguis Dei; Ad conspectum Dei; Per Hostiam Dei; Per Deum; per Christum; per Mariam, per Sanctos*, & si quæ sunt similia alia dicta; sequitur neminem esse obligatum denunciare talia proferentes, cùm si aliud non concurrat, non sit ratio blasphemiæ in prædictis, sicuti supra demonstrauimus. His omnibus benè inspectis, poterunt ferè omnes absolui, qui absolui non posse putabantur, prout proponitur in casu.

34 Nec solùm propter defectum veræ rationis blasphemiæ liberi erunt quamplurimi ab obligatione denunciationis, verùm & ex alijs causis fieri potest vt quis non teneatur denunciare

35 illum, qui verè blasphemauit. Prima causa sit si fraternè corrigatur cum spe emendationis ille, cuius blasphemia est secreta. Et quamuis Azorius *instit. moral. lib. 9. cap. 28. q. 5. 1. part.* neget admonitionem posse præmitti, nihilominus contra ipsum sentiunt Ludouic. Lopez. *lib. 1. par. instructor. c. 282. in fine*. Manuel *1. to. sum. in 2. edit. c. 34. num. 6.* Metina *lib. 1. sum. 14. §. 2.* & horum opinio est verior, quia Edicta obligantia ad denunciationem, intelligi debent seruato ordine Euangelico, nempe præmissa correctione, si crimen sit secretum; secùs si sit secretum, aut publicum, sed emendatio per correctionem desperatur; nam in hoc secundo casu, facienda est statim denunciatio.

36 Nec obstat, quòd hæreticus, nulla præmissa correctione sit denunciandus; respondetur enim, id speciale esse in hæresis peccato ob magnum eius periculum, & propter difficillimam hæretici correctionem, non enim hæreticus supponitur corrigendus per alterius admonitionem.

37 Imò iuxta Richardum, & D. Anto. quos citat Sanchez *tom. 2. consilior. lib. 6. cap. 2. dub. 5. num. 6.* etiam in hæresi, & criminibus contra bonum commune tenetur quispiam priùs corrigere, si probabiliter credatur emendandus, quæ semper credenda est, nisi per signa probabilia contrarium videatur; ergo à fortiori erit præmittenda correctio, antequam deueniatur

38 ad denunciationem blasphemi. Communiter tamen sentiunt Doctores contra prædictam opinionem Richardi, & D. Anto. vt videtur apud Sanchez *loc. cit. num. 5. & ibidem num. 6.* notat, esse quidem priùs corrigendum etiam hæreticum, si firmiter credatur emendari debere; sed quia regulariter hoc non est credendum, ideò statim deuenitur ad denunciationem, & similiter, vbi esset aliquod dubium, an prodesset secreta admonitio; & pro hoc citat Sanchez D. Thom. Abulens. Nauar. Sot. Cordubam, cum alijs.

39 Secunda causa excusans à denunciatione sit, quòd filius non tenetur denunciare hæresim occultam patris, aut matris, vt docent Viguer. Alens. Henriq. Simanc. Abulens. Peréz, & alij, quos refert, & sequitur Sanchez *tom. 2. consilior. lib. 6. cap. 2. dub. 19. num. 9.* & sic tales filij non denunciantes non incurrunt excommunicationem; ergo à fortiori non obligatur filius denunciare patrem, qui domi occultè aliquando proferat blasphemias, cùm

40 minor sit obligatio denunciandi blasphemiam, quàm denunciandi hæresim. Nec refert si obijciatur, quòd filius teneatur denunciare patrem proditorem patriæ; nam ad id tenetur, quia temporis momento Respublica perire potest, cuius salus præferri debet vitæ patris; at tanta necessitas non habetur in peccato hæresis.

41 Hinc tertiam causam excusantem ab obligatione denunciandi blasphemum, videtur posse esse, si agatur de accusandis consanguineis, ex qua denũciatione sequuntur dissensiones, graues, infamia, & alia similia inter familias. Nam si pater non debet denunciari à filio de hæresi, vt prædictum est, deducitur carentia obligationis inter consanguineos circa denunciationem criminis inferioris ipsi peccato hæresis. Hæc causa coincidit cum sequenti generaliter tradita.

42 Alia causa generalis deobligans à mandato denunciandi, est si non possit fieri sinè tali detrimento denunciatoris, aut denunciati, vt ratione talis detrimenti lex naturalis eximeret à præstanda obedientia. Videatur Sanchez *vbi supra, sed dub. 22. & 23.* per totum, in quo quamuis non dicat se loqui etiam de denunciationibus faciendis Inquisitoribus, tamen videtur iuxta æquitatem, vt non obligentur denunciare, aut denunciari eos, qui certè se ob hoc inuicem occiderent; seu si ex denunciatione sequatur notabile damnum in familia, vt esset prostitutio filiæ; si frater denuncietur ex-

Nn pen-

pensæ ingentes cum consumatione dotis filiæ nubendæ, aut neptis, aut sororis, aut consanguineæ; periculum perdendi vitam, quam fortasse amittet denunciator per manum illius, cuius filium, aut fratrem, aut consanguineum denunciauit: & cætera huiusmodi, quæ possunt euenire, vndè non videtur tanta mala intendi, dum Edicta publicantur, & ideò iuxtà regulas prudentiæ sunt credenda emanata, & prudentia non esset, si non obstante graui damno, exigeretur obedientia.

43 Prædictæ causæ excusantes à denunciandi obligatione, non excusant si sequatur damnum tertio, vel Communitati, quia commune præualet particulari, & damnum tertio non est inferendum. Excusans causa etiam est, si delictum non possit probari, & omissio denunciationis nullum damnum infert Communitati: excipe tamen delictum hæresis, blasphemiæ, & sollicitationis, quia in istis creditur vni testi ad correctionem, vel ad denunciationem faciendam, vt satis patet ex *cap. in omni, de test.* & ex *cap. nouit, de iudic.* Nec pro istis delictis stat doctrina, quòd denunciator non probans reputatur infamator, vt colligitur ex *cap. qualiter, & quando, 1. de accusat.* & tradit Clar. *lib. 5. §. fin. q. 7. num. 12.* Mascar. *de probat. concl. 506. à num. 1.* & alij; imò in hæresi sufficiunt testes singulares, vt docet Guido Pap. *q. 44.* Boer. *dec. 23. nu. 44.* Franc. Curt. Anton. Gab. Caccialup. Iason. Hippol. Ant. Gom. Albert. Montic. Mench. & alij apud Gabr. à S. Vinc. *de remed. ign. disp. 12. dub. 5. num. 49.* & ideò extat propositio damnata ab Alexandro VII. quæ est quinta inter cæteras, & dicit: *Quamuis euidenter sibi constet Petrum esse Hæreticum, non teneris denunciare, si probare non possis.* Ex dictis videant Confessarij, quòd non semper currit obligatio denunciandi.

44 Solis Inquisitoribus denunciatur, cùm ad ipsos solos spectet cognoscere de blasphemia hæreticali. Ità habet Azorius *tom. 1. instit. moral. lib. 9. cap. 28. q. 5.* Eymericus, Peña, Simancas, & alij. Si verò non sit hæreticalis, est mixti fori, & datur locus præuentioni; sic latè probat Soc. *lib. 4. cons. 119.* & Abbas *in cap. 2. de maledicis, num. 9.* Couarruuias *de pactis, 1. p. §. 7. num. 12. vers. crimen autem*; & alij.

45 Quænam verò blasphemia sit hæreticalis, quænam non, dicam breuiter, vt ipsa cognita constet cui foro sit denuncianda. Blasphemia hæreticalis poterit cognosci ex hoc triplici capite. Primò, quando per verbum aliquod indicatiui modi asseritur aliquid contrarium fidei: vt Deus est iniustus: non est omnipotens: nescit hoc, &c. Secundò, quando Deo, falsò aliquid tribuitur, quamuis non affirmetur, vt si dicatur: ò Deum iniustum. Tertiò, quando ostenditur dubitatio de conuenientibus Deo; aut ista tribuuntur creaturæ, vt si dicatur: omnipotens est Petrus; nescio tamen certò, an sit omnipotens Deus. Hæ sunt regulæ certæ, & vniuersaliter comprehendentes blasphemias

46 hæreticales. Blasphemiæ postea non hæreticales, sunt aliæ, quæ solùm imprecando, optando, seu huiusmodi, dicuntur, & nos supra sufficienter tradidimus, exemplis varijs, raris, & fortasse non benè animaduersis, quòd blasphemiæ contineant malitiam.

Hæc est Decisio dubitationis mihi tunc propositæ in illa Ciuitate, quam decisionem dedi per modum prouisionis, si aliter à Sacra Congregatione fuisset iudicatum, nam ipsi mea scripta subijcio.

# DECISIO LXIV.

*An ratione baccanaliorum indictorum pro die aduentus personæ Regiæ, si aduenint in vigilia, possit Episcopus anteponere, aut postponere ieiunium.*

## Casus, seu Historia LXIV.

### SVMMARIVM.

1 *Casus proponitur.*
2 *Opinio cuiusdam Vicarij.*
3. 4 *Inferior quid possit circa legem Superioris.*
5. 6 *Quando sit peccatum vti dispensatione.*
7. *vsque ad 12 Quid possit quis in suam legem.*
12 *Causa dispensandi à quo iudicetur.*
13 *Ex causa Episcopus dispensat aliquem in ieiunio.*
14 *An etiam in lege Papæ.*
15 *Causa transferendi ieiunium, quæ sit.*
16 *Et tunc obligat etiam Regulares.*
17 *Excipe Quatuor tempora; & ponuntur propositiones damnatæ circa ieiunium.*
18. 19 *Quinam aduentus personæ coronatæ satis sit ad ieiunij translationem.*
20. *vsque ad 28 Alia causa pro eodem.*

1 CVm Sacra Maiestas Imperatoris Ciuitatem N. sibi subditam præsentia sua visitare, ac honorare decreuerit; excogitauerunt dictæ Ciuitatis Nobiles, quonam honore tantum

tum Principem suum possunt excipere, atque quali animi gaudio publicè declarare, se omnesque Ciues ob Maiestatis suæ aduentum ad ipsos, in omnem lætitiam deuenisse. Decernere inter cætera, concedendum esse vt communiter prima dies Cæsarei aduentus celebraretur non minùs, ac vigilia diei Cinerum, scilicet iuxta diem festum baccanaliorum. Post aliquot dies insurrexit dubitatio, ne in quadam die vigiliæ de præcepto Ecclesiæ caderet aduentus Maiestatis expectatæ, vnde obligatio ieiunij, & abstinentiæ à carnibus, omnium gaudium mortificabat; & an reuera dicta obligatio fuisset nimiùm vniuersaliter violata, non sinè graui fundamento Episcopus suspicabatur. Cogitauit igitur prouidus Pastor, quomodo tantæ transgressionis periculum impediret; propterea cum Rectoribus egit, vt ad concessam facultatem baccanalia exercendi, adderent limitationem; *dummodò dies indicta non sit vigilia, quia in tali casu die sequenti exercebuntur*. Verùm cùm nisi per vnicum diem Maiestas sua fuisset ibi fortasse commorata, non vacauit locus prædictæ restrictioni. Adiudicauit tandem Episcopus expedire, vt tum per Concionatores, tum per monitoria posita ad valuuas Ecclesiarum, populus admoneretur cauere, quòd baccanalia indicta nec deobligabant à vigilia, nec à ieiunio, si contingat Imperatorem venire in tali die. De tali facto quæsitum postea fuit, an Episcopus potuisset ieiunium anteponere, seu postponere, aut dispensare.

2 Ego scio de quodam alio Vicario Generali, qui per errorem putans in principio Ianuarij, vltimam diem baccanaliorum cadere illo anno in die vigiliæ S. Matthiæ, studebat an posset ieiunium transferre in diem antecedentem, ob periculum transgressionis ieiunij, necnon abstinentiæ à carnibus, & cùm mecum de hoc fuerit loquutus, accepi ab eo, se paratum fuisse dictam vigiliam anteponere, conscio tamen, & facto verbo cum Episcopo suo, vt ab ipso in re tam graui dispensatio fieret ob dictum periculum euitandum. Erat Vicarius ille vir doctissimus, qui & mihi ostendit pro hac sua opinione quemdam paruum librum, nescio cuius Authoris; nihilominus adhærens doctrinæ prædictæ Domini Vicarij Generalis, inferri potest, quòd Episcopus in currenti casu potuisset ieiunium, seu vigiliam anteponere.

3 Et vt clariùs resoluamus dubium, oportet videre an Episcopus possit dispensare in ieiunio, tum particulari alicuius, tum vniuersali ex lege Papæ, tum ex synodali constitutione, siuè cum causa certa, siuè cum causa dubia, siuè sinè causa iusta. Et incipiendo ab hoc vltimo; dicendum est, quòd dispensatio sinè iusta causa est inualida, si sit de re non promanata ab ipso dispensante, Ratio est, quia cùm lex, seu obligatio aliqua est imposita à Superiore, est contra rationem, vt possit ad libitum inferioris per dispensationem abrogari; ergo si dispensetur, inualida, & irrationabilis erit talis dispensatio. Item probatur, nam inualidum est id, quod sinè iure fit; sed in legem Superioris non habet ius inferior, nisi data causa; ergo sinè causa factum circa legem superioris, erit inualidum. Item confirmatur, quia licentia, 4 quæ supponitur in Episcopo, vt dispenset in legibus Papæ, intelligenda est si detur iusta causa dispensandi in casibus occurrentibus; ergo si causa iusta absit, nulla erit, ac inualida ipsa dispensatio. Hanc opinionem tenent, & docent Turrecremata *cap. 1. disput. 89. num.* 14. Syluester *verbo dispensatio, quæst. 3.* Ang. *eodem verbo, num. 3.* Palacios 4 *dist.* 15. *disp. 8.* Nauarr. *summa, cap. 25. num.* 74. Couarruuias 4. *decret. 2. p. c. 6. §. 9. num.* 11. vbi etiam citat pro eadem sententia Innocentium, Nicolaum, Curtium, Felinam, Baldum, Alexandrum, & Ripam; & sic etiam tradunt, & tenent multi alij ex recentioribus: Ergo vbi abest causa dispensationis in lege Superioris, erit inualida ipsa dispensatio.

5 Et præcitati recentiores inde deducunt nullatenus licere ipsi dispensato vti tali dispensatione; imò dicunt peccare mortaliter, si ea vtatur; cùm enim sciat talem dispensationem esse nullam, & nihilominus velit illa vti, perinde est, ac si sinè dispensatione velit operari, vt ex se manifestè constat.

6 Inde sequitur certum esse, quòd Episcopus non possit dispensare in lege ieiunij (modo infra dicendo) sinè iusta causa, cùm lex illa sit promanata à Superiore. An verò sit causa sufficiens pro tali dispensatione aduentus personæ Imperialis, seu Regiæ ob publicam lætitiam, vel ob motiuum periculi, vt communiter peccetur, & ieiunium non obseruetur, id dicemus infra. Nunc noto, quòd causa prædicta, quæ requiritur in inferiore profacienda dispensatione in lege Superioris, non est necesse vt sit causa certè, & patenter iusta, & sic sinè dubio sufficiens; verum & sufficiet, si dubitetur an causa sit sufficiens, vel si videatur eam non sufficere pro pura, & totali dispensatione, vt dispensans misceat dispensationi aliquam

commutationem imponendo vt fiant aliqua opera pia, vt audire Missas, illas facere celebrare, erogare eleemosynam, & alia huiusmodi, prout videbitur, & prudenter iudicabitur expedire proportionabiliter ad qualitatem dispensationis largiendæ, taliter quòd quantò plus causa dispensandi comperietur sufficere, tantò minùs obligationis adiungatur: & ità habet Caietanus 2.2. *quæst*. 147. *art*. 3. *& art*. 4. *dub*. 1. *& in summa, verbo ieiunium, cap*. 3. Palacios 4. *dist*. 15. *disput*. 8. Armilla *verbo ieiunium, num*. 6. Nauarrus *in summa, c*. 21.

7 Si autem de ieiunio, aut de vigilia illa, in qua Episcopus deberet dispensare, esset lex ab eo edita, & sinè causa iusta in ea dispensat, tunc tenet, & valet dispensatio, quamuis peccet ipse dispensans. Quòd dispensatio valeat, probatur quia cùm lex illa sit ab ipso promanata, ipse manet super ipsam, & sic potest de ipsa disponere, & dispositio tenebit. Sic Sotus *lib*. 10. *de iust. quæst. vltima, art. vltimo*. Nauarrus *summa, cap*. 25. *num*. 74. & alij.

8 Idem probatur, nam illa lex intantùm obligat, inquantùm est voluntas legislatoris, vt talem imponat obligationem; ergo si cesset illa voluntas, & reuocetur, cessabit etiam illa lex, eiusque obligatio, & sic dispensatio facta sinè causa in propria lege, erit valida, & tenebit; & ità docent, & tenent communiter. Sotus *lib*. 10. *de iust. q*. 7. *art. vltimo*. Turrecremata *c*. 1. *dist*. 89. *num*. 13. Ledesma 2.4. *quæst*. 27. *art*. 2. Aragon. 2.2. *quæst*. 89. *art*. 9. Couarruuias 4. *decret*. 2. *part. cap* 6. §. 9. *num*. 1. Veracruz 2. *part. speculi, art*. 27. Syluester *verbo dispensatio, q*. 3. Armilla *eod. verb. num*. 14. Corduba *lib*. 4. *quæstionum, quæst*. 8. Angles *floribus*, 1 *part. materia de ieiunio, q*. 5. *dub*. 2. Caietanus 1.2. *quæst*. 96. *art*. 5. Palacios 4. *dist*. 15. *disput*. 29. Medina 1.2. *quæst*. 97. *art*. 4. Panorminatus *cap. non est de voto*, & alij contra Fortunium *l. Gallus*. §. *& quid si tantùm, ff. de liber. & posthum.* vbi tenet dictam dispensationem non valere, & actum inde sequutum esse nullum.

9 Sed quamuis valeat, & teneat dispensatio facta etiam sinè iusta causa ab ipso institutore legis, in qua dispensat, peccat nihilominus tali modo dispensans; & hoc verificatur non solùm in Episcopo, sed etiam in Papa, & in Principe sæculari; & huius ratio est, quia talis dispensatio dicenda est vera dissipatio, sicque est peccatum imprudentiæ; & quatenus dispensans non respicit sic ad bonum commune, est peccatum infidelitatis. Ità D. Thomas 1.2. *quæst*. 97. *art*. 4. cum Caietano *ibidem*, & alij, imò sic

10 pro certo habetur apud omnes. Et notetur, quod tale peccatum ex genere suo sit mortale, vt constat ex ratione publici scandali, necnon & damni contra bonum commune Reipublicæ, quæ sic destrueretur; nec aliquis sanæ mentis negabit, quin esset mortale, tollere leges sinè causa, & sic lora laxare, vt ad placitum suum quisque viuat, atque ab omni lege liber discurrat, ac operetur. Et idem est si in vna lege graui sinè causa dispensetur. Non ergo Episcopus vt in casu potuisset dispẽsare in illo ieiunio, ac vigilia, quamuis esset ab ipso præcepta, si non habebat iustam causam dispensandi, sed dispensati poterant sinè peccato vti dispensatione, dummodò ab Episcopo fuerit elargita.

11 Aduertendum est tamen, quòd procurans talem dispensationem peccat & ipse, si sciat non adesse iustam causam, secus si bona fide illam quærat. Ratio est, quia sic sciens non adesse causam, inducit, aut inducere intendit concedentem dispensationem ad faciendum, & præstandum id, quod non potest; ergo peccat & ipse, vt docet Sanchez *lib*. 8. *de matrim. disp*. 18. *num*. 8. verum tamen est, quòd ad Prælatum,

12 non ad simpliciter supplicantem pro dispensatione, attinet examinare, an causa sit sufficiens; & pro casu nostro, an causa sufficeret. videbimus, & dicemus infra.

13 Quòd si agatur de dispensanda in ieiunio aliqua persona particulari, non est dubium, quin data iusta causa possit Episcopus illam dispensare. Ratio euidens est, quia si ad Pontificem deberent recursum facere indigentes dispensari in ieiunio, tantum temporis transiret, vt & ipsa necessitas finita esset cum damno ipsius indigentis: si ergo ad Papam necesse esset recurrere pro tali dispensatione, esset lex nimium intolerabilis; & contra rationis regulas, quod non est asserendum. Sic dicunt D. Thomas 4. *dist*. 15. *q*. 3. *art*. 2. *quæstiunc*. 4. *ad* 3. Caietanus 2.2. *quæst*. 147. *art*. 4. *dub*. 1. *& in summa, verbo ieiunium, cap*. 3. *in fine*. Sotus *lib*. 1. *de iust. q. vltim. art. vltim*. D. Anton. 2. *p. tit*. 6. *cap*. 2. §. 6. Victoria 4. *dist*. 26. *q*. 3. *art*. 1. Paludanus 4. *dist*. 25. *q*. 4. *num*. 12. Syluester *verbo ieiunium, q*. 7. *dict*. 3. *&* 4. Ang. *eodem verbo num*. 20. Durandus 4. *dist*. 15. *q*. 10. & alij communiter.

14 At quando dispensatio est facienda in legibus Papæ, sicuti aliquando occurrunt casus, in quibus propter necessitates passim occurrentes, est necessaria dispensatio, tunc Prælati inferiores censentur habere licentiam interpretatiuam à Papa pro tali dispensatione facienda, sicuti dicebamus supra *sub n*. 4. *huius Decis*.

15 Hinc

15 Hinc est, posse imò debere Episcopum transferre ieiunium alicuius vigiliæ, si recurrat in tali vigilia aliquis magnus dies festus; & sic tale ieiunium potest facere Episcopus vt seruetur die antecedenti ad vigiliæ diem, in quo die vigiliæ poterunt postea comedi carnes, sicut nec seruatur ieiunium, supposito quòd totum fuerit adimpletum die antecedenti. Et quòd talem dispensationem possit facere Episcopus, suadetur ex dispositione iuris, quod vult vt si vigilia venerit in die Dominica, ieiunium anticipetur die Sabbati, & sic habetur *cap. 1. & 2. de dispens. ieiun.* Vndè si festum Patroni Ciuitatis veniat in die vigiliæ, sicut si dies Festus Corporis Christi erit dies vigiliæ Sancti Ioannis Præcursoris, Episcopus debet dispensare, vt ieiunium non fiat in die Festi, sed transferatur in diem antecedentem, scilicet anteponatur. Sic in Francia, vbi dies festus Sancti Quintini est solemnis, non ieiunatur in tali die, quamuis sit vigilia Festi Omnium Sanctorum, sed anteponitur ieiunium huius vigiliæ, & obseruatur in die vigiliæ dicti Sancti Quintini; & ita fieri obseruat Syluester *verbo ieiunium, q. 7. dict. 1.* Circa translationem ieiunij vigiliæ Sancti Ioannis Baptistæ, si occurrat in die Corporis Christi, statuit Leo Decimus per quoddam Breue ad Hispaniæ Legatum demandatum, vt ita fiat, prout refert Nauar. *cap. 21. num. 11.* Et quòd Episcopus debeat sic facere etiam in die Patroni, docent Armilla *verbo ieiunium, num. 6.* Tabiena *eodem verbo, q. 12.* Palacios *4. dist. 15. 8. fine.* & Caietanus *in summa, verbo ieiunium,*
16 *cap. 3. fine.* Vlteriùs obseruat idem Caietanus, quòd in occasione talis translationis ieiunij in præcedentem diem, debere similiter ieiunare Regulares, conformando se ipsos in hoc cum communitate populi, & Cleri. Cùm ergo constet non Ecclesiam obseruari vigilias festis diebus, sequitur esse causam sufficientem ad dispensationem obtinendam ab Episcopo, ne ieiunium obseruetur, sed anteponatur, si vigilia occurrat in aliquo magno die festo.

17 Sed quia dantur etiam ieiunia quatuor temporum, ad ista non debet, nec potest applicari doctrina tradita de vigilijs; nam aliter Ecclesia vult obseruari ieiunium quatuor temporum, & aliter illud vigiliarum. Quamuis ergo Ecclesia non soleat præcipere ieiunium vigiliæ in die Festo, tamen semper fuit solita obseruare ieiunia quatuor temporum, etiamsi veniant in die festo, sicut sæpè contingit in die Sancti Matthæi Apostoli, & Euangelistæ, & in die Sancti Thomæ Apostoli. Igitur non est ponendum in dubio, an Episcopus possit dispensare in ieiunio quatuor temporum, cùm nulla dies festiua excipiatur ab obligatione ieiunandi ieiunio quatuor temporum iuxta constantem Ecclesiæ consuetudinem. Hoc idem dicendum est de ieiunio Quadragesimæ, cùm similiter Ecclesia inuiolabiliter sit solita ieiunium seruare etiam in magno die festo Annunciationis, Sancti Ioseph, & Sancti Matthiæ, quamuis in Quadragesima veniant dicta festa.

Hìc est necessariò ponenda Propositio vigesimatertia in ordine illarum, quas Alexander Septimus damnauit, ne aliquis deceptus à falsa, & scandalosa doctrina, resoluat præsentem Decisionem, & dicat præceptum ieiunij in talis, & tantæ lætitiæ contingentia non obligare, nec violari, si citrà omnem contemptum non seruetur. Absit, vt talis responsio admittatur, quamuis venialiter peccare dicat non ieiunantes, sed sinè contemptu, vel inobedientia, quia *Frangens ieiunium Ecclesiæ, ad quod tenetur, non peccat mortaliter, nisi ex contemptu, vel inobedientia hoc faciat, puta, quia non vult se subijcere præcepto.* Absit, inquam, vt vera habeatur ista Propositio meritò damnata, & quæ inducit in consequentias omninò scandalosas, cùm aliquis potuisset idem inferre de violatione cuiuscunquè alterius præcepti Ecclesiastici, & sic nunquam grauiter peccaret quisquis transgrederetur præceptum Ecclesiæ, nisi adderet formalitatem contemptus, vel inobedientiæ, vnde nullum Ecclesiasticnm præceptum obligaret per se ad mortale. Ità esse dicendum apertè constat ex paritate rationis inter ieiunium, & cætera Ecclesiastica præcepta. Similiter, imò à fortiori, nulla præcepta humana, & sæcularia grauiter obligarent per se, sed solùm per accidens, videlicet ob contemptum, vel inobedientiam: & tamen vbi materia erit grauis, erit etiam grauiter obligans ipsum humanum, & sæculare præceptum: Ità docent communiter Doctores; quare singularis, & simul temeraria, ac in animarum perniciem est huius Propositionis doctrina, contra quam stant D. Thomas *1. 2. q. 96. art. 4.* Sayrus *in claui regia lib. 3. cap. 6.* Sotus *lib. 1. de iust. quæst. 6. art. 4.* Suar. *de legib. cap. 21. num. 5.* Nauar. *in manuali, cap. 23. num. 48.* Bonac. *hic disp. 1. quæst. 1. punct. 7. §. 2. num. 1.* & passim omnes scribentes de obligatione seruandi mandata etiam sæcularia, & multò magis Ecclesiastica. Quòd detur præceptum ieiunij, & non solùm consuetudo ieiunandi, colligitur *ex cap. quadragesima, de consec. dist. 5.* & ex *cap. non liceat,*

& ex

& ex *cap. non oportet*, & ex *cap. placuit, de consecrat. dist.* 3. & ità tradunt communiter: Sic D.Thom. 2.2. *quæst.* 147. *art.* 3. Barthol. Med. 1.2. *quæst.* 88. *art.* 1. Durand. *in* 4. *sent. dist.* 15. *quæst.* 9. Nauar. *in manual. cap.* 21. *num.* 11. Couarru. 4. *variar. cap.* 20. *num.* 10. Mag. Cano *lib.* 2. *de locis, cap.* 9. Io. Med. *C. de ieiun. quæst. de necessitate seruandi ieiunium*. Sot. *lib.* 1. *de iust. quæst.* 6. *art.* 4. Angles *in floribus* 1. *p. de ieiunio*. Syluest. *verbo ieiunium, quæst.* 1. Armilla *eodem verbo*. Non ergo resolui potest nostrum quæsitum in ista Decisione, afferendo doctrinam Propositionis damnatæ, & breuiter ex dictis impugnatæ quantùm satis est ad præsentem casum.

Aliqui fortassè præsument scire resoluere præsens dubium, mediam tenentes viam, vt & ieiunium seruetur, & lętitia saltem ex toto non impediatur, docentes, quòd sæpè modicum quid comedatur in illa die, quia *In die ieiunij, qui sæpius modicum quid comedit, etsi notabilem quantitatem in fine comederit, non frangit ieiunium* iuxta quamdam sententiam. Verùm abeant eiusmodi Consultores: Sciant fuisse ab Alexandro Septimo damnatam hanc illorum Propositionem, sicuti legitur posita sub numero 29. in serie cæterarum à dicto Pontifice meritissimè damnatarum; hæc enim est essentia ieiunij secundùm omnes Doctores, vt à media nocte in mediam noctem vnica fiat comestio, licèt permissa fuerit postmodum ab Ecclesia vespertina collatio. Quòd si saluo ieiunio fas esset sæpius quid modicum comedere, verificarentur simul contradictoria, nam per illas modicas comestiones, si ad materiam grauem perueniatur, vnica comestio non dabitur, sed & cœna sumpta, erit vna comestio, & illæ modicæ comestiones aliam constituent, dum ad grauem quantitatem peruenient: verùm & sic vna sola comestio dicenda erit cœna sumpta, non obstantibus alijs comestionibus paulatim notabiliter factis; atquè ideò ieiunium erit, & non erit positum iuxta suam essentiam, quod non est dicendum, vtpote contradictorium. Adde, quòd abstinentia, ratione cuius ieiunium præcipitur, non seruaretur, si liceret sæpius modicum quid comedere vsque ad notabilem quantitatem; quare cùm per dictas modicas quantitates grauiter lædatur abstinentia, idest finis ieiunij, consequenter ieiunium erit grauiter violatum. Patet ex adductis quàm scandalosa sit hæc vigesimanona Propositio, ex qua inducerentur homines ad credendum licere sæpius quid modicum operis seruilis ponere in die festo, absquè eò quòd violetur præceptum seruandi festa præcepta. Suadetur hoc ex omnimoda paritate rationis circa ieiunij adimpletionem positis adhuc replicatis modicis comestionibus vsquè ad materiam grauem.

Nec iuuat dicere, quòd illæ modicæ comestiones sint in se tantùm peccata venialia: ergo non possunt coalescere in vnum mortale, scilicet in vnam grauem transgressionem ieiunij, sicuti res leuis non potest præcipi sub mortali: Respondetur enim primò, quòd damnata Propositio non loquitur cum limitatione, nec dicit ieiunium frangi leuiter, seu venialiter cum illis modicis comestionibus, sed absolutè dicit non frangi, & sic scandalosè loquitur, licèt verum esset, quòd grauiter non transgrederetur ieiunium modica sæpius comedendo vsquè ad notabilem quantitatem. Respondetur secundò, quòd illa modica considerantur collectiuè, cùm non intercedat, nec intercedere possit intrà eumdem diem distãtia temporis sufficientis ad ea non continuanda ne in vnum quid graue coalescant, & propterea coalescunt in materiam destruentem ieiunij naturam, vnde de facto ieiunium frangitur comedendo modica vsquè ad quantitatem notabilem, & oppositum est damnatum, nec facit pro nostro casu, cùm non liceat, ideoque malè consuleret, qui cum ista doctrina ieiunium, & gaudia posse componi doceret, prout agitur in præsenti Decisione. Noto etiam non suffragari, si dicatur vera esse prædicta, quando ex continuata intentione multa modica comedantur, secus si data occasione, aut veluti casualiter; nam seu ex eodẽ intẽtionis actu, seu ex diuerso, & casuali prædicta modica comedantur, semper in vnum coalescunt, quia inter illa nequit dari distantia temporis, per quam disiungãtur, eò quòd intrà eumdem diem moralis separatio inter illas modicas comestiones nequeat intercedere, vndè & inter modica furta, vt non vniantur, saltem distantia quindecim dierum requiritur, vt Doctores communiter docent, licèt non ex continua intentione comittantur, sed solùm ex oblata occasione priùs non intenta. Demum aduerto, nos versari in moralibus, quapropter manifestè constat, quòd modicæ comestiones vsquè ad grauem quantitatem dicendæ sunt moraliter vnitæ, & per eas ieiunium euidenter violari irrationabiliter, temerè, & scandalosè negatur. In nostra Decisione quinta plura diximus de paruitate materiæ replicata, ad quam Decisionem remittimus lectorem, vt per ibi adducta,

cta, pleniùs hanc damnatam Propositionem confutare sciat, eamque cognoscat nihil iuuare pro nostri dubij resolutione, prout aliqui videbantur prætendere, seu potiùs præsumere, quòd iuuaret. Ea autem quæ diximus, non admittentes distinctionem, qua aliqui vtuntur volentes non vniri multas modicas comestiones, si non fiant per vnicum actum volitionis, docentur etiam tamquam sententia communis à Diana *part. 3. tract. 6. resolut. 43.* & ratio est, quia in esse refectionis certè vniuntur modicæ replicatæ comestiones; & Ecclesiæ præceptum fraudari posset, nam liceret per plures comestiones ad modum plurium, & per plures actus intentas, abstinentiam ab Ecclesia intentum non seruare, quod est absurdum. Videantur ad intelligentiam prædictorum Castr. Palaus *tom. 1. tract. 2. disp. 2. punct. 9. § 4. num. 4.* Reginald. *tom. 1. lib. 15. cap. vlt. num. 67.* Molfesius *in summ. tom. 1. tract. 3. cap. 8. num. 70.* Sanchez *in summa, tom. 1. lib. 1. cap. 4. num. 9.* Suarez *de Religione, lib. 3. cap. 28. num. 11.*

Tertio loco alij fortasse insurgent, & ad nostri casus resolutionem dicent, non esse recurrendum ad Episcopum pro dispensatione aliqua circa ieiunium in tali occasione magnæ lætitiæ ob aduentum Personæ Regiæ; & ratio est, quia re benè inspecta vix dabuntur obligati ad ieiunandum, cùm ferè omnes, imò & fortasse omnes pro singulorum modulo computari possint veluti officiales corporaliter laborantes in viarum, platearumque ornatu, seu alia pro communi seruitio in Regis obsequium exercentes; quapropter secundùm vnam sententiam non defuit, qui docuit, quòd *Omnes officiales, qui in Republica corporaliter laborant, sunt excusati ab obligatione ieiunij, nec debent se certificare, an labor sit compatibilis cum ieiunio.* Igitur si qui dentur ità Consulentes, sanè damnatam, & scandalosam Propositionem, atque doctrinam edocerent, cùm Alexander Septimus allatam Propositionem inter alias damnatas numero trigesimo eam posuerit, & meritò. Igitur à similibus magistris caueant incolæ Ciuitatis, ad quam appulit Rex: caueant etiam ab illis omnes Officiales Ciuitatum, qui ex duplici motiuo reijcere debent vt falsam, & scandalosam Propositionem prædictam: Vnum motiuum est, quia deobligat à ieiunio omnes Officiales corporaliter siuè parùm, siuè multùm in Republica laborantes: Aliud motiuum est, quia excludit certificationem, an labor cum ieiunio sit compatibilis, necne. Quoad primum licèt dari possit, quòd aliquis notabilis labor vel ratione sui, vel attenta laborantis necessitate valeat deobligare à ieiunandi præcepto; tamen quemcumquè laborem sufficere, ne Officiales corporaliter laborantes in Republica teneantur ieiunare, nimiùm scandalosè edocetur. Hinc quoad secundum motiuum iam dictum, patet esse similiter scandalosè edoctum, non debere illos laborantes se certificare, an labor sit compatibilis cum ieiunio; & ideò est scandalosum, quia sic cum dubio, vel cum conscientia erronea, vel dubiosa docet licere non ieiunare. Iudicium ergo pij, ac prudentis Theologi requiritur in resoluendo quinam labor, & quosnam eximat, ac dispenset à ieiunij adimpletione; sed id in hoc loco resoluere nostrum non est, cùm satis fuerit ista notare, ne iuxta dictæ Propositionis doctrinam ieiunium censeatur non obseruandum in præsentis Decisionis casu. Adeatur Diana *in summa, verbo ieiunium, num. 15. & seqq.* Fagundez *in præcepta Eccles. præcept. 4.* & passim alij de ieiunio scribentes.

Potest etiã difficultari de obligatione ieiunij respectu illorum, qui ad dictam Ciuitatem vnà cum Rege, vel è locis, Ciuitatibus, aut pagis vicinis, nec non & distantibus, conuenerunt, alij equitando, alij pedestres eundo, alij in curribus deducti. De quibus omnibus inquiritur in præsenti, supposito quòd ieiunandi obligatio sit vniuersalis, & ex Ecclesiæ præcepto, quia si esset ex sola obligatione particulari illius loci, esset aliter discurrendum cum Doctoribus agentibus, an peregrini teneantur seruare festa, ac ieiunia particularia locorum, in quibus contingit esse, de quo videantur Coninch. *quæst. 74. de Euchar. art. 4. ad 3. num. 114.* & Tamburin. *in decalog. lib. 4. cap. 2. §. 2. num. 10.* Quòd si ieiunium seruandum sit ex Ecclesiæ præcepto, tunc omnes illi, qui ad illam lætitiam tamquam peregrini adsunt, certè tenentur ieiunare; si aliud non obstet, quia præceptum illud non afficit tantummodò locum, sed personas: Ità DD. communiter. Dixi, *si aliud non obst*, nam inquiri potest, an itineris labor eos excuset. Quocirca respondeo, quòd si quis affirmaret illos excusari absolutè, licèt equitando iter confecerint, damnatam doctrinam edoceret, extat enim damnatio lata ab Alexandro VII. propositionis istius 31. in numero cæterarum: *Excusantur absolutè à præcepto ieiunij omnes illi, qui iter agunt equitando, vtcumquè iter agant, etiam si iter necessarium non sit, & etiam si iter vnius Dei conficiant.* Hæc propositio est adeò destructiua præcepti de seruando

do Ecclesiæ ieiunio, vt meritò fuerit damnata veluti falsa, & animarum saluti perniciosa, per eam enim disceret se ad ieiunium non teneri, quicunquè equitando iter ageret vtcunquè, scilicet siuè longum, siuè breue, siuè cum graui, siuè cum leui, siuè cum nullo incommodo, siuè ob necessitatem, siuè ob recreationem; siuè ob malum finem iter illud etiam vnius diei conficiat. Nos tamen in præsenti non immoramur, vt resoluamus iuxta Doctorum sententias, quid circa itinerantes tenendum sit de eorum obligatione seruandi ieiunium, id enim resoluere minutatim ad operis nostri intentum minimè spectat; quare tantùm dicimus, falsum, & scandalosum esse, si dicatur excusari absolutè in nostro casu, omnes illos, qui equitando ad Ciuitatem peruenerunt, nam si omnes nihil, aut parùm damni ab itinere contraxerunt, certè ad ieiunium erunt obligati: Si verò ità aliqui detrimentum acceperunt ab itinere, vt cum ieiunio illud prudenter censeatur incompatibile, & in fraudem ieiunij iter non sit assumptum, potest disputari an ad ieiunium teneantur, nec pro tali casu stat doctrina damnata. Et non teneri istos possumus tenere cum Medina 1. 2. *quæst*. 77. *art*. 7. Secus si in fraudem præcepti ieiunij quis iter agat, ne ieiunet, nam fraus nemini patrocinatur, *l. itaque fullo, ff. de furtis, cap. ex tenore, de rescript.* & tradunt Menoch. *de arbitrar. lib.* 2. *casu* 182. *num.* 60. Card. Tusch. *practicar. conclus. lit. F. conclus.* 474. *per totam*. Bald. *cons.* 76. Couar. *variar. lib.* 1. *cap.* 18. *num.* 5. Oldrad. *cons.* 257. *num.* 41. *ad fin.* & alii. Non ergo præallegata propositio facit pro solutione præsentis decisionis, sed potiùs est omninò reijcienda, vtpotè damnata; & quæ docuimus attendantur à pio, & prudenti Consulente, siuè Confessario, nec non & ab Episcopo. Notetur tamen, quòd cùm opera præcepta debeant præferri operibus voluntariis, consequenter qui spontè peregrinatur etiam pedester, tenetur ieiunare: Ita D. Tho. 2. 2. *quæst.* 147. *art.* 4. *ad* 3. Syluest. *verb. ieiunium*, *q.* 9. Abul. *in Matth. cap.* 6. *quæst.* 140. Paludanus, Turrecremata, & alii contra Medi. *C. de ieiunio, q. de his, qui ad ieiun. tenen.* Palac. Gabr. & alios. Per accidens tamen peregrinantes non tenebuntur, vt si ad communem ædificationem vir magnæ notæ peregrinaretur, bonum enim commune præualet particulari, &c. Hinc deducatur, quid à fortiori sit dicendum in casu peregrinationis ad locum temporalis lætitiæ equitando, vel in curru, vel aliter.

Est deniquè notandum, quòd quia in ieiunio quadragesimali tria præcepta distincta interueniunt, nempè abstinendi à carnibus, abstinendi ab ouis, & lacticinijs, & ieiunandi, propterea si in casu nostro dispensatio fiat, attendere oportet an amplè in omnibus, vel solùm limitatè dispensetur, reiecta 32. ex propositionibus damnatis ab Alexandro VII. quæ est: *Non est euidens, quòd consuetudo non comedendi oua, & lacticinia in quadragesima obliget*; sed singula illa tria præcepta obligare sub mortali omnino tenendum est; & de obligatione abstinendi ab ouis, & lacticinijs extat *cap. denique dist.* 4. & habetur in septima Synodo Generali Constantinopolitana *canon.* 56. Videatur Diana *part.* 9. *tract.* 8. *resol.* 66. Quæ obligatio afficit Sæculares, & Regulares etiam in vigilijs præceptis, nisi aliter indulgeatur à Summo Pontifice, vndè non sunt audiendi asserentes extare quidem obligationem abstinendi ab ouis, & lacticiniis, sed solùm sub veniali.

18 An autem aduentus Imperatoris, seu Regis ad aliquam Ciuitatem sibi subditam sit causa sufficiens pro ieiunii, & esus carnium dispensatione, dicendum est negatiuè, si sæpè soleat aduenire, quia sic cessant extraordinariæ receptionis motiua.

19 Si verò tamquam quid insolitum est talis aduentus coronatæ personæ ad Ciuitatem sibi subditam, & maximè si Ciuitas sit valdè distans à Ciuitate residentiæ Principis, & Domini sui coronati, tunc dico habere rationem magnæ festiuitatis aduentum illius, vndè meritò quantum fieri licet possunt lætitiæ laxari habenæ, ac per consequens conuenit ieiunii dispensatio per Episcopum facta, si dies vigiliæ erit dies aduentus, & commorationis, & discedere velit sequenti die, seu si ignoretur an discessurus sit. Ratio ob quam ducor ad sic iudicandum est, quia causæ dispensationis alicuius non omnes scribuntur, nec scribi possunt, sed iudicio Superioris remittitur illas cognoscere an sufficientes sint, necne; ergo in præsenti facto spectat ad Episcopum examinare an aduentus tantæ personæ sufficiat pro vniuersali dispensatione à ieiunio vigiliæ; ergo si iudicabit sufficere, poterit dispensare, necnon populis licebit vti dispensatione: sed reuera, omnibus inspectis, causa est sufficiens, & esse sufficientem probant multæ rationes. Primò, quia periculum, quòd ieiunium à lætantibus non obseruetur, dat obligationem Episcopo præcauendi illud, aliàs non vteretur perfectè sua facultate in ædificationem suæ Ecclesiæ, sed sineret

ret illam destrui, cognoscens malum culpæ imminere, & illud non impediens cùm possit.

20 Nec obstat si dicatur perditionem istam esse ex peruersitate populorum transgredientium limites lætitiæ, & propterea illis, non Episcopo imputabitur culpa. Respondetur enim, quòd quidem totum est ex malitia populi, at tale periculum vniuersale est causa sufficiens ad dispensandum, nam quemadmodum est sufficiens causa vt dispensetur in ieiunio ille, qui si ieiunet sentit se procliuiorem ad venerem, ad fluxum seminis, vel ex naturali conditione, vel ex vitio, vt docet Ledesma 2. 4. *q.* 17. *art.* 3. & Honcala *opusculo de ieiunio*, cum alijs; ita erit causa sufficiens ad dispensandum in vigilia illud periculum, quòd violetur. Ideò sentiebat posse Episcopum dispensare in ieiunio vigiliæ S. Matthiæ si occurreret in magno festo baccanaliorum, videlicet vltima die, quia erat periculum, quòd communiter violaretur vigilia, ità inquam sentiebat ille doctissimus Vicarius Generalis, de quo supra dicebam *num.* 2. & ego cum eodem D. Vicario idem sentiebam, nam sic expresse docet Layman *in Theol. moral. lib.* 3. *tract.* 8. *cap.* 3. *num.* 9. apud Dianam Coordinatum, *tom.* 4. *tract.* 6. *de ieiunio*, *resol.* 37.

21 Secundò, suadet licere Episcopo illam dispensationem facere ratione causæ sufficientis, quam habet, quia seruatis seruandis, & proportionabiliter loquendo, potest rarus ille aduentus, imò insolitus, æquiparari diei magnæ solemnitatis, ac festi extraordinarij, cùm id exigat excellentia personæ, quæ aduenit, & gaudium, quod in subditos causat; sed ex prædictis debet Episcopus dispensare in vigilia, si occurrat magnus dies festus; ergo potest dispensare etiam in casu tanti aduentus.

22 Tertiò, probatur idem, quia tanta lætitia redderetur mæsta ab obseruatione vigiliæ; ergo non staret lætitia sinè dispensatione à vigilia; & sic Episcopus ex iusta causa potest in ea dispensare, nempe ne lætitia turbetur, licet Episcopo in tam insolito magno festo in ieiunio dispensare.

23 Quartò, quia Episcopus cum tali dispensatione meliùs ædificat, & suo munere ad Dei gloriam diligentiùs fungitur, impedit enim multa peccata, quæ ex occasione lætitiæ perpetrarentur; ergo habet sufficientem causam.

24 Quintò, quia est consonum rationi, vt ad denotandum subditorũ amorem, ac reuerentiam erga personam coronatam, ob insolitam dignationem, qua præsentia sua fauet illi Ciuitati; fiant etiam insolita, atque vltimi conatus, vt meliùs, & efficaciùs declaretur totius populi gaudium, & obsequium, quatenus sic satisfiat ipsi dominanti, nec habeat vndè lamentetur de illis ciuibus, eosque in posterum non multo amore prosequatur, nimiùm namque solent Magnates obseruare, quali obsequio, quali gaudio, & amore recipiantur, maximè à subditis suis.

25 Non est tamen applicanda ad aduentum Principis inferioris prædicta doctrina, quam non nisi pro Coronatis personis iudico verificari, cùm non tantæ dignitatis sint alij domi-
26 nantes. Imò adhuc pro Coronatis est limitanda, vt non valeat si eorum aduentus sit ad locum non subditum, quia in isto casu non adest tanta causa, ac necessitas excipiendi eos cum signis plusquam extraordinarijs, vt est dispensare communiter in vigilia; benè tamen talia signa conueniunt in locis ditionis eorum, vt supra explicauimus; nam si etiam Episcopus non faceret id, quod potest, posset timere indignationem, & suspicionem suæ fidelitatis in corde dominantis, cui constaret, noluisse Episcopum cooperari in commune obsequium, & in vniuersalem amorem erga illorum Principem, cùm aliunde potuisset sinè inconuenienti dispensatienem concedere.

27 Et cùm potissima ratio dispensandi in vigilia desumatur ab vsu Ecclesiæ, quæ horret vigilias in magnis festiuitatibus, sicut in hac decisione *num.* 15. diximus, dicendum est pro casu nostro, posse quidem Episcopum dispensare in vigilia, vt dictum est, ratione aduentus personæ coronatæ, non tamen potest vigiliam postponere, neque in illa omnino dispensare, sed debet, & potest solummodò illam anticipare. Ratio est, quia sic solet facere Ecclesia; & quia vigilia numquam esse potest post diem festum, hoc enim est contra rationem, & contra essentiam vigiliæ.

28 Hinc concludo, quòd si aduentus tanti viri taliter sit ex inopinatò in die vigiliæ, vt non vacet tempus pro dispensatione facienda ad anticipandum vigiliæ diem, in tali casu cessant omnes rationes sufficientes ad dispensandum; quapropter tenerentur omnes ieiunare, & à carnibus abstinere, nec Princeps posset conqueri, cùm ab Episcopo vigilia non possit tolli; nequè subditi nolentes ieiunare possunt in tali euentu ab Episcopo impediri, sicuti poterat anticipando vigiliam.

# DECISIO LXV.

*An ante finem tutelæ mortuo Tutore facultatem habente accipiendi sibi in fine tutelæ de bonis pupilli 100. scuta, hæc possint accipi ab hærede, qui an peccauerit mortem testatori cupiendo, vt illa acciperet.*

## Casus, seu Historia LXV.

SVMMARIVM.

1 *Casus proponitur.*
2 *Hæres in quæ succedat, & an peccet cupiendo mortem testatori.*
3 *Bona, & iura defuncti, sunt idem.*
4. *vsque ad* 10 *Varia de succedente ab intestato.*
11. 12. 13 *Verba quomodo interpretanda.*
14 *Tempus cui currat, necne.*
15. 16 *Ad hæredem an transeat ius vnitum operi.*
17 *Tempus est seruandum à legatario.*
18. *vsque ad* 23 *Tutor de qua culpa teneatur, & an præmium accipiat; & quot sint species Tutorum.*
24. *vsque ad* 31 *Pater, & Mater, an, & qualiter possint esse tutores, tutelamque amittant.*

QVia defuncto Stephano Tutore Hectoris, ad cuius tutelam aduocatus fuit Ioseph, qui recusat dare Simoni hæredi dict: Stephani 100. scuta de bonis pupilli, ex cuius proprietate facultatem habebat idem Stephanus accipiendi sibi in fine tutelæ 100. scuta; ideò insurrexit quæstio, an Ioseph Tutor substitutus teneatur nominatam pecuniam soluere pro pupillo primi Tutoris hæredi terminata tutela; si pupillus non soluat postquam à tutela exiuit; vel an pro se ipse Ioseph inscio pupillo possit totidem scuta accipere.

Simon primi Tutoris hæres quæstionem istam mihi proposuit, deinde subridens dixit: Et vt verum fatear, quandoquidem ab Hectore, nec à Ioseph nihil mihi soluebatur, iam quinquaginta scuta de bonis Hectoris surripui, sed & centum facili negotio integrè, ac nemine sciente obtinebo, si intrà annum contingat eumdem Hectorem decedere, prout non rarò, vt decedat per quamdam velleitatem cupio.

His à me auditis aliud Simoni non dedi responsum, nisi quòd post duos dies dignaretur ad me redire pro plena huius historiæ solutione, quam per sequentia scripta eidem interroganti tradidi.

Facta discussione historiæ ante duos dies à Dominatione sua mihi propositæ pro illius solutione in vtroquè foro, censui respondendum esse cum duobus sequentibus paragraphis.

### §. I.

*Pro foro animæ, & fori quid sit dicendum de cupiente alterius mortem ob emolumentum temporale.*

2 NE finè culpa iudicetur desiderium inefficax, vt aliquis naturaliter moriatur propter temporale emolumentum ex tali morte sequuturum, audiantur tres propositiones ab Innocentio Vndecimo damnatæ, quæ in ordine aliarum ab eodem Pontifice damnatarum leguntur sub numero 13. 14. & 15.

Propositio, quæ est 13. dicit sic: *Si cum debita moderatione facias, potes absquè peccato mortali de vita alicuius tristari. & de illius morte naturali gaudere, illam inefficaci affectu petere, & desiderare, non quidem ex displicentia personæ, sed ob aliquod temporale emolumentum.*

Propositio, quæ est 14. dicit sic: *Licitum est absoluto desiderio cupere mortem patris, non quidem vt malum patris, sed vt bonum cupientis, quia nimirum ei obuentura est pinguis hæreditas.*

Propositio, quæ est decimaquinta spectat tantùm ad gaudium mortis sequutæ, & est ista: *Licitum est filio gaudere de parricidio parentis à se in ebrietate perpetrato, propter ingentes diuitias, inde ex hæreditate consequutas.*

Ex his propositionibus discere debet Simon, quam culpam in vtroquè foro admiserit ratione animi sui, cum quo ob temporale emolumentum alteri mortem aliquo modo optauit; Et primò ex tertia propositione, quam decimamquintam esse diximus, intelligat qualiter sub excommunicationis pœna sit damnata doctrina, quæ licitum dicit esse filio gaudere de patris occisione à se perpetrata in ebrietate, quamuis motiuum gaudendi sit solùm hæreditas ingentium diuitiarum; indeque deducat quid dicendum sit de eius desiderio, vt alter moriatur, quia ex eius morte sperat temporale consequi emolumentum. Sic à paritate patet non debere Simonem, vt in casu, sibi licitum facere, quòd mortem alicui cupiat etiam inefficaciter, prout statim videbimus inhærendo duabus alijs propositionibus, & hic lectorem remitto ad nostram Decisionem 98. in qua plu-

sa erunt dicenda contra istam decimamquintam propositionem.

Stante igitur damnatione duarum propositionum, quas suprà notauimus, patet non esse cum risu dicendum à Simone, se non rarò inefficaci voluntate optasse mortem alteri propter speratum emolumentum, nam si id prætendat tueri esse sinè mortali, incurrit in vtroquè foro excommunicationis pœnam, nam omninò asserit, quod est damnatum. Nihilominus quia eius intentio est loqui de emolumẽto, non vtcunquè, ac iuxta generalitatem, secundùm quam loquitur allata propositio decimatertia, sed de emolumento centum scutorum, quod emolumentum videtur notabile, propterea censeo non esse Simonem damnandum de mortali, & per consequens nec incidisse in Excommunicationem; licèt desiderium suum inefficax, ac mihi communicatum, vt *supra num.* 1. dictum est, liberum à mortali culpa velit sustinere.

Vt autem recto iudicio in vtroquè foro Simonem sententiemus, habita præ oculis ea decimatertia propositione, ratione cuius videtur reus idem Simon, supponendum est, quòd dicta propositio, sicut & alia quælibet ex damnatis ab Innocentio Vndecimo vsquè ad numerum 65. fuit damnata, vt iacet, sicuti Pontifex se explicat in proœmio sui Decreti, per quod illas 65. propositiones damnauit, nam licèt quælibet ex illis 65. propositionibus non sit tota, & totaliter scandalosa, tamen vnaquęquè vt iacet, ac in sua generalitate animarum saluti est perniciosa. Eiusmodi est hæc decimatertia propositio, quæ si legatur iuxta generalem significationem, quam importat, non vtitur aliqua distinctione circa emolumentum temporale, & sic indistinctè siuè pro exiguo, siuè pro copioso emolumento docet licere sinè peccato mortali gaudere de morte, tristari de vita alicuius, &c. *ob aliquod emolumentum temporale*. Cæterùm ista doctrina sic generaliter tradita, manifestè ostenditur falsa, & scandalosa, quia posset quis ipsi inhærendo, sibi licitum facere quoad culpam mortalem, si cum moderatione, videlicet si sinè odio, ac sinè displicentia personæ faciat, tristari de vita alicuius, gaudere de illius naturali morte, illamque petere, & desiderare affectu inefficaci ob temporale emolumentum quantumuis tenue vnius v. g. quadrantis, aut oboli; etiamsi prædiues sit ipse, qui sic tristatur, gaudet, petit, ac inefficaciter cupit, vt dicitur in eadem propositione, nam quadrantis, seu oboli adeptio est temporale emolumentum. En igitur quàm meritò tam generalis doctrina fuit damnata, vndè ratione damnationis, & prohibitionis non licet eam generalem propositionem tueri, docere, ac de illa nec priuatim disputare, &c. nisi fortè impugnando prout facimus in præsenti. Quidem disputationi Doctorum relinquitur examinare, an pro pingui, & notabili emolumento citra mortale peccatum possit quis affectu inefficaci, explicando infra *vers. & vt Simon*, non verò affectu inefficaci, de quo infra *vers. Aliqui.* cupere mortem naturalem alicui, aut de illa gaudere, tristarique de illius vita, si cum moderatione, seu sinè odio, vel simili concurrente, faciat; Verùm idem dicere generatim pro quouis emolumento temporali, patet esse venenum principale in doctrina huius propositionis admixtum, ratione cuius fuit damnata.

Nunc cogitet Simon, an in sua inefficaci voluntate, cum qua desiderauit mortem alteri ob emolumentum temporale putat, & putauit id non esse lethale, quia centum scuta sunt notabilissima emolumenti quantitas, & quia cum moderatione desiderium dictum habuit; vel an non esse mortale putat, & putauit, quia generatim pro quocunquè emolumento temporali etiam tenuissimo citra mortale potest quis ea omnia præstare, quæ in præsenti propositione traduntur. Si iuxta hunc secundum modum tenet, certè sequitur doctrinam damnatam, secus si iuxta primum modum, qui est limitatus, & per consequens non cadit sub damnatione, vt prædictum fuit, & dummodò voluntas inefficax accipiatur iuxta infra dicenda.

Datur & aliud motiuum ob quod scandalosa est eadem propositio, nempe quia vt iacet, facit sensum docentem non esse mortale, si cum moderatione quis se gerat, dum quomodocunquè tristatur de vita alicuius, & de illius morte naturali gaudet, scilicet gaudio, & tristitia etiam perfecta, completa, & absoluta; deinde de affectu inefficaci dicit, quòd cum eo possit quis petere, & cupere alteri mortem ob temporale emolumentum siuè tenue, siuè magni momenti; & hoc emolumentum sub ista generalitate ponitur vt motiuum dicti gaudij, & dictæ tristitiæ, atquè illius desiderij, ac petitionis præfatæ. Esse autem falsum, & scandalosum, quòd non sit mortale peccatum habere perfectam tristitiam de vita alicuius, ac perfectum gaudium de morte naturali illius ob emolumentum etiam notabile, constabit ex dicendis in mox adducenda propositione decima quarta. In præsenti tamen satis idem conuin-

citur authoritate Pontificis hanc doctrinam condemnantis per condemnationem istius 13. propositionis, de qua est tantùm liberum disputare, an affectu inefficaci possit citra mortale peti, & desiderari mors naturalis alicui ob notabile emolumentum temporale, dummodò cum moderatione odij, aliarumue passionum, id fiat. In qua quæstione non dubitatur, quin liceat gaudere quocunquè affectu etiam perfecto, & efficaci versante solùm circa ipsum emolumentum temporale, qualecunque illud sit, siuè modicum, siuè copiosum.

Et vt Simon in præsenti facto benè cognoscat, an verè affectus ipsius fuerit inefficax, vel efficax, non grauabor declarare quid sit, aut in quo consistat vterquè affectus. Datur ergo duplex affectus; vnus dicitur perfectus, & absolutus, ac quantùm est ex se efficax, quo affectu appetitus inclinatur in rem, circa quam versatur, adeò vt si licitè posset, ad eius executionem tenderet. Hic affectus tunc sanè adest in appetitu, quando talis res attentis omnibus, pluris habetur, magisque appretiatur, quàm eius oppositum. Alius affectus, qui dicitur imperfectus, & ex se inefficax, & secundùm quid, est quando appetitus attenta hac, vel illa ratione inclinatur ad obiectum, absolutè tamen omnibus inspectis, potiùs eidem obiecto contrariatur, & propterea quamuis licitè posset, ad eius consecutionem non concurreret, nam licèt ex hoc, vel illo capite prædictum obiectum in appetentis æstimatione præferatur opposito, vel alicui rationi in eo repertæ, nihilominus absolutè, omnibusque inspectis, illi posthabetur. Huic duplici affectui correspondet duplex delectatio, vna vocatur absoluta, & talis simpliciter, & est illa, quæ innititur priori affectui: alia vocatur delectatio secundùm quid, & valdè imperfecta, & hæc innititur posteriori affectui, quem imperfectum, inefficacem, & secundùm quid talem esse dicimus. Hinc Authoribus dicentibus priorem affectum, eique correspondentem delectationem non esse semper mortale peccatum; quia potest cum moderatione haberi, credere non debet Simon, cùm hæc illorum doctrina sit illa, quæ venit sub damnatione. Si verò id afferant de secundo affectu, idest de inefficaci, ac de delectatione huic correspondenti, poterit illis præstari fides, nam de hoc nulla extat prohibitio, seu condemnatio, si emolumentum temporale magni momenti sit, & tale, vt præponderet illi affectui inefficaci, aliàs si non sit tale, sed exiguum, vt supra diximus *vers. Vt autem*, tunc damnata est doctrina affirmans non esse mortale peccatum.

Aliqui pro affectu inefficaci intelligunt desiderium, seu affectum sinè voluntate inferendi malum, vt v.g. quando ex odio desiderat quis, vt suus proximus occidatur, paupertate affligatur, vel infamia: Et ideò tale desiderium sinè voluntate occidendi, infamandi, &c, dicitur ab istis actus voluntatis inefficacis, quia ad effectum non vult procedere, & sic talis voluntas non est efficax. Tamen eiusmodi voluntas, siuè affectus inefficax non excluditur à sensu istius propositionis damnatæ; quare cùm sit voluntas, ac desiderium mali grauis in proximo, est peccatum mortale, & illud desiderium est absolutum, quantùm est in se, licèt voluntas sit inefficax, quatenus non vult malum inferre, quod alteri cupit, vt benè docuit Tamburin. *method. expedita confessi. lib.* 1. *cap.* 7. §. 3. *num.* 11. & idem docent Doctores communiter, inter quos fit quæstio an in confessione sufficiat dicere: *Desideraui proximo malum graue*, vel an sit exprimenda species mali, v.g. *Desideraui mortem; grauem infamiam, &c.* & idem Tamburinus *ibidem* respondet sufficere, quia dum sistitur in ea voluntate inefficaci, illa mala sunt veluti in genere contra Charitatem, qua tenemur nolle malum proximo, non verò læditur, aut lædi desideratur ius particulare. Sed quidquid sit de sufficientia expressionis in Confessione illius desiderij, ac voluntatis, seu affectus dicto modo inefficacis, certè scandalosè docetur illum affectum esse sinè culpa mortali, vt docet prout iacet præsens propositio damnata. Simon igitur in nostro casu, si nomine *velleitatis*, quam fatetur habuisse, vt alteri mors naturalis eueniret propter temporale emolumentum, intelligit affectum inefficacem, seu voluntatem desiderantem alicuius mortem, quam ipse non vult inferre; Peccauit mortaliter; & si contrarium affirmet, affirmat doctrinam damnatam, quia saltem implicitè tristatur de vita illius, cui cupit mortem naturalem, quam ipse cupiens nequit ei inferre, cùm [illegible] sit mors violenta, illa, quæ ab homine infertur; & hoc est adeò notum, quòd quia per generalem præsentis propositionis significationem dicitur non esse mortale, propterea vt iacet fuit damnata.

Si verò Simon tueri velit non dari peccatum lethale in suo inefficaci affectu modo explicato *supra, sub vers. & vt Simon*, cùm emolumentum temporale ex aliena morte expectet magni tamen momenti; in hoc non teneret doctri-

ctrinam damnatam, nam pro casibus notabilis emolumenti, quæstio de tali affectu inefficaci, & decisio an sit mortale peccatum relinquitur Doctorum resolutioni. Cæterùm si Simon sustineat suam velleitatem circa mortem naturalem proximi ob temporale emolumentum, qualecunquè istud sit, non esse lethalem culpam; tunc facit contra damnationem propositionis propterea damnatæ, quia generalem importat significationem, per quam comprehendit qualecunquè temporale emolumentum siuè notabile, siuè modicum; sed si sit modicum, nullatenus à mortali excusabit prædictum affectum inefficacem, nec oppositum fas est hodie docere, cùm sit damnatum, vtpote euidenter scandalosum, sicuti diximus supra, *vers. Vt autem recto*.

Quantùm ad gaudium de morte naturali alicuius, & quantùm ad tristitiam de vita proximi, iam in superioribus notaui, quòd per hanc propositionem, vt iacet docetur non esse mortale, etiam si sint actus perfecti, & absoluti, ac proinde propositio vt generaliter tradita scandalosè loquitur, vndè meritò fuit damnata, nam nec pro mille thesauris licet sinè mortali sic tristari de vita, & gaudere de morte naturali alicuius.

Prædicta plenè ostendunt Simoni, quale iudicium debeat ferre in vtroque foro de propria velleitate, seu de suo affectu inefficaci, quē habuit vt mors eueniret Stephano propter temporale emolumentum, & idem est de quocunquè similem affectum habente; hodiè enim in hac difficultate est præ oculis habenda propositio damnata, quia apud non paucos Authores inuenitur doceri sinè limitatione, quòd mortale peccatum non sit præfatus affectus inefficax. A fortiori fuit scandalosè tradita doctrina de absoluto desiderio, aut de gaudio mortis, vel de tristitia vitæ proximi nostri, prout infra videbimus, ponentes aliam propositionem damnatam. Est tamen obseruandum, quòd quamuis damnatio stet pro casu mortis naturalis, nihilominus quoad falsitatem doctrinæ est affirmandum idem pro casu mortis etiam non naturalis; & ità esse dicendum patet ex paritate rationis, mors enim quæuis est quoddam malum.

Nomine autem *emolumenti temporalis*, si Simon petat quid intelligatur, vt inde plenè sciat sensum propositionis damnatæ, dico sub tali nomine venire omnem vtilitatem temporalem Ità Cuman. *consf.162. Visa copia, num.* 1. quem refert Card. Tusch. *practicar. concl. tom.3. lit. E. concl.*230. imò & omnem commoditatem temporalem, vt liquet ex *cap. si hæredes, de testam.* & ex *cap. nemo, de simon.* & dicitur à Lap. & Cardin. *in Clement. statutum, de electione*. Boer. *decis.* 224. *num. 6.* Bertaz. *in repetit. l. si quis maior. C. de transact. num.* 640. Item sub illo nomine comprehenduntur mulctæ, & pœnæ deuitandæ: Sic Glossa *verb. & iurisdictione, in d. Clement. statutum.* vbi Cardin. *in prima oppositione*. Rota *in signatura pœnarum* 28. *Nouembris* 1608. *coram R. Attrebaten.* impressa per Farinac. *decis.* 230. *in fine, p.2. recent.* & idem est de distributionibus quotidianis beneficiorum, & præbendarum, vt clarè tradit Put. *decis.* 375. *num.* 3. *cum sequentibus*, aliàs 365. *in correctis, lib.* 2. apud Monet. *de distributionibus quotidianis, p.1. quæst.7. num.* 15. Quamuis verò in iure non dicatur *temporale*, quod per totā vitam duraturum est, sed dicatur *perpetuum*, ex *l. sufficit* 56. *ff. de condition. indeb. cap. vltim.* iuncta gloss. *verb. Perpetuus, de prescript. in 6.* sicut ità docent multi penes Tiraquell. *de retractu, tit.1. §.1. gloss.4. & tit.2. §.1. gloss.1. num.* 39. tamen nos moraliter agentes *temporale* accipimus esse quidquid spirituale non est, siuè parùm, siuè multùm illud temporale sit duraturum.

Iam parùm restat laborandum pro casu, de quo agimus in hoc Paragraho, quamuis Stephanus testator sit pater Simonis, & sic filius proprio patri mortem aliquo modo desiderauerit, & fortè etiam petierit propter temporale emolumentum; quod in pingui hæreditate consistebat adhuc non computando centum scuta, quæ supra diximus à Simone prætendi. Caueat ergo iste hæres, ne veram habeat doctrinam dicentem, quòd *licitum est absoluto desiderio cupere mortem patris, non quidem vt malum patris, sed vt bonum cupientis, quia nimirum ei obuentura est pinguis hæreditas*. Hanc propositionem notaui supra esse decimaquartā inter damnatas ab Innocentio Vndecimo, & iure meritò Pontifex iste sic notificauit illam esse scandalosam. Imò non solùm pro filio cupiente mortem patris vt præfertur, sed etiam pro quocunquè mortem alteri eodem modo cupiente ob paritatem rationis falsa, & scandalosa est dicta doctrina licèt tantùm vt loquitur de filio sit damnata. Itèm ob eandem rationem est falsum quidquid dicitur in iam allata decimatertia propositione, non solùm quatenus loquitur de tristitia, & gaudio absolutè, sed etiam quatenus loquitur de affectu inefficaci, etiam propter ingens emolumentum tempora-

porale. Hinc etsi Doctoribus fas sit disputare num si mortale cupere mortem alicui propter temporale emolumentum pingue, non autem propter exiguum, vel tenue emolumentum temporale, nec de actibus absolutis tristitiæ, gaudij, ac desiderij, cùm hæc omnia sint prohibita, & damnata; nos tamen monemus Simonem nunquam esse sinè graui culpa, si mortem alicui etiam inefficaciter pro magno emolumento temporali cupiat. Facit de hoc probationem D. Thom. 1.2 *q. 19. art. 7.* vbi ait: *Siuè voluntas sit eius, quod est secundùm se malum, & sub ratione boni: siuè sit boni sub ratione mali, semper voluntas erit mala: sed ad hoc quòd sit voluntas bona, requiritur quòd sit boni sub ratione boni; idest quòd velit bonum, & propter bonum.* Non vult autem bonum, qui vult etiam inefficaciter alteri mortem. Pro nunc vnus Sanctus Thomas sufficiat, ne nimis prolixi simus, licèt fusè possent ista probari, vt pleniùs præsentem casum Simonis decidatur, Nec fauet contrarijs dictum Christi *cap. 11.* Ioannis: *Lazarus mortuus est, & gaudeo propter vos, vt credatis, &c.* nam Christus erat Deus, & Dominus gaudendi de morte à se volita; vel dicendum est, quòd non sumpsit gaudium de morte, sed de Discipulorum Fide, quam habituri erant, dum Lazarum resuscitatum vidissent.

## I I.

### *An hæres Tutoris iustè prætendat mercedem tutelæ nondum finitæ.*

1 INnititur Simon pro sua ratione prætendendi prædicta centum scuta, quòd sit hæres Stephani, qui ius habebat ad illa accipienda in fine tutelæ ex bonis pupilli, & hæres succedit in vniuersum ius, quod defunctus habebat, & in vniuersam eius potestatem, quam similiter habebat, *l. hæredem. l. hæreditas, ff. de regulis iuris*; ideò prætendit sibi deberi ius Stephani in illa centum scuta.

3 Nam quemadmodum hæres succedit in bonis defuncti, ità & succedit in ipsius iuribus, cùm bona, & iura defuncti pro eodem reputentur. *l. bonorum, de verb. signific.* obseruat Baldus *in rubr. C. de reb. cred. num. 3.* Pinel. *rubr. C. de rebus maternis 1. p. à num. 1.* & vltrà bona materialia, habebat ipse Stephanus ius in centum scuta à proprietate pupilli, cuius erat tutor extrahenda; vndè ista videntur deberi Simoni veluti legitimo expressè instituto hæredi eiusdem Stephani nunc defuncti.

4 Et fauet Simoni, quòd si moriatur ab intestato aliquis vsufructuarius, qui habebat à testatore facultatem disponendi de quantitate quinquaginta, aut plurium scutorum proprietatis, hæc facultas deuoluitur, & transit in hæredem, seu in hæredes, qui veniunt ab intestato. Ratio est, quia eò ipso quòd defunctus non aliter disposuit, lex præsumit habuisse voluntatem relinquendi suis hæredibus, qui ab intestato de iure succedunt. *l. conficiuntur. ff. de iure codicil. in principio.* ibi: *sed ideo fideicommissa dari possunt ab intestato succedentibus, quoniam creditur paterfamilias sponte sua his relinquere legitimam hæreditatem*: ergo à fortiori si quis amplissimè nominetur vt sit hæres omnium bonorum defuncti, succedet etiam in iura ipsius, quamuis non nominata.

5 Quoquè facit pro hærede *l. 1. §. 2. quibus, vers. sciendum, ff. de legat. 3.* vbi sic: *Sciendum est autem eorum fideicommittere quem posse, ad quos aliquid peruenturum est morte eius, vel dum eis datur, vel dum eis adimitur.* Ex quibus verbis Iurisperiti æquiparant ista duo, quę docent vnum & idem esse, scilicet relinquere alicui rem suam, & illam illi non tollere, seu non adimere: ergo cùm in institutione hæredis non excipitur à testatore aliquod ipsius bonum, aut ius, omnia in toto erunt, & iudicantur hæredis, si vnum, & idem censetur dare, & non adimere, dum agitur de successore in bona defuncti, etiamsi nullum condidisset testamentum, propterea hoc idem erit firmiùs asserendum, si fecit testamentum, & hæredem nominatum habet.

6 Adhuc pro Simone vrgetur à pari cum eo, qui accepit aliqua bona per contractum emphyteuticum pro tempore vitæ suæ, sed cum facultate nominandi aliam secundam vitam; nam si iste decedat, & neminem nominauerit, intelligitur nihilominus nominasse hæredem suum, & sic iste hæres debet succedere pro ista secunda vita, & hæc est opinio communis inter Doctores, & sic tenet Alexander *conf. 232. num. 3. lib. 6.* & idem docent plures alij relati, & sequuti à Pinel. *l. 2. num. 11. Cod. de bonis mater.* Ergo & in facultate accipiendi centum aureos de bonis pupilli, quæ erat in Stephano tutore defuncto, debet intelligi successisse Simonem dicti Stephani hæredem, itaut non sit attendendum an etiam succedat in tutela, necne, sed sufficiet si defuncti bona, & iura, & facultates deueniant ad hæredem, quamuis testator non fecerit in testamento mentionem de singulis iuribus, quæ possidebat in vita.

7 In-

7 Insuper videtur rem sic se habere fauore hæredis, si Emphyteuta prædictus, non solùm vnam vitam post suam potuisset nominare, sed si duas, & nullam nominasset, & tamen ius nominandi hanc tertiam vitam deuoluitur in hæredem primi emphyteutæ, casu quo iste decedat ab intestato, sicut fusè docet, & probat Burgos de Paz *l. 1. Taur. num. 428. cum seqq.* & idem tenet Bologninus *consf. 6.* & Panorm. *consf. 80.* ergo semper conuincitur succedere hæredem in ius, quod erat in testatore.

8 Aduertere tamen oportet, quòd casu quo emphyteuta moriatur sinè nominatione vitæ secundæ, prout habebat facultatem nominandi, vt succedat in contractu emphyteusis, si multi sint hæredes, isti debent, & tenentur nominare, cùm omnes succedant in ius defuncti, & vnus esse debeat emphyteuta. Hæc per transitum dicta sint, vt tollatur error, si quis posset dari propter prædictas doctrinas, quæ ad rem præsentis casus nostræ Decisionis faciunt, non tamen hæc nuper animaduersa in hoc numero octauo.

9 Imò *l. 4. C. de contrah. & commit stipulat.* habetur, quòd si aliquis det alicui fœminæ certam dotem ad hoc vt matrimonium contrahat cum conditione vt postquam ipsa dotata decesserit, medietas dotis datæ reuertatur ad eum qui illam dedit, & de alia medietate possit ipsa disponere, hæc medietas tempore mortis fœminæ istius est reputanda, & connumeranda inter cætera bona, quæ ipsa habet; quapropter succedens in hæreditatem bonorum eiusdem fœminæ, potest hanc medietatem sibi accipere, licèt ipsa fœmina nullam de tali medietate legatur fecisse dispositionem. Videatur Baldus *ibi*: ergo & inter bona defuncti tutoris, qui poterat pro se ipso disponere de centum aureis extrahendis à proprietate pupilli, erunt connumerandi dicti centum aurei, quamuis nulla de ipsis extet facta dispositio à testatore, & sic hæres succedet in ius accipiendi dictam summam.

10 Confirmatur, nam si maritus grauet vxorem hæredem, vt hæreditatem restituat alteri post mortem eius, ità tamen, quòd de eadem hæreditate ipsa vxor possit disponere de quantitate mille aureorum, & vxor ista moriatur ab intestato, tunc hæredes, qui prædictam hæreditatem tenentur restituere, possunt ab ipsa pro seipsis detrahere mille aureos, quia sic censendum est ipsam sufficienter disposuisse, iuxta prædictam *l. conficiuntur* supra *sub num. 4.* huius Decisionis, & ità tradunt Mantica *de coniect. vltim. volunt. tit. 7. lib. 7. num. 4.* Baldus Nouellus *in repetitione, l. cum filio, ff. de legat. 1. num. 4. colum. 4. repetitionum*. Caldas de Pereira *de nominat. emphyteutica, q. 7. num. 48.* & alij: ergo etiamsi Stephanus viuens nondum detraxerit centum aureos iuxta facultatem ipsi traditam, ius istud transibit ad hæredem. Non igitur ad Iosephum tutorem secundo loco vocatum videntur spectare illa centum scuta; quæ primus Tutor poterat accipere ex proprietate pupilli, cùm testator clarè dicat in suo testamento, se dare in tutorem filio suo Stephanum, *quis Stephanus completa tutela, accipiat sibi centum scuta*. Deinde sinè alia explicatione addit in testamento; *Si autem Stephanus vtpote senex præmoriatur ante tempus terminationis tutelæ, rogo Dominum Iosephum à Saltu, vt tutoris officium pro filio meo assumat*, qua clausula nullum datur ius ipsi Iosepho, per quod illa centum scuta possint ad ipsum nec sub dubio pertinere; totum igitur ius erat in Stephano, quod ius per consequens dicendum est fuisse deuolutum in Simonem Stephani legitimum hæredem.

11 Et quia prædicta testatoris verba in fauorem Stephani dicentia: *accipiet sibi centum scuta*, designant liberam testatoris voluntatem, sunt verba taliter restringenda, ne tertio damnum inferatur, videlicet hæredi eiusdem Stephani; & sic debere restringi verba, quæ designant liberam voluntatem, ne tertio inferatur damnum, docet Peralta *l. 1. ff. de legat. 2. num. 34.* cum Antonio *de consil.* ergo non debent in damnum hæredis ipsius Stephani extendi, & ampliari verba liberæ voluntatis testatoris, per quæ verba Stephanus potest centum capere, itaut ad Ioseph verba illa velint extendi, cùm testator potuisset de facili se declarare, dum vocauit ipsum ad prosequendam tutelam in casu mortis primi tutoris.

12 Hoc confirmat Peralta *loco citato*, *num. 40.* vbi dicit cum Baldo, Cyno, Mattheo de Afflictis, & Decio, quòd vbi tractatur de damno vitando, omne verbum, etiam quod sui natura inducit liberam voluntatem, reduci debet ad arbitrium boni viri: ergo cùm bonus vir non debeat aliquem damnificare, debet in casu nostro ad tollendum damnum hæredis defuncti Stephani arbitrari, & iudicare, quòd verba illa testatoris liberam voluntatem inducentia, per quæ dat centum scuta Stephano, sint in fauorem hæredis Stephani, sicuti erant in fauorem Stephani viuentis.

13 Hinc planè libenter ad arbitrium boni viri redu-

reducam verba illa prædicta testatoris, sed non omninò contra Simonem hæredem Stephani, neque totaliter pro Iosepho vir bonus sententiam iuxta eadem verba pronunciare debebit. Igitur Ius ipsum, (quod sit bonus iste vir, qui rem præsentem adiudicet) concedit omnia prædicta quoad antecedêtes propositiones, seu quoad doctrinas, & paritates; sed omnes illatas consequentias in fauorem absolutum Simonis, negat idem Ius. Veri sunt igitur casus adducti in antecedentibus numeris, sed verum non est, posse Simonem prætensa centum scuta sibi accipere; at nec Iosepho tutori secundo illa debentur. Ratio euidens, & conuincens est, nam ius accipiendi centum scuta datum Stephano à testatore est vnitum cum tempore complementi tutelæ; ergo donec tempus illud aduenerit, numquam poterit Stephanus illa centum accipere; ergo nec hoc idem poterit hæres Stephani defuncti ante tempus, quo ius ipsi demandatum vigere incipiet; & tempus à testatore præfixum obseruari debet; vnde grauiter inter Iuristas, & Doctores difficultatur, an tempus à lege, vel à testatore assigna-
14 tum currat ignoranti, vel legitimè impedito ad agendum, quæ quæstio fit, quia tempus in testamento assignatum seruari debet, quidquid postea sit de veritate opinionum, cùm vna affirmet currere, si tempus assignatum, & constitutum, sit in re fauorabili pro eo, cui assignatur, iuxta glossam *cap. statutum, de præben. in 6.* Tiraquell. *lib. 1. de retractu*, §. 35. *gloss.* 4. *num.* 25. & sic tenet Speculator *tit. de instru. Aedil.* §. *nunc verò aliqua, num.* 39. Baldus *l. captatorias, num.* 12. & 13. *Cod. de testam. mil.* Cardinal. *cap.* 3. *de testam.* Gomez, Syluester, Rosella, cum alijs. Alij tamen contrariæ opinionis dicunt non currere, & ità habetur ex *cap. quia diuersitatem, de concess. præb. l.* 1. *Cod. de annal. except.* Authent. *nisi trecennale, C. de bonis mater.* & tamquam opinio probabilior prima, docetur ab Ancharano *cap.* 3. *de testam. num.* 5. Panor. *cap. cùm omnes, de testam.* Feder. *cons.* 129. Couarruuia, Matienzo, Tabiena, Armilla, Padilla, Hostiensi, Imola, Greg. Lopez. Bartolo, Baldo, Bruno, & Oldend. cum Azebedo, & alijs; sed ex incidenti curiositate has attulimus opiniones, quæ pro casu nostro probant, deberi tempus seruari prout à testatore disponitur, proinde si testator dicat posse accipi à Stephano centum scuta, elapso tutelæ tempore, sequitur non posse accipi antequam dictum tempus sit completum, & sic si Stephanus moriatur priusquam tempus illud adueniat, non habet ius ad dicta centum scuta quando decessit, vnde Stephani hæres non habet fundamentum alicuius iuris acquisiti super illa centum.

15 Item probatur contra Simonem, nam ius acipiendi dicta centum scuta, est ius merè personale, atque ipsi soli personæ Stephani attinens, itaut non possit ad aliam personam transire, quia exigit industriam, seu opus eiusdem personæ Stephani, videlicet tutelarem curam pupilli, quod opus non potest à Simone pro Stephano præstari, cùm Ioseph ad tutelam sit vocatus: ergo deficiente industria requisita personæ, deficit & ius tali industriæ vnitum, & sic non transit ad hæredem ius, ad quem nec transit opera, seu industria testatoris, *l. inter artifices, ff. de solut.* & ità tradit Marcus Antonius Natta referens Curtium iuniorem *cons.* 216. *num.* 10. non potest igitur Simon hæres Stephani prætendere se successorem in dictum ius.

16 Et per dicta in hoc numero antecedenti, patet responsio ad omnia adducta, si fortasse videbantur fauorabilia Simoni; etenim vera sunt illa, quia non exigunt industriam personæ taliter, quin possit commodè ab alia persona fieri eadem dispositio, quæ fieri debebat ab vxore, vt dicebatur supra *num.* 9. & 10. vel ab Emphyteuta, sicut notabatur supra *num.* 6. & cùm Simon nullatenus possit præstare tutelam, quam præstare debebat Stephanus, non enim Simon vocatur ad tutelam, inde fit, vt ius vnitum tutelæ non transeat in eum hæredem, qui exclu-
17 ditur à tutela præstanda. Quoquè verificantur casus præcitati, quia in eis nulla fit mentio præfixionis temporis, quæ præfixio si apposita esset, sequeretur quòd v.g. hæres illiùs vxoris, quæ defuncti mariti tenetur hæreditatem restituere retentis mille pro se ipsa, non posset recipere dicta mille, de quibus vxor non disposuit viuens, si à suo marito fuisset ei tempus assignatum, vt dum viuit, possit de illis mille disponere; sed quia testator non præfixit tempus vxori, & istius hæres potest commodè facere dispositionem, quam non fecit illa vxor defuncti, ideò ius vxoris transit ad hæredem etiam circa illa mille. Idem dicendum erit pro similibus casibus, inter quos non comprehenditur casus Simonis, de quo agimus, quia tutelam non exercet, quam exercere debebat testator Stephanus, cui tempus assignatum pro iure acquirendo in centum aureos ob præstitam tutelam, non fuit completum.

18 Sed vt litem, seu quæstionem præsentem decidamus absque iniuria alicuius ex partibus præno-

prænotandum est, quòd quilibet tutor potest iure merito iustum pretium suæ administrationis exigere; & ideò tenetur rationem reddere de rebus pupilli administratis, itaut teneatur non solùm de lata culpa, sed etiam regulariter de leui culpa iuridica, & Theologica, sicut determinat *lex Cæsarea, Cod. arbitrium tutelæ, l. 7. Quidquid tutoris*. Syluester *verb. restitutio 3. p. 8. dict. 3.* Videtur enim iuxta regulas iustitiæ esse, quòd qui pretium accipit pro administratione, teneatur etiam de illa rationem dare, non enim deesset alter, qui iusta recepta mercede gereret diligenter huiusmodi admini-
19 strationem. Posset tamen dari, quòd aliquis sinè mercede tutoris officium faceret, sed iste non teneretur nisi de dolo, & lata culpa, *l. 2. C, si tutor, vel curator non gesserit*; & propterea dixi *regulariter* teneri tutorem de leui.

20 Et quòd tutor possit pretium pro officio velle, probatur, quia diligens tutoris administratio, est dignissima pretio, quasi quoddam seruitutis officiùm sit. Hinc communiter à testatore solet tutori assignari stipendium dandum, quamuìs per locorum statuta sit decretum quodnam prẹmium sit dandum tutori fideli, & sic in aliquibus locis datur ei vigesima pars bonorum, & lucrorum pupilli; in alijs verò locis est tantùm decima, exceptis tamen ijs, quæ pupillus ex se, & per sui corporis seruitium est lucratus. Et si tutor velit potiùs pretium ei assignatum à lege, quam à testatore, si sit tutor testamentarius, potest relinquere istud, & accipere illud. Videatur Rebellus *de obligationibus iustitiæ, part. 2. lib. 17. quæst. vnica, de offic. tutor. & curat.*

21 Dixi, si sit tutor testamentarius, nam tutor tripliciter dicitur. Primò, quando per testamentum à patre, seu ab auuo paterno designatur quis tutor; & hic dicitur tutor testamentarius. Secundò, quando in defectum tutoris testamentarij succedit alius, qui per leges designatus est, & compellitur, & hic est propinquior ipsi pupillo, qui tutor nominatur legitimus. Tertiò, quando à Iudice datur aliquis ad tutelam, hic est tutor datiuus. Igitur testator solet mercedem assignare tutori testamentario, & de alijs, qui fortasè succedant in tutelam, ipse non est loquutus, nihilominus tamen debetur prẹmium etiam tutori legitimo, necnon & datiuo. Rebellus *loco citato, num. 2.* vbi citat leges.

22 Cùm igitur in casu nostro fuerint à testatore assignata centum scuta testamentario tutori, scilicet Stephano, qui ea accipere debebat finita tutela, si præmoriatur ante tutelæ terminationem, debetur ei prẹmium ad proportionem temporis, quo tutelam administrauit, & Iosepho tutori secundò debebitur item reliquum prẹmij pro tutela, quam & ipse administrauerit. Sunt ergo centum scuta assignata à testatore, vt ea Stephanus sibi accipiat finita tutela; hoc non est legatum factum Stephano, sed apertè constat esse prẹmium tutelæ. Demus nunc quòd tutela incipiat anno nono ætatis pupilli, & Stephanus moriatur post duos annos tutelæ; tunc pro rata debentur ei quadraginta scuta; nam cùm ab anno nono pupilli vsque ad decimumquartum ætatis suæ in quo terminat tutela, debuisset Stephanus seruire vt tutor quinque annis, post quos merebatur centum aureos; at si solùm seruiuit duobus annis, sequitur quòd ei debeantur quadraginta aurei, cùm centum in quinque partes diuisum det viginti vnicuique parti, seu vnicuique anno ex quinque; ergo duabus partibus, seu duobus annis, centum dat quadraginta; & ista Simon hæres Stephani potest prætendere, si v.g. Stephanus tutelam gessit duobus annis, nam si minùs seruiuit, & minùs debebitur; plus verò si plus fuit tutor; Iosepho postea debetùr quod superest. En quale, & quantum sit ius, quod à Stephano tutore defuncto transiuit in Simonem ipsius hæredem.

23 Noto tamen, quòd nec prẹmium debetur tutori, qui fidelis non fuit in sua administratione, imò potiùs debetur mulcta, siuè pœna, iuxta qualitatem suæ infidelitatis; vndè aliquando à Iudice remouetur tutor testamentarius, cui subrogatur tutor datiuus.

24 Et quia ipse pater potest esse tutor filij, si illum emancipauit, sicut potest esse tutrix etiam mater; & ità de matre est communis opinio; & de patre etiam, vt habetur *l. 5. infanti, Cod. de iure delib.* & Bartolus *ibi*, tenentur postea vterque reddere rationem de administratione, non minùs ac alij tutores, & propterea possunt & ipsi præmium exigere fidelitatis eorum in tutela gerenda. Ratio de hoc respectu patris est, quia pater prout est legitimus administrator, habet totum commodum, & vsumfructum, & sola proprietas est filij, & ideò non tenetur rationem reddere, nequè cautionem dare, nec eius bona tacitè obligantur pro administratione; at totum è contra succedit, vbi pater est solummodò tutor, & sic cum multis docet Pinel. *l. 1. p. 2. num. 27. Cod. de bonis mater.* ergo & pater, & mater, si tutoris gerant officium, non sunt minoris conditionis ac cæ-

teri tutores, propterea quemadmodum tenentur ad damna ex eorum culpa ipsi pupillo illata, sic & possunt premium exigere, si rectè, & fideliter ipsius tutelam gesserint.

25 Sed cùm mater perdat tutelam si transit ad secundas nuptias, & hoc in pœnam fauore filiorum prioris matrimonij, vt constat ex *l. finali*, & Authent. *Sacramentum, C. quando mulier tutelæ officio*; & authent. *vt sinè prohibitione matres, §. vnico, collect. 7.* nihilominus ei non tollitur ius vt prœmium aliquod exigat pro rata temporis, quo durauit in tutelari cura filij, vel filiorum, vt supra dixi *num. 22.* Ratio quare perdat tutelam ista mater secundò nubens, est propter suspicionem, quam dat infidelitatis in gerenda rerum administratione, supposito quod iam est in alio matrimonio, & cum filijs saltem in spe, quos plus amet, quàm illos an-
26 tecedentis matrimonij. Propter hanc rationem dicunt aliqui, quòd mater perdat tutelam per sola sponsalia de futuro, cùm sic incipiat esse suspecta; tamen verior est sententia contraria, nam talis amissio tutelæ est pœna, & pœna non est extendenda ad casum non nominatum in lege: & lex dicit: *contractis secundis nuptijs*: ità loquitur Authent. *Sacramentum, cap. quando mulier tutelæ officio*; quare hanc partem sequuntur Speculator, Salycetus, Gutierez, Greg. Lopez, Menochius, & alij. Si ergo vidua faciat sponsalia de futuro, adhuc retinet tutelam, & si post dicta sponsalia transeat v. g. annus ante matrimonium, poterit licitè accipere premium tutelæ illius anni, & hoc iuxta veriorem sententiam.

27 Quando autem mater est in matrimonio nondum consumato, tenendum est eam amisis-
28 se tutelam. Et totum verificatur etiamsi sit tutrix testamentaria; non tamen perdit tute-
29 lam si matrimonium est irritum; sicut nec perdit si maritus ei concessit transitum ad se-
30 cundas nuptias, retenta tutela; in quibus casibus mater sciet quomodo poterit se gerere circa prætensionem tutelæ prosequendæ, aut prœmij pro tutela obtinendi. De his, & similibus videantur Doctores, nimiùm enim esset
31 hìc omnia afferre. Pater autem, qui est tutor filij emancipati, si secundò nubat, non perdit tutelam, cùm lex loquatur de matre, non de patre, cuius amor erga filios, firmior, ac stabilior est amore matrum, quæ faciles ad mutationem voluntatis, ratione debilitatis intellectus, suspicionem ingerunt de eorum amore in filios, si secundò nubant; non autem sic dicendum est de patre. Ità Doctores fusè tradunt; at prædicta pro casu nostro breuiter indicata sufficiant.

# DECISIO LXVI.

*An Ecclesia sit violata, si volens occidere Ioannem Clericum; & Andream sæcularem, occidat in ea Ioannem putans esse Andream: & an occisor sit excommunicatus.*

## Casus, seu Historia LXVI.

### SVMMARIVM.

1 *Casus proponitur.*
2. 3 *Quale homicidium violet Ecclesiam.*
4 *vsque ad* 10 *Sacra facere in Ecclesia violata est per se peccatum; & quid Episcopus possit in casu violationis.*
11 *Quid fiet si violetur in actu Missæ.*
12 *A quo reconcilietur.*
13 *vsque ad* 16 *De communicatione cum excommunicato.*
17 *vsque ad* 24 *De ignorantia excusante.*
25 *vsque ad* 29 *Quæ percussio violet Ecclesiam; & quid in casu nostro.*

1 DVm vindemiarum tempore habitaret in Villa N. quidam nobilis, qui cum quodam Andrea, & Ioanne Diacono dicti Andreæ fratre acriter rixatus est; ideò vt istos occideret opportunitatem quærebat nobilis ille; vndè factum est, quòd vna die verrente Ecclesiam dicto Ioanne, qui vestem Clericalem deposuerat, quod verrendi officium ad Andream spectabat, aduenit præfatus nobilis, & putans illum verrentem esse Andream, direxit in eum tormenti bellici ictum, & glande plumbea occidit. Hoc totum euenit summo mane diei Sancti Laurentij in Ecclesia Parochiali prædictæ Villæ, cuius Parochus ne populi Missam perderent eo die festo, voluit in dicta Ecclesia celebrare, sicuti fecit adstante eodem occisore, qui quia à Parocho admitti nolebat vtpote excommunicatus pro Clerici occisione, minatus est mortem eidem Parocho, nisi celebraret, & propter hunc metum celebrauit coram ipso.

Quibus peractis, retulit omnia Episcopo ipse Parochus, & dubitatum fuit, Primò, an potuerit in Ecclesia illa celebrare: Secundò, an coram Clerici occisore, non obstante comminatione mortis: Tertiò, an verè Ecclesia esset

esset polluta, & occisor excommunicatus?

2 Pro responsione ad proposita dubia, supponendum est pro certo, & indubitato, quòd si in Ecclesia fiat homicidium voluntarium, & iniuriosum, seu peccaminosum, remanet polluta, & violata, sicq; patet ex *cap. proposuisti, de consecrat. Eccles.* & *cap. si motum ead. dist. 1. de*
3 *consecrat.* Ex quo sequitur non pollui, nec violari Ecclesiam, si in ea sequatur homicidium casuale, in quo non intercedit peccatum, vt esset si de alto fornicis Ecclesiæ aliquis proijceret lapidem prægrandem, seu rem aliquam magni ponderis, sub qua opprimitur, & occiditur homo, qui à proijciente nunquam fuisset creditus esse in Ecclesia, quia v. g. est tempus noctis, sed ille occisus erat pauper ibi secretè celatus, cùm aliud non haberet hospitium ad pernoctandum. Idem esset, si homicidium fieret in Ecclesia, sed in propriam defensionem, & cum moderamine inculpatæ tutelæ, licèt magna sanguinis effusio sequatur, nam hæc effusio est ex vulnere, quod non fuit peccaminosum, nec iniuriosum. Ità Graphis *lib. 2. decis. aur. cap.* 48. *num.* 22. Nauarrus *in manual. cap.* 27. *num.* 256. Syluester *verbo consecratio* 2. *num.* 5. & alij communiter. An verò homicidium factum sicut in proposito casu, sit tale, vt per illud Ecclesia fuerit violata, examinabimus infra.

4 Pro nunc demus Ecclesiam illam Parochialem fuisse violatam; at quia violatio accidit in die festo antequam missa, quæ ibi vnica erat, celebraretur, & ratione distantiæ non poterat consuli Episcopus, videamus an Parochus licitè potuerit celebrare. Quidem dicendum est, quòd per se loquendo sit peccatum mortale Missam dicere, seu diuina facere, aut mortuos sepelire in Ecclesia publicè violata, nisi priùs purificetur; & circa hanc veritatem concordant communiter Doctores, & sic docet D. Thomas iuxta commentum Soarij *in 3. p. disput.* 81. *sect.* 4. §. *his positis*. Henriquez *lib. 9. de Missa, cap.* 27. *num.* 7. Paludanus *in 4. dist.* 13. *q.* 2. *art.* 3. *& dist.* 18 *q.* 8. Nauar. *cap.* 25. *num.* 83. & alij. Parochus ergo in casu nostro, si Ecclesia erat polluta, licitè non potuit celebrare, si loquamur per se, & absolutè, nulla considerata concurrente circumstantia.

5 Et quamuis vera sint prædicta in isto numero antecedenti, sunt postea limitanda pro casu magnæ necessitatis. Data igitur magna necessitate, posset Episcopus dare licentiam, vt Missa celebretur extra Ecclesiam, & extra Oratorium, & extra domum priuatam, sub dio in quolibet honesto, & decenti loco. Hæc opinio communis iudicatur, & eam sequuntur Azorius *instit. moral. tom.* 1. *lib.* 10. *cap.* 26. *quæst.* 6. Sotus *in 4. dist.* 13. *q.* 2. *art.* 3. Lodouicus Lopez 2 *p. instr. tit. de Euchar. cap.* 79. Rodriquez *tom. quæst. q.* 43. *art.* 6. *& in summa* 1. *p. cap.* 249. *num.* 14. Syluester *verbo Missa* 1. §. 5. *vers.* 2. cum alijs. Ità fit inter bellantium fidelium castra, vt antequam ad pugnam exeant, præuenta iam, & obtenta facultate ab Episcopo, celebretur eis Missa, & Eucharistia ministretur in tento-
6 rijs, aut sub dio: Imò dato casu non præuentionis pro tali necessitate, si hæc occurrat potest adhuc taliter celebrari ex licentia interpretatiua dispensationis concessæ à Papa, qui censetur ipso iure interpretatiuè dispensare, vt tradit Sandoual. *de officijs Ecclesiasticis, p.* 4.
7 *cap.* 12. Sotus, Azorius, Syluester *vbi supra*. Armilla *verb. Missa*, §. 4. Et talis interpretatiua dispensatio potest etiam vti in casibus, in quibus fiant solemnes, & publicæ supplicationes; seu si Missa noua dicatur, & tanta sit populi multitudo, vt eam non contineat Ecclesia; poterit enim tunc erigi Altare portatile ante fores, & ibi celebrari, si non pateat facilis recursus ad Episcopum, vel ad eius Vicarium Generalem, pro facultate obtinenda sic faciendi: ità Doctores citati.

8 Ità vrgente necessitate potest Episcopus concedere, vt Missa celebretur in Ecclesia violata priusquam purificetur, ac reconcilietur, sicut docet D. Thomas *in 3. p. q.* 83. *art.* 3. *ad* 2. Sotus *in 4 dist.* 13. *q.* 2. *art.* 3. *&* 4. Henriquez *lib.* 9. *de Missa, cap.* 27. *num.* 7. & alij. Hoc probatur ex prædictis, nam si Episcopus potest dare licentiam consecrandi in quolibet loco honesto, & decenti, quamuis non consecrato, poterit etiam ad id cōcedere licentiam pro Ecclesia violata, & nondum reconciliata. Et confirmatur, quia Missa potest celebrari, vbi permissum fuerit ab Episcopo, vt traditur *cap. Missarum, de consecr. dist.* 1. sicùt & potest Missa celebrari, vbi Episcopus iusserit, iuxta *cap. hic ergo, de consecr. dist.* 1. Cùm igitur tam amplè loquantur dicti textus, vtique comprehendunt etiam Ecclesiam pollutam.

9 Quinimò potest necessitas esse talis, vt non dato facili recursu ad Episcopum, vel ad eius Generalem Vicarium, possit sinè alia petita licentia licitè celebrari in Ecclesia non purificata post eius violationem; & hoc suadetur cum Doctoribus à nobis allatis supra *sub numeris 6. & 7.* Si ergo non obstante prætensa Ecclesiæ violatione, ratione homicidij, prout in

 casu,

casu, Parochus iudicauit adesse talem necessitatem, vt Missa esset in illa celebranda, potuit licitè celebrare etiam non petita licentia à Superiore, ad quem ob distantiam non poterat recursum facere. Et necessitatem sufficientem adesse poterat iudicare, attento die festo Sancti Laurentii, eiusdem Ecclesiæ tutelaris, ad quam concurrebat magna copia populorum è locis, ac Villis alijs dissitis, & nisi Missa celebrata fuisset, eam omnes in die festo de præcepto perdidissent. Quòd hæc sit necessitas sufficiens, probatur; nam sicut licet extra fores Ecclesiæ celebrare in Altari portatili ratione multitudinis conuentæ ad nouam Missam, seu ad publicam supplicationem, vt diximus *eodem numero* 7. sic videtur consequenter dicendum etiam de concursu ad festiuitatem, vt liceat Missam dicere in loco non sacro, scilicet

10 in Ecclesia indigente, vt reconcilietur. Cauendum est tamen scandalum scientium Ecclesiam esse pollutam, & ideò non posse in ea celebrari; at hoc faciliter cauetur, si Parochus publicet id licere, nam Parocho rustici statim dant fidem.

11 Cæterùm si non detur iusta necessitas, numquam licet celebrare in Ecclesia violata; & hoc adeò verum est, vt si dum Sacerdos actu celebrat polluitur Ecclesia, & ipse nondum inceperit canonem, tenetur Missam interrumpere, seque vestibus expoliare, nec potest licitè prosequi, donec Ecclesia purificetur. Si verò iam canonem inchoauit, potest, & tenetur Missam perficere, quia iam intelligitur incepisse substantialia sacrificij, quod interrumpere non debet propter superueniens Ecclesiasticum impedimentum: ità docet Graphis *lib. 2. decis. aur. cap.* 47. *num.* 10. Sotus *in* 4. *dist.* 13 *q.* 2. *art.* 3. *&* 4.

12 Sed quia ordinariè loquendo Ecclesiæ Villarum non sunt consecratæ, sed solùm benedictæ, ideò attendere poterat ille Parochus, an sua Ecclesia esset consecrata, vel solummodò benedicta. Si sit consecrata, declaratur à Crucibus in parietibus depictis; & quando est consecrata, si violetur debet, & potest reconciliari à solo Episcopo. Si autem sit tantùm benedicta, in tali casu potest ipsemet Parochus, seu quilibet Sacerdos illam purificare cum aspersione aquæ benedictæ, adhibitis etiam alijs ceremonijs, quæ in cærimoniali Ecclesiastico ad hunc effectum præscribuntur. Ratio est, quia sicut de licentia Episcopi potest simplex Sacerdos Ecclesiam benedicere; ità & potest eam reconciliare. At vbi agitur de reconciliatione Ecclesiæ consecratæ, nullus Sacerdos potest id facere, nisi cum expressa facultate Summi Pontificis. Videatur Azorius *tom.* 1. *instit. moral. lib.* 10. *cap.* 26. *quæst.* 14. *&* 15. & est doctrina communis. Hæc sufficiant circa primum dubium propositum in casu nostro, nempe an Parochus potuerit licitè celebrare in illa Ecclesia, in qua factum fuit homicidium.

13 Circa secundum dubium; an potuerit celebrare coram homicida Clerici, supposito quòd etiam Parocho comminabatur mortem, nisi coram ipso celebrabat; respondeo affirmatiuè, quamuis esset excommunicatus ipse homicida, nam prætendebat non esse excommunicatus; sed an iuxta veritatem id prætenderet, dicemus statim. Quòd liceat Sacerdoti Missam dicere coram excommunicato ratione periculi mortis, suadetur quia lex Ecclesiastica non prohibet communicationem cum excommunicato etiam in Diuinis, nam cùm Ecclesia sit pia mater, piè credendum est, nolle quempiam obligare cum periculo suæ vitæ, ne communicet cum excommunicato. Ità tenet Martinus Ledesma 2. 4. *q.* 25. *art.* 3. Sotus 4. *dist.* 22. *q.* 1. *art.* 4. *post concl. quintam.* Couarruuias, Viualdus, quos citat, & sequitur Say-

14 rus *de censuris, lib.* 2. *cap.* 14. *num.* 41. vbi limitat, dummodò communicatio non contingat in crimine, seu ne fiat in detrimentum fidei, aut in contemptum ecclesiasticæ censuræ; cum in talibus casibus licita non esset communicatio cum excommunicato, quamuis mortem comminetur; mors enim esset potiùs tolleranda, quàm aut fidem Catholicam lædere; aut Ecclesiam Catholicam contemnere; hæc namque sunt peccata grauia, & ea non sunt facienda, etiam vbi mors sequutura sit.

15 Sciat ergo Parochus, de quo agimus, se benè fecisse Missam celebrando coram illo homicida, etiamsi esset excommunicatus, sed ipsi mortem dare dixerat, nisi coram ipso celebraret; nam ille homicida prætendebat solùm audire Missam, & sibi iniuriam fieri putabat per exclusionem ab Ecclesia. Imò si aliquis verè Tyrannus cogeret Sacerdotem, vt coram ipso Missam celebret, & hoc vult non in contemptum Religionis, nec in vilipendium fidei Catholicæ, & absquè labe alicuius hæresis, nequè cum suspicione, sed tantùm quia vult Missam audire, putans se non honorari dum reijcitur, potest ille Sacerdos celebrare, & nec peccaret, nec excommunicationem minorem incurreret. Sic Doctores supradicti cum Syluestro *verb. excommunicatio* 5. *dub.* 14. Maior. 4. *dist.*

4. *dist.* 18. *quaest.* 4. & alijs.

16 Et tamquam doctrina generalis dicendum est, numquam Ecclesiam obligare cum tanto periculo, quale est periculum mortis. Sic Missa in die festo esset omittenda, si mors immineret ex ipsius auditione: Vndè quando dicitur esse peccatum mortale participare in Diuinis cum excommunicato, non obstante mortis periculo, debet intelligi, quando communicatio illa esset in detrimentum Catholicæ fidei; aut in contemptum Censuræ, siue Ecclesiæ; aut etiam quando participatio fit in crimine; sicut communiter dicunt Doctores; aut si hæresis interueniret, vel aliud peccatum; tunc enim esset potiùs moriendum, quàm peccandum, vt per se liquet. Ergo benè fecit Parochus celebrans coram Clerici homicida, de quo est præsens Decisio, licèt de facto esset homicida excommunicatus, sed mortis comminator ipsi Parocho, si Missam dicere ipso assistente renuisset. Sayrus *vbi supra, num.* 43.

17 An tandem sit verè excommunicatus ille homicida Ioannis Clerici; & an Ecclesia fuerit polluta, quæ duo dubia proponebantur in casu, examinabimus in sequentibus. In Decisione 61. *à num.* 22. *& seqq.* diximus ignorantiam excusare ab incurrendis pœnis, & quænam esse debeat ista ignorantia, & sic iuxta dicta, videtur non incidisse in excommunicationem homicidam Ioannis Clerici, eò ipso quòd putabat ignoranter eum esse Andream sæcularem. Et quidem non esse excommunicatum homicidam, de quo agimus, affirmo. Ratio est, quia sicut ignorantia eius, à quo solo pendet tota malitia operis, excusat à peccato; ità & ignorantia circumstantiæ, aut qualitatis, ratione cuius est lata pœna, excusabit ab ipsa, vt colligitur ex D. Thoma 1. 2. *quaest.* 7. *art.* 3. & à Caietano *ibidem*; & ità tradunt Martinus Ledesma 2. 4. *quaest.* 24. *art.* 6. *concl.* 2. Bartholomæus Medina 1. 2. *quaest.* 79. *art.* 3. Couarruuias *in cap. Alma mater.* 1. *parte*, §. 10. *num.* 13. *vers. tertium, de sentent. excommunicat. lib.* 6. & alij. Sed in casu nostro, ille nobilis inuincibiliter ignorauit esse Clericum eum, quem occidit; ergo excommunicationem non contraxisse tenendum est; & sic expressè habetur *argum. cap. si verò, & ibi glo. de sentent. excommunicat.* Henriquez *lib.* 13. *cap.* 23. §. 1. Medina, Couarruuias, & alij.

18 Et propter prædictam doctrinam, non incidit in excommunicationem, quæ extat *Clement. vnica, de consang. & affinit.* contra nubentes cum consanguinea, aut cum affine, aut cum Moniali, si cum ignorantia inuincibili nesciens esse consanguineam, affinem, aut Monialem, vnam ex istis aliquis ducat in vxorem; & sic omnes docent: ergo neque incidet in excommunicationem ille, qui taliter ignorat esse Clericum hominem illum, quem hic, & nunc intendit occidere, & de facto occidit.

19 Incidit tamen in excommunicationem ille, qui volens occidere Petrum Clericum, occidit Franciscum Clericum, quem putabat esse Petrum; nam quamuis errauerit homicida in obiecto personæ, non tamen errauit in qualitate. Similiter homicida prout in nostro casu, si putasset occidere Andream, qui esset Clericus, & per errorem occidit Ioannem Clericum, iam profectò esset homicida excommunicatus, vtpote temerarius, & iniuriosus percussor Clerici, contra quem percussorem est lata excommunicatio; nec ignorantia ipsum liberat, quia de facto homicidium Clerici est voluntarium respectu ipsius, licèt vnum pro alio occiderit. At cum Andreas, quem intendebat occidere homicida casus nostri, esset sæcularis, non sequitur excommunicatio illi, qui Clericum non intendebat interficere.

20 Dices: homicida casus nostri habebat in animo occisionem faciendam etiam Clerici, volebat enim occidere non solùm Andream, sed etiam Ioannem Clericum fratrem Andreæ; ergo dum actu occidit Clericum, quem occidere proposuerat, incidit in excommunicationem, quamuis per errorem hic, & nunc eum occiderit, quia putabat occidere sæcularem. Respondeo negando incidisse in excommunicationem, licèt propositum haberet occidendi etiam Clericum, quem executiuè occidit. Ratio est, quia Ecclesia non præscribit excommunicationem volentibus percutere Clericum, sed illis, qui Clericum de facto percutiunt, & sciunt esse talem: imò si putans interficere, aut percutere Clericum, percuteret, vel interficeret laicum; iste percussor non esset excommunicatus, cùm semper verum sit, eum non percussisse Clericum, quidquid sit quòd in animo suo intenderet Clericum percutere, non tamen hìc, & nunc percutit, aut

21 occidit Clericum, sed Laicum. Nec afficitur excommunicatione percutiens Clericum, quem credit esse Laicum, nisi in eum habuit animum percussor, vt nihilominus percuteret, si sciret esse Clericum; nam in hoc casu ignorantia percussoris non est causa actus inuoluntarij, & proindè non liberat à pœna canonis. Dicta colliguntur, & habentur *Glos. cap. si verò,*

*rò, in verba ignorauerit*; & ibi Panormit. *num.* 7. *de sentent. excommunicat.* qui citat Feder. *consil.* 13. Couarru. *in cap. alma mater.* 1. *part.* §. 10. *num.* 15. *de sentent. excommunicat. lib.* 6. Non enim sufficit ad excommunicationem malus affectus, ac voluntas peruersa, sed insuper exigitur, & requiritur actus externus. Igitur homicida in casu nostro, dum voluit Laicum occidere, si occidit per errorem Clericum, non incidit in excommunicationem, licèt & illum proposuerit aliquando interficere, sed istum hìc, & nunc interficere non cogitat, propterea occisionem, quam facit homicida est cum ignorantia sufficienti ad excusandum à contractione excommunicationis.

22 Probari potest prædicta doctrina in fauorem homicidæ cum paritate ista: Si quis decreuerit hac nocte cubare, & cognoscere vxorem suam, necnon & vxoris sororem, contra quem incestum esset lata excommunicatio; si iste cognosceret priùs sororem vxoris, putans esse vxorem, certè in hoc actu nec peccaret, & per consequens nec excommunicationem contraheret, quamuis animum haberet peccandi cum dicta sorore vxoris, cum qua tamen hìc, & nunc ex ignorantia inuincibili non peccat; ergo similiter dicendum est de occidente Clericum, qui putatur Laicus, quamuis & Clericum occidere proposuerit homicida iste. Quòd non peccet cognoscens non suam, quam suam putat ex ignorantia inuincibili, est communis opinio Doctorum.

23 Nec suffragatur, si contra dicatur, quòd cognoscens non suam, quam suam credit, dat operam rei licitæ, & ideò ignorantia excusat à culpa, & à pœna; at occidens alium dat operam rei illicitæ, vndè ignorantia non illum excusabit à pœna, sicuti non excusatur à culpa, quia reuera committit homicidium voluntarium. Respondetur enim, quòd quandocunque adest ignorantia iusta, & inuincibilis, ista excusat ab excommunicatione, etiamsi quis det operam rei illicitæ, cùm eadem ratio sit, quòd cum ignorantia detur opera rei licitæ, aut illicitæ; ignorantia enim inuincibilis excusat semper ab eo inuoluntario, quod oritur ab ipsa ignorantia, quia hic est effectus proprius talis ignorantiæ, qui effectus æqualiter procedit respectu illius, qui dat operam rei licitæ, ac illius, qui dat operam rei illicitæ. Ità expressè Sayrus *de censuris, lib.* 1. *cap.* 18. *num.* 20. vbi multos citat. Igitur non refert, quòd homicida in casu nostro daret operam rei illicitæ, nempe homicidio; nam supposita in eo ignorantia inuincibili esse Clericum illum, quem de facto occidens putabat Laicum; ista ignorantia eum excusat à censura, licèt mortaliter peccauerit homicidium perpetrando; effectus namquè ignorantiæ, quam habebat, est illum ab excommunicatione excusare, & iste effectus semper datur, & subsistit respectu obiecti ignorati, quamuis ignorans vnum, faciat, velit aliud siuè licitum, siuè illicitum.

24 Ex dictis apparet potuisse Parochum, de quo agimus, admittere ad communicationem in Diuinis illum homicidam, qui protestabatur, & iureiurando affirmat, se credidisse occidere Laicum, & propterea non esse excommunicatum. Sed an stante vero homicidio in Ecclesia facto, Ecclesia sit violata, est vltimum dubium, quod ex propositis in isto casu, decidendum est. Sed priusquam dem negans, aut affirmans responsum, noto quòd sicut dixi supra *sub num.* 2. Ecclesia polluitur per homicidium voluntarium, iniuriosum, & peccaminosum, videtur fuisse huiusmodi homicidium in nostro casu, fuit namque plenissimè volitum, fuit iniuriosum, & ille, qui illud commisit, peccauit peccato homicidij, cùm hominem deliberatè voluerit occidere, & ipsum occidendo iniuriam intulit ei; ergo videtur nihil deficere, quin Ecclesia per tale homicidium in ipsa factum, sit violata, & indigeat reconciliari.

25 Nec quia sanguis non exiuit à vulnere, ideò Ecclesia non est polluta, nam certum est ipsam violari per ipsum vulnus, aut per solam percussionem, à quibus sanguis non exeat, dummodò vulnus, aut percussio sint mortalia. Et nota, quòd dicuntur mortalia, non quatenus sint peccata mortalia ob grauitatem vulneris magni, licèt sanguis non exeat; aut ob magnam percussionem cum carnium contusione, ossiumque confractione; sed dicuntur mortalia per hoc, quòd probabiliter ex eis mors sit sequutura. Ità Nauarrus, & alij, quos citat, & sequitur Fagundez *in quinque præcept. Eccles. præcep.* 2. *lib.* 4. *cap.* 4. *num.* 17. Dato igitur casu, quòd intra Ecclesiam aliquis percuteret alium baculo taliter, vt mortaliter peccet, sed nec sanguis funditur, nec mors timetur ex ipsa mortaliter peccaminosa percussione, tunc Ecclesia non est polluta, & sinè alia purificatione possunt in illa fieri Diuina sicut ante fiebant. Cùm igitur occiditur aliquis in Ecclesia, aut in ea percutitur sic, vt probabiliter iudicetur moriturus, Ecclesia illa est violata, nec Diuina ante reconciliationem possunt in ea exerceri.

26 Vn-

26 Vndè si homicidium in casu nostro fuisset voluntarium, iniuriosum, & peccaminosum, 27 certè Ecclesia esset violata. At quia fuit inuoluntarium sinè iniuria, & sinè peccato, propterea est homicidium casuale, quod non polluit Ecclesiam, vt prædiximus *sub num.* 3. huius Decisionis. Quòd non fuerit voluntarium, patet, quia non intendebat homicida occidere Ioannem: sic nec fuit cum iniuria Ioannis, cùm eum interficere non intenderet, vndè casu, & per errorem direxit ictum in eum. Tandem nec fuit peccaminosum tale homicidium, cùm fuerit omninò inuoluntarium, supposito tamen quòd non solùm formaliter, sed etiam neque virtualiter fuerit intentum; nec voluntas occidendi alium, facit vt aliquo modo sit volitum homicidium ex errore patratum. Ità sentit Fagundez *loco citato, num.* 15. & ità sentio etiam ego; propterea concludo non fuisse Ecclesiam, per tale homicidium propriè casu factum, violatam.

28 Illud tamen aduerto, quòd benè attendendum sit ad mentem homicidæ; etenim cùm iam proposuerit occidere tum Andream, tum Ioannem Clericum, qui ambo illi Ecclesiæ seruiebant, si homicida iuit ad Ecclesiam, seu iuit vt videret an illos, vel illorum aliquem inueniret, vt occideret, & viso vno eorum, quem iudicauit esse Andream, cùm esset Ioannes; in tali casu homicidium Ioannis est volitum, & homicida est excommunicatus, si direxit ictum cum animo etiamsi esset Ioannes Clericus, vt dictum est supra; & insuper Ecclesia sinè dubio est absolutè loquendo violata, quia in ea factum est homicidium saltem virtualiter volitum. Verùm si homicida nihil cogitans de occidendo; aut solùm intendens quærere Andream, quem sciebat verrere Ecclesiam, vidit illum verrentem, & vt Andream voluit occidere, tunc occisio Ioannis Clerici fratris Andreæ, est omninò hìc, & nunc inuoluntaria, & talis, vt Ecclesia non remaneat violata.

29 Si roges, an occisio Martyris in Ecclesia per Tyrannum perpetrata, violet eandem Ecclesiam; respondeo affirmatiuè. Ratio est, quia quamuis per sanguinem Martyrum ornetur, & decoretur Ecclesia: attamen actio ipsa Carnificis, aut Tyranni est iniuriosa, & peccaminosa, & ideò nihil deficit quin committatur homicidium in loco sacro, quod homicidium pollutionem infert Ecclesiæ. Idem est decantatum à Poeta.

*Actio displicuit, passio grata fuit.*

Idem à fortiori dic, si ex publica authoritate occidatur homo in loco sacro.

---

# DECISIO LXVII.

*An Nouitius, qui vouerat Religionem ingredi, si defloret Virginem cum iuramento eam ducendi, teneatur ad aliquid si professionem emittat, nihil dato fœminæ, quæ an peccauerit exponens partum ad ianuam hæredum defloratoris sui.*

## Casus, seu Historia LXVII.

### SVMMARIVM.

1 *Casus proponitur.*
2. 3. 4 *Votum quomodo intelligatur.*
5 *Ingredi Religionem, & profiteri sunt duo.*
6. 7 *Legatum sub conditione Religionis, an exigat professionem.*
8. 9 *Verba voti, & testatoris qualiter sumantur.*
10 *Conditio impletur in momento.*
11. 12 *Animus ad satisfaciendum requiritur.*
13. 14. 15 *Dubius de voto, quid aget.*
16 *Stuprator cum promissione ducendi, tenetur ducere, & votum Religionis differre.*
17. 18 *De voti cessatione, vel dilatione.*
19. 20. 21 *Vbi duæ obligationes, maior praualet.*
22 *vsque ad* 25 *Nouitius cum voto Religionis, si promittat ducere stupratam à se, qualiter se geret.*
26. 27 *Quid si professionem emittat.*
28. 29 *Testamentum professi, cui currat.*
30. 31. 32 *De debitis à Professo.*
33 *vsque ad* 48 *De exponentibus partum ad hospitale, vel ad ianuam proximi.*

1 VOuerat Orestes ingredi quamdam Religionem, quam & de facto ingressus est: sed tempore Nouitiatus habita facultate degendi per aliquot dies in domo parentum suorum, vt testamentum, & cætera disponeret in ordine ad professionem emittendam post vnũ mensem, contigit vt captus amore cuiusdam Virginis, huic iurauerit à Religione egredi, eamque in vxorem sibi copulare, si secum coire consentiebat, sicuti & consensum illa præbuit, & ab eo deflorata fuit. Nouitius postmodum reuersus est ad domum suam Regularem, in qua professionem statim emisit, nulla

nulla facta mutatione iam conditi testamenti, nec de iam dispositis ante stuprum, nihil de nouo disponens pro deflorata, quæ edito partu, ipsum exposuit ad ianuam hęredum sui defloratoris, à quo & damni pro violatione accepti compensationem exposcebat, sed ille se nihil habere, vtpote professus, respondebat. Quid ergo dicendum sit in hoc casu, tum ex parte Religiosi, tum ex parte fœminæ, tum ex parte hæredum stupratoris, difficultatur in præsenti.

2 Et quidem casus iste non leues continet dubitationes pro quacunque ex partibus. Nam ex parte professi, videtur vigere obligationem compensationis damni illati, stante matrimonij promissione, vt docent communiter Doctores, & ex alia parte Professus Religiosus non est ampliùs sui iuris, nec in statu compensationis faciendæ ob impedimentum voti Paupertatis; Nec videtur obligandus, vt peccatum suum cum sui infamia, simul & cum infamia defloratæ id notificet parentibus hæredibus suis. Ex parte defloratæ viget ius, vt damna ipsi illata resarciantur etiam cum damno famæ stupratoris, cùm hic ex culpa sua in illam angustiam deuenerit, vndè debet sibi totum malum imputare, sicut in simili casu loquitur Layman *lib.3. tom.2. cap.* 12. Et tandem ex parte hæredum, vel hæredis videtur totam obligationem esse, quæ priùs erat in testatore ciuiliter mortuo per Professionis emissionem; nam ad hæredem transeunt omnia & bona, & iura, & obligationes, quæ erant testatoris tempore mortis suæ. *l. hæredem. l. hæreditas, ff. de regulis iuris.* & sic deducitur à Sanchez *consilior. lib.4. cap.1. dub.31. per totum.* ac proinde obligatio resarciendi damnum illatum defloratæ, quæ obligatio erat in defloratore, remanet deuoluta ad defloratoris hæredes, tamquam debitum quoddam ipsius testatoris.

3 Pro decisione omnium dubiorum in præsenti casu contentorum, dico primò, quòd votum Orestis ingrediendi Religionem, si non fuit cum intentione profitendi etiam in ea, fuit satis completum per solum ingressum, quem de facto Orestes fecit, iam enim erat Nouitius. Ratio est, quia votum non obligat vltra vouentis intentionem, vt est omnium Doctorum sententia; ergo si vouet quis solummodò ingredi Religionem, in qua an debeat profiteri, considerabit postea, iste satisfecit suæ obligationi per ingressum, suscepto habitu ipsius.

4 Si verò quis absolutè voueat ingredi Religionem, & tempore nouitiatus exeat; iste similiter votum suum adimpleuit; nam votum illud debet intelligi secundùm formam iuris communis, quod ius concedit annum integrum experiendi an Nouitius Religioni, & ipsa Religio placeat Nouitio; & hæc vera sunt, vbi non constat de contraria intentione; & ità docet D. Thomas *2.2. quæst. vltima, art.* 4. & D. Thomam in hoc sequuntur omnes: ergo Nouitius in casu nostro, si solùm vouerat Religionem ingredi, potuit sinè voti fractione pro libito egredi.

5 Facit similiter pro licito egressu nostri Nouitij à Religione, quòd Religionem ingredi, & in ea profiteri, ponuntur tamquam duo diuersa. *cap. beneficium, & cap. qui post votum, de regular. in 6.* ergo facto voto de ingressu, non indispensabiliter intelligitur esse votum & profitendi; & tale non esse, colligitur ex vouentis intentione, cùm aliquando pro vno & eodem intelligantur à vouente Religionem, ingredi in eam, ac in ea profiteri, ac vsque ad mortem inclusiuè perdurare professum.

6 Nec probat teneri ad professionem illum, qui Religionis vouit ingressum, si argumentetur à pari cum illo, qui fuit à testatore institutus legatarius, sed cum conditione si religionem intrauerit: Nam legatum non consequetur iste, nisi sequatur & professio, etenim verba debent intelligi cum effectu. *cap. relatum, de cleric. non resid.* vndè vana esset dispositio testatoris, si poneretur ingressus, & professio minimè sequatur; & quando à testatore requiritur conditio honesta, debet ista semper perseuerare, sicut docet Paulus *l. si quis hæredem, num. 3. Cod. de instit. & subst. & ibid.* Alexander, *num.2. & l. in substit. num.12.* vbi Imola *num. 4. ff. de vulga.* Propterea Baldus

7 *d. l. si quis hæredem, num. 6.* & Salic. *num.3.* dicunt non consequi legatum ab vxore, cui maritus illud reliquit, sub conditione si habitum Tertij Ordinis Sancti Francisci susceperit, per hoc quòd dictum habitum suscipiat, sed illud postmodum deserat; ergo & votum ingrediendi Religionem, quo erat astrictus Nouitius in nostro casu, obligat ipsum ad non egrediendum, sed cum effectu debet intelligi, scilicet profitendo in ea, nisi à Religione dimittatur, tunc enim non est ipse in causa sui egressus, cùm ipse è contra intendat in illa perseuerare.

8 Sed non benè arguitur ex dictis contra egressum Nouitij, vt præfertur. Primò, quia aliud est obligatio voti, & aliud est obligatio conditionis ponendæ iuxta mentem testatoris; nam votum non plus obligat, quàm iuxta vouentis mentem, & vouens est in sua libertate,

vt

vt seipsum obliget cum voto ad præcisè ingrediendum, deliberaturus postea, an perseuerare, & profiteri debebit. Obligatio autem conditionis exigitæ à testatore, debet mensurari iuxta intentionem illius, & sic poni, & adimpleri debet prout censetur testatorem voluisse.

9 Et quidem pro casu allato, siue pro casibus adductis de vxore, & de obligato ad ingrediendam Religionem ad effectum consequendi legatum; dicendum est esse falsum, quòd requiritur professio. Ratio est, quia in dubio debent sic verba testatoris interpretari, vt nihil inducant, quod supra iuris dispositionem exorbitet, sicut notabilis casus est. *leg. vxori*, §. 1. *ff. de legat.* 3. Et ità tenent Iason *d. l. 5. quis heredem, num.* 13. Ludouicus de Roma *l. permisit tri.* 52. §. *species*, *num.* 4. *ff. de acquir. possess.* Brunellus *de sponsalibus*, *conclus.* 31. *num.* 12. Mantica *de coniect. vltim. volunt. lib.* 6. *tit.* 6. *num.* 1. cum multis alijs; & sic cùm ius commune concedat annum probationis ijs qui Religionem ingrediuntur, debet iuxta istud intelligi conditio volita à testatore, si Religionem intrabit; ergo si post ingressum non perseueratur, iam conditio fuit sufficienter purificata pro consequendo legato.

10 Hoc confirmatur cum opinione omnium scribentium *in l. si quis heredem*, 7. *Cod. de Instit. substitut.* ex qua colligunt sufficere, si conditio pro temporis momento impleatur: ergo conditio posita in testamento, *si Religionem intrauerit*, satis erit si ponatur ingressus, vt intelligatur adimpleta, quamuis non perseueretur, & profiteatur.

11 Limitandum est tamen circa prædicta, itaut verificentur, dummodò ingrediens Religionem non faciat hoc ea intentione, vt legatum consequatur per positionem solius ingressus; nam tunc non posset legatum consequi. Ratio est, quia si animo exeundi ingrediatur, facit actum vanum, & testator non intendit huiusmodi actum, sed intendit actum factum iuxta formam iuris, quod ius dat annum probationis; ergò intentio testatoris exigebat in ingrediente Religionem, quòd intendat profiteri; & quamuis postea profiteri non possit, hoc non priuat à legati consecutione. Videatur Fulgos. *d. l. si*

12 *quis heredem*, *num.* 2. Et item à simili probatur de ingrediente Religionem, quam vouit; non enim satisfacit voto, si ingrediatur cum animo vt egrediatur. Ità D. Thomas 2. 2. *quæst. vlt. art.* 4. *ad* 3. cum Caietano *ibidem*. D. Antoninus 3. *part. tit.* 16. *cap.* 2. § 4. Angelus *votum* 3. *num.* 18. Syluester *verbo Religio* 2. *q.* 19. Tabiena *verb. Nouitius*, *quæst.* 7. Armilla *eod. verb. num.* 8. & alij. Igitur quantùm est ex parte Nouitij, qui vouerat Religionem ingredi, satisfecit suo voto per solum ingressum factum cum animo profitendi, licèt postea noluerit perseuerare, sed exire, & nubere, ac per consequens potuit iurare se ducturum Virginem, quam deflorauit cum tali permissione tempore Nouitiatus, quo tempore erat sui iuris, vt posset exire dicens, ego votũ adimpleui per ingressum cum animo profitendi, sed quia votum me obligat iuxta ius, à quo mihi conceditur annus ad probationem Religionis, iam probaui mihi illam non placere, cùm incontinenter in ea sim victurus, &c.

13 Sed quia Nouitius in præsenti facto dubitauit an votum ingrediendi Religionem, fuerit etiam cum intentione profitendi, & perseuerandi in ea, ideò non stetit iuramento de ducenda deflorata ab ipso, sed ad professionem deuenit, videbat enim se non eiectum à Religione, neque ipse contra illam aliquid habebat; per quod ab ipso esset repudianda, & simul dubitabat se vouisse perseuerare. At quamuis aliqui obligassent eum ad profitendum, supposito, quòd erat certus de voto, dubius tamen de modo voti, cum Nauarro *lib.* 3. *consiliorum*, *tit. de voto*, *in prima editione*, *cons.* 18. *num.* 2. *in* 2. *edit. consil.* 26. *num.* 2. Manuel. 2. *tom. summæ*, *cap.* 95. *num.* 6. & alijs, & hoc licèt potiùs credat se non vouisse profiteri; nihilominus iuxta veriorem sententiam dicendum est, ipsum non fuisse obligatum nisi ad id, quod minus est, nempe credere se non vouisse profiteri, & ità colligitur *ex c. ex parte*, *de censibus*; vbi Glossa *finalis* docet bonam interpretationem fieri pro vouente; & ibi Abbas *num.* 3. & 4. Et proba-

14 tur quia fortissimum est argumentum de toto ad partem. *l. quæ de tota*, *ff. de rei vindic. l. heredes mei*, § *cùm ità*, *ff. ad senatusconsl. Trebel.* etenim quod iuris est de toto quoad totum; sic & de parte quoad partem: cùm ergo dubitans de toto voto, ad nihil ipsius teneatur; ità & dubitans de parte voti, ad nihilum talis partis obligatur. ità docet Angles *florib.* 1. *p. de ieiunio*, *q.* 9. *de abstinentia à cibo*, *art.* 1. *dub.* 2. *concl.* 3. & alii, maximè Euerar. *loco de toto ad partem*,

15 *num.* 2. Et idem suadetur, nam vbi agitur de inducenda aliqua obligatione interpretatio debet fieri stricta, vt constat *ex l. quidquid astringenda*, *ff. de verbor. obligat.* Igitur poterat Nouitius, de quo agitur, credere se non emisisse votum profitendi in ea Religione, quam pro certo vouerat ingredi, sicut breuiter probatũ est.

Qq 16 Quan-

16 Quantùm ad iuramentum præstitum de ducenda deflorata, ad quid obligaret Nouitiũ in illo statu, deducendum est à ligamine, quod habebat ratione voti. Et certum est, quòd si ligatus esset cum voto Religionis, post quod votum deflorauit Virginem cum iuramento ducendi eam, sed adhuc non intrauerat Religionem, tenebatur votum suspendere, & defloratam ducere; & idem esset de Vidua honesta, ac bonæ famæ, & non infimæ sortis, quæ ratione concubitus non modicam famæ læsionem consequeretur. Ità Sanchez *de matrim. lib.1.disp.45. num.3. & 4.* Ratio est, quia cùm hìc intercedat damnum, insurgit obligatio iustitiæ resarciendi illud; sed obligatio iustitiæ præferenda est obligationi Charitatis; ergo cùm votum sit ex Charitate, debet postponi ad id, quod est ex iustitia, & sic non obstante voto ingrediendi Religionem, est ducenda illa deflorata cum matrimonij promissione, quamuis non fuisset additum iuramentum; & hæc ratio fundatur in communissima doctrina ab omnibus admissa, quòd si quis vouerit Religionem ingredi, & ei superueniat aliqua Charitatis obligatio, debet votum suspendere, & Charitatem adimplere, sicut tenetur filius, vt parentum necessitati subueniat: ergo à fortiori est suspendenda voti adimpletio, adimplendi causa obligationem iustitiæ, quæ obligatio strictior est obligatione Charitatis.

17 Secundò probatur, nam vt communiter docent Doctores votum non obligat, si res notabiliter mutentur; at in casu nostro facta fuit notabilis mutatio ex vi superuenientis obligationis ex genere iustitiæ; ergo priùs satisfaciendum est isti, quàm voto.

18 Item, quia dantur causæ vrgentes, propter quas voti adimpletio potest differri; sed causa ducendi defloratam, vt in præsenti facto, est vrgentissima; ergo potest differre voti adimpletionem ille, qui tenetur damna defloratæ, ac violatæ resarcire: Recolantur ea, quæ diximus supra *in Decis. 62. num.* 10. Vnde notetur, non remanere absolutum à voto, sed solùm causam habere pro diferenda voti exequutione, vt si moriatur illa, quam duxerat, teneatur aliã

19 non ducere, sed Religionem intrare. Quæ tamen sunt intelligenda, dummodò fœmina fuerit ignorans voti sui defloratoris, nam si illud non nouerat, tenetur deflorator votum adimplere, vt in simili tradit Sanchez *de matrimon. lib.1.disp.19. num.5.* Igitur ista difficultas est, an propter deflorationem cum matrimonij promissione, sed extante voto Religionis, possit votum suspendi, necne; non tamen reuocatur in difficultatem, an liberetur totaliter à voto; & respondendum est iuxta prædicta, quæ sunt contra Viualdum *in candelabro, 3. p. cap. 41. num.64.65.* Nauarrum *lib.4. consilior. cons. 31. titulo de sponsalibus in 1. editione, at in secunda consilio 1. tit. qui cleric. vel vouen.* & alios quorum opinio est valdè probabilis.

20 Cùm ex dictis sit conclusum, teneri defloratorem Virginis cum promissione ducendi eam, ducere, non obstante quòd sit suspendenda exequutio voti Religionis; erit ne eadem ratio, si Nouitius iam sit, & Religionis habitum iam induerit ille, qui ob votum intrauit Religionem, sed tempore Nouitiatus cecidit in illam obligationem cum violata Virgine ab ipso? Respondeo affirmatiuè, & ducor ea ratione generali, qua probatur teneri quemquam omittere minoris obligationis exequutionẽ, vt adimpleat id, ad quod tenetur titulo maioris obligationis. Sic si quis actu audit Missam in die festo, & ex improuiso teneatur ire domum, in qua infirmus periclitatur; certè tenetur abstinere à Missæ auditione, vt indigenti succurrat, etiamsi aliam missam non possit postea audire, & sic tradunt communiter Doctores, quia plus obligat præceptum Charitatis, quàm præceptum audiendi Missam: ergo, & Nouitius tenetur ad maiorem obligationem relicta minori, & hanc minorem diximus esse voti exequutionem, quæ est ex Charitate, respectu obligationis ducendi defloratam, quæ obligatio est ex Iustitia.

21 Confirmatur, nam si filius intret Religionem, & tempore Nouitiatus incipiat eius pater grauiter egere, tenetur filius egredi, vt patri succurrat, vt docent Filliucius *q. 3. num. 9.* & alij omnes; & hoc quamuis filius ratione voti esset ingressus Religionem; quia maior ei superuenit obligatio, quando adhuc est in statu sui arbitrij, nec indiget Prælati dependentia, sicuti sui iuris est, durante tempore probationis ante professionem, vt notat Bordonus *resolut. part.2. resolut.54. quæs.2.* Ergo & Nouitius in casu nostro debebit à Religione egredi, vt grauiorem obortam obligationem adimpleat, non obstante quòd ratione voti Religionem intrauerit.

22 Antequam tamen egrediatur, attendere debet, an verè vigeat in eo obligatio ducendi eã, nam fieri potest, vt huiusmodi obligatio cesset ex multiplici causa, quarum præcipua esset, si deflorata cedens iuri suo, remitteret defloratori obligationem ducendi eam, & solùm exigeret dotem; aut si etiam istam ipsa renunciet, ad ni-

nihil teneretur, nisi damnum aliunde sequutum parentibus defloratæ, esset ab ipso defloratore compensandum, Ne igitur Nouitius exeat, tentare debet, an deflorata velit ipsum deobligare. Item causa sufficiens ad non exeundum esset, si deflorator notabiliter conditione excedat defloratam, quod ista minimè ignorauit: Alia causa est, si votum defloratoris non latebat defloratam: Alia est, si fictè promisit talibus verbis, ex quibus fœmina satis potuit eius fictionem intelligere; & fictio promittentis debet adfuisse, vt dictæ causæ subsistant, excepta prima, scilicet si deobligetur; aliàs si verè promisit, tenetur eam ducere, nisi eius votum ipsa sciebat, quia tunc non tenetur, vt supra tangebamus *sub num.* 19. Causa alia deobligans esset, si fœmina fornicetur cum alio, in quo casu nec tenetur deflorator ei pecuniam dare, nec damnum aliquod compensare, nisi aliter sint facta pacta inter deflorantem, & defloratam. Causa pariter excusans Nouitium est, si putabat illam Virginem, & talem non inuenit; tunc non tenetur eam ducere: ità Corduba *lib. 1. quæst.* 13. qui tamen vult teneri compensationem facere cum pecunijs, quia mulier eum non decepit aliqua fraude. Has causas consideret, & attentè ponderet Nouitius antequam habitum deponat ne sinè obligatione, ad aliquam putatam obligationem deueniat; imò ne contra obligationem suam à Religione egrediatur. Cursim has causas adduxi, consulens breuitati, quæ dilucidam dubitationis præsentis decisionem non impediat; verùm eas fusè optans ediscere, adeat Sanchez *de matrimonio, lib.* 1. *disputat.* 10. *per totam*, & Lessium *de*
23 *iust. & iure, lib.* 2. *cap.* 10. *dubitat.* 3. *&* 4. vbi *num.* 32. dicit non esse necessarium, vt dispensatio à voto petatur, cùm executio voti sit iam facta illicita.

24 Ità meo iudicio puto esse respondendum circa dubitationem Nouitij in facto præsenti. Inuenio enim Doctores, qui tractant quæstionem, an ligatus voto Religionis, si Virginem, aut Viduam bonæ famæ cognoscat cum matrimonij promissione, teneatur eam ducere, vel potiùs votum adimplere; & resoluunt teneri matrimonium contrahere; nullum tamen ex omnibus, quos viderim, inueni difficultatem tractare, si post habitus susceptionem, sed ante professionem defloret quis fœminam, vt prædictum est, teneatur adhuc eam ducere, vel debeat in Religione perseuerare. Dixi ergo, quòd teneatur exire, & iterum dico, quia non video quare de Nouitio in tali casu sit aliter sentiendum, ac de sæculari; & consequenter quemadmodum sæcularis astrictus voto Religionis si defloret Virginem cum promissione matrimonij, tenetur votum suspendere, & eam ducere; ita non minùs tenetur Nouitius, cum sit sui iuris, iuxta prædicta cum Bordono.

25 Addo & fortassè magis teneri nubere Nouitium dictum, ac si esset sæcularis; nam si aliqua immineret aut infamia, aut læsio, aut iniuria Monasterio, vel Religioni ratione stupri, eiusdem Nouitij, tenetur omnia præcauere, statim egrediendo à Religione. Fieri enim posset, vt deflorata factum publicet, quatenus sic illam vrget necessitas, vt damni sui compensationem non perdat; & in hoc casu certè Religiosi diffamarentur ob Nouitium stupratorem, qui propterea teneretur hanc diffamationem impedire. Sic & ex alijs consimilibus causis potest fieri, vt Nouitius plus sæculari obligetur ducere defloratam, non quidem maiori obligatione se tenente ex parte delicti, sed à delicto de consequenti sequuta. Et hæ animaduersiones non sunt posthabendæ in casu isto, cùm deflorata ius habeat ad instandum, vt desponsetur, & instantiùs, ac per media etiam extraordinaria, ad effectum impediendi professionem in proximo faciendam à suo defloratore, quem videt non exire à Religione iuxta promissa, quali instantia, & quibus medijs non vteretur, si cum sæculari ageret.

26 Sed si nulla facta satisfactione professionem emittat, credens se ad nihil teneri erga defloratam; si hæc insurgat, & sibi satisfieri prætendat; quid agendum? Respondeo, quòd professus non est ampliùs obligatus eam ducere, quia superuenit impedimentum legitimum, sicuti pro similibus impedimentis tradit expressè Lessius *d. dub.* 3. *num.* 26. nam factus professus, iam aliud contraxit matrimonium; & quotiescunque per verba de præsenti contrahit cum alia ille, qui promiserat ducere defloratam à seipso, remanet impeditus ad istam ducendam; & sic dicendum est, si fieret ei affinis; ac si sacros ordines susciperet. Tamen perseuerat semper obligatio resarciendi damnum, vt benè notat Lessius *ibidem*, propterea adhuc restat obligatio in facto professo ad damna compensanda ipsi à se defloratæ.

27 Quomodo dicta damna sint resarcienda, supposito, quòd professus iam nihil habeat, & omnia quæ habebat à se abdicauerit per testamentum; dico debere inspici, an Religio in qua est, possideat bona in communi; siuè an non possideat. Secundò, inspiciendum est etiam

quali voluntate fecerit testamentum; & hæc singula examinando, constabit quid sit dicendum, & qualiter defloratæ sit satisfaciendum, prout iustitia obligabat Nouitium.

Et primò dico: si testamentum nostri professi declarat expresse, se velle vt statim professione emissa habeat firmitatem quoad omnem suum effectum, itaut hæreditas, & legata debeantur illicò hæredi, & legatarijs; in tali casu post professionem seruanda est omninò mens ipsius testatoris, siue profiteatur in Religione bona in communi possidente, siue in alia, quæ huiusmodi bona non possideat. At si in testamento nihil legauerit pro à se deflorata, adhuc isti debetur satisfactio, sed à quo, dicemus infra *num.* 30. *& seqq.*

Secundò dico: si professionem fecit in Religione non capaci possidendi bona in communi, testamentum sortitur omnem suum effectum statim ac professionem fecit. Ratio est, quia censetur naturaliter mortuus; nec Religio valet succedere in eius bona, quæ propterea transeunt statim in dominium hæredum, & legatariorum; & sic tenent Doctores, quos mox citabimus in sequenti responso tertio.

Tertiò dico; si profiteatur in Religione bona communia valente possidere, & testamentum professi non exprimat, quòd effectum habeat statim post professionem; tunc testamentum non sortitur suum effectum statim post professionem, quapropter hæredes, & legatarij si qui sunt instituti, debent expectare mortem naturalem ipsius professi, cùm per solam mortem ciuilem ipsius succedat Monasterium in eius bonis pro tempore, quo ipse professus viuet. Sic dicunt communiter Doctores siuè Iuristæ, siuè Theologi, siuè Summistæ sint, inter quos ex Iuristis Baldus *in fin. tit. in additionib. vers. nunc de testament. ingredientium*, Anton. *cap. in præsentiâ, num.* 33. *de probat*, & ibi Abbas *num.* 58. *&* 59. Imola *num.* 22. *in fine*. Felinus *num.* 55. Decius *num.* 259. *in noua editione*. Ancharan. *c. si pater. num.* 4. *notab.* 8. *vers. interdum & mors, de testamen. in* 6. Bartolus *authentica si qua mulier, num.* 10. *Cod de sacros. Eccles.* Crottus *l. Gallus, §. & quid si tantùm. num.* 29. *ff. de liberis, & posthumis*. Ex Theologis Lessius *de iust. & iur. lib.* 2. *cap* 41. *dub.* 10. *num.* 85. Molina *tom.* 1. *de iustitia, disput.* 140. *col.* 3. *vers. quin & bona*. Azorius *institut. moral. tom.* 1. *lib.* 12. *cap.* 6. *quæst.* 5. *& cap.* 8. *quæs.* 6. Ex Summistis Syluester *verb. hæreditas* 1. *q.* 7. *num.* 10. *dicto* 6. Angelus *eodem verbo, num.* 22. & *verbo Relig. n.* 54. Tabiena *eod. verb. hæreditas, q. fin. & verb. Religio, q.* 35. *num.* 36. & Sanchez *in precept. decalog. lib.* 7. *cap.* 3. *num.* 55. dicit se neminem inuenisse, qui contrariam opinionem teneat, nisi Benedictum Ægidium *l.* 1. *p.* 4. §. 2. *num.* 6. *Cod. de sacros. Eccles.* Sed ego inueni aliũ sentientem cum Ægidio, & est Peyr *de Prelat. quæst.* 3. *cap.* 1. §. 8. *num.* 208. quem citat Bordonus *part.* 2. *resolutionum, resol,* 55. *num.* 11.

28 Et quòd à die mortis naturalis currat testamentum professi, qui aliter non se explicauit; Probatur, nam *l. Statius.* 48. §. *Cornelio. ff. de iure fisci*. Decidit fideicommissum relictum in diem mortis, non cedere fideicommissario, eò quòd grauatus deportetur, & sic moriatur ciuiliter, sed à die mortis naturalis, & interim pertinere ad fiscum, sicut alia bona deportati; & huius rationem dat textus, quia posset fideicommissarius mori ante ipsum grauatum, & sic fideicommissum extingueretur, vt ibi notat Glossa *ver. ipse*. Sed in hoc nostro casu militat eadem ratio, vndè & solùm à die mortis naturalis professi testatoris valebit pro institutis ab ipso ipsius testamentum, & interim Monasterio debentur eius bona dum viuit. Idem probatur ex *l. cum pater.* 79. §. *hæredit.* 1. *ff. de legat.* 2.

29 Iterum probatur idem, quia voluntatis ipsius testatoris non est firmitas, sed dicitur ambulatoria vsque ad mortem naturalem, *l.* 3. *ff. de adimpl. legat.* at respectu Religiosi professi, cùm ratione voti paupertatis non possit ampliùs disponere, seu reuocare, vel mutare testamentum, non dicitur habere voluntatem ambulatoriam, nisi quoad effectum sui testamenti, vt nempe sua hæreditas, & legata non debeantur institutis, & legatarijs, nisi post eius mortem naturalem, & interim spectent ad Monasterium capax habendi possessionem bonorum in communi.

30 Prænotatis igitur conclusionibus, quæ decidunt ad quem, seu ad quos spectent bona, quæ possidebat professus, nunc sequitur dicendum, qualiter sit compensandum damnum, quod tenebatur compensare ipse modò professus. Respondeo debere compensari ab eo, ad quem transierunt ipsius professi bona. Ratio est, quia bona professi ad quemcunque transeant, remanent semper obligata pro ære alieno: ergo ex ijsdem bonis est satisfaciendum ijs, quibus professus ille debebat, vel ob damnum illatum, vel ex alio motiuo. Confirmatur, nam professione non extinguuntur debita: ergo semper vigent, & ideò sunt soluenda ex professi bonis, vbicunque, & apud quemcunque reperiantur, etiamsi Conuentus illa possideat. Ità omnes docent.

31 Quòd

31 Quòd si debita superarent vires bonorum acquisitorum à Conuentu, tunc Conuentus non teneretur vltra vires dictorum bonorum, iuxta opinionem Abbatis *cap. in præsentia de probat. num.* 77. & Sanchez *lib. 7. in decal. cap. 31. num. 2. & 3.* vbi in contrarium citat Angelum *ver. Religiosus num.* 59. Tabienam *ver. Religio, q.* 39. & Syluestrum *eod. verb. 6. q. 2.* & ideò cautè debent Superiores procedere in admittendo ad professionem, ne recipiatur aliquis, qui debitis sit inuolutus supra vires facultatum, quas possidet.

32 Verum est tamen, quòd si Religiosus ingrediatur Religionem cum debitis contractis ante ingressum (& idem est de alijs obligationibus, quas habet ex damnis illatis) tenetur satisfacere si habet in bonis, siuè bona habuerit ante ingressum, siuè illa sit adeptus quouis titulo post professionem conuentui; imò si nihil horum habet, tenetur laborare, & industria satisfacere, semper tamen de licentia sui superioris. Ita expresè habet Bordonus *parte 2. variar. resol. resol.* 53. *num.* 45. Sic remanet declaratum à quo fœmina deflorata, vt in casu, debeat sui damni compensationem exposcere, supposito quòd ipsius deflorator eam non possit amplius ducere, ob professionem factam; & sic aliud non restat addendum pro Nouitio, nec pro ipsius hæredibus, nec pro deflorata, nisi an ista potuerit partum ex dicto Nouitio editum exponere secretè ad ianuam parentum Nouitij, quos ipsa putauit hæredes esse omnium bonorum sui defloratioris Nouitij, nunc professi.

33 Ad hoc dubium vt fiat debita responsio, debent nonnulla prænotari. Est igitur attendendum: 1. an matri imminebat infamia; aut delictum istud an ei esset damnum illaturum: 2. an detur in loco illo hospitale expositorum: 3. an commodè posset, & facultates mater haberet puerum alimentandi: 4. an sequatur mors pueri propter talem expositionem ad alterius ianuam: 5. an habeant in bonis pro nutriendo puero illi, ad quorum ianuam exponitur: vltimo potest difficultari, an contra iustitiam, seu contra Charitatem peccauerit mater filium exponens ad alterius ianuam.

34 Ad 1. respondeo licere matri filium exponere, vt proprium delictum tegat, vt docet Caietanus *in summa, ver. adulterium*; & Armilla *eod. verbo, num.* 8. Enriquez *lib. 11. de matrimonio, c.* 19. *num.* 3 & idem docet Iulius Clarus *pract. criminali*, §. *finali, q.* 85. *versic. partum exponens*, vbi refert contigisse de facto, quòd quædam nupta ad euitandam infamiam partum exposuit, & eam Senatus absoluit. Sed

35 hoc debet limitatè intelligi, seu cum distinctione: vel enim in eo loco est hospitale destinatum pro expositis, vel non est: Si est hospitale, debet ad hoc secretò mitti partus; si verò non est, tunc licet ad tegendum delictum exponere partum ad ianuam alicuius, & per hoc patet responsio danda ad 2. ex qua sequitur alia re-

36 sponsio pro 3. nam si parentes possunt commodè puerum alimentare, manifestum est esse grauissimum peccatum ex natura rei, nempe seclusis circumstantijs, filium exponere, cùm omni iure teneantur parentes alere suos partus, & omni iure statuuntur pœnæ contra parentes filios non alentes; & hæc opinio communiter traditur ab omnibus. Circumstantiæ autem, quæ possunt licitum reddere vt filius exponatur ad hospitale si est; aut si non est, ad domum alicùius, sunt hæ duæ: prima, vt parentes suum occultent delictum; secunda, si nullo modo possunt alere filium, quem exponunt, nam quando non possunt alere, cessat in eis obligatio alendi eum, & ex alia parte consulunt fœtui meliori modo, quo possunt. Sic docet D. Antoninus *2. p. tit. 1. cap.* 24. *fine*. Armilla *vers. expositus, num.* 3. & etiam sic colligitur ex Butrio *cap. vnic. de infant. expos. num.* 5. & ex Glossa *cap. fin. versic. expositus, dist.* 87. & ex Turrecremata. *ibi.*

37 Ad 4. autem, quod prænotabatur, dico teneri postea sic exponentes, cauere ne expositus periclitetur, curando eum, quoadusque à pia persona recipiatur, & tunc non peccabunt ipsi ex necessitate exponentes cum hac cautela, cum qua inuigilant, ne periculum aliquod

38 immineat ipsi exposito. Hinc est, quòd exponens ad ianuam alicuius infantem, debet attendere an sit potens puerum alere ille, ad cuius domum exponitur, aliàs non benè attenditur ad curam infantis, ne periclitetur, & sic constat quid est dicendum pro responsione ad 5. prænotatum. Quæ omnia traduntur à DD. supra allatis.

39 Ad vltimum ex prænotatis, patet quòd mater exponens filium, iuxta prænotatas cautelas, delicti occultandi causa exponens fœtum, non peccauit nec contra iustitiam, nec contra Charitatem. Quamuis enim sint parentes omni iure obligati ad filios alendos, tamen id debet intelligi cum prædictis limitationibus, scilicet nisi non habeant cum quo alant; aut nisi exponant, ne eorũ delictũ publicetur.

40 Et

40 Et si obijciatur, numquam posse dari casum, quo mater filium non possit alere, cum ex solo pectoris sui lacte sit nutriendus, & proinde non posse fieri, vt ex hac ratione liceat ei fœtum
41 exponere. Respondetur dupliciter; primò, non semper matres, per se solas valent sufficienter partum lactare, vndè alijs nutricibus obligantur eum tradere nutriendum. Et hoc sæpissimè experientia manifestatur, vel defectu lactis, quod ad sufficientiam è matris mamillis non fluit; vel ex infectione lactis ipsius; vel ex infirmitate matris non valentis puero hoc munus præstare; vel denique ex alijs multiplici-
42 bus causis. Secundò adhuc respondetur, fieri posse, vt adhuc, post pueri ablactationem, eum parentes non possint alere, & ideò exponant illum; vndè sciendum est, quòd infantis expositio, non intelligitur solùm pro quando est infans vnius, vel alterius, aut plurium dierum, sed pro tempore ante transitum septennij, nam vsque ad septennium protrahitur infantia, sicut habet Panormit. *cap. vnico, de infant. expos. num.* 2. cùm ergo post filij ablactationem, quæ per triennium durat (& ideo ad matrem spectat filium alimentare pro dicto tempore, vt docent omnes) filius sit alendus copiosioribus expensis, propterea est dabilis casus, vt à parentibus eum alere non valentibus exponatur. En qualiter obiectio adducta non subsistat, cùm falsum fundamentum habeat, putans non posse dari casum, quo mater filium alere nequeat.

43 Ex dictis deducitur quid sit dicendum de fœmina, quæ partum exposuit ad domum parentum patris partus eiusdem credens eos esse hæredes ipsius patris, qui professionem emisit in Religione. Cùm enim mater in isto casu, sit Virgo deflorata cum Matrimonij promissione, & à defloratore debeantur ei compensationes damnorũ; & patri filius natus sit dandus; & Virgo deflorata sit in periculo, vt eius delictum publicetur, si apud se retineat filium; sequitur quòd potuerit sinè aliquo peccato fœtum exponere ad ianuam parentum sui patris, qui parentes vtpote hæredes patris expositi, habent obligationem alendi illum infantem, quia ad id tenebatur pater, & sic huius obligatio transiuit in hæredes, licèt hoc isti ignorent. Dixi matrem hanc non peccasse, quia suppono eam adhibuisse cautelas requisitas, & à nobis prædictas. Si verò delictũ esset publicum, à fortiori poterat partum exponere ad domum hæredum patris; imò & ad portam Cõuentus, si hic sit heres bonorũ illius professi, cuius est filius expositus.

44 Et casu quo parentes patris illius filij, quem mater ad eorum ianuam exposuit, non sint hæredes patris, vt mater putabat, nihilominus ip-
45 sa non peccauit. Probatur, quia bona fide fecit.
46 Item, quia nullam illis intulit iniuriam, nec eos in nullo damnificauit, cùm in eorum arbitrio sit filium tenere, si velint; vel ad hospitale deferre, si datur in illo loco, si enim non datur, poterat mater ad delictum suum occultandum, vel ob impotentiam filium alendi, eum ad ianuam potentis illum alere, exponere, vt
47 supra dictum fuit. Quòd si illi ad quorum ianuam filium exposuit non possunt eum alere, nec hospitale detur, ad quod illum deferant; neque propter hoc mater peccauit, cùm totum bona fide fecerit; & illi possunt filium prouidere per aliam viam, vt per Episcopum, vel
48 eum asportantes secretò ad ianuã alterius, qui possit illum alere, si tamen hoc potest licitè fieri, ideo hoc examinare placet in sequenti decisione.

---

# DECISIO LXVIII.

*An beneficiatus contrahat Irregularitatem, si portet ad ianuam alterius puerum repertum ad suam, & ibi moriatur; & an licitè asportabit, nec succurret.*

## Casus, seu Historia LXVIII.

### SVMMARIVM.

1. 2 *Casus proponitur.*
3. *vsquè ad* 10 *Quando Parentes, vel Domini exponentes filios, vel seruos amittant potestatem in eos.*
11. *vsquè ad* 18 *Alimentans expositum, quando potest in vtroque foro expensas repetere.*
19 *Infantia durat ad septennium.*
20 *De titulo alendi expositum.*
21. *vsquè ad* 32 *Recusare expositum quando liceat, necne.*
33. *vsquè ad* 65 *Homicidio, Mutilatione, & Irregularitate, ac de effectibus illorum, & quando Irregularitas incurratur.*
66. *vsquè ad* 73 *Agitur de bonis erogandis in eleemosynam.*
74. *vsquè ad* 84. *Qui, & quando teneatur ad dandam eleemosynam.*
85 *An Iudex possit cogere ad eleemosynam.*
86. *vsquè ad* 89 *Quot, & quæ sint genera necessitatis.*

1 QVidam Beneficiatus, qui solus cum vna famula habitabat in domo, dum summo manè egreditur, vt ad Catedralem pergeret recitandi causa in Choro matutinas horas, vidit ad ianuam suam extra fores infantem expositum. Mansit aliquantulùm suspensus, intra se cogitans quid tunc agere deberet, & consilio à se solo accepto, infantem illum ad alterius ianuam secretò asportauit. Finitis matutinis horis reuersus est per viam, in qua erat domus, ad cuius ianuam filium asportauerat, & vidit ibi non paruam gentium multitudinem demortuum infantem illum conspicientem. Erat domus illa, ad quam Beneficiatus transtulerat expositum, erat inquam domus, in qua nutrix vna habitabat, & ideò iudicauerat ille Beneficiatus, se sic benè consulere vitæ, ac bono miserrimi expositi; at dum illum defunctum conspexit, cœpit conscientiæ stimulis exagitari, an ei fuerit licita talis asportatio; & an Irregularitatem contraxerit ex homicidio, quamuis occulto, & casuali eiusdem expositi. Et quia vir timoratæ conscientiæ erat Beneficiatus iste, statim cœpit se gerere vt Irregularis per abstinentiam ab exercitio Ordinum, quoadusque per viros doctos instruetur, quid in hoc facto tuta conscientia posset facere, de quo interrogatus & ego, sequentem dedi decisionem plus æquuo fortasè prolixiorem; sed vt omnia tangerem, quæ in hac materia possent desiderari, calamum, & studium non restrinxi.

## §. I.

*Traduntur nonnulla pro exponentibus pueros, & pro suscipientibus illos.*

2 EGo suspicor, non raró euenire casum similem isti præsentis Decisionis, raró tamen homines aduertere, an id liceat ea libertate, qua in facti contingentia practicatur. Hinc necessarium duxi rem attentè examinare, varia enim quoad vtrumquè forum sunt summoperè perpendenda, vt de proposita historia rectum iudicium pronunciemus.

Illud ergo præcauere tenentur primo loco puerorum expositores, ne infamiæ sint causa in illo, ad cuius ianuam collocant vix natum infantem, adiudicare enim possent transeuntes populi, eum illegitimum esse talis, vel talis domini, vndè adulter, vel sacrilegus, aut stuprator reputetur contra bonam famam, quam in omnium habebat opinione. Hoc idem contingere potest, si expositus sit ad ianuam domus fœminæ Virginis, aut Viduæ honestæ, nam si aliqui videbunt talem expositum ad huiusmodi ianuam, poterunt cogitare, an partus ille sit editus ab illa Virgine, vel ab ea Vidua, quæ illum dederit patri, sed iste reportauit filium ad matrem; sicque honesta incipiet inhonestæ infamia laborare.

3 Propter dicta, & propter similia, quæ possent dici, & etiam propter alias causas, quæ possunt dari, non est sic liberum cuique asportare ad ianuam alterius filium expositum ad ianuam propriæ domus. Vt ergo innotescat quid fieri possit in simili casu, dico esse in libertate illius, qui reperit expositum ad ianuam suam, ipsum suscipere ad alendum, si alere potest, & si ve-
4 lit; etenim eò ipso quòd pater, aut mater filium exponunt, vel exponere faciunt, vel expositum fuisse ratum habent, perdunt patriam potestatem, vt constat ex *cap. vnico, de infant. exp. s. & l. 2. & 3. Cod. de infant. exposit. & l. finali, tit. 20. p. 4.* Et si expositus sit seruus, fit liber per talem expositionem, sicut habetur in adductis textibus.

5 Verum est tamen, quòd suscipiens ad alimentandum siuè filium, siuè seruum expositum, non acquirit ius aliquod nec in bona, nec in personam ipsius alimentati, præterquam in casu, quo ab initio alimentationis id protestetur, posita enim tali protestatione, poterit postea expensas ab alimentato repetere, quando fuerit soluendo. Ità habetur *d. l. 3. & d. l. fin. & d. cap. vnico.*

6 Quòd si filij, vel serui expositio fuerit facta inscio domino, aut patre, tunc & domino, & patri conceduntur decem dies ad repetendum seruum, vel filium, postquam fuisse expositum sciuerit; & sic traditur *cap. fin. dist. 87. cum*
7 *glos. ibi, vers. intrà, & ibidem* Turrecremata; qui dies currunt à die scientiæ; vt habet *ibi*
8 glossa, & vt dicit *l. fin. tit. 20. part. 4.* semper tamen restituens potest expensas repetere intrà dies decem post factam epistolam contestationis vt docent Syluester *ver. expositus, q. 1.* Angelus *eod. verb.* cum Tabiena *quæst. 1.* & alijs.

9 Sed est notandum, quòd si pater exponit filium, quia non habet vnde ipsum alat, tunc non perdit patriam potestatem, cum necessitate coactus id faciat, nec detur hospitale, vbi pauperes expositi deferantur; & sic habet Syl-

uester *verbo expositus, q.* 2. Tabiena *eodem verbo, q.* 3. Angelus *eodem verbo, num.* 3. & Rosella
10 *eod. verb. num.* 3. & ità dicit Glossa *cap. finali* 87. *dist. versic. expositus*, & alij. Non autem idem est de expositione serui, quia si dominus non poterat eum alere, debebat potiùs eum vendere, ac donare, iuxta opinionem Summistarum prædictorum, scilicet Syluest. Tabien. Angel. & Rosell. sed opinio contraria est verior, & eam tenent D. Antonin. Guillermus, & Turrecremata, qui addit, in tali casu seruum non euadere liberum.

11 Et taliter alimentans expositum potest expēsas repetere, quòd si eum fecit erudire in aliqua arte cum expensis, has potest exigere sibi restitui, sicut docent omnes, & constat ex *l.* 1. *Cod. de infant. exposit.* & ibi glossa *vers. restituas*.

12 Nec superfluum fuit prædicta scripsisse, cùm ex illis vellem discant, & Beneficiatus in casu nostro, & alij quilibet, quòd nihil deperditur per hoc, quòd expositum suscipiant ad alendum; possunt enim expensas repetere; & ideò id opus fuit ad auaritiam quorundam repel-
13 lendam, distinctè probare. Illud solùm est aduertendum à suscipientibus expositum, quòd ab initio alimentationis debent habere intentionem repetendi expensas, & hæc intentio dat illis ius pro foro interno ad repetendum eas, vt tradit Armilla *verb. expositus, num* 3. cum Tabiena, Rosella, Angelo, & Syluestro. Pro fo-
14 ro autem externo, debet protestationem externam facere, quali intentione suscipiat expositum ad alendum; sic omnes textus citati supra *sub num.* 11. *huius Decisionis*.

15 At si alimentans habuit animum exercendi pietatis actum, atque amore Dei expensas facere illi exposito, quia sic habuit animum donandi, propterea non poterit postmodum expensas repetere. Ità expressè habet *l. final. tit.* 20. *part.* 4. & idem docent præcitati omnes.

16 Excipitur tamen à Doctoribus casus ille, qui traditur *in l. patrem. Cod. de nuptijs*, & etiam *l.* 35. *tit.* 14. *part.* 5. nempe si pater exposuit filiam, & ipsius nutritor velit eam proprio filio matrimonio coniungere, sed pater filiæ recusat, tunc ob ingratitudinem poterit alimentans ex
17 pietate, alimenta repetere. Idem erit si ipse nutritor velit eam ducere, & ipsa, vel eius pater recusat huiusmodi matrimonium.

18 Et si dubium oriatur, an ex pietate fuerit expositus alimentatus; id decidetur à coniecturis, quæ sunt duæ iuxta Panormitanum *cap. vnico de infant. exposit. num.* 3. & Butrium *ibi, num.* 5. vna est si expositus est coniunctus, præsumitur causa pietatis fecisse, & in dubio est huic fauendum: altera est pro opposito præsumendo, si expositus non sit coniunctus, & sic possunt repeti expensę in hoc secundo casu, non in primo, nec in casu, quo alimentans ad id teneretur ex aliquo capite, vt ex se patet, & traditur à præcitatis Doctoribus, cum Ancha. *d. cap. vnico, num.* 8.

19 Pro qua ætate expositi verificentur prædicta, iam dixi *num* 42. *præcedentis Decisionis*, quòd ad septennium extenduntur, quia septennio non completo, non est completa infantia.

20 Si ergo ille, qui ad ianuam suam inuenit expositum vult eum suscipere ad alendum, debet statim decernere, an ex Dei amore, vel cum intentione repetendi expensas munus illud, velit præstarę. Vnde quia in casu nostro erat Beneficiatus ille, qui expositum ad domum suam reperit, poterat considerare, num ex redditibus beneficij superflua habebat, quæ pauperibus erogare teneretur; & si ea habebat, ea optimè potuisset applicare titulo eleemosynæ illi indigenti ad ianuam suam reperto, nutrici alicui eum cautè tradens, vt iuxta conuenta eum
21 enutriret. Quòd si ad huiusmodi eleemosynam se non poterat obligare, & aliũdè propriam famam in periculo videret, cùm suum possint gentes iudicare illum filium, tunc quidem consultiùs est eum non admittere, sed recusare, dummodò aliud non obstet, per quod astringatur aliquod officium erga expositum exercere.

22 Notanter dixi, *dummodò aliud non obstet*, quia in tanta necessitate fieri potest, vt inueniatur esse ipse expositus, quòd si possibile aliquod subsidium ei non exhibeatur, morietur, ex quo colligitur eum extitisse in extrema necessitate, in qua quilibet tenetur eleemosynam præbere, aut ex obligatione necessaria subministrare, se-
23 cundùm diuersitatem opinionum, quarum vna docet esse obligationem iustitiæ succurrendi extremè indigenti; altera verò dicit esse obligationem solius Charitatis; & hanc secundam opinionem docet Bannes 2. 2. *q.* 32. *art.* 6. Soto *lib.* 5. *de iustit. q.* 3. *art.* 4. *vers. & verò*. Nauar. *in summa latina, cap.* 24. *num.* 7. Ledesma 2. 4. *q.* 15. *art.* 3. cum alijs, & est opinio probabilior prima, quam tradit Spino *speculo testam. gloss.* 6. *num.* 8. Arragon. 2. 2. *q.* 32. *art.* 5. Caietanus 2. 2. *quæst.* 118. *art.* 3. cum alijs.

§. II.

§. II.

*Agitur de obligatione succurrendi exposito infanti, seu indigenti, & an licitè fuerit expositus.*

24 NVnc responsum facio ad dubium, num expositus ad propriam ianuam possit asportari ad ianuam alterius, & dico id esse licitum secundùm sequentes conclusiones.

Conclusio prima sit, quòd transferens expositum de sua ad alienam ianuam non peccat contra iustitiam, & propterea non incidit in obligationem restituendi expensas illi, qui eas faciet exposito. Ratio est, quia sic transferens expositum ad suam ianuam ad alterius ianuã, nec aliquid ab eo tollit de ipsius rebus, nec ad aliquid expendendum cogit, cùm in arbitrio sit etiam istius secundi non acceptandi expositum ad suam ianuam, sed illum potest iterum transferre ad aliam ianuam, vel ad aliquam Ecclesiam cum cautela ne periclitetur.

25 Sed dices: potest fieri, vt Iudex compellat eum, ad cuius ianuam tu expositum ad tuam ianuam transtulisti, vt ei faciat expensas; ergo in tali casu eum damnificas, & consequenter ad restitutionem teneberis, vndè contra iustitiam peccasti. Respondeo admittendo antecedens, at consequentiam nego; quamuis enim Iudex illum vellet compellere ad alendum expositum, quia id faceret non astrictus, ideò ego qui posui expositum ad ianuam illius, quem Iudex obligat ad expensas, non aliquid patraui contra iustitiam, nec ad aliquid restituendum teneor, sicuti tenerer si ex obligatione Iudex deberet illum compellere ad expensas expositi, tunc enim ego essem causa alterius damni.

26 Conclusio secunda sit, quòd quamuis necessitas expositi sit etrxema, sed ille qui eum ad suam ianuam reperit non habet superfluum de necessarijs, non quidem status, sed naturæ sibi, & suis, non tenetur ei aliquid dare, sed potest eum ad aliam domum exponere. Ratio est, quia Charitas cum tanto incommodo non obligat. Ità tenent Syluester *verbo eleemosyna, q.1.* Armilla *eodem verbo, num.2. & 3.* Angelus *eodem verb. num.1.* Tabiena *eodem verbo, q.5.* D.Thomas *4.dist.15.q.2.art.4. quæstiuncula prima.* Paludanus *4.dist.15.q.3.art.2.* Al-

27 main. *in vesperia, conclus.1. corol.1.* & alij. Sed nota, talem necessitatem cessare, si detur alius, qui succurrat, sicut docet D.Thomas *2.2.qu.32.art.5.ad 3. & quæst.71.art.1.* D.Antonin. *2.part.tit.1.cap.24.§.tertio.* Nauar. *in summa, cap.24.num.17.* Gregorius Lopez, Gerson, Armilla, Tabiena, & alii. Hinc est, quòd transferens ad alterius ianuam expositum, cui non potest ipse transferens subuenire, benè facit, cùm ei alter succurret.

28 Conclusio tertia sit, quòd quando quis habet superflua statui, & naturæ, non peccat contra Charitatem transferendo de sua ad ianuam alterius, qui est in promptu ad succurrendum exposito extremè indigenti; (non enim aliter obligat præceptum dandi eleemosynam extremè indigenti, nisi quando alter non sit promptus ad necessarium subministrandum) nam tunc cessat necessitas iuxta Nauar. *loco citato.*

29 Ideò non peccat ille, qui abundans facultatibus, nihilominus recusat expositum ad domum suam, eumque ad hospitale expositorum mandat talibus cautelis, vt nihil mali puero accidat; quia quamuis sic affluens opibus teneatur eleemosynas facere, non tamen obligatur huic dare, sed potest huic, vel alteri erogare, dummodò hic non laboret extremè, vel grauiter, & alter non sit in promptu, qui subueniat.

30 Conclusio quarta sit: si habens superflua naturæ, sed necessaria statui, recusaret subuenire extremè indigenti, qui alium in promptu non habet, vt ei succurrat, ille mortaliter peccaret contra Charitatis obligationem. Probatur, nam ordo Charitatis exigit, vt magis diligamus vitam proximi, quàm bona nostra ad nostram vitam non necessaria, vt benè dicunt omnes citati *supra, sub num. 26. & 27.* ergo habens superflua ad victum, sed necessaria ad statum, tenetur se priuare, vt extrema necessitate laboranti auxilium præstet, quandocunquè ab alio tale auxilum nõ sit in promptu vt subministretur; & hæc applicari debent ei, qui recusaret expositum extremè indigen-

31 tem, quæ omnia dicta in hac conclusione multò magis verificãtur in eo, qui habet superflua ad statum, & ad naturam. Videatur D. Thomas *4.dist.15.q.2.art.4.quæstiuncula 1.* & idem docent alij ferè innumerati, atquè similia colliguntur ex duodecima propositionum damnatarum ab Innocentio XI. qui inter alias quas damnauit, posuit *sub num. 12.* istam: *Vix in sæcularibus inuenies, etiam in Regibus superfluum statui, & ità vix aliquis tenetur ad eleemosynam, quando tenetur tantùm ex superfluo statui.* Ex hac propositione manifestum scandalum sequitur, quia quasi ex toto, imò & fortasse absolutè totaliter destruit eleemosynæ

præceptum, cùm per illam vix aliquis credet se habere de superfluis statui. Quidem contingere posset, vt ex præallatæ propositionis doctrina ferè omnes inferant, non solùm inter plebem, sed etiam inter diuites, & prædiuites, neminem obligari ad eleemosynam de superfluis statui, nam, si vix obligationem similem habent Reges, quia vix inter illos inuenitur superfluum statui, cùm tamen Reges abundent tum pro præsentibus, tum pro futuris necessitatibus citrà vitæ conseruandæ indigentiam; ergo à fortiori hoc totum veritatem habebit pro personis notæ inferioris, seu pro populo communiter, & sic nullus ad paupertatem subleuandam in proximo per eleemosynæ largitionem de superfluis statui putabit se teneri. Inducit ergo destructionem, vel saltem grauẽ læsionem præcepti eleemosynæ illa damnata propositio prout traditur scripta in sua ampla significatione animarum saluti perniciosa. Quare beneficiatus, de quo agimus in præsenti, aliundè metiri debet suam obligationem faciendi, vel non faciendi eleemosynam, succurrendo illi exposito indigenti, aut non succurrendo, & nõ ex adducta propositione duodecima inter damnatas ab Innocentio Vndecimo, per quam tamen non negatur, quin dentur actu habentes superflua statui, at quinam sint, propositio non asserit, sed vix tales inueniri docet inter sæculares, etiam Reges, & in hoc stat huius propositionis venenum, per quod indigẽtibus mors aliquo modo infertur, cùm vix obligatus eis succurrere de superfluis statui inueniatur, vndè præceptum eleemosynæ vix aliquos in praxi, licèt omnes sæculares in abstracto haberet obligare, data veritate præsentis propositionis meritò proindè damnatæ vt iacet, ac in sua generalitate, cùm de solis superfluis statui eleemosynæ sint regulariter erogandæ.

Imò monitum volo Beneficiatum, pro quo hæc scribo, oppositam dictæ doctrinæ propositionem esse censendam habere veritatem, & sic verum est, quòd *Vix in sæcularibus non inueniet, & maximè in Regibus superfluum statui, & ita non vix aliquis tenetur ad eleemosynam, quãdo tenetur tantùm ex superfluo statui*. Et vt istius propositionis veritatem, falsitatem verò illius damnatæ, & propriam obligationem in casu præsenti intelligat beneficiatus, vt inde constet solutio propositæ historiæ, quatenus plenè eruditus sciat quæ ipsi liceant, necne, quatuor necessariò debemus inquirere.

Primùm est, quot sint genera bonorum, de quibus eleemosyna potest, aut debet erogari.

Secundum est, quomodo sæculares, etiam Reges teneantur se gerere circa præceptum succurrendi indigentibus.

Tertium est, an Clerici comprehendantur sub nomine *sæculares*, de quibus fit mentio in præcitata propositione damnata.

Quartum est, quibus rationibus confutari possit dicta propositio. Hæc maioris claritatis gratia in distinctis Paragraphis tractabimus infrà, nimirum §. 4. 5. 6. & 7. in hac eadem Decisione.

Item moneo secundò eumdem beneficiatum, vt quatenus poterunt ipsi iuuare pro sua dubitatione, videat scripta à nobis in Decisione 40, *num.* 23. & in Decisione 67. per totam, in his enim Decisionibus plura docuimus circa exponentes pueros vel ad hospitale, vel ad ianuam proximi. Item videat nostram Decisionem quinquagesimam nonam, in qua varia diximus spectantia ad beneficiati obligationem circa eleemosynam erogandam de fructibus, quos ex redditibus beneficij colligit: nam de obligatione erogandi eleemosynam ex bonis patrimonialibus, dicendum est esse diuersam ab ea, quæ ratione beneficij fructus ex proprijs redditibus subministrantis beneficiato contrahitur. Verum tamen est, quòd in præsenti Decisione agitur magis indiuidualiter de eadem obligatione, quàm egerimus in Decisionibus præcitatis.

32 Denique pro terminatione præsentis Paragraphi obseruandum est, quòd ferè vnquam peccet mortaliter ille, qui defert ad ianuam alterius expositum ad suam. Ratio est, quia quasi semper adest probabilitas, quòd nõ alente ipso deferente expositum, hunc alter alet, eique subueniet; nec ipse expositus sit ordinariè loquendo in tanta necessitate, vt mori periclitetur, cùm ipsius parentes ipsum benè lactent, & current ei necessaria prouidere, quatenus nihil indigeat ad longum tempus, quod fortassè transibit priusquam recipiatur ab aliquo. Debet tamen etiam ille, qui illum portat de sua ad alterius ianuam, curare ne periclitetur, vel ibi diu manens, vel ex alia causa. Sed quia præfatæ diligentiæ, & cautelæ quasi nunquam omittuntur; ideò expositi raró sunt in extrema necessitate, sicuti dicit Enriquez *lib.* 7. *de matrim. cap.* 19. *num.* 7.

§. III.

§. III.

*Examinatur num sit irregularis beneficiatus in præsenti casu.*

33 QVia mortuus est puer à Beneficiato translatus ad alienam ianuam, ideò petit an irregularitatem contraxerit ex homicidio occulto, necnon & præter eius intentionem sequuto. Dixi *occulto*, non quia nullus mortuum esse sciat, cùm potiùs omnes publicè sint extincto compassi: sed dixi *occulto*, quia nemo scit fuisse illum beneficiatum, qui ad ianuam illam illum de sua transtulerat, sicque potuisset eius vitæ consulere, attentiusque videre, & præcauere an mori periclitaretur, quod cùm non fecerit, sit in causa mortis, licèt non volitæ. Dico regulam generalem esse, quòd quotquot sunt homicidæ, vel mutilatores iniustè occidentes, vel mutilantes, sunt Irregulares, si post baptismum id faciant, vt omnes Doctores
34 communiter tradunt. Homicidium autem intelligitur iuxta eius definitionem *corporis humani animati occisio*, vt docet D. Augustinus *lib.* 10. *contra Faustum*, *cap.* 23. & refertur *in cap. homicidium, de pænit. dist.* 1. Mutilatio verò
35 est solius membri amputatio; & de hac consulendi sunt Doctores, vt sciatur quando ex mutilatione contrahatur Irregularitas, ad nos enim hoc nunc non attinet.

36 Cùm ergo ex homicidio iniusto contrahatur Irregularitas, iuxta prædictam regulam generalem, sequitur pro nostro casu dicendum esse Irregularem Beneficiatum, qui ex culpa, vel casualiter secundùm infra dicenda, esset in causa mortis pueri expositi; quapropter teneretur se abstinere ab exercitio Ordinum Sacrorum, quia *Irregularitas est impedimentum canonicum, susceptionem Ordinum Sacrorum, & susceptorum vsum impediens*. Ità dicit Layman *l.* 1. *t.* 5. *p.* 5. *cap.* 1. cum omnibus communiter.

37 Non tamen teneretur beneficium deserere, quamuis ad beneficij functiones per Irregularitatem factus sit inhabilis; nam in tali casu licèt aliqui sentiant esse inualidam beneficij collationem; nihilominus probabile est non esse ipso facto irritam, sed meritò irritandam.

38 Sic Layman *loco citato*, *num.* 2. & 3. cum Syluestro, & Bonacina. Et quia Beneficiatus in præsenti facto dubitabat an esset Irregularis, ideò tenebatur se abstinere ab vsu Ordinum, aliàs grauiter peccasset, quia est peccatum mortale operari cum dubio in materia graui, qualis est ista, semper enim grauiter peccat ille, qui cum Irregularitate suscipit, vel exercet Sacros Ordines.

39 Nec à contractione Irregularitatis excusat, quòd homicidium illam inducens si esset publicum, sit solummodò occultum; vndè si beneficiatus occidat inimicum suum ex iracundia, seu alio modo voluntariè, & hoc nemo sciat, sed maneat perpetuè occultum, tenetur nihilominus ille beneficiatus se gerere vt verè Irregularis; ergo idem esset & in casu nostro pro beneficiato, qui esset causa mortis pueri expositi, quamuis id esset occultissimum. Ità tradunt D. Antoninus 3. *part. tit.* 29 *cap.* 2. §. *penult.* Couarruuias *in Clement. si furiosus*, *part.* 2. §. 3. *num.* 4. *de homicid.* Maiol. *lib.* 5. *cap.* 48. *in initio, num* 2. Ledesma 2.4. *quæst.* 26. *art.* 2. *de irregular.* Nauarrus *in manuali*, *cap.* 27 *num.* 194. *vers.* 6. & 7. & *nu.* 239. *vers.* 2. Corduba *lib.* 1. *q.* 35. & *casu* 41. cum alijs; nec de hoc licet dubitare sicuti dubitabatur, & disputabatur inter DD. ante Concilium Tridentinum, quia hoc rem fecit certam *sess.* 24. *de reformat. cap.* 6. & ratione Concilij palinodiam cantauit Castro *lib.* 2. *de lege pænali*, *in fine*, *in vltima additione*.

40 Sed vt ex homicidio etiam occulto Irregularitas incurratur, requiritur vt homicidium illud fuerit cum peccato mortali; non enim per solum peccatum veniale contrahitur Irregularitas, sicut tenent Sotus *lib.* 5. *de iust. quæst.* 1. *art.* 9. *in fine*. Valentina *tom.* 4. *disput.* 7. *quæst.* 19. *punct.* 3. §. 5. Petrus Nauarra *lib.* 2. *de restit. cap.* 1. *dub.* 6. *coroll.* 2. *num.* 69. alijque communiter contra Caietanum 2. 2. *quæst.* 64. *art.* 8. Ra-
41 tio est, quia Irregularitas est pœna grauis, cùm priuet vsu, & susceptione Ordinum; ergo non nisi ex culpa graui, & mortali erit incurrenda.
42 Item, quia secundùm Panormitanum *in cap. pastoralis*, §. *verùm*, *num.* 15. *de appellat.* & secundùm Petrum Nauarrum *loco citato*. Irregularitas semper supponit contemptum, & con-
43 temptus est semper peccatum mortale. Item, quia non contrahitur irregularitas, quæ non sit imposita in iure, *cap. is, qui de excommunicat. lib.* 6. sed in iure numquam imponitur, nisi ob culpam grauem; ergo non incurritur, nisi ex
44 peccato mortali. Tandem suadetur ex eo, quòd leges non soleant punire culpas leues, qualis est culpa venialis, & culpa imperfecta; imò & consonum æquitati patet esse, quòd culpæ commensuretur pœna, & ideò si pœna præscripta sit grauis, supponet debere quoque esse grauem & culpam.

45 In casu nostro homicidium sequutum non

puto dari cum graui culpa Beneficiati, imò nec homicidium fortè potest dici; sed potiùs mors naturalis illius expositi. Ducor, quia ex supradictis *sub num.* 32. expositi ordinariè loquendo prouidentur à parentibus de necessarijs ad aliquod longum temporis spatium, & ideò ex hoc capite ferè vnquam periclitantur, propterea si mors sequatur, potest id euenire ab aliqua expositi infirmitate inexcogitata, vndè mortis ipsius nullus sit in causa, ac consequenter nec peccet, nec irregularis fiat. Si ergo Beneficiatus in nostro casu non præuidit mortis periculum in illo exposito; aut si præuidit, ei prouidere non potuit, quia non habebat superflua ad naturam; aut iudicauit se benè consulere vitæ infantis, illum asportando ad domum nutricis, ad cuius ianuam eum exposuit; certum est nullum commisisse peccatum mortale, ac per consequens nec in irregularitatem incidisse.

46 Probatur etiam, nam Beneficiatus iste, vt suo ore fassus est, nec minimum scrupulum habuit, expositum illum fore moriturum, quo animo operans, dedit operam rei licitæ in ipsius translatione ad alterius ianuam; maximè quia cogitabat sic illum tradere nutrici: sed quandocunque aliquis dat operam rei licitæ, & adhibet diligentiam ne homicidium sequatur si hoc sequitur, non fit irregularis, vt colligitur à pluribus textibus, vt *ex cap. lator, cap. dilectus filius; cap. ex litteris.* 2. *cap. significasti.* 1. *cap. Ioannes, & cap. fine. de homicid. & cap. hi qui. cap. sapè. & cap. si duo fratres, distinct.* 50. ergo in casu nostro, cùm beneficiatus adhibuerit diligentiam pro vita expositi, illum portando ad ianuam nutricis, non est factus irregularis per mortem eiusdem infantis sequutam ad fores ianuæ, ad quam illum de sua ianua asportauerat. Et ratione suadetur, quia talis mors est omninò inuoluntaria, & sinè culpa, respectu ipsius beneficiati, cui licitum erat transportare expositum de sua ianua ad ianuam alterius, vt supra probauimus fusè posse fieri, seruatis traditis cautelis, contra quas non apparet defecisse beneficiatum casus nostri.

47 Nec contra militat, si dicatur: Irregularitas contrahitur etiam ex homicidio casuali, vt docet Sayro *de Censuris lib.* 7. *cap.* 1. *num.* 6. sed mors expositi à benficiato ad ianuam nutricis, est verè homicidium casuale respectu eiusdem beneficiati; ergo iste erit irregularis. Respondeo, quòd non quodcunque homicidium casuale inducit irregularitatem, sed illud solummodo, quod est aliqualiter volitum. Et vt clarè constet, quandonam homicidium casuale

48 reddat irregularem, debent tria notari. Primum est, quòd dicebatur numero antecedenti, nempe, quòd quando quis dat operam rei licitæ, & omnem diligentiam ponit, ne homicidium sequatur, tunc si sequetur non fit irregularis, quia est omnino inuoluntarium, & sinè

49 graui peccato, imò sinè aliqua culpa. Secundum est, quòd quando dat quis operam rei licitæ, sed non adhibet diligentiam, quam debet, ne sequatur homicidium, fit irregularis, si homicidium succedit. Ita colligitur *ex cap. presbyterum, & cap. ad audientiam, de homicid.* & ratio est, quia tale homicidium est indirectè volitum per omissionem eius diligentiæ, quam non omittere tenebatur, in qua omissione est

50 peccatum mortale iuxta Caietanum, qui dicit, quòd talis diligentia, quæ in prædictis fuit assignata, non requiritur vt sit exactissima, & summa, qualis adhiberetur à viro summè circumspecto, & diligenti; sed sufficit quòd adhibeatur diligentia talis, qualis debuit adhiberi pro qualitate facti, temporis, & personæ, prout hoc

51 videbitur viro prudenti, sicut traditur per *l.* 1. *ff. de iure deliberandi*. Ex quo sequitur non fieri irregularem eum, qui aliquid diligentiæ omisit, quod vir perspicacissimus non omisisset. Ità Panorm. *in cap. quæsitum, num.* 3. *de pænit.* Tabiena, *var. irregularitas* 1. §. 5. cum Syluestro *verbo homicidium* 2. *in princip. regula* 4. & in his duobus prænotatis, inuenio non dissentire, imò consentire inter se DD.

52 Tertium quod debet notari est, quòd quando quis dat operam rei illicitæ, ex qua directè, vel indirectè, aut periculosè, vel communiter sequitur mors hominis, fit irregularis, si de facto sequatur homicidium, quia saltem indirectè illud est volitum. Si autem in tali opere illici-

53 to adhibeat diligentiam, tunc sic resoluendum est. Si ex illo opere illicito, & ei prohibito sequatur homicidium, aut mutilatio periculosè; tunc non obstante quacunque adhibita diligentia, ne sequatur, si sequitur, fit irregularis. Ratio est, quia eò ipso quòd dat operam tali operi, quod ex se est periculosum ad homicidium, censetur velle saltem indirectè tale homicidium; nec excusat diligentia adhibita, quia

54 ista non mutat naturam rei. Idem multò magis est tenendum, si ex illo opere illicito sequatur communiter mors alicuius hominis. Idem

55 à fortiori dico, si in illo opere illicito vult directè, seu indirectè homicidium: requiritur tamen in his duobus vltimis casibus, vt homicidium sequatur, aliàs irregularitas non incurritur;

tur; imò & in quolibet casu, non stat irregularitas sinè homicidio exequutiuè sequuto.

56 Quando postea quis dat operam rei illicitæ, quæ nullo modo fit ex se periculosa, vt homicidium sequatur, & tale opus illicitum exercetur cum debita diligentia, ne homicidium sequatur, si fortuitò sequitur aliquod homicidium, non est irregularitatis illatiuum. Ratio est manifesta, scilicet quia est omnino inuoluntarium, ac proinde non peccaminosum, licèt sit illicitum, prohibitum, & peccaminosum opus, quod fit.

57 Dans autem operam rei illicitæ cum negligentia in cauendo, ne homicidium sequatur, fit irregularis, si sequitur; nam est indirectè, vel vt in causa volitum, & ideo est grauiter peccaminosum. Hæc omnia sufficiat leniter tetigisse, quatenus inseruiant ad præsentem nostram decisionem; at si quis cupiat ea copiosiùs libare, adeat Sayrum *de censuris, libro septimo, per totum dictum librum*, & leget vnum Doctorem pro mille.

58 Igitur Beneficiatus in casu nostro, si demus euasisse Irregularem, tamquam causa illius homicidij occulti; poterit nihilominus beneficium possidere, quia per Irregularitatem non amittitur beneficium antè Iudicis sententiam, vt supra tradidi *sub n. 37.* & iterum nunc idem confirmo cum Rebuffo, Couarruuia, Nauarro, Lopez, Felino, Panorm. Corduba, & alijs, quos refert, & sequitur Sanchez *consiliorum lib. 2. cap. 2. dubio 14. num. 6.* Nec erit obligatus benefi-
59 cium renunciare, sicuti esset si haberet beneficium Curatum, & irregularitatem incurreret, à qua dispensationem non posset obtinere, quia gregi non posset inseruire, vt docet cum multis idem Sanchez *lib. cit. dub. 15. num. 4.* Esset ta-
60 men in conscientia astrictus, se abstinere ab ordinis vsu, vt iam dixi supra *sub num. 36.* quia est effectus Irregularitatis, impedire ab ordinum
61 sacrorum susceptione, & vsu. Dispensationem verò non poterit obtinere ab Episcopo, ex vi facultatis ipsi concessæ à Tridentino *sess. 24. de reformat. cap. 6.* nam licet possit dispensare in omnibus irregularitatibus prouenientibus ex quocunque delicto occulto in foro conscientiæ; excipitur tamen homicidium voluntarium etiam occultissimum, ex quo irregularitas sit sequuta. Igitur à Papa esset dispensandus.

62 Et casu quo ei irritaretur collatio beneficij, non amitteret fructus eiusdem beneficij obtenti antè irregularitatem. Ita Nauarrus *consiliorum lib. 5. tit. 3. de simonia, cons. 56.* Enriquez, qui alios citat *lib. 13. de excommunic. cap. 56. nu. 4.*
63 & alij. Oppositum est dicendum, si cum irregularitate beneficij collatio obtineatur, quia ipso iure est nulla, & sic patet *cap. dudum 22. de*
64 *elec.* quia inhabilis ad vnum, est inhabilis quoque ad ei annexum, *cap. translato, de constitut.*

65 At firmiter tenendum est non esse Irregularem Beneficiatum istum in casu nostro, sicuti talem non esse probatur, & concluditur ex allatis supra. Nam transferens expositum, dedit operam rei licitæ, ex qua communiter non sequitur mors; & insuper adhibuit omnem diligentiam, ne ex illa translatione de sua ad alterius ianuam moreretur, & ideò ad ianuam nutricis tulit, in quibus omnibus nec periculosè poterat mors contineri, neque timeri; & nec puerum ægrotare apparuit; sicuti nec moriturum esse credidit; ideò homicidium istud est omnino inuoluntarium, & sinè culpa beneficiati; ac per consequens iste non erit irregularis, & sic sequitur esse concludendum ex prædictis doctrinis, præcipuè ex adductis *sub numeris 40. vsquè ad 48. inclusiuè huius decisionis.*

## §. IV.

*Quot sunt genera bonorum, de quibus eleemosyna potest, aut debet erogari.*

66 Certum est dari tria genera bonorum, de quibus dubitari potest, an in eleemosynam sint largienda. Primum genus est bonorum, quæ sunt necessaria ad sustentationem naturæ dantis eleemosynam, & suorum, idest sinè quibus vitam suam, & suorum conseruare nequit, istaque bona dicuntur necessaria ad naturam. Secundum genus est bonorum, quæ superfluunt demptis illis primi generis, ideoque superflua naturæ nuncupantur. Tertium genus continet bona necessaria ad statum, videlicet quæ desiderantur ad vitam, statumque decentem suum, & suorum, habita ratione eorum casuum, qui probabiliter timeri; & expectari debent, & quos recta prudentia considerat, non verò inspectis omnibus casibus possibilibus. Ità D. Thom. 2. 2. *quæst. 32. art. 5. ad 3.* Caietan. *opusc. tom. 2. tract. 5. de præcepto eleemosinæ, cap. 2. & 6.* Bannes 2. 2. *quæst. 32. art. 6.* Viguer. *lib. institut. cap. 12. §. 2. vers. 5* Syluest. *verb. eleemosyna, quæst. 1.* Tabiena *eod. verb. quæst. 6.* D. Antonin. 2. *part. tit. 1. cap. 24. §. 3.* Nauarr. *summa, cap. 24. num. 6.* & est communis.

67 Deinde est aduertendum, quòd nomine *status*, veniunt conuiuia honesta, munera honesta, & mo-

& moderatæ magnificentiæ iuxta propriam cuiusque conditionem. Ità Angles *florib. 1. part. de eleemosyna, quæst. 3. diffic. 2.* Corduba *lib. 1. quæstion. quæst. 26. vers. secundò necessaria.* Armilla *verb. eleemosyna, num. 2.* Caietan. *in summa, verb. eleemosyna,* & *d. cap. 6.* Bannes, & Nauarr. *loc. cit.* Et notat Caietanus *in summa loc. cit.* quòd sicut multis sublatis ab aliquo, hic non propterea censebitur indigens; sic è contra multis adiunctis, non propterea superfluit. Id optimè notatur à Caietano loquendo in sensu generali, cùm in casibus particularibus euenire possit oppositum, vt ex se patet. Hinc superfluum considerandum est, inspectis sumptibus honorabilibus, etiam filiorum, familiæ, qualitatis propriæ munificentia, communibus euentibus, hæredibus, & alijs huiusmodi; & ideò non dicentur superflua statui ea, quæ reseruantur pro dote filiarum, & ad necessitates communiter occurrentes ex morbis, ex bellis, & ex fame; Sic docent Bannes *d. art. 6.* Palaci. *4. dist. 15. disp. 6.* additque Ledesma *2.4. quæst. 13. art. 3. fol. 116. pag. 2.* non esse superfluum id, quod reseruatur consanguineis, vel alumnis indigentibus. Ex dictis concluditur, dici superflua statui ea bona, quæ supersunt attento statu suo, & suorum, consideratis casibus communiter occurrentibus.

68 Sed circa iudicium ferendum de casibus communiter occurrentibus, quos recta prudentia considerat, non leuis difficultas insurgit, an tales sint iudicandi casus sequentes, itaut non sit censendum superfluum statui, quidquid reseruatur pro ascendendo ad altiorem statum: pro dotanda Capellania, & pro erigenda Ecclesia; nam si reseruatum in his casibus non cōputabitur tamquam superfluum statui, consequenter non erit de illis facienda eleemosyna, quandò ex superfluis statui est facienda. Ad hæc resoluenda, sequentes pono conclusiones.

69 Conclusio prima: Si proximi necessitas non est grauis, poterunt prædicta reseruari, dummodò quoad ascendendum in statu, sit probabilis talis ascensus; idest sit idoneus, & habilis ad illum ipse procurans, nam si rusticus ad statum Comitis vellet ascendere, ridiculum esset, vt habet Bannes *d. art. 6. vers. ad secundum,* sed data probabilitate ascensus, licebit reseruare vbi necessitas proximi non est grauis; & sic tradunt DD. communiter.

70 Conclusio secunda: Satis probabile est, quòd ea bona non possint reseruari ob motiuum ascendendi in statu, si proximi necessitas est grauis. Ratio est, quia verè illa bona sunt superflua absolutè, quamuis respectu status altioris intenti, non sint superflua secundùm quid. Ità Bannes *vbi suprà.* Caietan. *2. 2. quæst. 118. art. 3. in fin.* Aragon. *2. 2. quæst. 32. art. 5.* Cordub. *lib. 1. quæstion. quæst. 26. vers. respondeo negando*; hancque opinionem vocat probabilem Ledesma *loc. supra cit.*

71 Conclusio tertia: Probabile est, non licere ea bona reseruare ad Ecclesias erigendas, vel ad Capellanias dotandas, si necessitas proximi sit grauis, nisi cultus diuinus maximè periclitaretur defectu harum rerum, nam dato tali periculo licebit. Hanc conclusionem tradunt Ledesma, & Aragon. *locis citatis.*

72 Conclusio quarta: Sequendo probabilitatem opinionum in his tribus conclusionibus traditarum, patet esse dabiles casus, in quibus licebit reseruare bona statui superflua secundùm vnum finem, non verò secundùm alium, quia quatenus ex iusto fine non sunt superflua statui, non erunt eroganda in eleemosynam, quando ex superfluis statui est facienda, proximi necessitate inspecta, num sit grauis, necne, nam quando esset extrema, certum est, non licere sibi reseruare superflua statui.

73 Hinc nonnulli Authores considerantes hominum prætensiones, temporum, rerumque mutationes, viderunt vix dari inter sæculares, imò & inter Reges aliquem, respectu cuius non verificentur saltem aliqua ex prædictis sub *nu. 66. 67. & 68.* circa quæ bona debeant reputari non superflua statui, cùm casus occurrentes bellorum contra Reges, isti non raró cogantur repellere: quisquè cupit ascendere, malis irruentibus in corpore, in facultatibus, in familia, in hæredibus vix aliquis non subiacet: ergo vix inuenies inter sæculares, etiam Reges, aliquos habentes superfluum statui, ideoque vix aliquis tenebitur eleemosynam facere, quando de superfluis statui est facienda. Hanc consequentiam prædicti Authores, quorum nomina non est opus afferre, intulerunt ex datis antecedentibus, sed non benè fuerunt argumentati, cùm interdum vrgat obligatio se priuandi, vt indigenti succurratur ex proprijs bonis licèt aptis ad fines aliquos consequendos: Imò vix inuenitur inter sæculares, & à fortiori inter Reges, habens tātam necessitatem omnium bonorum suorū in ordine ad ascendendum in statu, ad resistendum infortunijs probabiliter euenturis: ad subministrandum filijs, familiæ, hæredibus, &c. vt saltem aliquid in eleemosynam nequeat dare, & quidem sinè sui, suorumque detrimento: ergo falsa, imò scandalosa est illata consequen-

quen-

quentia, quam propterea damnauit Innocentius XI. in propositione allegata suprà, *num.* 31. quam latiùs impugnatam videbimus ex dicendis infrà, §, 7. Non debet igitur beneficiatus sibi regulam facere hanc damnatam doctrinam, vt ipsi inhærendo censeat se non teneri ad aliquid in succursum indigentis pueri expositi erogandum, vnde tota conscientiæ securitate poterit illum ex propria, ad vicini ianuam asportare. Rogat igitur idem beneficiatus, vt ei per extensum declarem, quomodo quis teneatur ad eleemosynam, maximè si habeat redditus ex beneficio vnà cum alijs ex patrimonio; si enim id minimè declarem, plenam resolutionem sui casus in hac decisione examinati, non consequetur. Annuo roganti subdens sequentia.

## §. V.

*Quos, & qualiter obliget præceptum eleemosynæ.*

74 QVatuor vt certa, & ab omnibus admissa expedit vt præmittam.

Primum est, & de Fide, nimirum dari præceptum eleemosynæ, vt habetur ex Deuteronom. *cap.* 15. ex Matth. *cap.* 25. & ex Ioannis *epist.* 1. *cap.* 3.

75 Secundum est, neminem teneri ad eleemosynam, de sibi, ac familiæ suæ necessarijs quoad naturam. Ratio est, quia iuxta Charitatis ordinem quisquè magis tenetur subuenire sibi, & suis, quàm alijs in conseruatione propriæ vitæ, nisi aliud obstet, vti esset si alij sint Reipublicæ adeò necessarii, vt nisi illis subueniatur, Respublica peribit, nam in tali casu persona priuata se, suaque exponere tenetur pro Republica: Ità D. Thomas 2. 2. *q.* 32. *art.* 6. & alij.

76 Tertium est, quemquàm non teneri ad eleemosynam de superfluis ad naturam, sed necessarijs ad statum, quando proximus non laborat nec extrema, nec graui necessitate. Medina *C. de eleemosyna, quæst. de necessitate faciendi eleemosynam*, ait id esse certissimum.

77 Quartum est, quemlibet teneri de superfluis ad naturam, & ad statum dare eleemosynam proximo extremè indigenti. Ratio est, qui ex parte dantis habetur omnimoda superfluitas, & ex parte indigentis summa necessitas, sicque si in hoc casu non obligaret præceptum eleemosynæ, non daretur alter casus, in quo obligaret adeòque à Medina, & Bannes *loco citato* affirmatur id esse tam certum, vt oppositum dicere sit erroneum.

Postquam prædicta tradidimus tamquam indubitata, aliqua remanent dubia in præsenti necessariò soluenda.

78 Dubium primum: An de necessarijs ad statum, sed ad naturam superfluis teneatur quis in eleemosynam dare constituto in extrema necessitate. Aliqui affirmant teneri; alij negant. Hi sunt Rosella *verb. eleemosyna* 1. *initio*. Pisana *eod. verb. num.* 1. Vigueri. *lib. instit. cap.* 12. §. 2. *vers. quintò.* & alij. Illi, qui affirmant sunt D. Thom. 4. *dist.* 15. *quæst.* 2. *art.* 4. *quæstiuncula* 1. Paludan. 4. *dist.* 15. *quæst.* 3. *art.* 2. Caietanus *opusc. tom.* 2. *tract.* 5. *de precepto eleemos. cap.* 2. & 6. Medina *supra*. Syluest. *verb. eleemosyna, quæst.* 1. Armilla *eodem verbo, num.* 2. & 3. Tabiena *eodem verbo, num* 5. Palud. 4. *dist.* 15. *disput.* 6. *fol.* 96. Nauar. *cap.* 24. *num.* 9 & alij multi, cum quibus censeo esse sentiendum, ità tamen vt quis non teneatur quærere quinam extremè indigeat, sed tenebitur succurrere solùm quando id nouerit; nisi aliùnde teneretur quærere. Sic D. Thomas 2. 2. *q.* 71. *art.* 1. Ludouicus Lopez 1. *part. instruct. noui, cap.* 41. Abulens. *in cap.* 6. *Matth. quæst.* 34. & 74. Corduba *lib.* 1. *quæstionum, quæst.* 18. *vers. & si quæratur*. Hæc tamen intellige, nisi alius sit in promptu, vt succurrat, quia in tali casu non teneretur, cùm sic cesset necessitas, vt docent D. Thom. 2. 2. *quæst.* 32. *art.* 5. *ad* 3. & *quæst.* 71. *art.* 1. Caietan. *opusc. tom.* 2. *tract.* 5. *de præcept. eleemosyna, cap.* 2. Armilla *verb. eleemosyna, nu.* 2. Tabiena *eodem verbo, quæst.* 6. D. Antonin. 2. *part. tit.* 1. *cap.* 24. §. *Tertiò*. Ratio suadens, quòd ad propositum dubium sit respondendum teneri, est quia rectus Charitatis ordo exigit, vt plus diligamus vitam proximi, quàm propria bona, quæ ad vitam necessaria non sunt, qualia sunt superflua ad naturam, licèt necessaria ad statum. Ratio autem pro parte asserente non teneri, est quia sequeretur, quòd interdum quis teneretur consumere totum patrimonium opulentum, imò & dignitates maximas relinquere, existente alio in extrema necessitate; quare cùm hoc videatur nimis durum, consequenter non est admittendum. Sed huic sequelæ respondetur non rectè inferri, nam dubium versatur circa necessaria statui, sed non in eo necessitatis gradu, vt vita alicuius non præponderet eidem gradui necessitatis.

79 Dubium secundum: An de superfluis naturæ, & statui extet obligatio dandi eleemosynam tantùm in extrema necessitate. Affirmant Alens. *p.* 4. *q.* 113. *membr.* 1. Præposit. *cap. sicut*

hi,

*bi, dist.* 47. Panormit. *cap. si verò, de iniurijs, num.* 6. Maior 4. *dist.* 15. *quæst.* 7. & alij. Ducuntur, quia nemo tenetur procurare proximo, vt benè sit, sed solùm vt sit, & viuat. Item, quia quisquè tenetur sibi subministrare sola necessaria ad victum: ergo à fortiori & alteri. Sed verior est sententia negans: Suadetur, nam inter amicos omnia sunt communia, & Charitas versatur erga omnes vt vera amicitia. Item, quia est in præcepto ordo Charitatis, & sic est magis diligendus status proximi, quàm bona superflua nobis. Item, quia quilibet tenetur ad eleemosynam, vel propter proximi necessitatem extremam, vel quia habet bona superflua. Ità D. Thomas 2. 2. *quæst.* 32. *art.* 5. *in corpore*, & *quæst.* 118. *art.* 4. *ad* 2. Syluest. *verb. eleemosyna, quæst.* 1. Tabiena *eodem verbo, quæst.* 5. Armilla *num.* 2. *&* 3, Angel. *num.* 1. Nauar. *cap.* 24. *num.* 5. Caietan. *summ. verb. eleemosyna.* Richard. 4. *dist.* 15. *quæst.* 2. *art.* 2. Turrecrem. *cap. singulis*, 86. *dist. num.* 6. Spino *specul. testam. gloss.* 6. *num.* 11. *&* 15. Bannes 2. 2. *quæst.* 32. *art.* 6. *dub.* 1. *&* 2. Couarru. 3. *variar. cap.* 14. *num.* 5. Ad rationes primæ sententiæ respondetur, & negatur prima, nam verè tenemur procurare vt proximus benè sit, quidem non vtcunquè, benè verò vt sinè notabili necessitate sit, & viuat. Ad secundam rationem dicitur, ideò neminem teneri (si aliud non obstet) sibi procurare vltra necessaria, quia potest cedere iuri suo; verùm cedere non potest iuri alterius, qui à me potest exigere, vt succurratur.

80 Dubium tertium: An habens superfluum statui teneatur dare eleemosynam tantùm in quasi extrema, vel graui necessitate; vel an etiam teneatur in communibus necessitatibus. Teneri tantùm in quasi extrema, vel graui necessitate docent Couarru. 3. *variarum, cap.* 14. *num* 5. Sot. *lib.* 5. *de iust. quæst.* 8. *art.* 1. Nauarr. *lib.* 3. *de restit. cap.* 1. *num.* 358. Salon. 2. 2. *quæst.* 81. *art.* 1. Probant hanc opinionem, nam aliàs oporteret multos diuites defectu eleemosynæ damnare. Item, quia nullus posset statum mutare, cùm tot sint pauperum communes necessitates. Sed teneri in communibus necessitatibus dicendum est pro veriori sententia, quæ probatur ijsdem rationibus præallegatis supra, numero antecedenti, necnon ex Sacris Scripturis, & ex Sanctis Patribus allatis à Bannes, & Aragon. 2. 2. *quæst.* 31. *art.* 5. eamque tradunt Victoria, Cano, Abulensis, Honcala, Spino, Corduba, & Nauarr. *sum. cap.* 24. *num.* 5. & alii. Ad fundamenta prioris sententiæ dicitur, quòd cum prudentia debet intelligi obligatio dandi eleemosynam etiam in communibus necessitatibus, & sic non sequuntur inconuenientia præsupposita. Circa hoc est notandum, quòd habentes superflua, si statuant eleemosynam non dare etiam in communibus necessitatibus, aut si in hoc sint notabiliter negligentes, mortaliter peccant; licèt enim statim ac habent superflua non teneantur illa in eleemosynam erogare, tenentur tamen modo humano, & morali curam pauperum habere, vndè sinè graui peccato non possunt diuites nec virtualiter statuere nolle eleemosynam dare. Obligatio autem dandi eleemosynam non est circa hunc, vel illum pauperem determinatè, saltem si non laboret extrema, vel graui necessitate, sed potest dari alteri pauperi. Ità D. Thomas *quodlibet.* 8. *art.* 13. & 2. 2. *quæst.* 66. *art.* 7. & *ibi* Caietanus, Syluest. *verbo eleemosyna, quæst.* 1. Nauarr. *summa, cap.* 24. *num.* 5. & alii. Et quamuis aliqui dicant non teneri diuitem dare eleemosynam huic pauperi determinato, nisi extremè egeat; nihilominus veriùs est, teneri etiam quando grauiter eget. Nauar. *de restit. lib.* 2. *cap.* 1. *num.* 373. & alij.

81 Dubium quartum: An de necessarijs ad statum teneatur quis aliquando eleemosynam dare citrà extremam necessitatem. Prima sententia vult teneri in quasi extrema, seu graui necessitate, quia videtur contra Pietatem, & Charitatem tunc non subuenire. Ità Medina *C. de eleemosyna, quæst. de necessitate faciendi eleemosyn.* Angl. *floribus* 1. *p. materia de eleemosyna, quæst.* 3. *difficult.* 6. Victoria, Soto, Cano, & alij, quos refert, & sequitur Bannes 2. 2. *quæst.* 31. Secunda sententia probabilior est, non teneri, quia non tenetur quis indecenter suo statui viuere, nisi vt subueniat extremè indigenti. Sic Nauar. *de restit. lib.* 3. *cap.* 1. *num.* 358. Nauarrus *summa, cap.* 14. *num.* 5. Ledesma 2. 4. *q.* 18. *art.* 3. *in fine.* & est communis, eamque docet etiam D. Thomas 4. *dist.* 15. *quæstion.* 2. *art.* 4. *quæst.* 1.

82 Dubium quintum: An dum quis tenetur eleemosynam dare, teneatur dare gratis, vel satisfaciat mutuando. Pro responsione est prænotandum, extremam necessitatem esse duplicem, nam vna vocatur simpliciter extrema; alia secundùm quid. Illa est, quando hic, & nunc extremè indiget, nec alibi habet bona: Ista est, quando habet alibi bona. Si ergo alibi habet bona, verè non est pauper, atquè ideò satis erit ei mutuare: Ità Doctores communiter, Si verò alibi non habet bona, sed habet vires ad acquirendum prout solet victum quærere;

rere: aut habet artem, seu spem proximè habendi, non est iste dicendus simpliciter pauper, ac propterea sufficit illi mutuare, dummodò in pactum absolutum non inducatur, vt restituat acquirendo, sed solùm sub conditione, scilicet quando deuenerit ad meliorem fortunam, si mutuum fiat de superfluis statui. Ratio est, quia cum tanto onere non est subueniendum de superfluis. Si autem mutuum fiat de necessarijs statui, æquum erit vt pauper det operam ad satagendum, vt restituat, nisi velit ingredi in Religionem, cùm æquum non sit, quòd propter extremam necessitatem, quam vitare non potuit, fiat peioris conditionis quàm antè quoad statum perfectionis. Ità Nauarra *vbi supra, num. 369. & seq.* & alij.

Notandum est etiam, quòd obligatus succurrere debet esse certus, sufficere commodare in extrema necessitate, si res non sit vsu consumptibilis. Ratio est, quia ad indigentiam subleuandam sufficit vsus rei, quo adhibito res manet salua pro domino. Nauarra *supra, num. 366.* Sot. *lib. 4. de iust. quæst. 7. art. 1.* & alii; Sed circa hoc est aduertendum, quòd si necessitas indigentis sit de re vsu consumptibili, & alter non habeat nisi v.g. equum, tunc tenetur ei gratis dare, vt vendat illum, & ex pretio emat v.g. cibum. Ratio est, quia res vsu consumptibilis debet dari gratis, & ille equus substituitur pro ea re vsu consumptibili.

83 Dubium sextum: An extremè indigenti simpliciter, satis sit mutuare rem vsu consumptibilem. De hac difficultate hæc vna opinio tenenda est, non satis esse mutuare, sed teneri donare; nam non sufficit subuenire, sed danda est eleemosyna, quæ donationem importat. Ità Viguer. *lib. instit. cap. 12. § 2. vers. quintò.* Angles *supra, difficult. 7.* Sot. Bannes, & alij. Si verò agatur de necessitatibus communibus diues satisfaceret mutuando indigenti, cùm non teneatur dare huic pauperi determinatè, sed alicui indeterminatè. Sic Ledesma 2.4. *q. 15. art. 3.* & Bannes *supra*. Non est ergo tenenda alia sententia, si quæ datur circa dicta in hoc numero, licèt aliqualiter quoad aliquid contrarium dicant Adrian. Couarru. Medi. & Nauarr.

84 Dubium septimum: An in extrema necessitate sit danda eleemosyna ex iustitia, vel Charitate. Non pauci sentiunt esse dandam ex iustitia, sed probabiliùs est esse dandam ex Charitate, vndè qui non daret, restituere nec rem, nec damna secuta deberet. Sed hæc constabunt ex numero sequenti.

85 Hactenus egimus de obligatione dandi eleemosynam quantùm attinet ad forum animæ; at & alia restant inquirenda pro foro fori, & ista cursim examinabo in sequentibus quæsitis.

Quæro primò, an diuites possint à Iudice cogi ad erogandum eleemosynam, quando eam facere tenentur. Respondeo, quòd si necessitas sit extrema, poterit Iudex siuè Ecclesiasticus, siuè Sæcularis cogere obligatos, vel obligatum ad succurrendum. Ità Doctores communiter. Si verò necessitas non sit extrema, adhuc Iudex prædictus poterit cogere si talis necessitas sit grauis, & diues habeat superflua statui. Sic Syluester, Nauarra, Nauarrus, Palaci. Caiet. & alij, præcipuè quia dicunt posse Iudicem absolutè cogere ad eleemosynam faciendam. Cæterum Sot. Sarmien. Spino, & Couarru. oppositum docent, imò idem Couarru. *3. variarum, cap. 14. num. 5. versic. vtcunquè,* addit habere tantum modò locum, quando etiam diuites habent superflua statui.

Quæro secundò, an pauperes extremè laborantes habeant actionem contra diuites, vt eleemosynam largiantur. Respondeo negatiuè, sed tantùm possunt implorare Iudicis officium, vt eos cogat dare. Sed habere actionem docent Aragon. Spino, & Sarmient. dato, quòd eorum necessitas sit extrema, & hæc opinio fundatur in hoc, quòd de iustitia teneantur eleemosynam dare in ea necessitate. Videantur Aragon *2. 2. q. 32. art. 5. fol. 742.* Spino *speculo testam. gloss. 6. num. 8.* Nihilominus quia vt numero præcedenti diximus, hoc debitum esse ex sola Charitate; propterea nunc statuimus contra Authores proximè citatos, pauperes non habere actionem contra diuites, licèt necessitas sit extrema, & à fortiori si sit solùm grauis. Ità pro veriori sententia censeo tenendum cum glossa *cap. sicut, vers. esurientiam. 47. dist.* Tiraquell. *de nobilit. cap. 29. num. 46.* vbi multos pro se citat. Couarr. *3. variar. cap. 14. num. 5.* cum pluribus à se relatis. Butrii. Imol. Panormit. Anton. de Burg. *cap. 1. de emptio.* Syluest. *verbò eleemosyna, quæst. 6.* Angel. *eodem verbo, num. 11.* & alii, hæcque opinio est communis. Dicta sufficiant, vt Beneficiatus de quo agimus, & pro quo ista compillauimus, sciat quando, ac qualiter ad eleemosynam, seu ad succurrendum indigenti teneatur, data occasione illius pueri expositi, ab ipso de sua ad alienam ianuam asportati. Seipsum tamen potest dictus Beneficiatus considerare dupliciter, videlicet & vt habens patrimonialia bona, & vt habens redditus ex beneficio, sicque prout habet patri-

trimonialia bona, applicet etiam sibi singula hucusquè allegata: prout postea habet bona ex beneficio, discat qualiter teneatur ex his, quæ docuimus *in decis. 59. num. 22. & seq.* vbi paucis verbis totam obligationem quoad hoc restrinximus.

### COROLLARIVM.

QVia omnia prædicta spectant ad præcisam obligationem faciendi eleemosynam, attenta propria facultate, & pauperum necessitate, restat vt sicuti *supra, num. 66.* explicauimus genera facultatum, seu bonorum in ordine ad eleemosynam erogandam, ità in præsenti declaremus Beneficiato, ad quem præsens decisio dirigitur, quotuplex sit pauperum necessitas, & quid illa sit.

86 Dico igitur primò, triplex esse genus necessitatis, nam alia apellatur *extrema*; alia, *grauis*; tertia *communis*. Sic Doctores vnanimiter.

87 Dico secundò: Necessitas *extrema*, non est tantùm quando homo est in mortis articulo, tunc enim iam non poterit illi prouideri; sed est etiam extrema, quando est in illa dispositione, quòd si illi non subueniatur, apparent signa euidentia, quòd intrà breue temporis spatium morietur. Ità communiter Doctores. Quid autem significetur per *breue temporis spatium*, declarat Ledesma 2.4. *quæst.* 13. *art.* 3. *fol.* 114. *pag.* 3. pro vna hyeme, vel pro vno vere. Imò Caietanus *in opusc. tom.* 1. *tract.* 16. *de Indulgent. quæst.* 3. dicit esse necessitatem extremam, quando non apparet alia via, qua illi subueniatur, si à me non sibi succurritur, licèt longè sit à morte. Item reputatur necessitas extrema, quando proximus appropinquat periculo incurabilis morbi, aut alterius miseriæ, quæ solet homines conficere. Ità Sotus *lib.* 5. *de iust. quæst.* 3. *art.* 4. *vers. circa tertiam*. Item est extrema necessitas periculum amittendi aliquod membrum principale in proximo nostro, nisi illi subueniatur; & idem est de periculo amittendi aliquem sensum corporis sui. Sic Bannes 2.2. *quæst.* 32. *art.* 6. Angles *floribus* 1. *part. materia de eleemosyna. quæst.* 3. *difficult.* 2. *fol.* 457. Idem Bannes *ibidem* dicit esse extremam necessitatem periculum incidendi in amentiam. Aduertendum est tamen, quòd vt necessitas sit extrema, requiritur vltra dicta pericula, alium non dari in promptu, qui tali necessitati subueniat.

88 Dico tertiò: Secunda necessitas, quæ *grauis*, vel *quasi extrema* dicitur, est illa, quæ tanta est, quòd si illi non subueniatur, verisimiliter vita indigêtis abbreuiabitur, vel incidet in aliquem notabilem morbum. Ità docent Corduba *lib.* 1. *quæstionum. quæst.* 26. *in principio*. Angles, Medina, & alij: Aragon. 2.2. *quæst.* 32. *art.* 5. *fol.* 733. dicit esse necessitatem grauem, & valde vicinam cum extrema, dum quis versatur in magno, & certo periculo incidendi in grauissimum morbum ob inopiam, vel aliam eiusmodi calamitatem. Nauarr. *lib.* 3. *de restit. cap.* 1. *num.* 358. vult esse similiter grauem necessitatem, quando esset leuandus aliquis ab aliquo graui, & notabili morbo, aut longo, vel ab aliqua notabili infamia, vel ne cadat à statu, vel vt ab iniusta captiuitate liberetur, aut ne aliquod magnum malum incurrat. Sotus *lib.* 5. *de iust. quæst. art. & vers. supra cit.* vocat necessitatem grauem illam, quæ in graui periculo deperdendi honorem constituit hominem. Deniquè Corduba *loc. cit.* ponit necessitatem grauem distinctam à quasi extrema, & dicit eam esse, quando quis secundùm suum statum non potest decenter viuere, sed præ alijs suæ conditionis miseram, & abiectam vitam agit.

89 Dico quartò: Necessitas *communis* est illa, qua laborant illi pauperes, qui ostiatim mendicant. Ità Aragon. *vbi supra*, & Corduba *loco citato*, addens siuè publicè, siuè occultè, ac priuatim mendicando viuant. Sic communiter explicantur à Doctoribus tria genera necessitatis, quorum quodlibet est semper inspiciendum, vt illo cognito, simul cognoscatur quando, ac qualiter vrgeat præceptum succurrendi ei, qui aliquam patitur necessitatem, & ex his plenè obligationem suam intelliget Beneficiatus in casu nostræ præsentis Decisionis.

### §. VI.

*An Clerici comprehendantur sub vocabulo* Sæculares, *prout ponitur in propositione damnata.*

90 IAm in superioribus *num.* 31. posuimus propositionem ab Innocentio XI. damnatam, quæ dicebat, quòd vix in Sæcularibus inuenies superfluum statui, vndè infertur vix aliquem teneri ad eleemosynam, quando tenetur de superfluis statui. Hinc Beneficiatus pro quo scribimus ista, rogat num & Clerici veniant sub nomine *Sæculares*, itaut & pro Clericis stet propositio damnata taliter quòd in vtroquè foro esset habendus vt verè excommunicatus, qui eam propositionem tueretur tamquam veram, si de Clericis loquamur. Et quidem *Clericos*

*ricos* non comprehendi sub nomine *Sæculares* videtur posse multipliciter probari saltem pro facto præsenti.

91 Primò, quia sub vocabulo *Populus* non veniunt *Clerici* in odiosis. Abbas *in proœmio decretal. num.* 19. & *in cap.* 1. *num.* 2. *de prabend.* Alberic. *in tract. statutor. part.* 2. *quæst.* 2. *colum.* 3. *vers. quod plura.* Barbat. *cons.* 1. *num.* 65. *vers. & adduco, lib.* 3. Marc. Anton. Cuch. *lib.* 3. *instit. maior. tit. de priuileg. Clericor. num.* 65. licèt veniant in fauorabilibus secundùm DD. citatos: Prohibitio autem, & damnatio sunt quid odiosum: ergo Clerici non videntur comprehendi sub voce *Sæculares*, quæ idem est ac *Populi*.

92 Secundò, quia interdicto generaliter populo, Clerici non sunt interdicti, nec è contra, *cap. si sententia, in princ. de sentent. excommunic. in* 6. & id ea ratione, quòd diuersa sunt *Populus*, & *Clerus*, vt habetur ex *cap. duo sunt* 12. *quæst.* 1. & multos referens tenent Lel. Zecch. *de Repub. Ecclesi. lib.* 1. *num.* 3. Pet. Greg. *syntagm. iuris, lib.* 15. *cap.* 5. *num.* 3. vox autem *Populus* significat *Sæculares*; ergo non importat *Clericos*.

93 Confirmatur, quia passim in Iure ponuntur vt duo *Populus*, idest *Sæculares*, & *Clerus*, vt constat ex *cap. ex part.* 3. *de priuileg. cap.* 1. *de Prabend.* & *ibi* Decius varia notat ad rem nostram, *num.* 1.

94 Tertiò, quia sub nomine *Clerici* in materia stricta, & odiosa non veniunt *Monachi*, nec quicunquè *Regulares* sub Regula viuentes: Abb. *cap.* 1. *num* 7. *ne Clerici, vel Monachi*; & *in cap.* 1. *num.* 3. *de instit.* & *in cap* 1. *num* 9. *de iuramento calumniæ*. Roman. *cons.* 259. & 418. Bellet. *de exquisit. Clerical. part.* 1. *tit. de disciplina Clericali*, §. 2. *num.* 26. Cùm igitur magis distent Clerici à Sæcularibus, quam à Monachis, & Regularibus, sicuti vox *Clerici* non extenditur in odiosis ad Monachos, à fortiori non extendetur vox *Sæculares* ad Clericos.

95 Nihilominus pro parte affirmante, quòd Clerici comprehendantur sub verbo *Sæculares*, facit quòd Clerici sunt pars Reipublicæ, & de districtu Sæcularium, vt constat ex *cap. dilecti*; vbi Abb. *not.* 2. *de foro compet.* Felin. *in cap. Rodulphus, num.* 18. *de rescript.* & *in cap. Ecclesia Sanctæ Mariæ, num.* 74. *de constitut.* Cephal. *cons.* 74. *num.* 11. & *seq. vol.* 1.

96 Confirmatur, nam sub voce *Clerici*, veniunt in materia indifferenti, & lata significatione Clerici Sæculares, & Regulares, vt notant Castrens. *cons.* 337. *in hac substitutione, lib.* 1. Card. Tusch. *pract. conclus. tom.* 1. *lit. C. conclus.* 377. *num.* 2. & 3. Mari. Antonin. *variar. resolut. lib.* 2. *resol. fin. casu* 50. *vers. secundò*. Ergo signum est, Clericos comprehendi sub nomine *Sæculares*, si fit dubitatio, an vox *Clerici* comprehendat Regulares, cùm Clerici censeantur Sæculares.

97 Confirmatur ex communi vsu vulgi, necnon & sapientium, à quibus *Clerici*, nec Monachi, nec Regulares nuncupantur, sed *Clerici Sæculares*, imò & dicuntur *Sacerdotes Laici*, seu *Sæculares*.

98 Vrgentiùs conuincitur comprehendi saltem in nostro casu; nam per illam vocem *Sæcularibus* comprehenduntur expressè quotquot tenentur dare eleemosynam ex superfluis statui; quare cùm Clerici, seu Beneficiati teneãtur, per consequens continentur sub tali vocabulo.

99 Cùm ergo hinc inde habeantur fundamenta probantia *Clericos* venire sub nomine *Sæcularibus* in facto præsenti, censeo dubium esse resoluendum cum triplici dicto.

Dictum primum: Si Beneficiatus iudicat se non teneri ad eleemosynam de superfluis statui, quia *vix in Sæcularibus*, sub quo vocabulo ipse comprehenditur, *inuenies superfluum statui*, tunc ad praxim deducit propositionem damnatam, quam reputat veram, atquè ideò & peccat, & in pœnas incurrit.

Dictum secundum: Si Beneficiatus iudicat se non teneri ad eleemosynam de superfluis statui, quia pro ipso nõ stat hæc propositio damnata, cùm sub voce *Sæculares* non veniant Clerici, nec videat se habere superflua ad statum, tunc nec culpam, nec pœnam aliquam incurrit, quia reuera non habet (vt suppono) superflua ad statum; & quia non approbat vt veram illam damnatam propositionem, neque aliquid affirmat, vel negat, per quod delinquat in damnatione, vel prohibitione.

Dictum tertium: Si Beneficiatus iudicat se non teneri ad eleemosynam de superfluis statui, quia Vix in Clericis inuenies superfluum statui, tunc in foro externo est inculpabilis, cùm non affirmet propositionem damnatam, nec istam tueatur; verùm pro foro interno sequitur doctrinam falsam, & scandalosam, vt patet ex paritate cum doctrina damnata huius propositionis.

100 De habentibus solam Primam Tonsuram dicendum est, esse certissimum eos venire sub nomine *Clerici* in lata significatione, *cap. Cleros*, 21. *dist.* & *cap. cùm contingat*, & *ibi* Hostiens. *num.* 6. *de ætate*. Corset. *sing.* 12. *circa fin.* Roland. *cons.* 16. *vol.* 4. Crauet. *cons.* 616. *nu.* 14.

*vol.* 4. & à fortiori idem est de habentibus Ordines minores, ac maiores, *d. cap. Cleros*, & *cap. Clericum* 72. *dist.* & *cap. de persona*, *in fine* 11. *q.* 1. Clerici coniugati, si ijs qualitatibus sint affecti, eaque obseruent, quæ à Concilio Tridentino sess. 23. de refor. cap. 6. exiguntur, etiamsi sint excommunicati, non veniunt sub nomine *Sæculares*, vt habetur ex *argumen. cap. vnici, de Cleric. coniugat. lib.* 6. vbi dicitur, tales gaudere priuilegio Canonis, & etiam fori, adeoque non posse conueniri ante Iudicem Sæcularem. Ita Sayr. *de Censur. lib.* 2. *cap.* 10. *num.* 17. Iam Beneficiatus, de quo in casu præsentis Historiæ, potest ex hactenus adductis plenè scire quid pro vtroquè foro debeat tenere, eò quia recusauerit succurrere puero exposito, stante propositione allata, quam Innocentius XI. damnauit, & nos eam posuimus *suprà*, *sub num.* 31. siuè habeat tantùm Primam Tonsuram, siuè habeat solos Ordines minores, vel etiam maiores; imò etiamsi beneficium non haberet, vel cum Sæcularibus computandus esset.

## §. VII.

***Rationibus probatur falsa, & scandalosa 12. Propositio inter damnatas ab Innocentio XI.***

101 QVia scrupulis anxiabatur Beneficiatus idem, qui suprà, postquam audiuit tenorem duodecimæ Propositionis ab Innocẽtio XI. damnatæ, postulauit vt de illo iudicium facerem, an peccatum, & excommunicationem contraxerit, quia in transferendo illum puerum de sua ad alienam ianuam, explicitè dixit (nemine tamen audiente) *ego non habeo superflua statui meo, vt huic exposito queam succurrere.*

Sed pro facti veritate iudico Beneficiatum nihil mali egisse nec propter eleemosynæ omissionem, nec propter suam, quam ore protulit propositionem. Probatur, nam tunc quis non delinquit omittendo eleemosynam, quando indigens non periclitatur, cùm alter sit in promptu ad succurrendum, habeat, vel non habeat superflua statui ipse omittens succurrere, prout latè ostensum est *suprà* § 2. Puer autem expositus, extra periculum fuit adiudicatus ab ipso Beneficiato, vt iste fatetur. Videantur allegata *d.* §. 2.

Circa prolatam propositionem ab eodem Beneficiato, nequè per hoc damnandus est in aliquo foro. Pro horum intelligentia, notare oportet, esse tantummodò prohibitam, & damnatam Propositionem 12. inter alias, quas damnauit Innocentius XI. prout iacet, seu quatenus traditur in ea generalis quædam doctrina in se falsa, & scandalosa, vt statim videbimus. Cæterùm in praxi licitum est cuicunquè posthabita dicta propositione, proprium statum cogitare, & iuxta veritatem examinare, an habeat superflua statui ad dandam eleemosynam, quæ de talibus superfluis est danda: & si dicta superflua non habere compererit, nequè ad erogandam eleemosynam tenebitur. Igitur illa duodecima propositio est damnata (vt ita dicam) in abstracto accepta, quia est falsa, & scandalosa, ne postea in concreto ad praxim deducatur, nequè vt vera habeatur, vel tueatur, &c. Hinc manifestè liquet valde diuersam, & licitam fuisse Beneficiati propositionem præadductam, quare ab omni culpa, & pœna illum innoxium sententiamus in vtroquè foro.

102 Iam in prædictis prolixus fuit calamus, tamen non ideò propriam adhuc impleuit obligationem, petijt namque D. Beneficiatus, vt ei aliqua darem fundamenta ostendentia damnatæ istius Propositionis duodecimæ scandalosam doctrinam, tametsi satis superque talis conuincatur ex Pontificis eam vt talem damnantis authoritate. Breuiter ergo pono sequentia pro præsentis decisionis coronide.

103 Primum fundamentum est: Illi dicuntur habere superflua statui, qui detractis expensis ex bonis possessis, vel ex lucris attenta illorum conditione, adhuc habent ad expendendum sinè detrimento proprij status, familiæ, & hæredum: huiuscemodi autem homines sunt quàm plurimi, maximè si sint Reges; si enim aliquid erogetur in eleemosynam à quocunquè Rege, sanè (vt ratio naturalis dictat) non cadet à proprio statu siuè de præsenti, siuè de futuro pro quolibet euentu, & hoc nec pro se, nec pro suis, etiam hæredibus. Idem est de Sæcularibus ferè innumeris, si posthabito auaritiæ affectu, rem pro veritate velint apud se resoluere. Si ergo nihil deperdent, nec à statu cadent largiendo saltem interdum aliquam eleemosynam, signum est multos dari inter Sæculares, qui habent superfluum statui, & sic est falsa, ac sinè ratione docebatur ista duodecima ex propositionibus ab Innocẽtio XI. damnatis, dum affirmabat scandalosè, quòd vix inter Sæculares inuenies superfluum statui, proinde vix aliquis tenetur ad eleemosynam faciendam de illis. Loquendo verò de Regibus, satiùs affirmatur eos habere de superfluis statui, atquè ideò scandalosè loquitur præsens propositio damnata.

104 Se-

104 Secundum fundamentum est: Iure naturali omnia sunt communia, & iure gentium voluntate humana facta est rerum diuisio: Sed ista diuisio esset iniusta, si non esset facta hac conditione virtuali, vt pauperibus ab aliquibus daretur pro illorum necessitate subleuanda, cùm contra omnem rationem sit vnum esurire, alium verò ebrium esse; quare cùm ad dandum pauperibus pro necessitatibus saltem communibus non sit æquum obligatos dicere habentes necessaria naturæ, ac statui; consequenter dicendi sunt obligati habentes superflua statui, sic enim exigit ordo Prouidentiæ diuinæ, quæ omnibus debet prouidere, vt habeant vndè viuant; non haberent autem nisi darentur, qui superflua statui habeant, & ex vi præcepti eleemosynæ teneantur succurrere ex ijsdem superfluis in eleemosynam erogando. Hinc, quia sunt penè innumeri pauperes indigentes subueniri ex superfluis statui proximi sui, sequitur & penè innumeros esse dicendos, qui pro rei veritate superflua statui possident, maximè quia quid minimum soleant erogare, & propterea multiplicatis eleemosynam erogantibus, itaut modicam quantitatem vnusquisquè tribuat, nec à statu cadit, nec Dei Prouidentia indigentibus deest, atquè eleemosynæ præceptum non violatur, sicuti quasi ex toto violaretur, imò destrueretur, si vera esset hęc propositio docēs, quòd vix in Sæcularibus, etiam Regibus inuenies superfluum statui, ideoque vix aliquis tenetur ad eleemosynam, quando tenetur ex superfluis statui. Patet ergo ex dictis fundamentis, quòd falsa, & scandalosa sit eadem propositio, & quòd multi inueniuntur habere superfluum statui, omnes proindè obligati ad non raró satisfaciendum præcepto eleemosynæ fortassè interdum neglecto. Hic præsentem termino decisionem, quia satis superque puto sufficere pro historia, & petitionibus D. Beneficiati hactenus scripta.

# DECISIO LXIX.

*An volens solum fœtum occidere cum ictu pedis in ventrem matris intrà Ecclesiam, hac violetur, maximè si & mater moriatur, ibique sepeliatur.*

## Casus, seu Historia LXIX.

### SVMMARIVM.

1 *Casus proponitur.*
2. *vsquè ad 50 Referuntur casus propter quos violatur Ecclesia, vel non violatur, nempè ex homicidio; ex sanguinis, ac seminis effusione; ex copula inter coniugatos; ex sepultura data Infideli, vel puero non baptizato, vel Cathecumeno, &c.*

1 Florus filius Darij sperabat copiosam patris iam senis habere hæreditatem, cùm solus esset, nec fratrem, ac sororem haberet; at quia Darius ad secundas nuptias transijt annuente etiam Floro, qui ob patris senectutem non timebat se ex secundo matrimonio progeniturum filios, cùm in facto prægnans appareret Nouerca, dicebat Florus, eam non à Dario marito suo sene, sed ab alio fœtum concepisse, atquè ideo eam toruo occulo inspiciebat, tamquam in proximo parituram cohæredem sibi, quem cohæredem illegitimum dicebat, quamuis pater certum redderet Florum, fore legitimum eum, quem eius Nouerca peperisset. Ira tamen semper magis, ac magis excrescente in corde Flori, cum in illum induxit errorem, vt existente aliquando tum ipso, tum Nouerca intrà Ecclesiam, vbi in rixas deuenerunt, impingeret in ventrem Nouercæ pedem dicens, moriatur illegitimus iste, quem vtero gestas. Et quia Florus erat iuuenis robustus, potuit ex ictu mortem fœtui animato, imò simul & matri crudeliter inferre. Mortua est ergo post vnum diem Nouerca, quæ cum fœtu sepulta fuit. His peractis, dubitatio varia insurrexit circa facta. Priùs fuit dubitatum, an Ecclesia esset polluta. Secundò, an fœtus non baptizatus potuerit in Ecclesia sepeliri. Tertiò, an aperiendum esset sepulchrum, vt à visceribus matris extracto filio infideli, proijceretur in terram non sacram.

2 In nostra decisione 66. diximus non pauca circa violationem Ecclesiæ ratione homicidij, & ideo superfluum non erit ea recolere, nam ibi dicta non repetam in præsenti. Pro decisione

ne autem propositi casus, dico quòd dubitationes in eo expositæ habent rationabile fundamentum, super quod dubiosè possunt examinari, cùm a nemine negetur Ecclesiam pollui per hominis occisionem, & per infidelis sepulturam, sicut reuera infidelis, & damnatus ad limbum est puer non baptizatus, quamuis è matris visceribus nondum per natiuitatem, aut per extractionem sit disiunctus.

3 Sciendum est ergo, quòd Ecclesia violatur per septem, aut per octo capita sequentia. Primum est, si in ea fiat iniuriosa effusio sanguinis hominis viuentis, vt habetur *ex cap. Ecclesijs, de consecrat. dist. 1. & cap. proposuisti de consecrat. Eccles. vel Altar.* & ita docent communiter DD. Hostiensis *in summa lib. 3. tit. de consecr. Eccles. vel Altar. num.* 5. §. *& an sit iteranda*. Henriquez *lib. 9. de Missa, cap. 27. num.* 5. Azorius *instit. moral. tom. 1. lib. 10. cap. 26. quæs.* 13. Graphis *lib. 2. decis. aur. c.* 48. *num.* 22. D. Antoninus 3. *part. tit. 12. cap. 6.* §. *de violatione Ecclesiarum*. Astensis, *par. 2. lib. 6. tit. 29. art.* 3. Syluester *verbo consecr. 2. nu. 5. & verbo In-*
4*terdictum* 4. *q.* 3. cum alijs. Quæ sanguinis effusio debet esse hominis viuentis, quia si extra Ecclesiam occidatur, & intrà Ecclesiam iterum vulneretur, & sanguis exeat, & fluat, Ecclesia non polluitur, vt cum Henriquez docet Sayrus
5*de censuris lib. 5. cap. 16 num.* 7. Et debet esse non naturalis, sed iniuriosa, itaut sit peccatum
6mortale; imò sufficiet si quis sanæ mentis seipsum vulneraret; sic Geminianus *in cap. vnico de consecr. Eccles. lib. 6.* cum alijs.

7 Nec à violatione liberatur Ecclesia per hoc, quòd sanguis fluat intrà scutellam, in qua colligitur, ne cadat super pauimentum, & ab Ecclesia exeatur; quia iam intrà Ecclesiam fuit posita causa illius effusionis, vt tradit glossa *in*
8*d. cap. vnico, in verb. sanguinis de consecr. Eccles. lib. 6.* & alij. At è contra remanet libera à violatione Ecclesia, quando vulneratus extra illam, fugit intrà illam, ibique multum sanguinis fundit; nam extra Ecclesiam fuit posita causa
9effusionis. Quòd si talis sanguinis effusio sit secreta, non est opus abstinere à Diuinis, nec Ecclesiam reconciliare. Sic habetur ex glossa *in cap. vnico, in verbo pollui, de consecrat. Eccles. lib. 6.* & ita tenent Nauarrus *in manual. cap. 27. num.* 256. Sotus 4. *dist. 13. q. 2. art. 3. vers. & est hic notandum* Henriquez *lib. 9. de Missa, cap.* 27. §. 5. Syluester, Tabiena, Alphonsus à Castro, Astensis, Hostiensis, Richardus, & alij.

10 Hæc quæ diximus de sanguinis effusione, per quam Ecclesia violatur, nullatenus verificantur in casu nostro iuxta sensum cuiusdam nimiù docti, seu ad excessum speculatiui, qui Ecclesiam dicebat esse pollutam propter sanguinis effusionem à fœmina factam ex vi ictus illius pedis in eius ventrem. Et quidem propter ictum pedis exiuit sanguis, sed quia fuit sanguis menstruus, non fuit verus sanguis, per quem Ecclesia polluatur. Igitur non benè concludebat præfatus ille vir doctus, nimiumque speculatiuus, inferendo Ecclesiæ violationem à sanguinis menstrui effusione, sic arguens: Ecclesia violatur per sanguinis effusionem, etiamsi fiat extra Ecclesiam, sed ratione causæ positæ intrà Ecclesiam; atqui in isto casu fœmina effudit sanguinem propter ictum ei datum in Ecclesia; ergo Ecclesia est violata, siuè effusio sequuta sit extra Ecclesiam, siuè intrà, supposito quòd non fuit secreta, sed omnibus
11nota, & in quantitate non modica. Reijcitur huiusmodi argumentatio, ex eò quia talis sanguis non sit verus sanguis, sed solùm humor mordax, pestilens, ex genere excrementorum, vndè non semper talis humor est coloris rubei, sed aliquando est albus; & de hoc consulantur potiùs Medici, quam Moralistæ, qui vnà cum Sacra Scriptura de hoc humore non loquuntur nisi tamquam de re immunda, vt cùm quærunt, an liceat marito accedere ad vxorem tempore fluxus menstrui, cùm in hoc appareat immunditia, & indecentia. Adeatur Sanchez *de matrim. lib. 9. disp.* 21.

12 Secundum caput, ex quo Ecclesia polluitur est illicita seminis effusio facta ab homine in Ecclesia. Dixi *facta ab homine*, quia debet esse seminis humani effusio, vt habetur *cap. Ecclesijs, dist 68. & cap. Ecclesijs, de consecrat. dist.* 1. & ita tradit tota Doctorum caterua. Et
13sufficit si seminis humani effusio fiat etiam à muliere, vel à viro siuè Ecclesiastico, siuè laico, siuè fideli, siuè infideli, siuè per solam pollutionem culpabilem, siuè per adulterium, siuè per alium concubitum, quamuis sit inter coniugatos, dummodò iustam causam non ha-
14beant congrediendi in Ecclesia, quia si ex iusta causa id faciant, vt si intenderent obuiare periculo incontinentiæ ob longam habitationem in Ecclesia, tunc Ecclesia non remaneret polluta. Ita docent Syluester, Tabiena, Ang. Tolet. Nauarr. Viualdus, Graffi. Palud. & alij. Sed de hoc non opus est ad rem nostram prolixiùs
15discurrere. Solùm adnoto non pollui Ecclesiam, si fiat effusio seminis alicuius animalis; neque si dormiens pollutionem patiatur indirectè, & cum peccato mortali volitam in causa,

sa, vt tradit *gloss. in d. cap. Ecclesijs, in verb. se-*
16 *mine, de consecr. dist.* 1. & ità docent communiter. Insuper debet esse effusio in quantitate,
17 non in modica humectatione; & non violat Ecclesiam effusio seminis secreta, sed vt violet debet esse publica. Ita tenent multi, quos citat, & sequitur Sayrus *de censuris, lib.* 5. *cap.* 16. *num.* 22.

18 Tertium caput, per quod Ecclesia violatur est, si in ea sepeliatur aliquis, qui sit excommunicatus denunciatus, *cap. consuluisti, de con-*
19 *secr. Eccles.* cum alijs. Et Paludanus obseruat non pollui Ecclesiam, si in ea sepeliatur is, cui erat interdictus ingressus Ecclesiæ, sed non erat excommunicatus, & in hoc sensu loquitur *capitulum is, cui*, §. 1. *de sentent. excommunic. in* 6. Et quantùm est ex hoc capite, non fuit violata Ecclesia in nostro casu, quia fœmina in ea sepulta non erat irretita aliqua excommunicatione.

20 Quartum caput, vnde violationem Ecclesiæ sequitur est, si Ecclesia consecratur, aut cœmeterium benedicitur ab Episcopo publicè excommunicato, *argumen. cap. consuluisti, de consecrat. Eccles.* & Panorm. cum Hostiensi *in d. cap.* cum alijs. Sed ex hoc capite nulla est no-
21 bis dubitatio pro nostro facto. Tamen est verior opinio contraria, scilicet Ecclesiam non pollui si à tali Episcopo consecratur, aut benedicitur, quia id nullo iure cauetur expresè. Ita Fagúndez *in quinque præcepta Eccles. præcepto* 1. *lib.* 3. *cap.* 15. *num.* 56.

22 Quintum caput polluens Ecclesiam est, si eius muri destruantur, aut taliter comburantur, vt Ecclesia integrè, ac veluti de nouo sit ædificanda. Ratio est, quia destructa re consecrata, deperditur ipsa consecratio, quæ in re ipsa fundabatur.

23 Sextum captum sequitur ex mox dicto, & est si solùm sit reficienda Ecclesia, sed id fit paulatim, quia paulatim muri decidunt, vel excrustantur, propterea paulatim reficiuntur. In hoc tamen prudenter est procedendum in dando iudicio an deperdatur consecratio, quia si refectio sit modica; certè res durare dicetur, vnde nec consecratio deperditur. Secus verò erit dicendum, si ex refectione paulatim facta possit iudicari non permanere, nec esse ampliùs idem templum. Ita diuisi sunt Doctores in hoc puncto, sed quia non seruit ad casum nostrum, debet pertransiri, remittendo lectorem curiosum circa hoc caput, vt adeat Soarium *tom.* 3. *in* 3. *p. disp.* 81. *sect.* 4. §. *sextus casus est*; & Syluestrum *verbo Consecratio* 2. *q.* 4. cum
24 Azorio *tom.* 1. *institut. moral. lib.* 10. *cap.* 26. Verumtamen est, quòd probabiliùs loquendo remanet semper eadem Ecclesia per illam refectionem paulatim factam, sicut eadem est nauis sæpè, & paulatim refecta; ac propterea remanente subiecto remanet item consecratio, quæ de se est indelebilis, iuxta D. Thomam 2. 2. *q.* 39. *art.* 3. *& q.* 63. *art.* 5. *& quæst.* 77. *art.* 8. *& in* 4. *dist.* 4. *q.* 1. *art.* 3.

25 Septimum caput est, homicidium mortale perpetratum in Ecclesia, vt tradunt communi-
26 ter Iura, & Doctores, & nos de hoc egimus supra in nostra decisione 66. At vt ibidem dixi, non quodlibet homicidium polluit Ecclesiam, sed solùm illud, quod est aliqualiter volitum, quia si nullo modo est volitum, non est peccaminosum, nec iniuriosum. Sic nec violatur Ec-
27 clesia per homicidium in sui defensionem factum cum moderamine inculpatæ tutelæ; aut
28 si sit homicidium casuale. Violatur tamen Ecclesia, si percussio facta in Ecclesia sit cum probabili mortis periculo. Videantur dicta in citata decisione 66. *num.* 2. 3. 25. 26. 27. *&* 28.

29 Quantum est ex hoc capite, insurgit grauis dubitatio, an Ecclesia sit violata propter percussionem ventris prægnantis, sed cum intentione occidendi, & malum inferendi solo fœtui, & non matri. Et videtur Ecclesiam non esse violatam, quia si quis volens occidere Petrum in Ecclesia, occidat Paulum, quem Petrum esse occisor putabat, Ecclesia non violatur, vt in dicta decisione probauimus, cùm istud homicidium sit casuale, & inuoluntarium, quamuis cum mortali peccato sit factum; ergo similiter non videtur violata Ecclesia, si volens occidere fœtum, occidat præter intentionem matrem, & non fœtum ipsius.

30 Probatur secundò, nam dans operam rei illicitæ, à qua non solet nec periculosè sequi homicidium, quæ res illicita exercetur cum diligentia ne homicidium sequatur, si postmodum homicidium sequitur, non fit irregularis ille, qui talem rem illicitam fecit, vt tenet Sayrus *de censuris lib.* 7. *cap.* 5. *num.* 16. cum Couar. *in Clement. si furiosus, par.* 2. §. 4. *num.* 10. *de homicid.* & Mich. Salon. 2. 2. *q.* 64. *art.* 8. *contrauers.* 3. Ergo nec sequetur violatio Ecclesiæ per homicidium sequutum à dante operam rei illicitæ, scilicet occisioni fœtus, ex qua occisione ordinariè non sequitur mors matris. Vndè cùm ratio, ob quam non fit irregularis prædictus dans operam rei illicitæ dictæ, sit quia homicidium sequutum est casuale, & nullatenus volitum; sic non erit volitum, sed casuale in no-

nostro casu homicidium matris; & consequenter Ecclesia non erit polluta per tale homicidium inuoluntariè, & casualiter sequutum.

31 Nihilominus est omnino dicendum fuisse violatam Ecclesiam propter istam percussionem ventris prægnantis, quia licèt non fuerit cum intentione occidendi matrem, tamen non potuit non fuisse cum aliqua volitione percutiendi matrem, quæ percussio cùm sit probabiliter mortalis, ideò est sufficiens ad Ecclesiam violandam, sicut ostendi supra in decisione *66. num. 25.* ad quem numerum breuitati studens remitto lectorem, ne pluries eadem repetamus.

32 Confirmatur, nam mors matris ex ictu pedis sequuta, non fuit casualis; fuit enim studiosè, ac iniuriosè percussa, & per consequens ipsius homicidium est tale, quale sufficiat ad violandam Ecclesiã, in qua percussio fuit data. Si enim reficiens tectum, & indè deijciens tegulas, cum quibus aliquem occidat, fit irregularis, nisi aut verbis, aut signo transeuntes admonuerit, vt sibi caueant ab ictu tegularum, vt docet Tabiena, *verbo, irregularitas 3.* §. *19.* Henriquez *lib. 14. cap. 15.* §. *4* D. Antoninus *3. par. tit. 29. cap. 2.* §. *homicidium casuale*. Nauarrus *in manual. cap. 27. num. 237. vers. vigesimosecundo*, & alij; quia sic non est verè casuale homicidium sequutum, sed aliqualiter est volitum; quantò magis non erit purè casuale homicidium prægnantis, in cuius ventrem impingitur pes à robusto, vt fœtum occidat?

33 Confirmatur rursus, quia Medicorum iudicio est morbus mortalis in matre mors fœtus in eius ventre: ergo nunquam potest habere rationem homicidij casualis, seu percussionis non mortalis, percussio in ventrem grauidum, vt in eo mors detur fœtui cum eadem percussione.

34 Confirmatur tandem, quia id censetur volitum; quod saltem periculosè sequitur ab opere siuè licito, siuè illicito, quod est volitum: sed ex violenta percussione in ventrem matris prægnantis sequitur mors ipsius saltem periculosè: ergo dans operam ipsi percussioni, censetur & aliquo modo voluisse eius mortem, vndè morte ipsa sequuta, non potest casualis reputari respectu ipsius percutientis. Concludendum est igitur fuisse pollutam Ecclesiam, in qua mater prægnans fuit vehementer in ventrem percussa, etiamsi fœtus non sit mortuus, sed viuus habeatur, aut per naturalem natiuitatem, antequam mater moreretur; aut per extractionem ab vtero extinctæ.

35 Hinc patet quid sit respondendum ad ea, quæ dicebantur *sub num. 29. & 30.* Nam verè casualiter occiditur Paulus quando putatur quòd sit Petrus, at nõ verè casualiter occiditur mater, quando in eius ventrem dirigitur ictus, vt fœtui mors sequatur: Sic est falsum dicere, non periculosè sequi mortem matris, si in eius ventre existente fœtu animato, hic quæratur occidi cum ictu dato in matris ventrem: Et eò ipso, quòd periculosè mors matris sequatur in tali casu, attribuitur fuisse volitam à percussore, sicuti constat ex multis casibus, in quibus mors sequuta imputatur vt volita ab ijs, qui voluerunt id, ex quo periculosè talis mors sequi-

36 tur. Sic si quis ex improuiso perterrefaciat virum meticulosum, qui ob id moriatur, est in culpa de tali homicidio, & irregularis, vt benè dicit Maiolus *lib. 5. cap. 48.* §. *3. nu. 8.* & Hen-

37 riquez *lib. 14. cap. 15.* §. *3.* Sic si quis idem faceret cum fœmina, quam scit esse grauidam, & ex subitaneo metu patitur abortum: ita idem Maiol. *loco citato*. Summa Corona *tract. de irregularit. num. 16. regula 2.* Henriquez *loco citato*. Caietanus *2. 2. q. 64. art. 8. in fine*. Innocent. Abbas, & alij. Ex his duobus casibus potest deduci, quid sit dicendum in alijs similibus, & maximè ad probandam volitam mortem matris in casu nostro; quatenus etiam Ecclesia, in qua fuit data ipsi percussio, remanet violata.

38 Octauum caput, ex quo sequitur violatio Ecclesiæ est, si in ea sepeliatur aliquis infidelis, siuè si in ea iacet sepultus, & sic patet ex *cap. per Ecclesiam, de consecrat. dist. 1.* & ità docet Azorius *tom. 1. institut. moral. lib. 10. cap. 26.* §. *quarto modo*; & idem tenent Hostiensis, Angel. Syluest. Nauarr. Ledesma, Viualdus, Philiarcus, Thomas Zerula, Cucchius, Toletus, Paludanus, & Henriquez, quos omnes refert, & cum ipsis sentit Sayrus *de censuris lib. 5. cap. 16.*

39 *num. 23.* vbi dicit, quòd si ossa infidelis sepulti in Ecclesia possint commodè ab ossibus fidelium secerni, debent exhumari, & proijci. Si autem nequeant separari, meliùs est ea relinquere, ne cum ossibus infidelium exhumentur

40 ossa fidelium. Ratio quare debeant exhumari est, quia sicut cum infideli viuo non communicat Ecclesia, ita neque cum ipso mortuo.

41 Notandum est igitur, quòd in numero infidelium veniunt quoque pueri, qui antè baptismum moriuntur, sicut docet Soarius *tom. 3. in 3. par. disp. 81. sect. 4.* §. *quintò violatur*; & Fagundez *in quinque præcep. Eccles. præcepto 1. lib. 3. cap. 15. num. 57.* propterea nunc difficultatur, an sepulta matre cum puero mortuo intrà

tra eius ventrem sine baptismi lauacro, sit extrahendus à visceribus matris, & proijciendus, manente violata Ecclesia ob sepulturam ei datam tamquam infideli. Ad quod respondeo, non rarò casum euenire, vt mater moriatur cum fœtu; & moriatur, an non, ipse quoque fœtus, non attenditur, nec cogitatur, sed ad sepulturam mater defertur, nihil cogitando de fœtu, quem in visceribus retinet.

42 Ad difficultatem dico esse cauendum, ne dũ mater mortua iacet in Ecclesia, tunc filius, quem in ventre tenet moriatur & ipse, nã mortua matre cum fœtu in vtero, qui viuere creditur, est aperienda, vt inde fœtus extrahatur, & baptizetur. Quod si ex negligentia culpabili, vel ex malitia non ita fiat, sed contingat matrem mortuam sepeliri, vel ad Ecclesiam deferri, & dum est in Ecclesia, vel in sepultura, moriatur fœtus suffocatus in eius ventre, violatur Ecclesia, ratione homicidij culpabilis, quia quoad hoc filius non reputatur pars matris, sicut patet in abortu. Ita rectè obseruat Fagundez mox citatus *num.* 58. Hoc debent benè notare ij, ad quos spectat, ne homicidium committatur, nec Ecclesia polluatur.

43 An verò liceat sepelire in Ecclesia puerum non baptizatum, absque eò quod violetur Ecclesia, dico non licere, si filius ille sit filius infidelium, nam non minùs violaretur Ecclesia per ipsum, ac si sepeliretur magnus, & adultus. Ita Sayrus *vbi suprà*, *num.* 26. hoc enim videtur consonum æquitati, vt verè infidelis reputetur filius infidelium.

44 Et quia non datur Ecclesiastica sepultura, nisi illis de quibus est spes, quòd tunc, vel saltem aliquando intrabunt in regnum Ecclesiæ triumphantis, ideò videtur non esse sepeliendum in Ecclesia puerum filium fidelium, si sinè Baptismo moriatur, cùm sic certum sit esse

45 damnatum, nullum enim baptismum habuit, sicut Cathecumenus mortuus antè baptismum censetur habuisse baptismum flaminis, & ideo quamuis non sit sepeliendus in loco sacro, tamen non violatur Ecclesia, si in ea sepeliatur, quia quantùm ad baptismum flaminis non cen-

46 setur infidelis in ordine ad sepulturam sacram habendam. Sic si quis moriatur tamquam martyr, & cum solo baptismo sanguinis.

47 Sed dicendum est, esse priuilegiatum puerum filium fidelium, ità vt si sine baptismo moriatur, possit nihilominus in Ecclesia sepeliri, absque eò quòd Ecclesia violetur. Hinc est aduertendum, quòd aut puer filius fidelium moritur in vtero matris sinè baptismo, vel vix natus, seu post natiuitatem decedit antequam baptizetur. Si moriatur in visceribus matris, potest cum ea sepeliri, nec per hoc polluetur Ecclesia, & consequenter non esset aperiendum sepulchrum, vt aperta & matre extrahatur fœtus non baptizatus, & proijciatur. Ratio est, quia quando iura prohibent sepeliri in loco sacro infidelem, debent intelligi, si talis infidelis sepeliatur in semetipso, non autem si sepeliatur in alio; vnde cùm filius adhuc existens in vtero matris, quæ sepelitur, non sepeliatur in se, sed in matre, & per accidens, vt sic dicamus propterea non sequitur Ecclesiam pollui propter sepulturam datam tali infideli. Et

48 hoc maximè est verum, nam talis filius in ventre matris, reputatur vt pars ipsius matris, nec habetur vt persona à matre distincta, & ideo benè sepelitur cum ea, quando cum ea mortuus est, vel intrà eam, sinè culpa alicuius, vt dicebamus supra *sub num.* 42 huius decisionis. Numquam ergo violatur Ecclesia per hoc, quòd in ea sepeliatur mater fidelis cum filio mortuo intrà eam, cùm iste sic sepeliatur ratione genitricis. Ita Soarius *tom.* 3. *in* 3. *p. disp.* 81. *sect.* 4. §. *quintò violetur*; & cum Soario idem

49 docet Fagundez *vbi suprà*, sed non explicat quid sit dicendum, quando filius fidelium est iam enixus à matre, sed moritur antè baptismum. Et quidem dico esse distinguendum: aut enim moritur etiam mater, aut non. Si mater non moritur cum filio, hic certè est proijciendus extra locum sacrum, aliàs polluetur si in tali loco sacro sepeliatur, quia tunc infidelis sepeliretur in semetipso.

50 Si verò & mater, & filius eius iam ab ea enixus, sed nondum baptizatus moriantur, tunc filius iste priuilegiatur, & cum matre potest sepeliri in loco sacro absque violatione talis loci. Ratio est, quia talis filius habetur vt pars viscerum matris, & pro honore matris Christianæ coniunguntur in sepultura, quasi fuerint coniuncti, & numquam separati in vita, & in morte, & ideo non violatur locus. Ita Hugolin. & Goffred. quos citat Hostiensis *in summa lib.* 13. *tit. de consecr. Eccles. num.* 8. quamuis ipse ambigat, & dubius maneat, quid in tali casu sit faciendum. Sayrus autem *vbi suprà* affirmat esse consuetum, vt mater simul sepeliatur cum filio, quando moritur in partu, seu filius sit enixus mortuus, seu si statim enixus, moriatur ante baptismum. Igitur ex prædictis resolutum remanet pro casu nostro esse tenendum, quòd Ecclesia fuerit violata propter percussionem cum probabili mortis periculo; non tamen

propter sepulturam datam infideli, qui non est extrahendus à sepulchro; Extant aliquæ propositiones circa fœtus occisionem damnatæ ab Innocentio XI. quas vide *in nostra decisione 35. num. 44. & seqq.*

# DECISIO LXX.

*An sciens nauem mercium esse saluam in portu, licitè tacuerit scientiam suam, & emerit vili pretio dictas merces à dominis timentibus eas esse deperditas; & an liciti fuerint quidam contractus mutui pro eadem emptione.*

## Casus, seu Historia LXX.

SVMMARIVM.

1 *Casus proponitur.*
2. *vsquè ad 12 Dolus quid sit, & quando contractum inualidet; & obliget ad restitutionem in vtroquè foro.*
13 *Idem est tacitum, ac expressum.*
14. 15 *Illicitè luditur cum dolo.*
16. 17 *In societate omnia sunt communia.*
18. *vsquè ad 30 Varia circa emptiones, & locationes, occultando notitiam futuræ diminutionis pretij.*
31. *vsquè ad 35 An possit vendi res cum defectu occulto, sed vtilis emptori.*

1 EXistente magna penuria diuersarum mercium in Ciuitate N. conuenerunt simul Lucas, Ioseph, & Alexius, vt quilibet ipsorum æqualem portionem pecuniarum solueret, quatenus sic massam pecuniæ facerent, quæ necessaria erat pro emptione facienda in Hispania dictarum mercium, ex quarum venditione in dicta Ciuitate copiosum præuidebant lucrum, quod cuique eorum erat futurum ratione necessitatis earumdem mercium. Igitur quatuor millia scuta vnusquisque soluit, sicque duodecim millia scuta ipsi tres adunauerunt, cum quibus emerunt duas naues dictarum mercium, quarum nauium vnaquequæ sex millia scuta valebat, computatis etiam expensis omnibus. Lucas, qui erat actor principalis in hac emptione, erat ille, qui scribebat epistolas, responsaque accipiebat, sicuti inter alias epistolas vnam accepit cum nuncio naufragij passi ab vna ex nauibus, quæ vnà cum contentis mercibus deperdita erat, quod infaustum nuncium communicauit alijs socijs suis in emptione, damnum enim æqualiter vnusquisque patiebatur. De alia naui nullum adhuc aduenerat nuncium, at paucos post dies peruenit ad manus Lucæ epistola, ex qua hausta aliquali consolatione, intellexit alteram nauem appulisse felicitèr ad quemdam portum, itaut infortunij, ac naufragij periculum timeri amplius non posset de ista naui. His intellectis à Luca, accessit ad socios, & silentio celans hoc prosperum nuncium, dixit eis; quid à me vultis pro venditione mercium vestrarum, quas habetis in alia naui, partem enim vestram ego libenter emere intendo? Quibus auditis à Ioseph, & Alexio, nescientibus istis quid esset de secunda naui, vendiderunt vili pretio partem suam ipsi Lucæ, qui acceptis postea mercibus, magnum retulit lucrum.

Et vt pecunias ad præfatam emptionem faciendam haberet Lucas, illas tripliciter mutuò accepit. Primò, emendo credita pecunia magnam mercium quantitatem ab vno venditore summo pretio, & statim eas eidem retrouendendo pretio infimo accepta pecunia. Secundò, mutuo accepit aliam pecuniam, promittens mutuanti eamdem restituere cum addita alia summa, ratione maioris æstimationis faciendæ de pecunia actuali. Tertiò, ab alio mutuante pecuniam accipiendo cum promissione restituendi eam integrè, & insuper certam summam titulo solius gratitudinis, & beneuolentiæ, & propter expectationem. De his agendum est in præsenti, an licita fuerint in vtroque foro.

### §. I.

*Fit examen, & sententia profertur circa primum quæsitum in titulo.*

2 PLus quàm prima fronte appareat, grauis, & difficilis est casus iste, nam videtur contractus factus cum deceptione sociorum ignorantium an etiam secunda nauis esset deperdita; & ex alia parte videtur fuisse contractum cum licita solertia factum, non enim Lucas emptor dixerat, quòd fortassè & alia nauis erit deperdita, sed simpliciter petijt, an illi vellent vendere merces illius nauis, in quo apparet industria. Sed vt veritatem facti attingamus opus est paulatim incedere plura considerando. Et primò dico, datur sanè dolus bonus, qui dicitur solertia, & hic nequit vitiare contractum; sed benè vitiat dolus malus, definitus à La-

à Labeone *l. 1. ff. de dolo: omnis calliditas, fallacia, machinatio, ad circumueniendum, fallendum, & decipiendum*; seu vt alij volunt, *dolus est peruersus solertiæ vsus in dicendo, faciendo, aut omittendo aliquid, quo alius decipiatur*.

3 Secundò noto, quòd quamuis fraus consistat in rebus, & fallacia in verbis; dolus tamen consistit tam in rebus, quàm in verbis, quàm in animo, vt vult D. Thomas 2. 2. *quæst.* 118. *art.* 8. vnde rectè à Labeone supracitato definitus fuit dolus, quòd sit *calliditas*, & hæc consistit in tacendo, seu in animo: quòd sit *fallacia*, & hæc est in verbis: quòd sit *machi-*
4*natio*, quæ facit aliquid ad decipiendum. Ex hac doli definitione colligitur Lucam in casu nostro posse imputari de dolo, nam vsus est *calliditate*, tacens, ac animo retinens certitudinem, quam habebat non esse deperditam etiam nauem secundam, Nec refert quòd nullam fecerit *fallaciam*, aut *machinationem* eò ipso, quòd simpliciter petierit à socijs, nam vellent ei vendere merces suas; nam dolus, vt dixi, consistit etiam in solo animo, & hic animus do-
5lus fuit in Luca, tacens id, quod sciebat. Imò videtur commisisse etiam *fraudem*, seu *machinationem*, quæ consistit in factis, nam occultauit epistolam, quam acceperit cum nuncio certo de non amissione nauis secundæ, quod alij ignorantes, timentes ne & hæc nauis naufragium fecerit, ideò sunt inducti ad vendendum vili pretio ipsi Lucæ, cuius munus erat scribere, & socijs nuncia referre, in quo defecit; ergo apparet ipsius dolus, & deceptio in socios adhibita, qui videntes nullam epistolam exponi à Luca circa nauem secundam, fuerunt decepti, putantes Lucam ex se, & sinè scientia quid esset factum de naui secunda, fortunam tentare vel in perditionem, vel in pingue lucrum inquirendo.

6 Et dato, quòd cum dolo Lucas se gesserit, notandum est an cum dolo dederit causam contractui; vel an dolus ipsius incidenter se habuerit ad contractum. Dupliciter ergo dolus interuenit contractui; aut vt causa; aut incidenter. Tunc dolus dat causam contractui, quando non fores, v.g. venditurus, aut empturus, aut locaturus, si non fuisses dolo inductus
7ab alio contrahente. Tunc verò dolus est incidens ad contractum, quando fuisses quidem contracturus, sed non tam libenter, nec tanto pretio, aut non tam vili pretio, nisi aliter te de-
8cepisset, quæ deceptio innumeris modis fit. Est autem diuersitas in hoc duplici modo doli, quòd si dolus est talis, vt det causam contractui, contractus quilibet (vno excepto contractu matrimonij) in foro animæ est inualidus, & res est restituenda si quæ res sit accepta; item
9damna sunt resarcienda. Ità Rebellus *de obligat. iust. part. 2. lib. 1. q. 6. sect. 2. num. 9.* Et *num.* 8. dicit, quòd si dolus incidenter tantummodò se habeat ad contractum, in nullo foro, & nullo
10iure irritum reddit talem contractum. Decipiens tamen tali modo, tenetur in foro consciētiæ resarcire damna, & hoc tu deceptus potes prætendere, esto vltra dimidium pretij non fue-
11ris deceptus; & insuper in foro externo habes actionem contra deceptorem, si vltra dimidium pretij te decepit: & sic habetur *l. 2. Cod. de rescind. vendit.* & ità tradit Syluester *verbo culpa, quæst.* 7. Angelus *verbo dolus*, §. 9. Med. *de restit. q.* 33. & alij.

12 In casu nostro si adfuit dolus, non fuit incidens, cùm socii Lucæ non essent aliàs contracturi, vndè talis dolus dedit causam contractui, quem Lucæ socii fecerunt, quia data suppositione amissionis vnius nauis, & nescientes an altera esset deperdita, quam non esse deperditam Lucas sciebat, & tacebat, ideò socii Lucæ fuerunt callidè inducti ad venditionem mercium respectu sociorum Lucæ incertarum, ratione cuius incertitudinis vili pretio eas tradiderunt. Et quòd in tali facto intercesserit dolus dans causam contractui probatur, nam tunc cum dolo quis aliquem inducit ad contrahendum, quando iste inductus non contraxisset, nisi inducens supposuisset aliquid mouens ipsum inductum: sed in casu nostro Lucas taliter induxit socios, vt cum eis contraxerit ex vi suppositæ incertitudinis num etiam secunda nauis esset deperdita sicut prima: ergo dolosè induxit, vt per se patet ex prædictis *à num. 6.*

13 Confirmatur, quia si Lucas expresè dixisset socijs, se nescire an secunda nauis sit amissa, tamen se fore eam ab eis empturum cum ista ignorantia; certè dolus manifestus Lucæ dedisset causam contractui: ergo & eodem modo dedit causam contractui tacens id, quod sciebat, & agens cum sociis putantibus ipsum contrahere cum eadem incertitudine, quæ erat in eis: ergo talis modus, seu dolus tacitus, inualidauit contractum, cum taciti, & expressi eadem sit virtus, *l. cùm quid, ff. de reb. cred. & cap. 2. de rescriptis.*

14 Item probatur, quia iste contractus, est quodammodò contractus fortunæ, in quo quilibet contrahentium debent æqualiter se exponere periculo amissionis, seu lucri; sed

quandocunque in simili contractu alter scit se certò lucraturum ob excessum scientiæ, tenetur lucrum restituere, quia contractus non fuit æqualis, vt docet cum multis Sanchez *consil. lib. 1. cap. 8. dub.* 13. ergo & in nostro casu certa scientia, quæ erat in Luca fecit contractum esse nullum, & teneri ad restitutionem.

15 Item, quia inter duos ludentes, si alter se fingit ludi ignarum, & occultat suum manifestum scientiæ excessum, tenetur lucrum restituere, vt benè docent Syluester *verbo ludus*, *q.* 11. Philiarcus *de offic. sacerd. tom.* 2. *p.* 2. *lib.* 5. *cap.* 2. *num.* 8. Nauarrus *in summa*, *cap.* 19. *num.* 15. Ledesma 2.4. *quæst.* 15. *art.* 5. *fol.* 123. *pag.* 4. Ludou. Lopez *lib.* 2. *de contract. c.* 21. Aragon. 2.2. *quæst.* 32. *art.* 7. & alij: ergo idem est dicendum in facto nostro, dum Lucas occultat suam scientiam.

16 Item, quia eò ipso, quòd Lucæ fuerat à socijs totum negotium commissum, ita vt ipse scriberet, ac responsa acciperet, tenebatur Lucas omnia socijs aperire, & notificare, aliàs per occultationem epistolæ alicuius, quæ sit attinens ad dictum negotium, non se gerit fideliter, imò dolosè, ac fraudulenter facit, si tali epistola vtitur secretè in sui vtilitatem, & ad inducendum socios ad contractum, quem non
17 essent facturi. Et quia Lucas cum sociis inierant simul quamdam societatem contribuendi æqualem portionem pecuniæ pro emendis illis mercibus, & pro earum conducta; sequitur quòd & damnum debet esse commune, sicut & operat o, & industria, & alia quæcunque apposita à quolibet ex dictis contribuentibus, debent æqualiter prodesse, donec merces sint receptæ; & quidquid in hoc non obseruabitur ex dictis, erit dolus, aut fraus, & vitiabit contractum, & erit restituendum quidquid tali modo lucrabitur. Ità omnes scribentes *de Societate*.

18 Duo dixi, ex quibus deduxi Lucam dolosè fecisse emptionem mercium à sociis viliori pretio, quam valebant. Primum quod dixi est, contractum non fuisse æqualem ratione certæ scientiæ, quæ erat in Luca, cùm totalis ignorantia esset in sociis. Secundum quod dixi est, reperiri in casu nostro quædam ratio societatis, eò ipso, quòd socii totum negotium commiserint Lucæ, confisi quòd nomine omnium operabitur prò æquali lucro, vel damno. Quæ duo si non darentur, posset fieri, vt licitè vnus ex sociis emat ab aliis merces, pro quarum emptione æqualem fecerant contributionem. Igitur si Lucas, Ioseph, & Alexius, v. g. Romæ existentes conueniant in æquali pecuniarum contributione pro deducendis v.g. ex Hispania mercibus, itaut quasi sint inuicem separati, & ipsorum quilibet non teneatur pro altero socio agere; tunc seclusa ratione societatis ad inuicem obligantis; & etiam excluso modo emendi à sociis merces viliori pretio propter timorem vendentium ne sint amissæ, cùm emens habeat certitudinem non esse deperditas, si iusto pretio res emantur, & reticeatur certitudo habita, licitè fiet huiusce modi emptio, & hoc probatur sequentibus rationibus.

19 Primò quia emens rem iusto pretio, non facit iniuriam venditori, sicut è contra vendens rem pretio debito, non facit iniuriam emptori; sed hoc verificatur in casu emptionis iusto pretio mercium quamuis adhuc longè extent; ergo sic emens non facit iniuriam venditoribus; & vbi non est iniuria, sed interuenit æqualitas in contractu, contractus subsistit, nec aliqua datur obligatio restitutionis nec in venditoribus, nec in emptore; & sic docent Doctores communiter.

20 Nec obstat quòd emptor certus sit de non amissione mercium, & id non notificet venditoribus; nam si aliquis sciat monetam breui esse minuendam, potest nihilominus illam mutare cum alio in monetam, quæ non sit minuenda, licèt ille taceat quod scit, & alter ignoret quid futurum sit, & quòd post paucos dies decrescet moneta, quam nunc recipit, sicut deducitur ex doctrina Cordubæ, Nauarri, & Aragon. apud Dianam *part* 1. *tract.* 8. *resolut.* 45. qui docent licere mutuare hodie monetam quam scio esse cras minuendam, & obli-
21 gare mutuatarium vt eam restituat iuxta valorem hodiernum, quia ex communi æstimatione, vel à Lege moneta, quæ hodie datur, habet tantum valorem: ergo & licebit emere merces à sociis, qui nesciunt eas non esse amissas, quod non latet emptorem, si iste dat pretium, quod valent, & taceat certitudinem,
22 quam habet de mercium non amissione Idem est asserendum de locante domum hodie quinquaginta scuta, quia tantum valet, cùm tamen cras minùs valebit ratione discessus Principis ab ea ciuitate, & hoc locator sciebat, sed id conductor ignorabat, & nihilominus id locator non notificauit conductori, cui tamen non fecit iniuriam, cùm de facto hodie domus illa valeat quinquaginta, & sic locator hodie vtitur iure suo. Sic Ioannes de la Cruz *in direct. conscient. p.* 1. *precept.* 7. *q.* 3. *dub.* 10. *conclus.* 2.
23 Imò Lessius *de iust. & iur. lib.* 2. *cap.* 21. *dub.* 5.

per

per totam adducit plures alios similes casus, in quibus pretio currente licet vendere, aut emere res, quas scis post dies paucos minori, aut maiori pretio fore alterandas, & hanc scientiam non habet ille, cum quo contrahis. Hanc doctrinam docent D. Thomas *quæst. 77. art. 3. ad 4.* Sotus *lib. 6. quæst. 3. art. 2. ad 3.* Syluester *verbo emptio, quæst. 25.* Couarruuias, & alii. Ratio est, quia priuata scientia venditoris, aut emptoris non mutat æstimationem ipsius rei iuxta sensum, quo communiter æstimatur.

24 Secunda ratio est, quia etiamsi venditor alicuius mercis interrogetur ab emptore an futura sit copia talis mercis, & ipse respondeat se nescire, aut neget esse futuram copiam, cùm tamen sciat fore venturam, licitè nihilominus vendit rem, si eam tradat pretio currenti, vt docet Cruz *loc. citato, conclus. 3.* & Salas *de empt. dub. 23. num. 2. in fin.* & ratio est, nam notitia copiæ futuræ non minuit pretium rei, quod currit in præsenti; & si veritas occultetur, aut negetur à dicente non esse futuram copiam, non facit contra iustitiam, cùm non teneatur ex iustitia manifestare veritatem, licèt in hoc mentiatur, dummodò ratione mendacij non augeatur pretium rei; ergo & in casu nostro licitè potuit Lucas emere merces currenti pretio à socijs, tacens scientiam, quam habebat eas non esse deperditas; imò quamuis negasset se scire eas non perijsse, si à socijs fuisset interrogatus, adhuc licitè iusto pretio emit, peccauit tamen contra veritatem, sed tale peccatum nullam inducit obligationem vel restitutionis, vel rescissionis contractus.

25 Dices: per tale mendacium intulit damnum socijs, qui ex mercium receptione lucrum non modicum erant facturi, vendentes merces illas, quarum erat penuria in Ciuitate. Respondeo esse quidem sequutum damnum socijs, sed non causa Lucæ emptoris, qui vsus est iure suo dum emptionem fecit rei, aut mercium debito currenti pretio, nullo apposito dolo, nullaque adhibita fraude; vnde mendacium, quod dixit, non censetur perniciosum alijs, sed fuit solummodò officiosum, & iuxta ius quod habebat consulendi suæ indemnitati, seu vtilitati. Videatur Diana *part. 1. tractat. 8. resol. 46. vers. deinde.*

26 Dices iterum: si quis vendit rem suam, quæ est in alterius potestate, & emptori imponit onus eam recuperandi, si venditor interrogatus num faciliter recuperabitur, respondeat affirmatiuè, sciens tamen totum è contra euenturum; tunc talis contractus est contra iustitiam: ergo & idem dicatur de negante se habere scientiam copiæ futuræ, seu non amissionis mercium. Respondeo admittendo verum esse antecedens, sed falsum consequens. Ratio

27 est, quia dum venditur res cum iure recuperandi eam ab eo, qui cum difficultate, aut nullo modo est illam daturus, venditur res cum intrinseco defectu, qui negatur à venditore, & potiùs contrarium asserendo, tamquam si venderet agrum sterilem, de quo agro quærens emptor an sit sterilis, venditor diceret esse fertilem; & ita expressè habet Lessius *de iust. & iur. lib. 2. cap. 21. dubit. 11. num. 81. vbi num. 79.* admittit posse vendi illã rem cum onere eam

28 recuperandi ab eo, quem venditor scit non esse soluendo, sed hoc tacet, quia non interrogatur ab emptore, ad quem spectat inspicere, & circumspicere, quid, est quomodo emit. E contra verò, quando quis tacet, aut etiam interrogatus negat scientiam, quam habet, non negat aliquid, quod teneatur ex iustitia propalare, sicuti ex iustitia tenetur venditor defectum intrinsecum rei notificare emptori, cùm maximè de defectu rei emptor interroget venditorem.

29 Cauendum est tamen ne quando aliquis emit, aut vendit non manifestans id, quod scit, & ignoratur ab alio, iste ex tali emptione, aut venditione incurrat in aliquam necessitatem extremam, seu grauem, quia tunc esset peccatum contra charitatem, nisi & similem necessitatem

30 esset incursurus ille, qui tacet, nec notificat id, quod scit. Sed hoc damnum proximo rariùs contingit.

31 Contra prædicta potest aliquis instare, ostendens quòd dum Lucas in nostro casu habet certitudinem non amissionis mercium quas emit, tenetur pretium currens augere ratione talis certitudinis; nam sicut vendens rem cuius defectum occultat, potest licitè eam vendere si minuit de pretio ipsius ad proportionem defectus, quem habet, & res sit vtilis emptori, vt docent contra Rebellum *de obligat. iustit. part. 2. lib. 9. quæst. 8.* Nauarrum *in manual. cap. 23. num. 89.* Filliucius *tom. 2. tract. 35. cap. 6. num. 128.* Salas *tract. de empt. dub. 34. num. 5.* Lessius *lib. 2. cap. 21. dubit. 11. num. 91.* Bonacina *de contract. disput. 3. quæst. 2. punct. 6. num. 4.* & alij; ità videtur dicendum è contra, nimirum debere pretium augere emptorem, qui scit, & tacet venditoribus aliquid boni in mercibus, quas emit, & hoc verificatur in præsenti

32 casu nostro; Sed quamuis vera sint ea, quæ dicuntur circa diminutionem pretij mercis, cujus defe-

defectum occultat venditor; attamen non est eadem ratio pro casu nostro. Ratio ergo disparitatis consistit in hoc, quòd defectus occultatus sit quid intrinsecum rei, quæ venditur, & venditor tenetur eam dare pretio proportionato bonitati, & qualitatibus eiusdem rei, aliàs venderet iniustè, ac si v. g. daret aurichalcum pro auro vero. At quando emptor mercium, negat se scire an sint deperditæ, nihil intrinsecum ponit in iisdem mercibus, aut ab iisdem aufert aliquid, per quod earum currens pretium augeatur, seu minuatur, sed per accidens se habet ad ipsas merces illa emptoris scientia, prout supra iam dicebamus.

33 Notetur circa dicta *num. 31.* quòd licèt possit vendi res cum occultato defectu, si pretium minuatur, teneretur nihilominus venditor defectum notificare emptori, si probabiliter sciat hunc eam rem esse reuenditurum, ne eam re-
34 uendat maiori pretio, quàm valet. Item debet defectum publicare, quando emptor dicit se intendere non emere, si res habeat aliquem defectum, nam in hoc casu contractus esset nullus, quia est contractus conditionatus, & conditio non subsistit.

35 Vltimò dico teneri quoscunque vendentes attendere ad bonitatem rerum, quas vendunt, quia quando aliquod habent vitium, debet ad proportionem vitii minui pretium, & licitè venduntur occultato vitio, si aliàs res sit vtilis emptori, seruatis semper prædictis sub *num. 33. & 34.* Vnusquisquè ergo suam conscientiam conueniat iuxta propriæ professionis artem, ac exercitium.

§. II.

*An fuerit licitus contractus emptionis, & retrouenditionis factus in præsenti historia.*

36 Postquam vidimus quid sit dicendum circa primam partem tituli huius decisionis, restat vt examinemus secundam partem, quæ tres contractus continet, qui exprimuntur *suprà sub num.* 1. istius decisionis, & sunt;

1. Emptio mercium summo pretio ab vno venditore, sed credita pecunia, cum retrouenditione eidem venditori pretio infimo, numerata pecunia.

2. Acceptio pecuniæ titulo mutui cũ pacto restitutionis, addita aliqua quantitate ratione maioris æstimationis faciendæ de pecunia numerata, respectu numerandæ.

3. Acceptio pecuniæ titulo mutui cum promissione restitutionis, addita alia summa titulo solius gratitudinis, & beneuolentiæ, & vt mutuans expectet vsque ad certum tempus.

37 Ad primum contractum respondeo fuisse licitum, si nullum pactum præuiè fuit factum de retrouenditione cum eodem venditore pretio minori. Ratio est, nam si aliqua de causa in isto contractu aliquid illicitum daretur, esset ratione Vsuræ expressæ, vel palliatæ: Sed excluso omni pacto retrouenditionis pretio minori, nulla interuenit Vsura: ergo in dicto contractu nihil interuenit illicitum. Maior est euidens adeò vt non indigeat probatione. Minor suadetur, quia Vsura communiter, & sinè controuersia definitur a Doctoribus *lucrum immediatè proueniens ex mutuo*; cùm igitur nulla ratio mutui detur, vbi quis emit rem summo pretio, absquè aliquo pacto siuè expresso, siuè tacitò de eiusdem rei retrouenditione pretio infimo eidem venditori, eò quia *mutuum est contractus, quo rei dominium transfertur in accipientem spe accipiendi similem in specie, & bonitate*; Institut. *quibus modis contrahitur obligatio*, & *l. 2. ff. si certum petatur*. Gomez 2. *variar. c. 7.* citans Bartolum, Baldum, Panormitanum, & alios. Rebel. *de obligationib. iusti. lib.* 8. *quæst.* 1. *sect.* 1. *num.* 11. Zechi. *p. 2. cap.* 30. *num.* 1. Syluest. *verb. mutuum*, & alij, qui contractus non fuit factus stante exclusione cuiusuis pacti; consequenter nec Vsura potest dari, non dato mutuo, ex quo Vsura immediatè, ac essentialiter exigit prouenire. Hinc liquet esse veram allatam consequentiam, nimirum nihil illicitum reperiri in hoc primo contractu prout mihi fuit propositus in præsentis decisionis facto, non enim mentio alicuius pacti fit, sed tantùm dicitur fuisse emptas merces summo pretio credita pecunia: deinde fuisse illas retrouenditas pretio infimo, numerata pecunia à primo venditore postmodum emptore; & in hoc sensu hactenus respondi.

38 Cæterùm, quia fortassè aliquod saltem tacitum pactum de præfata retrouenditione fuit appositum, propterea supposito aliquo pacto est aliter respondendum.

Dico igitur, si primus iste contractus, quem examinamus, fuit factus cum pacto retrouenditionis, est omninò illicitus, & vsurarius vsura saltem palliata. Hoc dictum est adeò certum, vt oppositum affirmare sit temerarium, & scandalosum. Probatur, nam Innocentius XI. inter sexaginta quinquè propositiones, quas damnauit tamquam temerarias, & scandalosas, istam damnauit, quæ est 40. in serie aliarum:

*Con-*

*Contractum Mohatra licitus est, etiam respectu eiusdem personæ, & cum contractu retrouenditionis præuiè inito, cum intentione lucri*, quare cùm modus venditionis, & retrouenditionis in nostro casu sit *contractus Mohatra* apud Hispanos, *Stocco* verò apud Italos; & sit respectu eiusdem personæ, scilicet respectu venditoris; & sit cum contractu retrouenditionis præuiè inito, (vt suppono) & cum intentione lucri, consequenter, est totaliter illicitus.

39 Et vt nostram probationem confirmemus, expedit præmittere in quo consistat essentia *Mohatræ*. Sciendum igitur est, non rarò contingere aliquem indigere pecunijs, quas mutuaret, si mutuantem quæreret, vel haberet. Sed quia mutuantem non habet, & pecunias habere compellitur, ideò accedit ad mercatorem, à quo merces aliquas summo pretio emit, statimque eas eidem mercatori, vel alteri pretio infimo reuendit, itaut in emptione creditò emerit, at in reuenditione pecuniam acceperit, & sic quod ei opus erat in istis contractibus obtinuit. Dupliciter autem fit talis emptio, & reuenditio, scilicet vno modo cum præuio pacto retrouenditionis eidem venditori pretio infimo, vel medio, numerata pecunia, aut etiam alteri à venditore: secundo modo sinè præuio pacto respectu venditoris, aut etiam alterius personæ à venditore diuersæ. Eiusmodi emptio, & reuenditio vocatur, & est essentia *contractus Mohatra*.

40 Si loquamur de *Mohatra* secundo modo, nempe de emptione, & retrouenditione cum pretij inferioritate, & respectu eiusdem personæ, à qua pretio rigoroso fuerat res vendita, secluso retrouendendi pacto siuè explicito, siuè implicito in prima venditione, & emptione; de hoc non stat damnatio, sed possunt Doctores inquirere, an liceat, vel non liceat; sed licerè fuit probatum *suprà*, *num*. 37.

41 Si loquamur de eodem *contractu Mohatra* respectu personæ diuersæ ab ea quæ primò vendidit pretiò rigoroso, præcesserit, seu non præcesserit pactum, etiam in hoc sensu *Mohatra* relinquitur Doctorum disputationi an liceat. Tamen circa hoc cauendum est, ne nomine mercatoris illa tertia persona emat expressè, vel tacitè, & cum contractu reuenditionis præuiè inito; nam hoc modo fieret totum, quod cadit sub damnatione, eò quia idem esset ac si ipse mercator emeret viliori pretio, præmisso retrouenditionis pacto, siquidem qui per alium facit per seipsum facit, *cap. qui per alium* 72. *de regul. iuris*, *in* 6, & alibi sæpè in corpore Iuris, & tenent Doctores communiter, & aliquos referam infra, *decisio*. 97. *nu*. 33. Licere autem reuendere pretio minori, etiam præuio pacto, tertiæ personæ non ementi nomine mercatoris, qui rem primò vendidit reuendenti, suadetur, eadem ratione, qua probauimus *num*. 37. non dari mutuum neque tacitum, ex quo immediatè lucrum proueniat; vnde nec aliqua palliata vsura interuenire hìc potest, vt ex se patet.

42 Si loquamur de *Mohatra* primo modo, videlicet quando minori pretio retrouenditur eidem personæ, à qua res fuerunt venditę maiori pretio, itaut præuiè factum fuerit pactum saltem tacitè retrouendendi pretio inferiori, tunc *contractus Mohatra* est illicitus, & vsurarius vsura palliata, ideoque hæc propositio quadragesima inter alias fuit meritissimè damnata, vtpote quæ scandalosè docebat esse licitum ipsum contractum Mohatram tali modo factum, & non solùm si fuerit factus iuxta modos dictos *num*. 37. 40. *&* 41. Per hoc enim, quòd dicta propositio habeat illas particulas, *etiam respectu eiusdem personæ*, *& cum contractu retrouenditionis præuiè inito, cum intentione lucri*, significat Mohatram licere eo modo, & præuio contractu reuenditionis tum respectu tertiæ personæ, tum respectu eiusdem personæ primò vendentis, cùm dictio *etiam* sit extensiua, & stet argumentatiuè, & ampliatiuè, sicut in *l*. 2. *C. de testib*. notat Riminal. *cons*. 246. *num*. 83. *vol*. 3. & idem docent Menoch. *cons*. 331. *nu*. 7. Surd. *deci*. 8. *num*. 12. Bertazol. *de claus. instrument. clausul*. 27. *gloss*. 16. Seraphin. *decis*. 561. *num*. 1. Rota apud Farinac. *decis*. 567. 1. *p. recent*. Pic. *ad statut. Vrbis*, *gloss*. 1. *num*. 2. & alij. Verùm in ista ampliatione stat scandalum propter vsuram palliatam, quam committit, qui sic eidem personæ, à qua emit, postmodum retrouendit cum præuio retrouenditionis contractu pretio minori, in quo stat ratio lucri intenti. Ex his discat Lucas in casu nostro, quid illicitum, vel licitum fecerit, dum *Mohatram* fecit, quandoquidem in casu mihi proposito non expressit, an præmiserit contractum retrouenditionis pretio minori, simulque attentè aduertat ne doctrinam damnatam approbet, vt enim errores euerterem, & veritatem eidem Lucæ ostenderem, necesse habui proponere ei scandalosam, ac veneno plenam propositionem Pontificis authoritate ob salutis animarum zelo prohibitam meritò, ac dignè damnatam.

43 Et vt ad minùs vnam probationem exponam Lucæ ad ostendendum falsitatem scandalosam, ac temerariè prolatam, seu edoctam per doctri-

ctrinam damnatam, pono istam: Scandalosè docetur esse licitam vsuram, etiam palliatam: sed contractus Mohatra respectu eiusdem personæ, cum præuiè inito retrouenditionis contractu, cum intentione lucri, idest pretio minori, est vsura saltem palliata: ergo dicendo licere Mohatram modo dicto, est scandalosè docere esse licitam vsuram saltem palliatam. Consequentia benè sequitur ex præmissis. Maior probatur, nam nemo negat quin vsura sit peccatum, vt videre est apud Dianam *part.* 5. *tract.* 5. *resol.* 30. & solùm difficultatur, an in ea detur paruitas materiæ, & sic non semper sit peccatum mortale, sed interdum sit veniale: cùm ergo vsura sit semper peccatum, per consequens scandalosè docetur esse licitam, quòd enim est peccatum siuè graue, siuè leue, nullo modo potest licere. Minor probatur: Nihil aliud est vendere rem valentem pretio summo, v. g. centum, addito pacto retrouenditionis pretio infimo, v. g. nonaginta, quàm mutuo dare nonaginta cum obligatione restituendi decem suprà sortem, licet hoc palliatè fiat: ergo palliatè ex mutuo lucrum exigitur, & per consequens vsura palliata committitur in contractu Mohatra. Nec obstat, quòd ista vsura sit tantùm palliata, & præuiè positus retrouenditionis cõtractus, sit tantùm tacitus, vn-

44 de Mohatra videtur cõtractus non illicitus: respondetur enim id esse omnino falsum, quia taciti, & expressi eadem est ratio, virtus, & efficacia vt diximus *suprà, num.* 13. adeoque idem iudicium fit de tacito, ac de expresso, *l. cùm quid, ff. si certum petatur, l. si filiusfam ff. eod. tit. l. vlt. ff. de legat.* 2. *l. item quia, ff. de pactis, l. vlt. C. qui bonis cedere possunt*; & idem tenent Couarru. *in cap. quamuis pactum, de pactis, lib.* 6. *p.* 2. *in initio, num.* 6. *in med.* Federicus de Sen. *cons.* 100. *Factum, in princ.* Menoch. *cons.* 108. *num.* 54. *& cons.* 183. *num.* 8. *&* 30. & *de præsumpt. lib.* 4. *præsumpt.* 40. *num.* 8. & alij

45 communiter itaut nihil contra in nostro facto possit afferri, sicuti posset si tacitum, & expressum non essent eiusdem naturæ, quia tunc idem de vtroquè nequit fieri iudicium, vt benè vult Mari. Antonin *variar. resol. lib.* 2. *resol.* 57. *nu.* 72. & eiusdem naturæ est vsura expressa, & palliata: sicuti & contra posset afferri Rot. *decis.* 608. *num.* 2. *apud Farin. p.* 2. *recent.* vbi dicitur taciti, & expressi non esse idem iudicium, quando vtrumquè non procedit ex potentia eiusdem causæ: sed hoc non est in casu nostro, quia vsura tacita, & expressa procedit ab eiusdem causæ potentia, idest ab eodem mutuo cum tacito, vel expresso pacto iniusti lucri suprà sortem exigiti.

46 Hinc Doctores morales communiter docent esse semper restituendum quidquid acquiritur ex mutuo immediatè, quia contra iustitiam acquiritur, siuè expresè, siuè tacitè pactum lucrum iniustum afferens sit factum, vndè vsura sit tacita, seu palliata, vel sit expresa, semper est illicita, propterea contractus Mohatra prout dicitur licitus in dicta propositione damnata, scandalosè dicitur licitus, cùm palliatè sit iniustus. Ità aserunt omnes rectè sentientes, dicit Andre. à Matre Dei, *de iust. & iur, tract.* 14. *de contractib. cap.* 2. *de empt. & vendit. punct.* 7. *num.* 69. Gabr. *in* 4. *dist.* 15. *quæst.* 11. *art.* 3. *dub.* 3. quem refert Layman. *in Theolog. moral. lib.* 3. *sect.* 5. *tract.* 4. *cap.* 16. *num.* 16. D. Antonin. *part.* 3. *tit.* 8. *cap.* 4. §. 4. apud Dianam *in summ. verb. contractus, num.* 5. Syluest. *verb. vsura* 2. *quæst.* 4 Mercat. 2. *l. de contractib. cap.* 21. Alios tacito nomine refert Rebell. *de obligationib. iusti. part.* 2. *lib.* 9. *quæst.* 7. *nu.* 7. vbi *contractui Mohatra* nomen appropriat *fraudis*, & quidem meritò, quia per fraudem in hoc contractu palliatur vsura.

## §. III.

*Agitur de mutuo dato in nostro casu, cum obligatione restituendi aliquid vltra numeratam pecuniam assertam pretiosiorem numeranda.*

47 Ex *num.* 1. istius decisionis constat Lucam fecise contractum, in quo pecuniam accepit, addito pacto restituendi eam mutuanti, & insuper certam aliam summam creditam sufficientem pro maiori æstimatione pretiositatis asertæ in pecunia numerata respectu numerandæ. Nunc videbimus, an licitum fuerit eiusmodi mutuum.

Dicendum igitur est fuise omninò illicitum, & vsurarium dictum contractum. Probatur, nam si iustè exigere quis poset aliquid suprà quantitatem numeratæ pecuniæ mutuo datæ, eò quia pretiosior est pecunia numerata, quàm numeranda, penè innumeri esent debitores, qui se ab omni debito credunt immunes; & totidem darentur creditores, qui debitores ignorant se habere: sed hoc affirmare est manifestus error: ergo. Maior ostenditur, quia si mutuantes, & mutuatarij vbique locorum abundant, à quibus mutuum in pecunijs consistens celebratur, & restitutio ad æqualitatem est facien-

cienda à mutuatario suo creditori; certè numquam creditores fuerunt satisfacti, nec mutuatarij debitum integrum suis mutuantibus restituerunt, cùm ex communi praxi constet, vt mutuans v. g. decem, alia decem recipiat; verùm si decem scuta numerata valerent, v. g. vndecim scuta numeranda, consequenter restituens decem, non restitueret totum, quod accepit; & sic adhuc mutuatarius esset debitor, & mutuans esset creditor vnius scuti suprà decem; quare sequitur dicendum esse ferè innumeros debitores, & creditores, qui debitum, vel creditum numquam soluunt in restitutione mutui: ergo est vera illa maior. Minor etiam patet, quia solo lumine naturæ patet non esse concedendum dari tot debitores, & creditores: ergo signum est esse illicitum mutuare pecuniam, eamque exigere cum addito in restitutione, ratione maioris pretiositatis illius numeratæ, respectu numerandæ; & ideò tale mutuum est illicitum, quia est cum lucro ex ipso mutuo immediatè proueniente, in quo consistit vera vsura.

48 Confirmatur, nam Doctorum caterua semper docuit, & docet satis esse pro restitutione mutuatæ pecuniæ, si qui accipit v. g. decem, alia decem reddat, itaut decem restituendo plenè adimpleat obligationem suam, etiamsi mutuans aliquid suprà decem prætenderet, quamuis pretiosiorem asserat fuisse suam pecuniam iam numeratam; & ità in vtroque foro mutuatarij obligatio iudicaretur adimpleta; ergo licèt concedatur maior quædam pretiositas in numerata pecunia, quàm in numeranda, tamen illa maioritas stat tantùm in imaginatione, non in re, & ideò non est pretio compensanda, nequè in mutuo numeranda, sed si numeretur, & pro ea aliquid exigatur, committitur vsura, cùm sic lucrum ex mutuo immediatè sequatur.

49 Secundò probatur, nam si licitum esset in mutuo exigere aliquid ratione pretiositatis maioris in re præsenti repertæ, quàm in futura, tolleretur vsura, liberum enim cuique mutuanti esset rem, seu pecuniam propriam appretiare ratione præsentiæ; & sic mutuando centum, posset prætendere centum quinquaginta, quia tanti facit centum numerata, non autem centum numeranda: ergo vsura numquam esset, quoties mutuans aliquid suprà sortem materialem, idest prout communiter æstimatur, exigeret. Cùm ergo vsura non sit dicenda quid fictum, consequenter debet dari, at non daretur si liceret cum sorte computare maiorem pretiositatem ob præsentiam rei, & indè est fuisse illicitum contractum Lucæ accipientis mutuo pecuniam cum pacto soluendi aliquid suprà quantitatem materialem acceptam à mutuante, qui vsurariè prætendit illud plus propter pretiositatem pecuniæ vt numeratæ.

50 Confirmatur: Si aliquis obligaret furem, qui accepit centum, vt si vult absolui restituat centum quinquaginta, iniustè illum obligaret, aliàs si iustè obligaret propter præsentiam rei, seu pecuniæ surreptæ, non posset fur absolui à Confessario, nisi restituat plus quàm materialiter surripuit: sed nemo obligat furem ad restituendam furatam pecuniam nisi iuxta quantitatem materialem, quam accepit, v. g. decem pro decem, & ità docent DD. communiter, & ab omnibus sapientioribus, & pijs viris sic practicatur, nulla habita consideratione de re vt præsenti maioris pretij facienda: ergo non computatur licitè suprà sortem materialem quantitatis pecuniæ mutuatę aliqua pretiositas propter pecuniæ præsentiam, quæ pretiositas non inest pecuniæ futuræ, propterea vsurarius est contractus Lucæ propositus in isto paragrapho.

51 Tertiò probatur, nam præfatus contractus est expressè damnatus ab Innocentio XI. in hac propositione quadragesima prima in ordine aliarum, quas ipse damnauit. *Cùm numerata pecunia pretiosior sit numeranda, et nullus sit, qui non maioris faciat pecuniam præsentem, quàm futuram, potest creditor aliquid vltra sortem à mutuatario exigere, & eo titulo ab vsura excusari:* ergo mutuans Lucæ in casu nostro, & ex vi solius mutui exigens aliquid vltra sortem propter maiorem pretiositatem numeratæ, ac præsentis pecuniæ, non excusatur ab vsura; imò temerariè, & scandalosè excusaretur ab vsura, quia eiusmodi doctrina est illa, quæ venit sub damnatione huius propositionis damnatæ in sua generalitate, & vt iacet, cùm non distinguat de maiori pretiositate numeratæ pecunię ob lucrum cessans, vel ob damnum emergens, vel absolutè, vt præsentialiter numeratæ. Licèt enim numerata pecunia sit pretiosior numeranda ob lucrum cessans, vel ob damnum emergens, pro quo lucro, vel damno licitè aliquid vltra sortem datam exigitur, tamen numerata pecunia non est pretiosior numeranda, si numeretur titulo contractus mutui, ac proinde aliquid suprà sortem sinè vsura non exigeretur; alia est enim essentia contractus mutui, & alia contractus ob lucrum cessans, vel ob damnum emergens, sed propositio damnata

pro omnibus contractibus, dictis vult pretiosiorem esse pecuniam numeratam, quàm sit numeranda; at hoc esse scandalosum ostendimus, si loquamur de pecunia solo titulo mutui data, eò quia vsura admittatur, & non admitti immeritò, & cum salutis animarum pernicie doceatur iuxta prædicta, quæ breuitati consulentes satis sint pro præsenti paragrapho, in quo quæ diximus, docentur à Lessio *de iust. lib. 2. capit. 21. dubit. 8. num. 71.* Rebell. *de obligat. iusti. part. 2. lib. 9. quæst. 13.* Sot. *de iust. lib. 6. quæst. 4. art. 1.* Reginald. *in praxi, tom. 2. lib. 25. cap. 18. num. 312.* Salas *tract. de empt. dub. 39.* & *tract. de vsur. dub. 37.* Turrian. *2.2. tom. 2. disp. 57. dub. 9. num. 3.* Gabr. *in 4. dist. 15. quæst. 11. dub. 4.* Azor. *instit. moral. p. 3. lib. 8. cap. 10. q. 15.* Syluest. *verb. Vsura 2. quæst. 14.* Angel. *eod. verb. §. 63.* Valent. *tom. 3. disp. 5. quæst. 20. punct. 2.* D. Antonin. *part. 2. tit. 1. cap. 8. §. 3. & 4.* & ab alijs, quatenus dicunt vsuram committi ab eo, qui rogatus dare mutuo, v. g. centum, respondet se daturum nonaginta, cum quibus emet ius ad centum, quod est in ipso rogante, vt post annum, vel post quodlibet tempus centum recipiat vel à tertia persona, vel ab ipso rogato, si sit debitor. Nec alia de causa exhibentur tantùm nonaginta pro iure ad centum, nisi quia præsens pecunia reputatur maioris pretiositatis, quàm futura, sed hoc esse vsurarium docent DD. allegati, & oppositum docere est prohibitum, & damnatum in relata propositione 41. inter cæteras damnatas ab Innocentio XI.

52 Ex his constat vsuram committi, si fiat emptio chirographi, seu crediti immaturi pretio minori, siuè emptor sit tertia persona, siuè sit ipse debitor, nam in substantia talis emptio, est quoddam mutuum cum lucro, & non ob aliud datur minus pretium, nisi propter pecuniæ præsentiam, quæ maioris sit quàm pecunia numeranda. Ità Doctores mox citati. Notetur tamen nos non damnare vt vsurariam quamcunquè emptionem chirographi, seu iuris pretio minori, sed solùm illam, in qua quod emitur est certum, & sic tanti valet ac valeat tantumdem præsens, & ideò vsura ex mutuo saltem implicito interuenit, cùm plus exigatur, quàm detur. Erit ergo licita emptio iuris, vel chirographi pretio minori, si non sit certum id, quod emitur, nam in hoc casu minus pretium datur propter lucrum cessans, vel ob damnum emergens, cùm possit contingere quòd quamuis ius v. g. ad centum incerta ob debitoris paupertatem ematur minori pretio, emptor numquam integrè centum possit recipere, imò interdum nihil, aut vix viginti recipiat.

## §. IV.

*An data mutuanti vltra sortem titulo beneuolentiæ, & gratitudinis, & ob dilationem inducant vsuram.*

53 Restat, vt examinemus vltimum contractum factum à Luca in præsenti historia, per quem promisit mutuanti restituere acceptam mutuo pecuniam, addita alia summa solo titulo gratitudinis, & beneuolentiæ.

Commune videbitur nonnullis præsens dubium à Doctoribus communiter examinatum; nihilominus nos in præsenti de illo agemus modo quodam speciali, nec passim obuio in quæstionibus Moralistarum. Hodiè enim extant propositiones de hac materia, quarum vnam vt falsam, & scandalosam damnauit Alexander Septimus, quam ponam *num. 60.* Aliam damnauit Innocentius Vndecimus, eamque *num. 42.* in ordine aliarum damnatarum posuit, & est ista: *Vsura non est, dum vltra sortem aliquid exigitur, tamquam ex beneuolentia, & gratitudine debitum, sed solùm si exigatur ex iustitia debitum.* Si attentè significatio huius propositionis, vt iacet, consideretur, patebit illam loqui in sensu supponente pactum de dando aliquid vltra sortem, titulo tamen solius gratitudinis, & beneuolentiæ; & ideò in hoc sensu fuit damnata, quia reuera in sua generalitate est scandalosa, cùm sit vsura manifesta pacisci in mutuo, vt supra sortem mutuatarius det aliquid, licèt titulo beneuolentiæ, & gratitudinis. Igitur venenosa est dicta propositio, nam in ea venenum latet in perniciem animarum per hoc quòd nimis amplè, ac sinè distinctione loquatur, scilicet quia indistinctè docet licitum esse vltra sortem aliquid exigere tum cum pacto, tum sinè pacto, siuè pactum inducat obligationem, siuè relinquat libertatem, dummodò non ex iustitia, sed titulo gratitudinis, & beneuolentiæ in pactum inducatur id, quod exigitur vltra sortem. Quamuis ergo Doctorum disputationi relinquatur inquirere an sit vsura aliquid exigere vltra sortem ex mera mutuatarij liberalitate, atquè cum plena illius libertate, nullo facto pacto obligationem inducente, vt ex beneuolentia, & gratitudine det vltra sortem; tamen iam prohibita est omnis disputatio, nisi sit impugnatiua, circa do-

ctrinam affirmantem non esse vsuram aliquid in mutuo supra sortem exigere cum pacto obligante, tametsi titulo beneuolentiæ, & gratitudinis.

54 Præmissa tali propositione damnata, apertoque illius veneno, intelliget nunc Lucas, num licitus fuerit contractus, in quo mutuò accepit, promisitque acceptum integerè restituere, addita etiam certa summa titulo beneuolentiæ, & gratitudinis. Si enim omnis obligatio fuit exclusa de danda aliqua re titulo gratitudinis, vel beneuolentiæ vltra sortem, vsura nulla intercessit. Si verò pactum fecit, per quod obligatio fuit inducta, vt daret titulo beneuolentiæ, & gratitudinis mutuanti exigenti non ex iustitia, sed ex dicta gratitudine, vel beneuolentia, vsura commissa est, & negare fuisse in tali casu commissam, est approbare, vel ad praxim deducere damnatam doctrinam præadductæ propositionis 42. Videantur dicenda *num.* 56. *& seqq.*

55 Vlteriùs sciat Lucas non suffragari ad censendam exclusam vsuram in illo pacto de dando solùm titulo gratitudinis, vel beneuolentiæ, quòd nihil expresè, vel externè in pactum obligans deduxerit vltra sortem; nam damnatio stat de quacunquè vsura siuè reali, siuè mentali, siuè aperta, siuè palliata, siuè implicita, siuè explicita. Ratio est, quia vsuræ essentia reperitur in omnibus suis speciebus, quæ communiter à Doctoribus assignantur iuxta enumerationem à nobis mox dictam. En qualiter discurrendum est de dubio proposito in titulo huius paragraphi, stante nunc damnatione propositionis præfatæ, vnde Lucas non à quocunquè scribente de vsura, & mutuo antè tempora Innocentij XI. solutionem sui contractus poterat tuta conscientia accipere, vt disceret an vsurarius fuerit, necne.

56 Dictum est supra esse vsuram mutuare cum pacto, vt vltra sortem mutuatarius det aliquid titulo gratitudinis, ac beneuolentiæ, sed hoc nunc ostenditur ratione. Per doctrinam eiusdem propositionis damnatæ est vsura aliquid vltra sortem exigere ex iustitia: sed facto pacto de danda aliqua re titulo gratitudinis, ac beneuolentiæ, realiter exigitur titulo iustitiæ: ergo vsurariè exigitur. Minor in qua est difficultas suadetur, nam pactum necessariò importat obligationem, & quod debetur ex obligatione, debetur ex iustitia, imò quod est debitum ex pacto, est debitum ex iustitia. Ità D. Thomas 2.2.*quæst.*78. *art.*2. *ad* 2. Glossa *in clement.* 1. *de vsuris, verb. onera.* Abb. *cum sua additione in cap. consuluit, in fin. de vsuris.* Gabr *in* 4. *dist.* 15. *quæst.* 11. *art.* 3. *dub.* 1. Rebel. *de obligat. iustit. part.* 2. *lib.* 8. *quæst.* 4. & idem colligitur ex *l. rem legatam, ff. de alimentis legatis.* si ergo pactum affert obligationem ex iustitia, consequenter erit vsura mutuare cum pacto dandi aliquid vltra sortem, licèt formalizetur titulo gratitudinis, & beneuolentiæ, dum enim pactum ponitur in mutuo, tunc lucrum per pactum obtentum prouenit immediatè ex mutuo, & ex iustitia debetur, ac proinde vsura admittitur in tali mutuo.

57 Dictum quoquè est supra, non esse vsuram si in mutuo aliquid vltra sortem exigatur titulo beneuolentiæ, & gratitudinis sinè pacto; & huius ratio est, quia secluso pacto, nulla insurgit obligatio, & consequenter nihil debetur ex iustitia vltra sortem, sed verè ex beneuolentia, & gratitudine tunc datur, cum liberè, & sponte detur vltra sortem: ergo in isto casu non subsistit essentia vsuræ. Videatur Gibelin. *tom.* 1. *lib.* 1. *de vsuris, cap.* 8. *art.* 1. *num.* 1 *&* 2. & *lib.* 2. *cap.* 3. *art.* 3. *num.* 1. *&* 6. Layman *in Theolog. moral. lib.* 3. *sect.* 5. *tract.* 4. *cap.* 16. *num.* 4. Anton. à Spiritu Sancto *in director. confessar. part.* 3. *tract.* 10. *disput.* 15. *sect.* 3. *num.* 580. *& seqq.* Diana *part.* 1. *tract.* 8. *resolut.* 41. *&* 42. & *part.* 6. *tract.* 7. *resol.* 42.

58 Videatur etiam Bonacina *de contract. disput.* 3. *quæst.* 3. *punct.* 3. vbi generatim, & meritò docet, quòd omnis pactio, & conuentio, per quam mutuatario imponitur onus, & obligatio quasi ex iustitia, ad quam aliàs non tenebatur, labem vsuræ continet, siuè onus sit à lingua, siuè sit à manu, siuè sit ab obsequio.

59 Vltimò pro plena solutione nostræ historiæ admonitum facio Lucam de periculo vsuræ, quando ante mutuum fiunt gratitudinis, & beneuolentiæ oblationes per pactum, quod liberale, & non obligans dicitur, exclamat enim Thomas Tamburinus *in decalog. lib.* 8. *tract.* 3. *cap.* 8. §. 2. *num.* 6. & dicit: *Proh quàm periculosum est, ne si petitio, vel pactum sit ante mutuum, degeneret in obligationem.*

60 Vltimò debemus videre an licitum fuerit dare, ac exigere aliquid vltra sortem in mutuo, ne vsque ad certum tempus mutuans repetat mutuatum. Ad quod respondetur cum Alexandri Septimi authoritate, quatenus in serie propositionum 45. ab ipso damnatarum hanc *num.* 42. prohibet, & condemnat: *Licitum est mutuanti aliquid vltra sortem exigere, si se obliget ad non repetendam sortem vsque ad certum tempus.* Ergo illicitè in mutuo exigi-

tur aliquid ratione obligationis, qua mutuator se ligat ad non repetendam pecuniam mutuatam, nisi tali tempore effluxo. Et ideò id est illicitum, quia in tali contractu manifesta committitur vsura; est enim talis natura mutui, vt detur mutuatario pro tempore determinato, vel indeterminato, & consequenter mutuator debet expectare restitutionem, nullo addito lucro propter tempus, quod tenetur expectare vt fluat, aliàs ex mutuo vi mutui lucrum reportaret. Quòd si negetur interuenire vsuram manifestam in tali exigentia alicuius rei vltra sortem, stante obligatione in mutuante non repetendi vsque ad certum tempus; certè concedi debet esse in hoc vsuram ad minùs palliatam, propterea propositio est falsa, scandalosa, & meritò damnata.

61 Nec valet dicere, quòd Doctores communiter concedant licere mutuanti conuenire cum mutuatario, vt restituat v.g. intrà annum 50. accepta, aliàs teneatur dare 60. Respondetur enim illa decem vltra sortem habere rationem pœnæ transgressionis in restituendo iuxta quòd intrà annum tenebatur, & sic illa decem vltra 50. patet non esse lucrum proueniens immediatè ex mutuo, sicque nec est vsura, nec fit contra prohibitionem, scilicet non approbatur, nec ad praxim deducitur doctrina damnata, quæ est de casu valde diuerso, ideoque debet expresè titulo pœnæ addi illa obligatio dandi decem vltra 50. Verum tamen est hanc pœnam nō posse postea infligi, si sinè culpa mutuatarius non soluit, vt v.g. quia non potuit. Iudicis sententia vt mutuatarius soluat pœnam, non est expectanda, sicuti expectandum est, vt fiat petitio, alioqui pœna censetur remissa ab ipso mutuatore. Casu verò quo partem mutuatarius intrà tempus præfixum soluerit, seu restituerit, tunc tantùm pro rata erit soluenda pœna. Ità Doctores communiter.

62 Ex dictis videat Lucas an obligatio ei à mutuatore imposita soluendi vltra sortem, sit in pœnam dilationis, vel iuxta doctrinam damnatæ propositionis, & inde concludat conformiter ad prædicta *num. 60. & 61.*

# DECISIO LXXI.

*An conducens equum ad itinerandum, teneatur statutum pretium augere locatori, si equuo vtatur alius pinguior conductore, vnde equus magis lassatur.*

## Casus, seu Historia LXXI,

### SVMMARIVM.

1 *Casus proponitur.*
2 *Bartholus non statim respondebat.*
3 *Scientia necessaria Confessario.*
4 *vsque ad 9 Locator iumenti ad quid teneatur.*
10. 11. 12 *Deceptus per dolum incidentem, quid possit contra deceptorem.*
13 *Conductor an teneatur dare expensas pro resarcienda re locata.*
14. 15 *Locatio de quibus rebus fiat.*
16 *Locatio, & conductio quid sint.*
17 *Vsura in locatione qualiter detur.*
18. 19. 20 *Res locata cui pereat.*
21. 22. 23. 24 *Conductor iumenti an possit eo vti ad libitum.*
25. 26 *Dolus interdum est error, pro quo lex non fauet.*
27 *Soluuntur argumenta.*
28 *Resoluitur casus præsens.*
29 *Faciliùs decipitur nesciens artem.*
30 *Interdum ad damna tenetur locator.*
31 *vsque ad 36 Agitur de conductore iumenti, si vltra terminum eo vtatur.*

1 MEdiolani comparuit ante Doctorem quidam iumentorum locator, petens vt ei fieret iustitia, nam cùm per octo dies locauerit vnum ex suis iumentis Bernardo, hic non est vsus eo, sed illud dedit fratri suo Dorotheo, qui erat magni ponderis homo, vt pote valde pinguis. Adducebat locator iumenti in sui fauorem, se fuisse locatum iumentum vili pretio ipsi Bernardo determinatè, & non alteri, si enim sciuisset Bernardum non fore eo vsurum, sed daturum illud tanti ponderis viro, nullatenus iumentum dedisset, vel saltem maius pretium voluisset, & hoc maius pretium prætendebat post factum, ratione damni sibi illati ob extraordinariam lassitudinem iumenti, quo vti ampliùs non poterat, donec vires primas acquirat, otiosè interim manducans in stabulo, imò & aliquas faciens expensas pro illius curatione. Citauit Bernardum Doctor, qui simul erat Iudex, & cum illum audierit dicentem

tem se conduxisse iumentum, vt eo octo dierum spatio pro suo libito vteretur; quapropter cùm pretium conuentum pro conductione locatori soluerit, se nihil vltra debere allegabat.

Huius litis definitiuam sententiam non statim dixit Iudex, qui mihi factum narrauit tamquam ex vna parte ridendum, & ex alia parte non contemnendum; vnde & à me petijt, an ad aliquam restitutionem sit obligandus Bernardus, ad quam restitutionem an ego obligarem ipsum, si in Sacramentali Confessione hoc factum exponeret?

2 Ad similitudinem Bartoli, qui interrogatus in mane, respondebat in vespere, ego interrogatus in vespere respondi in sequenti mane vt sequitur. Si Iudex non statim sententiam protulit in causa iumenti locati vt præfertur, non mirum sit, si & Confessarius conductori talis iumenti nesciret illico respondere, cùm casus in-
3 digeat diligenti examine, & sit de illis, quos confessarius sufficit, quòd sciat in dubium reuocare, sicut communiter tradunt DD. de scientia necessaria in Confessario agentes, & docentes sufficere, si de extraordinarijs sciat dubitare. Et sanè casus iste de iumento non est vilis, quamuis de vili animali in eo agatur, etenim non viliter ponderandam continet difficulta-
4 tem. Nam conductor dicti iumenti videtur ad nihil esse obligandus, quia conducens mulam v. g. per tres dies, potest illa vti ac si esset sua, & non alterius, vt expresè habet Sanchez *consilior. lib. 1. cap. 5. dub. 8. nu. 4.* ergo in illis diebus conductionis potest eam alteri dare, & lassare in quolibet labore, eò ipso quòd illa vti debet veluti sua: ergo & idem dicendum est de conductore iumenti in casu nostro, videlicet potuisse illud dare alteri, lassare, &c. tamquam si proprium fuisset ipsius conductoris pro tempore, quo locatio durabat.

5 Etiam fauet conductori vsus communis, quo solēt homines cōducere animalia de vna ciuitate ad aliam, nō determinantes ea inseruire debere aut Petro, aut Paulo, sed cuilibet, qui eis habebit vti pro tempore conuento in locatione, & conductione: ergo non facit contra Bernardum in facto præsentis casus, quòd non ipse, sed eius frater adhibuerit iumentum in illo itinere octo dierum.

6 Similiter videtur ad nihil teneri conductorē, quia dantes equos ad vecturam, eos aliquando dant indiscretis, aut crudelibus viris in ipsos equos, quos calcaribus feriunt, & extraordinariè fatigant, & tamen à locatoribus ipsis eorūdem equuorum nulla exigitur compensatio prout quotidiana experientia constat: ergo neque in casu nostro debet conductor iumenti aliquid dare locatori propter iumenti lassitudinem, neque propter aliquam eius indispositionem, certum est enim debere laxari iumentum.

7 Vlteriùs videtur in casu nostro esse liberum à quacunque obligatione Bernardum conductorem, excepta obligatione soluendi pretium, de quo cum locatore iam conuenerat; nam locator equui non potest licitè obligare conductorem ad reddendum eumdem equum æquuè sanum, & integrum, nisi conductor hoc onus spontè, ac liberè suscipiat, vel nisi ipse locator pretium locationis minuat, vt onus conductori impositum compenset, aliter iniustitiam admit-
8 tit in sua locatione. Ratio est, quia tale onus in conductore, est pretio æstimabile; ergo secundùm iustitiam erit, vt ei pretium detur ab impositore talis oneris, nisi, vt dicebatur, velit cedere iuri suo, & onus gratuitò subire. Ita Me-
9 dina *in instruct. Confess. lib. 1. cap. 4. §. 27.* & iniustitia prædicta oritur ex eò quòd certum est, rem quamlibet ex vsu ipso consumi, & atteri; & si sint boues, & iumenta certum est ea lassari: ergo nequit conductor iumenti, de quo agimus prætendere se obligatum ad locationis pretium augendum, quia iumentum sit factum deterius, nec quia ipse non sit eo vsus, sed illud tradiderit adhibendum fratri suo; ac proinde neque locator potest aliquid exigere, sicuti nec potest tale onus imponere, vt iumentum æquuè sanum restituatur à conductore, nisi talis oneris pretium dederit.

10 E contra verò videtur sententiam esse pronunciandam fauore locatoris; nam in suo locationis contractu operatus est cum dolo incidenti ad ipsum contractum, quia quidem locasset iumentum, sed non tali pretio, nisi putasset Bernardum, & non eius fratrem eo esse vsurum; & in similibus etiam casibus consistit ratio doli incidentis ad contractum, vt docent DD. qui dolus non irritat contractum, nec sufficit ad illum rescindendum, iuxta *l. si quis affirmauerit. ff. de dolo. l. Iulianus. §. si vendita. ff. de actionibus empti. l. 3. §. vlt. ff. pro socio. & l. si dolo Cod. de rescindenda vendit.* & iuxta Bartolum *in l. & eleganter ff. de dolo.* & Panormit. *cap. cum dilecti. num. 6. & sequent. de empti. & vendit.* & Couarruuiam, & Velascum, &
11 alios. Tamen talis dolus dat ius, vt deceptus tuta conscientia possit damna indè sequuta exigere, quæcunque illa sint, siue magna, siue
12 non. Et in foro externo habebit item actionem contra deceptorem, si vltra dimidium fuerit dece-

deceptus, vt constat *per l. 2. Cod. de rescindend. vendit.* & ità tenent Syluester *verbo culpa 7.* Angelus *verbo dolus*, §.9. & alij. Ergo locator iumenti si vltra dimidium pretij passus est deceptionem, potest in iudicio agere contra decipientem; supposito quòd dolus fuerit incidens; vel ad minus potest in foro animæ suæ prætendere damni compensationem, qualecunque fuerit damnum illud, & consequenter extabit in iumenti conductore obligatio soluendi damna locatori.

13 Et iuxta æquitatem videtur esse obligandum conductorem iumenti ad solutionem expensarum, quas debet facere illius locator ratione curationis ob contractam indispositionem ab ipso iumento ex indiscretione conductoris; nam quis negabit intercedere iniustitiam in contractu, in quo pro re tradita accipit decem ille, qui illam tradit, sed postquam illam recipit, debebit expendere viginti, ne illa totaliter pereat, & causa huius damni fuerit ille, cui res eadem fuerat locata? Et cùm ille, qui est causa damni teneatur damnum compensare, & si nolit id facere iuxta obligationem fori animæ, possit ante Iudicem conueniri; videtur concludendum esse, quòd meritò in casu nostro recursum fecerit ad Iudicem locator iumenti, vt ex vi Iuridicæ sententiæ faciat sibi à conductore compensari damna illi sequuta.

14 Prædictis adductis constat quid in locatoris, quidue in conductoris fauorem videatur fauere, sed nondum decisum remanet pro qua parte lis sit decidenda, quod vt fiat, oportet statuere qualis contractus intercesserit in isto casu, vt à contractus natura deducantur obligationes ad dictum contractum subsequentes. Dico ergo certum esse, talem contractum proprio nomine nō carere, sed locationis contractū nominari, nam res de quibus potest fieri locatio sunt in quadruplici genere, scilicet Mobiles, Immobiles, Se mouentes, Incorporatæ. Et quatenus possunt locari res mobiles, sic potest locari liber, arma, vestimenta, &c. Sub nomine rerum immobilium, veniunt fundum, domus, ager. Sub nomine incorporatarum, intelliguntur seruitutes personales. Sub nomine se mouentium, comprehenduntur ancilla, seruus,

15 & iumenta. Alij addunt quintum genus rerum locandarum, nempe Vsumfructum, sed hunc ego puto idem esse ac res, quæ se moueat, cùm Vsusfructus sit *ius vtendi re aliena, & ea fruendi, salua tamen eiusdem rei substantia.* iuxta *l. 1. ff. de Vsufructu*; vnde fructuatarius potest, non rem, sed omnem fructum alienare tamquam rem, quæ se moueat, vel amoueat à re, à qua discedit, & separatur.

16 Igitur animalia possunt locari, & tunc dicuntur locata, quando *sola temporarij eorum vsus commoditas, pro certo pretio traditur, & acceptatur*, nam in hoc consistit vera essentia contractus locationis, & conductionis; ideò dicitur *traditur*, quod se tenet ex parte locatoris: *& acceptatur*, quod se tenet ex parte conductoris, cùm locans, & conducens mutuo se respiciant; & sic tradit Rebellus *de obligat. iust. part. 2. lib. 14. quæst. 1. num. 1. & 2.* Hostiensis *in summa, titul. de locato, §. quid sit locatio*, cum Bartolo, & alijs *in Rubrica eiusdem tituli*.

17 Ex qua locationis explicata essentia manifestè apparet, quòd in nostro casu traditio, & acceptatio iumenti, fuit contractus locationis, & conductionis, quia tradens illud, concessit solam vsus commoditatem ad tempus, hoc est per octo dies, pro certa pretij determinatione, & totum fuit acceptatum à conductore. In contractu autem locationis animalium interuenit vsura, quando locator obligat conductorem, vt ea animalia reddat æquè sana, & integra, ac quando ea recepit. Ratio est, quia sicuti est vsura dare minorem pecuniæ summam titulo mutui, vt maiorem recipiat; sic & dare iumentum vt illud postmodum recipiat in omnimoda sui integritate, & bonitate, & insuper certam pretij quantitatem; & ità docent quidam, quos suppresso nomine citat Azorius *tom. 3. instit. moral. lib. 8. cap. 12. quæst. 1.* Hinc fit locatorem iumenti non posse prætendere à conductore, vt illud reddat omnimodè sanum, atque eadem integritate, quam habebat, quando ei tradidit illud, quapropter non licitè conquæritur, si ei lassatum restituatur.

18 Et quamuis tanta sit iumenti lassitudo, vt simul cum aliqua indispositione contracta, debeat otiosè in stabulo retineri à locatore, qui etiam nonnullas facere debet expensas pro illius curatione, indè non sequitur ad damni istius compensationem infallibiliter teneri conductorem. Ratio est, quia in contractu locationis, si res perit, perit locatori, non conductori, prout communiter docent Doctores; ergo à fortiori si res fit deterior, fiet talis locatori; & proinde ad damnum quodlibet locatori sequutum ex hoc capite, nullatenus tenebitur conductor.

19 Sed limitanda est prædicta doctrina, itaut non subsistat, si ex culpa conductoris pereat res, aut deterior efficiatur, nam si culpa conducto-

ductoris res patiatur ; tunc obligatus erit ad damna resarcienda, quæ inde sequuntur loca-
20 tori. Non tamen qualibet culpa sufficit ad talem obligationem inducendam in conductore, sed illa debet esse culpa lata, aut leuis, aut dolosa, non tamen leuissima, neque si casus sit fortuitus, & in hoc conueniunt communiter, vt videre est apud Lessium *de iust. & iur. lib. 2. cap. 24. dub. 6. num. 1.*

21 Si ergo ex culpa siuè lata, siuè leui, siuè dolosa Bernardi in casu nostro, iumentum factum sit taliter deterius locatori, vt iniustè damnum sentiat, tenetur Bernardus conductor damnum compensare. Sic si data opera ne ei locatio negaretur occultauit cuinam debebat iumentum inseruire, esset in dolo, cum quo induxit locatorem ad contractum, quem præuidebat non esse facturum, si sciuisset Dorotheum debere iumento insidere ; & ideò damnum locatori esset resarciendum à con-
22 ductore. Sic si conduxit iumentum per octo dies cum specificatione, se eo velle vti ad centum milliaria conficiendum, & de facto fuerint centum quinquaginta, tenebitur similiter ad damni compensationem, quia culpa lata ipsius fuit iumentum notabiliter lassatum, etenim multò minùs fuisset defatigatum, si quinquaginta milliaria vltra centum adducta in pactum non fecisset, sicut expressè docet Sanchez *con-*
23 *silior. lib. 1. cap. 5. dub. 8. num. 3.* Sic si à conductore iumenti non subministretur cibus ei necessarius ad laborem itineris faciendum, & ob id exorbitanter lassetur, & infirmetur ; aut ex culpa saltem leui non inuigilet an stabularius det iumento sustentationem debitam ; certè erit in culpa ipse conductor, & obligatus quoque erit ad damna locatoris restitutione compensanda. Sed quia Bernardus has omnes culpas negat, affirmans se iumentum per octo dies conduxisse cum intentione vtendi eo, non adhuc determinatus an ipse, vel alius esset iter facturus, ideò in hoc nullus est dolus. Item cùm testetur nihil defuisse pro sustentatione potiùs abundanti, quàm præcisè necessaria eidem iumento, quod vltra nominata milliaria in actione contractus non fuit conductum prætendit conductor nullam culpam habere, ob quam teneatur ad damnum, quod locator asserit sentire ex dolo, & culpa conductoris.

24 Sed quia locator persistit asserens se deceptum, numquam enim dedisset iumentum, vt super illud sederet vir tam pinguis in tam longo itinere, quia nouerat iumenti debilitatem, licèt vires sufficientes haberet pro Bernardo, non pro Dorotheo, ideò quid in hoc facto sit resoluendum, sic dico : Si locator iumenti sit talis ex officio, iudicandum est fuisse factam locationem more communi locatorum, qui dantes equos, & iumenta conductoribus, non attendunt cui debeant inseruire, videlicet an ipsi, qui petit locationem, vel alteri ; nam sæpè fit, vt dominus mittat seruum, & frater fratrem, ad iumentum conducendum. Et vsus locatorum est communiter inquirere, an vtrum personam sit iumentum grauandum cum delatione rerum ponderosarum. Quòd si nihil inquirant, censentur dare iumentum, vt debitis modis communibus inseruiat conductori, siuè sit ille, qui contractum locationis tractauit, siuè alter sit ille, qui super illud sedere debebit. Igitur in tali modo locationis potest vti iumento etiam alius ab eo, qui contractum fecit ; & si iumentum sinè culpa itinerantis, vel eo vtentis restituatur deterius factum, quia nimis fuit lassatum ab insidente nimium pingui, damnum erit locatoris, qui dedit rem vitiosam, & non aptam seruitio conductoris ; seu si fuit apta, sed deterior euasit, totum erit sinè culpa conductoris, qui proinde ad nihil est obligandus vltra pretium locationis. Ratio est, quia vbi nulla est culpa, nec est assignanda pœna : sed conducens iumentum mediatè, vel immediatè, nempe per se, aut per alium à locatore, qui ex officio est talis, cùm ex vsu communi habeant locare iumenta sinè determinatione personæ, cui sit inseruiturum, nisi aliud inquirant, profectò sinè culpa potest illud dare fratri suo, vel alteri, absquè eo quòd debeatur ei pœna restitutionis damni sequuti locatori, ratione lassitudinis contractæ ex delatione magni ponderis viri, si aliunde ex alia culpa vtentis iumento, hoc non fieret deterius locatori cum damno ei iniustè, & culpabiliter illato.

25 Nec suffragatur locatori, si asserat se deceptum, quia numquam cogitasset debere iumentum inseruire tali viro adeò pingui ; nam respondeo talem deceptionem fuisse à propria incuria ipsius locatoris, non verò à conductore, qui more communi fecit locationis, ac conductionis contractum, & propterea non est in culpa, nec in dolo, vt enim dolus incidens ad contractum det ius decepto, ad hoc vt damni compensationem exigat, debet esse dolus proueniens à parte decipiente aliam partem contrahentium, non ab intrinseco errore vnius ex ipsis : dolus enim definitur *esse machinationem alterius decipiendi*, iuxta *legem primam, ff. de dolo* ; non ergo dolus est à se solo contra se ipsum ;

vel

vel si sic esset, deberet quis agere contra seipsum, cùm ipsi à seipso fuerit dolus illatus.

26 Dices, quando aliquis seipsum decipit, dicitur errare, & sic in casu nostro locator si non fuit deceptus ab alio, sed à seipso errauit; at iura succurrunt errantibus, & non stultis, vt habetur *leg. vltim. §. penultimo, ff. ad Velleianum*. Ergo locatori erranti debet ius succurrere, ne damnum ex errore sentiat. Respondetur dupliciter. Primò posset aliqualiter inter stultos mercatores connumerari locator, qui non diligenter attendit qualiter faciat locationem, & proinde nullum ius ei succurrit. Secundò respondetur cum Rebello *part. 1. de obligat. iust. lib. 3. quaest. 8. num. 14.* quòd quando lege citata dicitur iura succurrere errantibus, intelligitur concedendo actionem de dolo; vbi ergo dolus non fecit errare, sed errans ex propria culpa errorem incurrit, iura non dant ei actionem, neque ei dicuntur succurrere.

27 Hinc patet quid sit respondendum ad ea, quæ in fauorem locatoris dicebantur *num.* 10. 11. 12. & 13. Nam si verè dolus ei factus fuisset, haberet actionem contra conductorem, sed quia dolus nullus fuit, sed solummodò error, vel potiùs ignorantia culpabilis in eodem locatore, ideò totum damnum debet sibi soli imputare. Quantùm ad id, quod adducebatur iuxta æquitatem sub *num.* 13. dicendum est esse verum, si conductor haberet culpam aliquam ex requisitis culpis, vt *num.* 20. notabamus, ob quam culpam tenetur damna compensare ipse conductor.

28 Ea verò, quæ in fauorem conductoris sunt adducta *à num. 4 vsque ad 9. inclusiuè*, veritatem subsistentem habent secluso dolo, & culpa ipsius in contractu locationis. Iam ergo potest ex iactis doctrinarum fundamentis fabrica erigi sententiæ definitiuæ in vtroque foro circa litem præsentis historiæ. Confessarius quidem in iudicio fori interni ad nihilum teneri conductorem debet proferre, si à locatore iumentorum ex officio conduxit iumentum sinè animo decipiendi cui nam debebat inseruire, & si debita cura, & diligentia iumentum fuerit adhibitum, quidquid sit quòd post ipsius restitutionem fuerit infirmatum, & deterius repertum cum damno domini. Doctor Iudex fori externi debet similiter à quacunque obligatione liberare Bernardum conductorem iumenti, reijciendo dolum assertum à locatore, cùm fuerit solùm error, vel stultitia quædam ipsiusmet locatoris, à quo nisi probetur fuisse per verum dolum deceptum, aut iumentum ex culpa conductoris, vel vtentis eo fuisse deterius factum, conductor nihil ei debebit vltra pretium locationis. Et quia in casu præsenti locator non probat nec dolum, nec culpam, ideò sententia est pronuncianda fauore conductoris, contra quem nec aliqua extat præsumptio vel de dolo, vel de culpa.

29 Faciliùs potest dolus intercedere in simili contractu, quando locatio fit ab eo, qui ex arte, vel ex professione non exercet locationes. Id euenit cùm ab aliquo rustico exigitur eius iumentum, & rusticus ille putat illud locare, vt inseruiat ipsi exposcenti; quia iste dixerat: *vis ne mihi locare iumentum tuum*; & in hoc casu, videtur dicendum, quòd locans attendat personæ cum qua agit, exclusa qualibet alia, vndè contra voluntatem locatoris erit, vt alteri seruiat iumentum suum. Sed quidquid sit etiam in isto casu, nam ad prudentiam Iudicis fori interni, siuè externi spectat discernere, quando dolus interueniat, attentis omnibus circumstantijs.

30 Et quidem negari non potest, quin aliquando teneantur conductores iumentorum aliquid vltra pretium locationis soluere locatoribus tum ob culpabilem eorum vsum eorumdem iumentorum, tum quia habent illa conducere vltra terminum itineris, de quo factum fuit pactum cum locatoribus, qui certè pretium maius voluissent, si pro longiori itinere conduci sciuissent. Item & dari potest eadem obligatio pretij maioris, aut restitutionis in conductoribus, si iumenta conducta per tres dies, v. g. ea interim faciant laborare, & lassare, quando iam iter est confectum, & iumenta in stabulo essent conseruanda. Et vt sciatur quid in his casibus liceat, vel quando aliqua obligatio in conductoribus erga locatores reperiatur, duo sunt examinanda. Primum est, an liceat conductori pergere cum iumento vltrà terminum specificatum locatori. Secundum est, an conducens iumentum pro certo numero dierum ad itinerandum, si iter fiat, & tempus vacet intrà dictos dies, possit vti iumento ad alios labores faciendos, vt conducere ligna, calcem, fœnum, &c.

31 Quoad primum dico: Si distantius pergat conductor cum iumento, videtur teneri pretium dare locatori, ex cuius parte contractus factus pro minori itinere admittit fraudem, & aufertur illud pretium, quod locator voluisset si hanc itineris longitudinem sciuisset.

32 Sed veriùs resoluendũ est, quòd ad nihil teneri,

ri, nec de aliquo conductorem conuinci posse videtur, vndè in eo aliqua oriatur restitutionis obligatio, dummodò quando iumentum conduxit intenderet facere solùm iter, de quo cum locatore conuenit, sed ex inopinata necessitate debuit dictum iter extendere, &
33 de hoc priùs minimè cogitauit. Imò & id verum est etiam in casu, quo ea intentione iumentum conduceretur transeundi terminum, de quo cùm locatore conuenitur; sed hoc est intelligendum, si ex alia parte nulla intercedat iniustitia, seu damnum locatori propter magnam iumenti lassitudinem.

34 Item dico ad secundum, licere conductori iumenti per aliquot dies ad itinerandum, vti eo etiam ad laborandum in asportatione lignorum, laterum, fœni, seu alterius rei. Ratio probans prædicta est, quia pro tempore conductionis iumenti, hoc fit quasi proprium ipsius conductoris, quasi non esset alterius; & si facit illud laborare, nihil debebit restituere; & cùm possit eo vti in labore domestico, item poterit eo vti in labore itineris vltra terminum cum locatore præfixum, quia labor est minor, vel æqualis cum labore, quem faceret domi existens, quem laborem posset facere etiam vidente domino, qui teneretur tacere, nec conqueri, nam pro diebus conductionis iumentum est ad dispositionem conductoris.

35 Et quòd fraus si adfuit non reddat conductorem obligatum ad aliquam restitutionem, suadetur quia sicuti potest transgredi terminum itineris ob inopinatum negotium, ita & poterit quamuis negotium illud intenderit ire ad peragendum, cum eadem sit ratio, & bona fides in hoc, nullum dat titulum iustitiæ: ergo si cum bona fide conducens transit terminum sinè iniustitia, sic & erit si cum fraude totum fiat.

36 Ad id, quod in contrarium dicebatur *num.* 31. respondetur illam positionem non esse legalem, quæ consistat in indiuisibili, sed posse recipere magis, & minùs. Item respondetur, quòd conuentio conducendi iumentum ad talem locum, & non ad alium, seruit tantummodò ad hoc, vt si vlterius conducatur, & pereat, pereat conductori, & non locatori. Cùm ergo per mendacium quis conducat iumentum ad pergendum ad aliquem terminum, & in facto velit hunc transire, & transeat, peccat venialiter, quia leue fuit mendacium, & leuis etiam fuit fraus. Et hæc sunt vera dummodò iumenti restitutio fiat domino iuxta tempus determinatum in contractu locationis; nemo enim dicet eadem esse licita, si locatio sit per tres dies, & conductor vtatur per quatuor dies. Ità docent omnia prædicta quidam docti recentiores, quos tacito nomine refert, & eis subscribit sentiens cum eis in omnibus dictis, scilicet à *num.* 30. *& seqq.* Sanchez *consiliorum, tom.* 1. *lib.* 1. *cap.* 5. *dub.* 8.

---

# DECISIO LXXII.

*An fœmina possit retinere pretium sibi datum ab Amasio cum his verbis:* do tibi hoc, vt mihi concedas semel coire in tuo lecto, *si dicta fœmina non seipsam, sed occultè supponat in proprio lecto eidem Amasio aliam, quæ an possit retinere dona accepta ab Amasio decepto.*

## Casus, seu Historia LXXII.

### SVMMARIVM.

1 *Casus proponitur.*
2 *Responsio aliquorum.*
3 *Mundus decipit.*
4 *Dans opportunitatem peccandi, tenetur fateri.*
5 *Nomine* obligationis *veniunt* contractus.
6. *vsque ad* 10 *De verborum intelligentia.*
11 *vsque ad* 15 *Pro quo dolo sit restituendum.*
16 *Fama compensatur pecunia.*
17 *vsque ad* 22 *Intentio, non verba quomodo attendatur in contractu.*
23. 24 *Veli receptio quando est nulla.*
25 *Dans aurum pro argento debet restituere.*
26 *Regula circa verba dubia.*
27 *Soluuntur argumenta.*
28 *vsque ad* 48 *Ponuntur propositiones damnatæ circa amphibologiam pro solutione casus nostri.*
49 *vsque ad* 53 *De donante per errorem, & de datis meretrici.*

1 PErditè ad Venerea exoptabat Illustrissimus quidam, Illustrissimam, & honestam Dominam, cui vna die scripsit epistolam Amasius ille, in qua centum vngaricos, vel quot ipsa petijsset, offerebat cum his verbis, *tantummodò vt mihi concedas semel coire in tuo lecto.* Accepit epistolam Domina illa, eamque marito communicauit, qui vxori imposuit, vt responsum faceret interroganti, dicens ei vt ducentum vngaricos statim mittat, nam & ipsa ei iuramento promittebat, quòd in proprio lecto semel coire concessisset, sed hoc non expectet,

donec vngaricos sit solutus, quos ei restituere dixit, nisi ad proprium lectum ipse fuerit introductus vt coeat. Hunc sensum responsionis maritus, & vxor dederunt, intendentes meretricem ponere in lecto Dominæ, atquè illa instructa cum pinguis mercedis promissione, introducere ad eam Illustrissimum illum, quia non petebat in epistola Dominam, sed *solùm petebat lectum Dominæ, vt in ipso coire posset*, sicuti totum factum fuit. Nam nocturno tempore iuxta horam Amasio (qui vngaricos iam soluerat) præscriptam, maritus Dominæ famuli munere fungens, introduxit in tenebris Amasium vsque ad lectum Dominæ, in quo meretrix iam iacebat, & cum ista copulam habuit non tantùm semel, sed bis, vt ipsa retulit. Deindè ipsa meretrix dedit signum cum tussi, vt iuxta factam concertationem fieret rumor, quasi maritus adueniret ad Dominam, & sic Amasius fugeret, atquè per eumdem famulum, à quo fuerat introductus, reduceretur extra domum. Dum actu iacerent in lecto meretrix cum Amasio, hic illi copiosam monetam donauit, sicuti & aliam dederat famulo, quamuis ficto, quod tamen Amasius ignorabat, fuit enim in omnibus deceptus, prout apparet esse dicendum.

Non tamen prætendunt deceptionem, nec periurium adhibuisse maritus, & vxor, quia putant concessisse fideliter Amasio quidquid in epistola sua postulabat, petebat enim, *vt ei concederetur semel coire in lecto Dominæ*, & hoc ei fuit concessum.

Fuit ergo grauiter dubitatum, an reuera Amasius obtinuerit id, per quod pretium soluerat, & sic maritus, & vxor possint licitè retinere pretium acceptum.

Item, quæsitum fuit, an meretrix possit retinere donata ab Amasio illo; sicut & famulus, an verò meretrix teneatur accepta restituere saltem Dominæ Illustrissimæ, vel marito, vel ambobus, vel eidem Amasio.

### §. I.

*Ponuntur fundamenta probantia nihil esse restituendum.*

2 SVper hanc historiam varia fuere fabricata consilia, quæ omnia plus æquuo compendiosè compacta, non vidi plenè dubia proposita explanare, quia simpliciter in eo fundantur, quòd Amasius fuerit deceptus, nam censendum est voluisse Dominam pro copula, & non aliam, & ideò asserunt debere illi omnia restituere, tum maritum cum vxore, tum meretricem cum famulo ficto, restitutio enim, & damnorum compensatio est facienda ab illis, qui dolo alios decipiunt in contractibus, & contractus verus fuit in casu nostro. Ita quidam absolutè responderunt.

3 Ego in primis respondeo, quòd si Illustrissimus ille fuit deceptus, & cum vili meretrice concubitum habuit, putans eam esse Nobilissimam, honestissimam, pulcherrimamque Dominam, mundi fallacias mundanis detegit, vt mundana discant contemnere. Et quidem mundus decipit, nam omnia exhibet personata sensualibus, ne odibilia quæ amant, agnoscant, & vilia quæ estimant, non videant. Ergo ab huius Illustrissimi deceptione, mundi deceptiones inspiciamus, contemnemus, reijciamus, & solummodò ibi nostra fixa sint corda, vbi vera sunt gaudia, sicuti nos edocet mater Ecclesia.

4 Deinde dico certissimum esse tum maritum, tum vxorem grauiter peccasse inducendo meretricem illam & amasium ad peccandum simul. Nec excusat dictos maritum, & vxorem quòd meretrix sit semper parata ad peccandum, & sic ab eis non fuerit inducta. Respondeo enim, quòd quamuis sit semper parata, non tamen licet alicui eam facere actu peccare, nam semper verificabitur quòd hic, & nunc illa peccet, quia alter eam facit peccare, & sic faciens peccare alium aliàs paratum peccare, si detur occasio, erit causa talis peccati, vndè dum agitur de peccato graui, grauiter peccabit ille, qui est causa, vt quis grauiter peccet. Et multò apertiùs peccauerunt grauiter maritus, & vxor ratione concessionis factæ Illustrissimo illi, cui concessere lectum ad coeundum, & simul etiam ei fœminam supposuerunt. Imò si dictus Illustrissimus intendebat coire cum nupta, tenentur maritus, & vxor in Sacramentali Confessione exponere, se ad adulterium perpetrandum dedisse aditum alteri, qui adulterari putabat, nisi cum deceptione meretrix libera fuisset illi ab ipsis supposita. Et hæc nullam habent dubitationem.

5 Et vt casus propositus resoluatur, notandum est, quòd in petitione facta ab Illustrissimo illo, reuera intercesserit obligatio respectu Illustrissimæ Dominæ, quæ tenebatur ei concedere id, quod pro pretio oblato intendebat obtinere. Clariùs enim non poterat rationem obligationis ipse Illustrissimus explicare, quàm dicens: *Do tibi centum, aut plures vngaricos, vt mihi* con-

*concedas semel coire in tuo lecto*: in quibus verbis manifestè datur aliquis contractus; siuè iste sit innominatus, scilicet *do vt des*; siuè sit contractus nominatus *emptionis, & venditionis*, quatenus tenebatur Illustrissima Domina vsum sui corporis vendere Illustrissimo illi pro vno coitu faciendo, si cum Domina coire intendebat: siuè sit contractus *locationis*, quatenus illius Dominæ lectulum *conducere* intendebat ipse Illustrissimus, qui pretium soluerat. Qualitercumque ista sint, hoc vnum verum est, quòd aliqua obligatio vigebat in Illustrissima illa, & per consequens contractum aliquem inierat cum Illustrissimo, à quo pecuniam acceptauerat, nam obligationis nomine veniunt quicunque contractus, *l. omnes, ff. de nouationibus, l. veluti, ff. de verborum obligationibus*. Ita è conuerso contractuum appellatione veniunt obligationes, *l. labeo, §. contractuum, ff. de verborum significat.* Et hoc veritatem habet nedum in iure ciuili, verùm etiam in iure canonico, in quo similiter nomen obligationis refertur ad contractum, *cap. debitores, de iureiurand.*

6 Nec ab aliqua obligatione se eximunt Illustrissima Domina, eiusque maritus ob acceptam pecuniam, sed suæ obligationi putant satisfecisse cum concessione thori, in quo & coitum habuit, vltra quod aliud non petebat Illustrissimus ille, qui pretium dedit. Verba enim ipsius epistolæ sunt hæc: *Do tibi centum, aut plures, si petas vngaricos, vt mihi concedas semel coire in tuo lecto*: in quibus verbis non petit Illustrissimam Dominam, cùm non scripserit, *vt tecum mihi concedas semel coire*, sed abstractiuè loquebatur, & verba in abstracto præscindunt ab indiuiduo, vt docent Philosophi, propterea petitio Illustrissimi non limitabatur ad indiuiduum Illustrissimæ, cui scripserat. Sic in sui fauorem videtur potuisse concludere Illustrissimam cum marito ad effectum retinendi tuta conscientia pecuniam acceptam cum obligatione, quam satis superque adimpleuisse apparet, sicut fortissimis rationibus potest ostendi.

7 Prima ratio est, quia proprietas verborum est attendenda, tenenda, & seruanda taliter, quòd ab ea recedere non liceat, præterquam quando in propria significatione verificari minimè possunt. Ita ex multis probat Mantica *de coniectur. vltim. volunt. lib. 3. tit. 5. num. 6.* Vlteriùs idem probatur ex *l. cùm mulier viri. 49. ff. solut. matrimon.* & ex *l. 2. §. si publico, ff. ad l. Iuliam, de adult.* & alibi in iure ciuili. Sed in casu nostro potest optimè verificari propria significatio verborum scriptorum ab Illustrissimo illo; ergo ab illorum proprietate recedendum non est. Cùm ergo verba dicant: *Do, vt concedas mihi semel coire in tuo lecto*, quorum verborum proprietas est, vt Illustrissimus obtineat esse in lecto Illustrissimæ illius, in quo lecto coitum faciat; sequitur dicendum, non posse aliud prætendere Illustrissimum illum, si ei detur iuxta propriam significationem verborum suæ petitionis, sicuti ei datum fuit, concesso lecto, & simul coitu, quæ duo erant ab eo petita. Quemadmodum enim non quilibet lectulus ei fuit datus, sed lectulus Illustrissimæ Dominæ, quia illum nominatim petijt; sic non fuit ei data ad coitum eadem Domina, quia hanc determinatè non vocauit, & ex alia parte coitus verus fit, siuè cum Domina, siuè cum ancilla, siuè cum meretrice: ergo verba Illustrissimi fuerunt plenè adimpleta iuxta illorum verissimam significationem, atque petitionem, & consequenter non est ei pretium restituendũ.

8 Secunda ratio est, quia in cõtractibus adimplet quis suam obligationem, si faciat, & exequatur externam petitionem alterius contrahentis, itaut non officiat, si vltra externam petitionem intendat aliud in mentem, & illud non exprimat; & sic definitur à iure, quòd intentio mente retenta, nihil operetur in humanis contractibus, *l. cùm in plures 62. §. locator horrei, ff. locati*; vbi Bartolus in principio, ex dicto textu infert, & colligit, propositum mente retentum, nec parti expressum, nihil releuare. Ergo in nostro casu intentio, quam fortasse habebat Illustrissimus Amasius coeundi cum Illustrissima, cui scripserat, quia illam mente retinuit, nec parti expressit, nihil operatur, neque releuat in contractu cum eadem Domina Illustrissima; & consequenter si non operatur, nec releuat, non inducit obligationem in eadem Domina, vt acceptos vngaricos restituat, sed illos poterit tenere, cùm aliunde adimpleuerit expressa in verbis scriptis ab eodem Amasio, sicuti de facto adamussim fuerunt adimpleta.

9 Tertia ratio est, nam in contractibus debent verba accipi strictè, & propriè, *l. quidquid adstringenda, ff. de verbor. oblig.* & ideò si v. g. Titius stipulet emphyteusim sibi, & filijs; aut similiter sibi, & filijs stipulet feudum, & vltra filios legitimos habeat alios naturales, isti non comprehenduntur, quia sub verbo *filij*, strictè, & propriè non veniunt illegitimi, cùm non sint strictè, & propriè filij; & sic tradunt Angelus, Baldus, & Decius cum alijs; & naturalem filium, non esse propriè filium, habetur in *l. filium*,

*lium*, *ff. de his, qui sui iuris non sunt*. Si ergo in contractibus verba sunt strictè, & propriè accipienda; & à dictorum verborum significatione reijcitur quidquid non continetur intrà eorum strictam, & propriam acceptionem, sequitur esse asserendum quoquè pro casu nostro, quòd in contractu Illustrissimi, cum Illustrissima, ista non tenetur ad aliud pro pretio accepto, nisi ad id, quod verba Illustrissimi strictè, & propriè significant; vndè cùm sic significent velle lectum ad semel coeundum, si hæc duo verificentur data ab eadem Domina ipsi Illustrissimo, hic conqueri non potest, nec ius habebit ad vngaricos datos repetendum.

10 Confirmatur, quia supposito quòd verba Illustrissimi dubia sint, an Illustrissimam peterent ad coitum, necne; sunt intelligenda contra ipsum Illustrissimum, itaut Illustrissima Domina non intelligatur vocata. Ratio est, nam in dubio verba semper interpretantur contra stipulantem, & contrahentem, qui legem debuit apertiùs conscribere, vt traditur *l. veterib. ff. de pactis*, & ob hanc etiam rationem in stipulatione feudi, aut emphyteusis, quam Titius fecit sibi, & filijs, reijciuntur naturales, quia debebat Titius se benè explicare, quod quia non fecit, contra ipsum stat suæ stipulationis explicatio, seu interpretatio. Et similiter igitur dicendum erit in facto præsenti, taliter strictè, & propriè contra Illustrissimum scribentem interpretando eius verba non clara, vt sibi debeat imputare, si ad coitum non habuit Illustrissimam Dominam, cùm aliunde habuerit verum coitum intrà lectum nominatim expressum in scriptura contractus, ex quibus sequitur non teneri ad aliquam pretij restitutionem ipsam Illustrissimam.

11 Quarta ratio est, quia, quamuis dolus dans causam contractui, aut incidens in contractu, inducat obligationem restitutionis, sicut dicebam in antecedenti decisione; tamen non inducit talem obligationem, nisi dolus ipse proueniat à parte decipiente alteram partem contrahentium, nam si aliquis ex contrahentibus seipsum decipiat, debet sibi imputare: ergo si Dominus Illustrissimus seipsum decepit non scribens cum necessaria explicatione suæ mentis, non erit obliganda ad restitutionem Illustrissima Domina, quæ omnia fecit iuxta sensum expressum in epistola ei ab Amasio Illustrissimo demandata.

12 Quinta ratio est, nam concessio proprij thori ad coeundum facta alteri, cui & fœminam pro coitu inuenitur ab eodem, qui dat lectum, est propriè quædam locatio, & simul quoddam seruitium, quæ omnia vtpote insolita, & extraordinaria in Illustrissima, & honesta Domina, ista poterit pro pretio exigere quantum ipsi placuerit, & hoc maximè cum eius thorus maculetur, atquè aliquam delectationem pretio æstimabilem afferat ipsi Amasio: ergo si recepta epistola continens petitionem thori ad coeundum, sic intelligatur ab Illustrissima vt scribens velit pro pretio conducere suum lectũ, & in ipso coire cum quacunque ipsa Domina voluerit, non tenebitur pretium restituere si ista præstabit. Imò nec tenebitur Domina restitutionem facere, licèt in tali sensu non acceperit petitionem in scriptis, sed sufficit vt faciat, & det petita, non attendendo ad qualitatem contractus, seu obligationis suæ, dummodò aliunde non fiat contractus illicitus, quia tunc ex non subsistentia, & inualiditate contractus esset facienda restitutio. Hæc autem non dantur in casu nostro, quamuis contractus fuerit de illicitis, sed non irritantibus contractum, sicuti valet contractus locationis domus concessæ meretrici ad peccandum, cum obligatione locatoris, vt ad eam introducat quotquot poterit.

13 Sexta ratio, ob quam videtur non esse obligandam ad restitutionem pretij Illustrissimam prout in casu, est, quia dato quòd deceperit, videtur leuiter decepisse, & quando dolus est in re modica non irritat contractum, nec aliquam inducit obligationem, vt expresè docet Diana *part. 1. tract. 8. resol. 39. vers. Hinc etiam.* Quòd autem leuiter deceperit probatur, nam omnia concessit Amasio excepta propria persona, quam tamen Amasius putat habuisse, & cum ea coitum fecisse, sicque Amasius est satisfactus, ac si Illustrissimam prætensam, & volitam habuerit, vndè apparet Amasium leuiter deceptum esse.

14 Confirmatur, quia quandocunque venditor dat emptori vnam substantiam pro alia, si substantia quæ datur est æquè bona, vel ferè æqualis, ad nihil tenetur, sicuti fit à pharmacopola dante vnam medicinam pro alia, sed vel æqualis, vel ferè æqualis bonitatis. Et ita docent communiter Doctores, quos citat Salas *de empt. dub. 35. num. 1. 2. 3.* Ratio est, nam stante æqualitate bonitatis, non fit damnum, nec iniuria emptori: stante etiam quòd sit ferè æqualis, dolus est in re modica: Sed volenti coire cum Illustrissima Domina, si supponatur alia fœmina, datur vna substantia pro alia, sed æqualiter bona, cùm æqualiter sit fœmina vna, ac alia; ergo in casu nostro ad nihil tenetur Illu-

lustrissima, etiamsi ipsam habere intenderet Amasius, cui illa aliam fœminam supposuit. Imò & prætendit Illustrissima eadem dedisse Amasio substantiam meliorem illa, quam Amasius ab ipsa emere volebat, nam dedit Amasio meretricem pulchram, iuuenem, non infectam, & scientem allicere, blandiri, ac verba amatoria proferre, seque sinè verecundia amasijs donare, cum quibus qualitatibus magis potuit delectare, & voluptatem causare intensiorem in ipso Illustrissimo, & illa delectamenta non habuisset ab Illustrissima verecunda, nec in pellicum arte pro amatorum maiori, ac completa delectatione erudita: ergò ad nullam pretij restitutionem videtur obligata eadem Domina.

15 Tandem posset ab obligatione restituendi deobligari Illustrissima Domina ob varia motiua. Primum est remissio offensæ illatæ marito ab ipso Amasio, cui Dominæ maritus nullum infert aliud damnum ratione iniuriæ, contentus de ducentum vngaricis. Est enim valde æstimandum, quòd aliquis Illustrissimus sileat, nec vindictam expetat de tentante coire cum illius vxore. Aliud motiuum est, quòd ipse Amasius putet reuera habuisse copulam cum tali Domina, quæ cum marito erubescentiam huiusmodi sustinet ob pretium acceptum. Motiuum aliud est periculum infamiæ, si cum alijs publicet Illustrissimus Amasius, se copulam fecisse cum tali Domina; & hoc infamiæ periculum est pretio æstimabile, nec talis infamiæ aliam requirent compensationem maritus, & vxor, præterquam retentionem pretij iam accepti, tanti enim, & etiam pluris æstimant propriam famam ratione nobilitatis, ac boni no-

16 minis, & honestatis, & fama pecunijs compensari potest, dummodò sint ad æqualitatem læsionis famæ, vt docent Sotus *de iust. lib. 4. quæst. 6. art. 3. ad 4.* Sà *verb. infamia num. 7.* Valentia *tom. 3. disp. 5. quæst. 6. punct. 5.* & alij. Et ad rem nostram potest infamatus sibi compensare, & satisfacere ex debito pecuniario infamantis, qui nolit, aut non possit aliter satisfacere; & sic tradit Io. de la Cruz *in direct. part. 1. prac. 7. art. 2. dub. 6. conclus. 2.* Tannerus *in 2. 2. D. Thom. disp. 4. q. 6. dub. 6. num. 150.* sicque si aliunde maritus, & vxor haberent debitum restituendi ducentum vngaricos Illustrissimo Amasio, qui ipsos infamat, & non vult, aut non potest eis satisfacere, videtur quòd possint de dicto debito sibi satisfacere, vel in toto, vel saltem ex parte ad proportionem infamiæ.

§. II.

*Ostenditur esse restituendum acceptum à Domina, & satisfit contrarijs argumentis.*

17 Sed non obstantibus prædictis, dicendum est, quòd in scripto folio ab Amasio demandato ipsi Dominæ, ipse coire volebat cum eadem Domina, & non cum alia; quare cùm hoc intentum non obtinuerit, tenetur ipsa Domina pretium acceptum restituere. Quòd autem Amasius petierit Dominam, & non aliam, probatur. Primò, quia dum aliqui simul contrahunt, debent eorum verba intelligi iuxta subiectam materiam, & naturam contractus; & sic habetur *l. si vno, ff. locati. l. si stipulatus ff. de vsuris, l. damni infecti, in principio, ff. de damno infecto*, & ita docet Gutier. *cons. 12. num. 26.* cum Bart. & Doctoribus *in d. l. si vno*; at natura contractus facti cum aliqua ab aliquo amasio, vt possit coire in illius lecto, est vt cum ipsa, & non cum alia copulam intendat, & expectet; ergo si talis fœmina concedat petita, intelligitur concessisse seipsam, nam in subiecta materia tractationis huiusce contractus nulla alia fœmina supponitur, nisi illa, quæ in tali lecto habet cubare; propterea si fœmina, quæ censetur obtineri in tali lecto seipsam subtrahat, & aliam ponat, decipit grauiter amasium contrahentem, prout dicam in responsione ad dicta *sub num. 13. & 14.* vndè non poterit acceptum pretium licitè retinere, sed illud decepto tenebitur restituere.

18 Secundò, nam vbi aliqua insurgit dubitatio circa verba contrahentium, in foro conscientiæ standum est intentioni, si de illa constet, vt habetur ex *cap. intelligentia, de verbor. signif.* at in casu nostro negari non potest, imò nec dubitari, quin verba scripta ab Amasio ad maximùm sint dubia, an Illustrissimam Dominam velit Amasius: ergo standum est intentioni Amasij, si de illa constet; sed reuera constat Amasium intensè amare eamdem Dominam, cui scripsit, illi enim continuè obsequitur in plateis, & in Ecclesijs; item sæpè tentauit per internuncios vt ad secum colloquendum introduceretur secretè, vt hoc maritum lateret; ac tandem ex communi captu quando vnus scribit fœminæ petens posse coire in suo lecto, apertè dicit se intendere cum ipsa copulam facere; ergo dato, & non concesso, quòd verba scripta ab Amasio sint dubia, nihilominus cùm constet clarè de amore, & de intentione, huic standum est in foro animæ, & consequenter si Illustrissima Do-

Domina acceptat pretium oblatum, tenetur seipsam dare, & non aliam, quam si dedit, dolum adhibuit, & ad restitutionem pretij in conscientia tenetur.

19 Confirmatur, quia contractus ex intentione legem accipiunt, *leg. contractus*, *de regulis iuris, in sexto*; ergo obligatio, seu lex contractus facti ab Amasio cum Domina, desumi debet ab illius intentione, quam ostendimus fuisse faciendi coitum cum eadem Domina.

20 Confirmatur etiam ex multorum doctrina dicentium, quod in foro conscientiæ, & quoad Deum non est curandum in contractibus de verbis externis, si de eorumdem contrahentium intentione constet. Ita Hostiensis, *cap. ex parte, initio*; & ibi Henricus, *cap. 1. de sponsal.* Angelus, *ver. matrimonium, 2. num.* 13. Syluester, *eod. verbo, 2. quæst.* 10. *dictio* 6. Nauarr. *in summa cap. 22. num.* 79. & hoc adeò verum est,

21 vt Angel. Syluest. & Nauar. citati addant fieri verum matrimonium ab ijs, qui intendunt contrahere de præsenti, quamuis eorum verba externè prolata sonent de futuro. Quam doctri-

22 nam licèt absolutè sumptam neget Sanchez *de matrimonio, tom. 1. lib. 1. disp. 18. num. 2.* illam tamen admittit, quando extrinsecùs ponuntur saltem signa, vel verba apta, vt alter contrahentium intelligat alterius intentionem: ergo in casu nostro quia constat de Amasij intentione, atquè eius scripta verba sint aptissima ad faciendum, vt Domina intelligat illius intentionem, inde fit vt in foro conscientiæ teneretur seipsam Amasio præbere, si pretium licitè retinere intendebat, nequè de non intelligentia intentionis per scripturam expressæ potest eadem Domina se excusare, notum est enim ipsi, quantùm illam amet, & quòd numquam petitur ab Illustrissima posse coitum facere in eius lecto, nisi cum illa.

23 Confirmatur tertiò, nam si Monialis emittat inualidam professionem, post quam recipiens velum ab Episcopo, in huius manibus faciat absolutè votum virginitatis, non ideò sequitur illam esse tacitè professam, quia velum erat illud, in ordine ad quod fuit facta promissio virginitatis, & velum recipiebatur in ordine ad professionem iam factam, vnde extante nulla ipsa professione, de qua facienda, vel ratificanda, non aderat aliqua intentio, ideò & votum virginitatis, & veli receptio sunt nulla, nec professionem non intentam inducunt, vt tuetur Rodericus *tom. 3. quæstionum Canonicar. & Regular. quæst. 17. art. 4. §. Quartum dictum*; ergo in contractibus standũ est intentioni, quamuis extrinsecè ambigua ponantur; ergo à fortiori standũ est intentioni, si extrinseca posita illam satis habeant indicare, & hoc currit in facto Amasij cum Illustrissima casus nostri.

24 Confirmatur quartò, dicit enim Isidorus in *Epist. ad Valer. Euangelium, non tantum est in verbis quantum in sensu, neque tantum in folijs, quantum in radice rationis*. Et cum Isidoro tenet Hilarius *lib. 4. de Trin.* dicens: *intelligentia dictorum ex causis est assumenda dicendi, quia non res sermoni, sed sermo rei debet esse subiectus*. Quas sacras authoritates ad propositum nostrum, prophanum quidem, sed pro conscientiæ foro, & animæ salute, applicantes, dicendum est standum esse non scripto sermoni materialiter facto ab Amasio, sed causæ illum scribendi, ex qua causa est assumenda dictorum intelligentia, & cum causa scribendi fuerit perditus amor in Dominam, etiam de Domina debet intelligi petitio ad copulam, etenim sermo amantis subijcitur, & dependet à re, seu à persona, quam amat, & ad eam, non ad aliam refertur. Tenebatur igitur Illustrissima seipsam vendere ad tempus ipsi danti pretium, aliter pretium nequit ipsa licitè retinere.

25 Tertiò potest probari hæc obligatio Illustrissimæ Dominæ, quia sicuti dans argentum pro auro alicui cęco, tenetur pretium pro auro dando acceptum restituere, vt docent communiter DD. sic & tenetur Illustrissima Domina honesta, quæ respectu inhonestæ meretricis est aurum comparatiuè ad lutum, restituere pretium amanti, qui dedit illud pro comparanda ipsa, & non pro meretrice; quæ ipsi amanti veluti cęco (inter tenebras enim fuit introductus) data est pro auro, scilicet pro Domina ab amante intenta: ergo dolus intercessit in facto obligans, ad restituendum pretium receptum; Et dolus videtur apertus, cùm data opera fuerit sinè lumine ductus Amasius ad meretricem, quam si vidisset non esse Dominam, deceptum esse se dixisset; neque enim pro meretricio cum fœmina exposita alijs, dare voluisset Amasius ducentum vngaricos, & hoc facilè intelligitur ex modo, quo illos dedit, & ex circumstantiis, quæ sensum verborum, ac intentionem scribentis illa, satis declarabunt; vndè soli crassæ malitiæ Illustrissimæ Dominæ, & eius mariti tribuendum est, quòd Epistolam ab Amasio scriptam noluerint iuxta illius intentionem, intelligere.

26 Quartò contra Dominam probatur cum regula generali inseruiente ad diiudicandum concessionum, contractuum, atquè iuris dispositio-

sitionum formas, quæ multis modis variari possunt, nam quando verba videntur habere plures sensus, sequendus est ille, qui eo loco, ac tempore est magis vsitatus; & si ex parte cernatur inæqualitas vsus, erit amplectenda significatio minus impropria; & si nec ex hoc capite appareat diuersitas, erit eligenda significatio, quæ cum coniecturis rei videtur magis consentire, quòd si etiam coniecturæ sint æquuæ, pro vtraque parte is sensus erit quasi in dubio eligendus, qui reo, possessori, pietati, & æquitati magis fuerit, Sic Castro *primo de potestate, l. Pœnalis, cap. 7. documento primo*; & Rebellus *2. part. de obligat. iustitiæ lib. 10. quæst. 14. num. 8.* cuius regulæ membra, militant singula contra Dominam in fauorem Amasii, nam si dicatur habere plures sensus verba epistolæ scriptæ ab Amasio, sequi debet ille sensus, qui tunc temporis, & in tali loco est magis vsitatus; ergo sensus verborum Amasii erit, quòd intendatur Domina Illustrissima, quæ in tali lecto dormit, sic enim sensus magis vsitatus verborum; *peto coire in tuo lecto*, est, vt subaudiatur, *tecum*, & hoc maximè si talia verba dicantur mulieri à viro pro tempore, quo illam perditè diligit.

Secundum membrum dictæ regulæ est; quòd si cernatur vsus inæqualitas, significatio minùs impropriè sit amplectenda; sed quando dicitur fœminæ à viro, *peto coire in tuo lecto*, significatio minùs impropria dictorum verborum est, vt coitus sit volitus cum eadem fœmina, nimiùm namque impropriè extenderetur petitio ad meretricem; ergo in casu nostro Amasius clarè petiit Illustrissimam cui scriptum petitionis miserat.

Tertium membrum est, vt significatio verborum sumatur ex coniecturis vbi duo membra prædicta non inseruiunt; sed in casu nostro omnes coniecturæ sunt in fauorem Amasii, scilicet quòd velit potiri Illustrissima Domina, & non alia meretrice; ergo Domina, quæ se non dedit petenti, tenetur restituere pretium, quod quia erat pingue, & datum ab amante eam, à qua petiit coire in eius lecto, omnia ista sunt coniecturæ manifestè indicantes sensum scripturæ Amasii. Hinc sequitur pro Amasio verificatio vltimi membri regulæ ad diiudicandum de sensu verborum dubiorum, nempe vt deficientibus prioribus membris, attendatur quid sit consonum æquitati, & sanè in nostro casu æquum videtur non esse supponendam vilem meretricem Amasio ab illa Domina, cui Amasius ille pretium considerabile dederat, & scriptum tenoris præfati ad contractum faciendum pro coitu, demandauerat. Ex dictis conclusum remanet, debere Amasio pretium à Domina Illustrissima receptum vt præfertur, restitui.

27 Ad argumenta in contrarium respondeo: ad primum dico non fuisse adimpleta verba Amasii, quæ clarè petebant Illustrisimam illam, vndè falsò supponitur Dominam cum marito fecisse iuxta petita ab Amasio, à quo pretium habuerant.

Ad secundum dico similiter, quòd Amasius satis expresserat suam mentem etiam extrinsecè, sed iuxta eius mentem non fuit factum à parte contrahente, & propterea pars ista tenetur pretium non tenere.

Ad tertium dicendum est, non fuisse strictè, & propriè accepta verba Amasii, quòd argumentum non benè supponit, ostensum est enim, qualiter propriè petebant Dominam nominatim. Et hæc eadem responsio currit pro Confirmatione, nam scribens epistolam clarè se declarauit.

Ad quartum, negandum est dolum fuisse à solo Amasio contra seipsum, fuit enim à Domina.

Ad quintum, non benè explicatur dicendo voluisse Amasium conducere lectum, & etiam voluisse seruitium à Domina, vt ei inueniret mulierem ad coeundum, & ideo propter istam locationem, & seruitium dedisse pretium; cùm enim ista sint nimiùm aliena à simili tractatu, nec sunt intelligenda, nisi expressa sint, & proinde standum est sensui plano, & currenti, sicuti supra dicebamus.

Ad sextum admittitur dolus, sed non conceditur fuisse leuis, fuit enim adeò grauis, vt dirimat matrimonium similis error, videlicet si varietur in persona. Per hoc patet responsio ad Confirmationem, quia non est verum, quòd vna mulier sit æquuæ bona, ac alia, tota enim bonitas mulieris pro viro, est quòd vir illam velit, eamque sibi eligat, aliàs non esset opus in matrimoniis ea dirimere, si vna pro alia supponatur viro, & è contra, & sic mutatio personæ, & mutatio substantiæ vnius in aliam omninò inæqualem, ac diuersam in bonitate; & ideò non stat paritas cum medicinis, quia harum bonitas est ab intrinseco earum, & non dependet à debente eam sumere, sicut tota bonitas mulieris dependet à debente eam accipere. Quòd autem meretrix sciat meliùs blandiri Amasio, hæc sunt accidentalia, quæ non attenduntur, sed priùs attenditur ad personã ipsam.

Ad

Ad motiua, quæ adducuntur tamquam sufficientia ad deobligandum à restitutione illam Dominam, dico non sufficere, quia sibi ipsis debent omnia imputare, Illustrissima cum marito.

§. III.

*An periurium commiserit fœmina, quæ Amasio seipsam non dedit, nec ab eo accepta restituit.*

28 Ex narratione præsentis historiæ facta *num.* 1. constat, quòd Illustrissima Domina promissionem iuratam Amasio fecit concedendi ei semel coire in proprio lecto, si exigitam pecuniam soluebat. Soluit promptè petita Amasius, sed quia Domina Illustrissima concessit illi semel coire in proprio lecto cum meretrice, propterea prætendit adimpleuisse iuramentum, atquè ad aliquid restituendum non teneri. Fundat suam prætensionem in rigore terminorum tum epistolæ acceptæ, tum responsionis datæ. Dicebat enim in epistola Amasius: Dabo tibi centum &c. *tantummodò vt mihi concedas semel coire in tuo lecto*. Dicebat similiter in rescripto fœmina: Da priùs, & *tibi promitto cum iuramento, quòd tibi concedam semel coire in meo lecto*. Cùm ergo nec Amasius petierit Dominam Illustrissimam, sed tantùm illius lectum pro coeundo; nec Domina exhibuerit seipsam pro copula, satis putabat dare Amasio, quidquid volebat, concedendo ei lectum cum aliqua fœmina carnaliter cognoscenda.

Cæterùm, an verè Illustrissima Domina dederit iuxta Amasij mentem, latè fuit examinatum in duobus paragraphis antecedentibus, in quibus resoluimus Dominam teneri restituere. Nunc agere debemus, an fuerit periura, & an fuerit mentita dum Amasio dedit illud responsum, à quo fuit ille deceptus propter amphibologicam significationem verborum, nam Amasius illa accepit vt significantia concessionem coeundi cum eadem Domina, sed ista accepit eadem verba prout significabant concessionem coeundi in suo lecto cum aliqua, quæcunquè fuerit. Igitur inhærendo fundamentis §. 1. allatis, videri poterit alicui nullum mendacium, nullumque periurium fuisse admissum ab hac Domina in sua amphibologica responsione, sicuti & amphibologica fuerunt verba Amasii petentis, seu interrogantis, & ideò iuxta illum sensum, quo fœmina accipere voluit ambigua verba interrogantis, voluit eodem modo proferre ambiguam responsionem. Non ergo mentita est, nec fecit periurium, quia in suis verbis ambiguis, mentalem apposuit restrictionem veram, scilicet se concessuram Amasio lectum vt coeat, sed cum alia, non secum, prout in mente sua intendebat, vndè allucinatio videtur Amasij non benè introspicientis verborum ambiguitatem. Hæc si vera sint, non tenebitur aliquid restituere ista Domina, nec eius maritus, ac proinde non facit contra promissionem iuratam de restituendis acceptis, si non concedat ei suum lectum ad coeundum; & sic videntur magis corroborata fundamenta adducta eodem §. 1. huius decisionis.

29 Nihilominus quemadmodum per totum paragraphum secundum probauimus non subsistentia dicta fundamenta in fauorem Illustrissimæ Dominæ, sic in præsenti ostendemus non subsistentiam effugij ad amphibologiam. Et sanè minùs subsistens est effugium istud, ac non subsistentia sint fundamenta prædicta; nam ista nullam continent damnatam, & scandalosam doctrinam, quæ continetur in prællegato effugio amphibologiæ adhibitæ, eò quia Innocentius XI. damnauit tres propositiones, per quas licitus docebatur amphibologiæ vsus, & sunt sequentes.

Prima dicit: *Si quis vel solus, vel coram alijs, siuè interrogatus, siuè propria sponte, siuè recreationis causa, siuè quocunquè alio fine iuret se non fecisse aliquid, quod reuera fecit, intelligendo intrà se aliquid aliud, quod non fecit, vel aliam viam ab ea, in qua fecit, vel quoduis aliud additum verum, reuera non mentitur, nec est periurus*: quæ propositio est 26. inter alias à dicto Pontifice damnatas.

Secunda, quæ est 27. dicit: *Causa iusta vtendi his amphibologijs est, quoties id necessarium, aut vtile est ad salutem corporis, honorem, res familiares tuendas, vel ad quemlibet alium virtutis actum, itaut veritatis occultatio censeatur tunc expediens, & studiosa.*

Tertia, quæ est 28. dicit: *Qui mediante commendatione, vel munere ad Magistratum, vel officium publicum promotus est, poterit cum restrictione mentali præstare iuramentum, quod de mandato Regis à similibus solet exigi, non habito respectu ad intentionem exigentis, quia non tenetur fateri crimen occultum.*

Ex quibus propositionibus damnatis necessariò infertur cõsequentia contra Illustriss. Dominam præsumentem se nec mendacem, nec periuram in præsenti casu, quia amphibologiam adhibuit, cùm ista non tollat mendacium, nec per-

periuriū, prout tenendū est ex vi primæ propositionis damnatæ. Neque aliqua causa etiam virtuosa potest licitum reddere vsum amphibologiæ, vt liquet ex damnatione secundæ propositionis; ac denique nulla mentis restrictio, quamuis proprium crimen occultum censeatur expediens occultare, conceditur licere, imò damnatur affirmare, quòd tali mentis restrictione fas sit vti, vt patet ex tertia propositione allata. Hinc sequitur dicendum, Dominam istam illicitè se gessisse, dum per ambigua verba, vel potiùs per mendacia, & periuria, ac per fictum contractum pretium conuentum accepit cum contrahentis deceptione: ergo ad restitutionem tenetur. Dicta tenent, siuè fictè, siuè verè iurauerit, idest cum animo vero iurandi, vel sinè tali animo, quia semper amphibologia est illicita quacunquè de causa, vt constat ex dictis in præallegatis propositionibus. Sed si sinè animo iurandi Domina iurauerit, an licitè sic se gesserit, necne, videatur in nostra decisione 32. *à num.* 21.

30 Sed contra obijcies primò; nam nulla ex adductis propositionibus continet casum amphibologiæ adhibitæ ab Illustrissima Domina, hæc enim non negauit se fecisse aliquid, quod reuera fecit; prout dicitur in prima ex illis tribus propositionibus, nequè ob aliquam causam ex recensitis in secunda dictarum propositionum vsa est amphibologia; nequè mentis restrictionem habuit in præstando iuramento ab ea exigito de mandato Regis circa promotionem ad officia, vt loquitur tertia propositio: ergo ex his tribus propositionibus non conuincitur peierasse, ac mentitam fuisse Dominam ambiguis verbis respondentem Amasio, suamque responsionem iuramento firmantem iuxta casum præsentis decisionis.

Obijcies secundò, quòd quidem meritissimè fuit damnata mentis restrictio in eo sensu negandi cum iuramento aliquid, quod reuera deberet affirmari, at alius modus ambiguè loquendi non videtur damnatus, sed licitus, aliàs non benè fuisset damnata quæcunquè amphibologia, cùm Christus & ipse fuerit amphibologicè loquutus, vt patet ex *cap.* 13. Marci, vbi refertur Christum dixisse de die iudicii, quòd *dè die illa nemo scit nequè filius hominis*, cùm tamen filius hominis omnia sciat, vnde D. August. *in Psal.* 6. *in prolog.* dicit ea verba habuisse veritatem ex mente Christi, qui se nescire dixit, scilicet ad dicendum: ergo mendacium non dixit, nec dicere poterat Christus, quamuis ambiguitatem verborum suæ menti adaptauerit, & consequenter modus amphibologiæ Christi non potuit damnari, & idem erit de amphibologia Dominæ, de qua loquimur, quia illa non iurauit se non fecisse, quod reuera fecit, addita veritate per solam mentem.

31 Pro responsione ad has duas obiectiones debeo prænotare tria, quæ meritum damnationis propositionum adductarum manifestè ostendent, & qualiter vti amphibologia non liceat, edocebunt.

Primum notandum est, quòd licèt excommunicationis pena imposita affirmantibus tamquam licitos casus nominatos in dictis propositionibus damnatis, non sit extendenda ad casus non nominatos, quia odia non sunt amplianda, prout iura clamant, & nos alibi probauimus; tamen casus nominati se habent, vt exemplum demonstrans non licere alios casus similes quoad forum animæ, vndè dici solet, quòd exempla non excludunt similia, §. *hactenus, Instit. de gradib.* & docent Crauet. *cons.* 544. *num.* 25. & alij cum Azeued. *l.* 4. *num.* 24. *tit.* 20. *lib.* 8. *nouæ recop.*

32 Secundum notandum est, amphibologiam tripliciter sumi: Vno modo, quando verba habent duplicem, vel multiplicem significationem externam ab ipsis verbis importatam, vnde secundùm vnam significationem proferuntur à loquente, sed secundùm aliam intelliguntur ab audiente, qui tamen posset etiam illa intelligere in ea significatione, secundùm quam loquens ea dicit.

33 Alio modo verba sunt ambigua, scilicet ex circumstantijs, quatenus verbum vnam tantùm significationem falsam importat, veram tamen ex circumstantia. Exemplum sit in Petro quærente Franciscum patrem Pauli, qui Petrus dicat Paulo, *vidisti ne tuum patrem?* Paulus autem respondeat, *non vidi*; & hanc responsionem firmet iuramento. In tali casu verba *non vidi*, sunt falsa in se, nam Paulus quotidiè vidit suum patrem; nihilominus in illa circumstantia sunt vera illa verba, quia Petrus quærit Franciscum, & ideò interrogat Paulum, an viderit dictum Franciscum patrem suum visione valente hìc, & nunc demonstrare eidem Petro, vbi Franciscus reperiatur, quem intendit inuenire. Si ergo Paulus non vidit hìc, & nunc Franciscum prout in illa circumstantia interrogatur an viderit eum, responsio *non vidi* est vera, ratione circumstantiæ, licèt verba in se absolutè essent falsa.

34 Circa hunc secundum modum amphibologiæ, in quo verba sunt vera propter circumstantias,

tias, notare oportet, quòd veritatem dictam important externè in se ipsis eadem verba, & ideò hæc veritas potest intelligi ab audiente, ad quem secundùm importatam veritatem verba vadunt. Hæc autem veritas ob circumstantias à verbis importata, interdum explicitè intelligi potest ab audiente; interdum verò tantùm confusè si prudens sit, & perspicax, quòd si talis non sit, sibi imputet quòd non intelligat; & sic si hærus interroget seruum an furatus sit crumenam, seruus poterit negare, etiamsi eam sit furatus, intelligendo intrà se aliquod additum verum, vt v. gr. si dicat, *non feci tale furtum*, intelligendo in sua mente, *hodie*, quia heri illud fecit; & sic si suam negationem iuramento firmat, nec mentietur, nec erit periurus cùm in tali circumstantia fatendi suum delictum occultum cum periculo vitæ, infamiæ grauis, damni notabilis, &c. eius verba, *non feci tale furtum*, possint ab hæro prudenti intelligi sub sensu alicuius significati ex vi amphibologiæ intenti, quodcunquè sit tale significatum, sufficit enim quòd in illa circumstantia hærus prudens percipere possit seruum vti æquiuocatione, & sic negationem illius habere multiplicem sensum, quem hærus in genere intelligit, licèt non in specie intelligat serui mentem esse, se non fecisse furtum *hodiè*, nam heri illud patrauit. Idem est de adultera cum iuramento negante marito interroganti, se thorum violasse, & id iureiurando si confirmet, non erit mendax, nec periura, si additum verum mentaliter ponat, quia in tali circumstantia periculi suæ vitæ, vel notabilis damni, prudens maritus intelligere potest vxoris negationem esse æquiuocam, quare verba externa vxoris ratione circumstantiæ important externè vnum significatum falsum, quod est negatio facti, & aliud verum de facili perceptibile ab interrogante, quamuis tantùm in genere intelligat, quòd vxoris responsio est æquiuoca. Idem est de alijs casibus, in quibus quis vtitur verbis habentibus in se vnicum sensum falsum, sed ex circumstantiis alium induunt sensum per operationem mentis illius, qui loquitur, quicunquè sit talis sensus, qui sufficit ad veritatem loquentis, quòd saltem in genere à prudenti audiente intelligatur adesse.

35 Quòd liceat primus modus positus *num.* 32. scilicet vtendi verbis multiplicem significationem externam habentibus illa proferendo secundùm vnam significationem, non secundùm aliam, probatur, nam multa de facto dantur eiusmodi verba in Sacra Scriptura, & illa debuerunt ab Ecclesia declarari in quo sensu sunt accipienda, quia ab Hæreticis intelligebantur in sensu errorem inducente. Confirmatur, nam nihil aliud est veritatem dicere, verumque iurare, nisi verba adhibere secundùm illorum propriam significationem externè importatam, non quidem secundùm omnes sensus à verbis importatos, sed secundùm illum, quem loquens vult adhibere & hoc est adeò certum, vt necessariò inter homines practicetur, cùm non rarò plura verba vsitata multipliciter significent: cauendum tamen est, ne verbis ambiguis quis vtatur ea intentione, vt aliquem decipiat. Igitur pro vsu similium verborum non stat damnatio, & ideò benè admittuntur, & tali modo licere loqui, docent Nauar. *cap. humanæ aures* 22. *quæst*. 5. *in q*. 3. *num*. 9. *&* 16. Pereira *in cap*. 27. *Genes. disp*. 5. *num*. 57. Sotus *de secret. membr*. 3. *quæst*. 3. *in fine*. Valent. 2. 2. *disp*. 3. *p*. 13. *punct*. 2. *in solutione ad* 2. Lessius *de iust. lib*. 2. *cap*. 42. *dub*. 9. *num* 48 & alij.

36 Quòd liceat secundus modus positus *num.* 33. & 34. nempè vtendi verbis veram significationem importantibus solùm ex circumstantijs, non in se, suadetur, nam Christus vsus est eiusmodi loquutione, vt diximus suprà, *num*. 30. *vers. obycies secundò*. Confirmatur etiam, quia licèt Christus, vt habetur in Euangelio *Ioan. cap*. 7. dixerit, *non ascendam ad diem festum*, nihilominus statim ascendit, & tamen mendacium non dixit, quia verba illius veritatem habebant ex circumstantia, & talem veritatem poterant discipuli intelligere, ad quorum mentem Christus responderat se non ascensurum ad diem festum, nam cognati rogauerunt illum ne ascenderet ad diem festum palàm, seu per manifestationem sui ipsius signa operando, aut prædicando, & illis Christus respondit, *non ascendam*, idest, vt vos intenditis, non ascendam *palàm*, sicuti ascendit occultè, & ideò ex circumstantia verum fuit dictum Christi, *non ascendam*: ergo ex circumstantijs verba accipiunt externam significationem veram, prout nos etiam explicuimus in exemplis allegatis *num*. 33. *&* 34. Igitur nec de eiusmodi loquutionibus ambiguis stat damnatio, quare illas esse licitas tenent Nauar. *cap. humanæ aures* 22. *quæst*. 5. *in q*. 2. *num*. 8. Sayrus *in claui regia*, *lib*. 12. *cap*. 17. *num*. 26. Azorius *instit. moral. part*. 1. *lib*. 11. *cap*. 4. *q*. 5. *regula* 2. Bannes 2. 2. *quæst* 69. *art*. 2. *dub. penult*. & *ibi*. Salon. *controuers*. 11. Suar. *tom*. 2. *de Religione*, *materia de iuramento*, *lib*. 3. *cap*. 11. *in fine*.

37 Ex his duobus notandis hoc vnum est statuen-

tuendum, numquam inesse mendacium, nec periurium eiusmodi loquutionibus, quæ propriè dicũtur amphibologicæ prout dicam infra *num.* 43. *& seqq.* eò ipso quòd in illis veritas exteriùs importatur, siuè se teneant circumstantiæ prædictæ ex parte loquentis, siuè ex parte audientis, siuè significatio sit communis, siuè sit rara. Nec solùm extra iudicium licebit vti similibus verbis, seu propositionibus importantibus externè veritatem ex se, vel ex circumstantijs, sed etiam in iudicio, quia etiam in foro fori eamdem important veritatem; quapropter ex damnatione trium propositionum adductarum non sunt damnati modi loquendi in hactenus notatis explicati, cùm non sint loquutiones propriè amphibologicæ, sed lato modo. Hinc si aliqua extat sententia probabilis, quòd interdum liceat vti amphibologia, vel æquiuocatione in iudicio, sanè eiusmodi sententia est reijcienda, si nomine *amphibologiæ*, vel *æquiuocationis*, intelligit amphibologiam in tertio notando mox explicandam, secus si intelligat prout suprà dicebamus in adductis notandis, cõtra quæ non pugnat quod dicunt Angel. *verb. iuramentum* 4 *in initio*, & Syluest. *eod. verb.* 3. *q.* 2. & *verb. mendacium, in fin.* vocantes mendacia, & periuria prædictos modos loquendi, si absquè necessitate adhibeantur; respondetur enim cum Sanchez *in decalog. lib.* 3. *cap.* 6. *num.* 13. Angelum, & Syluestrum accipere mendacium in larga significatione, seu non quatenus opponitur præcepto negatiuo non mentiendi, sed quatenus opponitur præcepto affirmatiuo de veritate dicenda, in quod præceptum defectum committit, qui sinè necessaria causa veritatẽ dicit, sed cum aliquali tergiuersatione, potiùs quàm cũ æquiuocatione, vt iam diximus.

38 Tertio modo potest quis vti verbis nullum aliumsensum in se externè importantibus, nisi illum, secundùm quem ab audiente percipiuntur; at per mentem loquentis secundùm alium sensum proferuntur. In hoc modo loquendi consistit vera essentia amphibologiæ, de qua stant propositiones præallegatæ, & ab Innocentio Vndecimo damnatæ, *æquiuocum* enim, seu *amphibologica*, vel *ambigua loquutio* definitur à Moralistis sic; *Amphibologia est, quæ sua significatione generat in audiente conceptum diuersum ab eo, quem loquens retinet in mente.* Eiusmodi loquutio est semper cum mendacio, & cum periurio, si iuramento firmetur quod dicitur, licèt iuxta mentis restrictionem iuramentum fiat. Ratio est, & quidem à priori, nam loquutio constituitur externa verborum significatione, quam non possunt tollere verba interna, quæ nequè sunt voces, nequè cum verbis externis componunt vnam significationem, seu loquutionem: ergo verba externa vadunt ad audientem secundùm significationem, quam tantùm in se, & externè habent; & quin sic vadant ad audientem impediri non possunt ab addito purè mentali, & consequenter ipse sic loquens verè mentitur, & est periurus si iuramentum suo dicto addat. Multipliciter possemus hoc mendacium, & periurium probare, sed quia nos has materias solummodò tangimus pro necessitate resoluendi dubia occurrentia in hac historia, de qua examen facimus, propterea satis sint ea, quæ hucusque diximus; imò planè probatur quòd sit mendacium, & periurium, *si quis iuret se non fecisse aliquid, quod reuerà fecit, intelligendo intrà se aliquod aliud, &c.* per damnationem talis propositionis latam à Pontifice, & quidem meritissimè, siquidem scandalosa erat eiusmodi doctrina de vsu amphibologiæ propriæ, per quam multis incommodis aperiretur aditus in communi hominum conuersatione, tolleretur enim omnis fides humana, cessaret loquentium authoritas, & cuncta dolis paterent, vix enim datur loquutio, cuius externa significatio non possit mutari per mentem loquentis aliam internam significationem ei affigentis. Ità optimè, etiam antè damnationem amphibologiæ in hoc sensu, tenebant Caietanus, Sotus, Alcozer, Corduba, Azorius, Aragonius, Petrus de Ledesma, & Ludouicus Lopez, quos refert, & sequitur Sanchez *in decal. lib.* 3. *cap.* 16. *num.* 12.

39 Tertium, & vltimum notandum est, quòd secunda propositio allata à nobis *num.* 29. & ab Innocentio XI. posita *num.* 27. inter cæteras, quas damnauit, ideò & ipsa est scandalosa, quia facit licitum vti amphibologijs (quas ostendimus damnatas, vtpote semper vnitum habentes mendacium, & aliquando periurium, idest quando iuratur, quod amphibologicè dicitur) si aliqua habeatur causa ex enumeratis in eadem propositione. Si amphibologia propria est mendacium, & periurium erit eam iurare, sanè ex nulla causa poterit esse licita; malum enim intrinsecè tale non habet causam, ob quam cesset esse malum; quare cùm mendacium, & periurium sint intrinsecè peccaminosa, consequenter scandalosa est illa propositio 27. quæ assignat causas, ob quas licitum dicit esse vti amphibologijs. Quòd si amphibologicas loquutiones velimus appellare modos loquendi à nobis explicatos *à num.* 31. *vsque ad* 37. de

eiusmodi amphibologijs docent iustam causam requiri pro illarum vsu Syluest. *verb. iuramentum 3. quæst. 2.* Angel. *eodem verbo 4. initio.* Caietan. *2.2.quæst. 99.art.7.col.penult.vers. ad hoc dicitur.* Sotus *de secreto, membr.3. quæst 3. in fin.* Sayr. *in claui regia, lib. 5.cap. 4.num. 21. & lib. 12.cap.17. num. 28.* Lessius *de iust. lib.2. cap.42. dub.9.num.46.& 48.* Tolet.*summ.lib.4. cap. 21.num. 9. notabil.1.* Philiarch. *de offic. Sacerdot. tom.1. part. 2.lib.3. cap.14. in princip.* & alij. Erit verò iusta causa vtendi istis loquutionibus impropriè amphibologicis, quæcunquè ex numeratis in dicta propositione 27. at pro veris amphibologijs nulla ex recensitis, aut alia quævis reddit licitum illarum vsum. Vt iacet eadem propositio loquitur de cuiusuis amphibologiæ vsu, sicque vnitur cum propositione 26. propterea constat quàm meritò vtraque propositio fuit damnata in sua generalitate.

40 Dicta ostendunt etiam meritum damnationis propositionis 28. nam & ipsa non loquitur cum debita distinctione, sed aliqua docet in nimia generalitate. Sic comprehendit promiscuum vsum restrictionis mentalis, cùm numquam liceat saltem restrictio illa, quæ cadit sub damnatione, prout dictum est *num. 39.* Item non distinguit de iuramento legitimè, vel illegitimè exigito. Item nimiùm generaliter ponit illam rationem, *quia non tenetur fateri crimen occultum*, vnde posset quis inferre, numquam esse fatendum crimen occultum, cùm tamen id scandalosè dicatur, prout patet in adultera supponente marito spurium, de qua diximus *in decis.41. per totam,* interdum teneri suum crimen fateri ad impedienda damna. De exigentia huius iuramenti extat mos in aliquibus regionibus, pro quibus hæc propositio fuit edocta, sed tam amplè, vt digna fuerit damnatione, maximè quia approbat quamcunquè mentis restrictionem, & sic approbat etiam illam, in qua mendacium, & periurium committitur, & semper committetur, non obstante causa non fatendi proprium crimen occultum, quod quando, & à quibus sit fatendum, dicam alibi.

41 His prænotatis patet solutio duarum obiectionum *num.30.* in fauorem Dominæ Illustrissimæ adductarum. Ad primam dicitur Dominam vt in casu responsum dedisse Amasio verbis vnicum sensum in illa circumstantia habentibus, qui sensus erat correspondens petitioni, seu interrogationi, quæ fuit de coeundo cum eadem Domina: ergo ista per solam mentis restrictionem intendit, quod Amasius intelligere non potuit, ideoque amphibologiam damnatam iuxta omnes tres allatas propositiones adhibuit, propterea mentita est, & periurium fecit, nam verba per quæ Domina concedebat Amasio posse copulam facere in illius lecto, quamuis possint significare copulam cum qualibet, tamen attentis concurrentibus circumstantijs significabant solam Dominam lecti, atquè ideò mentis restrictio eiusdem Dominæ non potuit priuare sua verba, quin secundùm propriam eorum significationem acciperentur ab Amasio, maximè quia in humanis contractibus verba minùs attenduntur, quàm mens, vndè à mente accipiunt significationem, vt latè probabimus *in decis. 87. à num.* 80. Igitur in præsenti verba Amasij directa ad Dominam, certè istam petebant, sicque & de eadem Domina significationem in responsione importabant, proinde æquiuocatio Dominæ fuit iuxta doctrinam de amphibologia damnatam.

42 Confirmatur prædicta solutio ad primam obiectionem, & simul respondetur ad secundam positam sub eodem *num.* 30. nam ideò Christus veritatem dixit in sua negatione facta interrogantibus circa diem iudicij, quia ad mentem interrogantium respondit, prout suprà dictum est: Sed Domina non respondit iuxta mentem Amasij: ergo falsum respondit, quod per mentis restrictionem verum reddere non potuit: ergo mentita est, & periurium fecit promittendo externè, quod internè negabat.

43 Sed clàriùs contra Dominam Illustrissimam facit doctrina data à Patribus Collegij Salmáticensis meæ Religionis *in Cursu Theologico, tom.7 tract.17.disp.2. de infallibilitate cert.Fidei, dub. 1. §. 4.* quæ doctrina etiam confirmat cuncta, quæ diximus de modis diuersis amphibologiæ. Sic *num.25. d.§.4.* docent, *amphibologiam*, secundùm vocis radicem, *esse dubiam sermonis sententiam*, & illa vulgò appellatur *æquiuocatio*. Eius dubietas oritur ex eo, quod verba exteriùs prolata multiplicem important significationem, & ideò audiens dubius est an in hoc, vel in illo sensu loquens ea proferat. Contingit autem dicta dubietas diuersimodè. Primò, quando verba in acceptione communiter vsitata habent duplicem sensum: Exemplum est in hoc dicto: *Iste liber est Petri*, quod dictum sinè aliqua verborum violenta translatione duo denotat, vel quòd Petrus sit libri author; vel quòd sit libri dominus. Secundò, quando verba habent vnum sensum magis communem, & alium minùs communem, vt si dicatur: *Petrus est bonus*, significari enim po-

potest, vel quòd sit bonus bonitate morali, ac virtuosa; vel quòd sit simplex. Tertiò, quando verba ex se determinata sunt ad vnum tantùm sensum, sed ex modo loquentis, vel interrogantis, vel ex adiunctis circumstantijs determinantur ad faciendum alium sensum, vt si Confessarius dicat pænitenti, *fecisti ne furtum*, & pænitens respondeat, *non feci*, cùm tamen fecerit, sed de illo aliàs absolutionem obtinuit, nam Confessarij interrogatio refertur ad furtum numquam confessum, ideòque ex circumstantijs vera sunt ea verba *non feci furtum*, idest quod nunc debeam confiteri, prout tu me interrogas. Quartò, quãdo verba à se sunt importantia vnum sensum, nec à circumstantijs restringuntur ad alium sensum; nihilominus ex intentione loquentis trahuntur mentaliter ad sensum diuersum, quem audiens non valet percipere; & id ostenditur exemplo illius, qui à me petit an habeam librum, sed ego respondeo *non habeo*, & mentaliter addo, *ad tibi dandum*, quia verè habeo dictum librum. Primæ tres species amphibologiæ importãt veram eius essentiam, quia verba sunt æquiuoca eò ipso quòd multiplicem importent sensum. Verùm quarta species loquutionis est vocanda *mentis restrictio* potiùs quàm *amphibologia*, vel *æquiuocatio*, quia in verbis vt hic, & nunc prolatis non complectuntur plures sensus, sed vnicum exprimunt, quem per mentem ipse loquens ad aliud obiectum detorquet. Tamen moraliter, & ex communi vsu appellatur *amphibologia* etiam ista quarta species loquutionis, quæ semper audientem decipit, & loquens per illam mendacium dicit, & si iuret, facit periurium, quare meritò fuit damnatum affirmare, prout docebatur in tribus propositionibus relatis suprà sub *num.* 29. quatenus dictæ propositiones vt iacent, ac in sua generalitate licitum faciunt promiscuum vsum amphibologiæ, si extet iusta causa; at ex nulla causa potest licere quarta species, vtpote semper cum mendacio, vnde si iuramentum addatur, erit periurium: ergo cum limitatione, seu cum distinctione erant scribendæ pro veritate propositiones præfatæ.

44 Ex his amphibologiæ speciebus inferunt Salamanticenses *loc. cit. num.* 27. neque Deum posse vti restrictione purè mentali in suis loquutionibus, licèt possit amphibologicè loqui iuxta tres primos modos æquiuocationis, sicuti de facto non semel vsus est, prout diximus suprà *num.* 30. *&* 36. Ratio est, nam amphibologia cum sola, & pura restrictione mentali est loquutio falsa: ergo repugnat Deo. Antecedens suadetur, quia falsitas loquutionis consistit in verborum difformitate ad mentem loquentis: Sed in prædicta amphibologia est eiusmodi difformitas: ergo est loquutio falsa. Minor ostenditur, si enim quis v. g. comedit carnes, & exteriùs dicat, *non comedi*, addendo interiùs, *ex piscibus*, propositio exterior negat vniuersaliter omnem comestionem; neque habet, vt supponitur, aliquid, per quod exteriùs restringatur ad negationem solius comestionis piscium, alioqui restrictio non esset purè mentalis, sed esset exterior, contra id, quod supponitur. Atqui nullus conceptus interior negat vniuersaliter omnem comestionem, siquidem ipse loquens iudicat interius se comedisse carnes: ergo in tali casu adest difformitas inter verba exteriora, & mentem, & per consequens mendacium dicitur.

45 Quòd si instes, liberum cuique esse suos internos conceptus externè proferre tantùm inadæquatè, vti fit in prædicta loquutione: respondetur concedendo instantiam, dummodò intentio manifestandi inadæquatè conceptum interiorem, cadat supra materiam debitam, & legibus loquutionis conformetur; & ideò debet exequutioni mandari per verba, quæ illum conceptum interiorem exteriùs repræsentent, & ipsi exteriùs correspondeant; alioqui peruertitur finis loquutionis humanæ, qui est manifestare conceptus; sed nihil horum seruatur in illa loquutione, *non comedi*, addendo mentis restrictione, *ex piscibus*, vt patet. Est ergo verum mendacium eiusmodi amphibologia, & ità docent Sotus *lib.* 8 *de iustitia*, *quæst.* 1. *art.* 7. Caietan. & Aragon. 2. 2. *quæst.* 89. *art.* 7. Gonet. *in præsenti*, *disp.* 1. *art.* 4. §. 4. *num.* 106. Labat *disp.* 1. *dub.* 2. §. 2. & alij, & frequenter discipuli D. Thomæ, quibus consentiunt Card. de Lugo *disp.* 4. *sect.* 5. Coninch. *disp.* 10. Ripalda *disp.* 5. *sect.* 1. Francisc. Bonæspei *disp.* 2. *dub.* 3. *num.* 65. & alij plures.

46 Nunc ad limam doctrinæ Salmanticensium ponatur responsio, quam Domina Illustrissima dedit Amasio, & probabitur amphibologica, seu æquiuoca per putam mentis restrictionem, & consequenter per mendacium, cui additum iuramentum, fuit periurium, sicque vsa est amphibologia illicita, & damnata in singula illarum trium propositionum, quas *num.* 29. vidimus esse 26. 27. *&* 28. inter propositiones damnatas ab Innocentio XI. propter earum generalem significationem, quam, vt iacent, important, & sic complectuntur vt mendacio carentem, atquè periurio omnem amphibologiam, cùm

cùm tamen solùm primæ tres species sint semper cum veritate, secus quarta, prout dictum est, maximè *num.* 43. & 44.

47 Sed adhuc in fauorem dictæ Dominæ sic argues: Amasius in suo contractu cum Domina Illustrissima, petijt lectum istius ad coeundum: Sed Domina illa concessit lectum suum ad eumdem effectum: ergo in sua responsione adhibuit verba vera exterius, non verò per solam mentis restrictionem. Respondetur negando intentum argumenti, nam verba sumunt sensum etiam ex circumstantijs, & ex qualitatibus loquentium, necnon & audientium prout declarauimus *num.*43. referendo tertiam speciē amphibologię ex Salmanticēsium, imò & ex communi DD. opinione. Hinc liquet quem sensum importabant verba Illustrissimi Domini, attenta qualitate personæ suæ, quātitate pecuniæ oblatæ, sono verborum cum Domina Illustrissima adhibitorum, vt ad Venerea prouocetur; & sic statuendum est significationem petitionis Amasij, vt illa Domina *concederet ei semel copulam habere in suo lecto*, fuisse vt admitteretur ad copulam cum ipsa; quapropter eiusdem Dominæ responsio per verba, *concedo tibi semel posse coire in lecto meo*, exteriùs significabat ex circumstantijs, quòd ei concedebat sicuti postulabat, idest secum copulam facere: ergo restrictio mentalis, quam Domina adbibuit, & secundùm quam iurauit, non valuit priuare verba externa eorum propria significatione, proinde nullo modo voces exteriùs conformabantur conceptui interno, non obstante mentis restrictione, vndè mentita est, & periurium fecit, quia amphibologiam damnatā adhibuit.

48 Vlteriùs contra dictam Dominam vrgēt doctrina, & exempla amplectanda, quæ ab ijsdem Salmanticensibus traduntur *loc. cit. num.* 31. vbi dicunt tunc amphibologiam non esse per puram mentis restrictonem, quando verba possunt sensum verum accipere ex qualitate subiectorum, ac ex circumstantijs concurrentibus. Sic propter qualitatem subiectorum Confessarius interrogatus à marito an sciat esse adulteram eius vxorem, poterit respondere *nescio tuæ vxoris adulterium*, nam nemo debet expectare responsionem nisi à subiecto legitimè interrogato, quòd si contrarium contingat, responsio est de subiecto non supponente, & negat legitimè, ac verè, quia vt legitimè interrogatus, nihil scit de adulterio vxoris, nec adulterium audiuit, & hæc determinatio, seu hæc veritas negationis est in ipsis externis verbis ad sic significandum determinatis per circumstantiam non legitimæ interrogationis. Maritus autem si decipitur, deceptionem propriæ inaduertentiæ debet tribuere, non verbis Confessarij. Idem dicatur de vxore negante adulterium etiam cum iuramento marito non legitimè interroganti. Idem erit de similibus non legitimè interrogatis, vt considerāti constabit. Quòd si Confessarius, & Iudex manifestè expolcant, vt sibi respondeatur non solùm quòd legitimè possunt petere, sed etiam secundùm omnem notitiam interiorem, quam respondens habet, in hoc fortè dirigunt inquisitionem ad subiectū non supponens, & ad eū, qui respondere non debet. Quocirca etsi millies interrogatio reflexè fiat, verè, & legitimè respondens dicit, *Nescio*; quia vt legitimè interrogatus nescit, & potest semper iuramento responsum suum confirmare, vtpote verissimum, & de subiecto negato, cui proinde aliæ negationes vt veræ adijciūtur. Iuxta hanc notabilem doctrinam anxiari non debent in adinueniendis amphibologiis veris, qui non legitimè interrogantur, sicuti quando à marito interrogatur vxor an adulterium admiserit, ab ipsa etiam iuramentum expetens: sic quando hęrus interrogat seruū de furto: Pater filiam de stupro, &c. Sic quando aliquis manifestauit crimen occultum alicuius, potest sinè mentis restrictione dicere, se *falsum*, asseruisse, vel *non aduertisse*, quia vox *falsum* significat etiam *iniustum*; & quia omnis peccans est ignorans, sic verè dicet, *se non aduertisse*, nec opus est aliqua mentis restrictione in tali recantatione pro fama restituenda, alioqui si sic ex circumstantiis verba non essent vera, non essent licitæ similes recantationes, vndè fama non posset restitui. Caueatur etiam, quòd sicuti est mendax amphibologia per puram mentis restrictionem, idem erit licèt externè addatur signum, vel verbum submissum, si audiens ista nequit percipere. En quid circumstantiæ, & qualitates personarum operentur in danda verbis significatione: ergo Illustrissima Domina pro certo teneat suam amphibologiam fuisse iuxta quartam speciem, scilicet de illis, pro quibus stat damnatio trium propositionum adductarum *num.* 29.

## §. IV.

*An sit restituendum acceptum à famulo ficto, & à meretrice putata nobili Domina.*

49 VLtimò est videndum an teneantur restituere accepta tum maritus Illustrissimæ Do-

Dominæ, qui serui personam finxit, necnon & meretrix, quæ se Dominam dictam simulauit, in præsenti historia. Suppono quòd si Amasius putat donare Illustrissimæ Dominæ, certè errat. Si autem meretrix sit adeò astuta, vt faciat sibi donare, quæcunquè ipsa sit, poterit accepta retinere. Si verò Amasius donet absolutè in casu nostro, dico donationem non subsistere, quia donans putabat dare Dominæ, & donatio non valet, si donans erret. Probatur ex ratione textus *l. cùm hic status, §. finali, vers. si quis sponsam. ff. de donat. inter vir. & vxor.* vbi dicitur, donationem factam sponsæ putatiuæ non valere, *quia non quasi ad extraneam, sed quasi ad vxorem fecit*; ergo nec valebit donatio facta ab Amasio meretrici, quasi ipsa esset Domina alia. Et item probatur, quia donatio requirit consensum, consensus verò tollitur ab errore, & sic in casu nostro ratione erroris defuit consensus donandi in Amasio, & ideò meretrix tenetur restituere.

50 Nec valet dicere, debere meretricem dare donum illud ipsi Dominæ, cui Amasius intendit donare, & cuius personam meretrix facit. Respondeo enim non posse donum restitui à meretrice ipsi Dominæ, nam debet illud restituere Amasio, quia intantum donauit, inquantum putauit esse Dominam illam, cum qua copulam fecerat, ita vt non donasset, nisi sic ipse credidisset, in quo quia errauit, donandi consensum non habuit. Idem dico de donis factis famulo ficto, nam fuerunt data per errorem, & consequenter sinè consensu, putabat enim Amasius dare vero famulo fideli in seruitio introducendi eum occultè ad cubandum cum Domina.

51 Meretrix autem introducta, mercedem potest exigere, sed ab eam introducentibus, qui quamuis damnum habeant sentire, tum in pretio debito meretrici, tum in restitutione pretij accepti, tum in compensatione damnorum, si quæ euenissent Amasio præter illorum dolum, debent sibi ipsis omnia imputare; est enim doctrina communis, quòd decipiens alium in contractu, teneatur restituere pretium, & damna illata reficere, si dolus dedit causam contractui; nam si dolus fuit incidens, non irritat contractum sicut primus dolus, dat tamen ius ad damna sibi compensanda, & ad hoc tenetur decipiens, vt dixi *in antecedenti decisione 71. num. 10. & 11.*

52 Quòd si ad probandum fuisse validam illam donationem Amasii errantis, dicatur fuisse validam Benedictionem ab Isaac cœco, secundo genito Iacobo datã, quamuis eum putaret esse primogenitum Esau; respondeo quòd Isaac verè intendebat benedicere filium illum præsentem, & benedictio semel data, cùm sit quid spirituale, est irreuocabilis; In materialibus autem datur restitutio, & reuocatio; & talis restitutio debet fieri Amasio, à quo meretrix putata Domina accepit; quia si eidem meretrici dedisset Amasius absolutè tamquam personæ præsenti, tunc non errasset, & sic casuali cõsensu donasset, & more Isaac se gessisset, dirigens intentionem præcisiuè in personam præsentem.

53 Et quidem nullo modo meretrix ista potest donata sibi retinere, si donans errauit; nam cùm meretrices teneantur restituere Amasijs quidquid ab eis per fraudem extorquent, vt docet cum multis, quos citat & sequitur Sanchez *tom. 1. de matrimon. lib. 4. disput. 11. num. 2.* vt si aliqua se diceret virginem, vel non esse ab alio cognitam præterquam semel à magnate; quantò magis tenebitur meretrix casus nostri, si ei donatur tamquam Dominæ Illustrissimæ viro honestissimo, & nobili nuptæ? fraudulenter ergo dona recepit, & sic ea debet restituere; & eadem ratio militat pro ficto famulo in casu præsentis Decisionis.

# DECISIO LXXIII.

*An quando quis dat alteri cautionem iuratam, quòd in suo testamento legabit rem determinatam hac si non legetur, possit cautionem habens compensationem facere, vbi de quadam doctrina damnata permissiuè.*

## Casus, seu Historia LXXIII.

### SVMMARIVM.

1 *Casus proponitur.*
2 *Voluntas est ambulatoria.*
3. *vsquè ad 7 Testamentum quid sit, & quid si duo proferantur.*
8. 9 *De solemnitatibus testamenti.*
10 *Quid si testans actu moriatur.*
11 *vsquè ad 18. Varia de testamento nullo vel in toto, vel in causa prophana, ac pia.*
19. 20. 21 *De testamento facto contra iuramentum, vel contra votum.*
22. 23 *De pœna sibi à testatore imposita, si reuocet testamentum.*
24. *vsquè ad 27 De clausulis requisitis pro derogan-*

*gando primo testamento.*
28. *vsquè ad 32 Hæres tenetur stare voluntati testatoris, & idem est de alijs.*
33 *Dispositio captatoria valet ad pias causas.*
34 *Manuscriptum testatoris an valeat.*
35. 36 *Ius datum si legatum reuocet, tenet.*
37 *Resoluitur pro casu nostro.*
38 *Verba intelliguntur cum effectu.*
39 *Satisfit argumentis.*
40. 41 *In quo testator possit sibi derogare.*
42 *Soluuntur alia argumenta.*
43 *Testator an possit sibi pœnam ponere.*
44 *Decennium facit obliuionem.*
45. *vsquè ad 50 Varia de propositione 43. inter damnatas ab Alexandro VII.*

1 Dominus Alexander N. vir patritius Ciuitatis N. habebat in propria domo Oratorium copiosissima suppellectili dotatum, cuius suppellectilis pars fuit eidem Domino petita, vt donare eam vellet eorum Ecclesiæ à RR. Regularibus Ordinis reformati, nouis in illa Ciuitate, ac proinde non parùm indigentibus, quos singulari amore prosequebatur ipse D. Alexander. Iste respondit exposcentibus, se velle omnibus frui quoad viuat, promittens tamen, & iurans se in testamento, quod faciet, eis legaturum ferè omnia Oratorij sui, & sic eorum Inuentarium ex tunc propria manu conscripsit, subscripsitque cum iuramento tenoris sequentis. *Omnia prædicta promitto, & iuro me legaturum RR. Regularibus N. in meo testamento, nec vnquam talem voluntatem reuocaturum; & ideò ex nunc do dictis RR. Regularibus ius, & facultatem, vt tuta conscientia possint ea sibi accipere, si ab hærede, vel hæredibus meis spontè non dentur, atque dare se non obligatos prætendant ratione alicuius obortæ difficultatis, vt sæpè oriuntur dubia post obitum testatorum. Quòd si dicti RR. Regulares prædicta non recipiant, intendo eis licere compensationem sibi accipere de bonis hæredum meorum, vel hæredis mei, si vnum tantummodò instituam talem. Et vt de hac mea intentione nulla lis esse possit, ego proprio motu hanc scriptam cautionem dictis Regularibus tribuo, hac die 12. Mens. Apr. An. 1686. In cubiculo Superioris dictorum Regularium. Ego Alexander N. manu propria scripsi; & ita me velle affirmo, & iuro &c.* Post hæc condidit testamentum suum dictus Dom. sic: *De suppellectili mei Oratorij legatum facio RR. Regularibus N. iuxta cautionem meam manu conscriptam, eisque datam ad conseruandum.* Et hæc clausula fuit à testatore posita in testamento suo nuncupatiuo, facto coram dictis Regularibus, in requisito numero testibus. Verùm post tempus longum fecit idem D. Alexander aliud testamentum sigillatum, in quo dictos Regulares transiuit, & clausulam posuit: *& hoc intendo esse meum vnicum testamentum, reuocans aliud quodcunque à me factum.*

Quærunt igitur dicti RR. Regulares quid eis liceat cum habita cautione, & quid Iuris sit in hac Historia astruendum, recusat enim hæres dare petitam suppellectilem sacram.

2 Et Fundamenta, quibus innititur hæres pro non danda suppellectili sunt; Primò, quia in vltimo testamento non nominatur talis obligatio, siuè legatum, & certum est vltimum testamentum esse illud, quod testatoris exprimit, ostendit, & declarat voluntatem, quæ ideò dicitur numquam firma, sed semper ambulatoria vsquè ad mortem naturalem, *l. 3. ff. de adim. legat.* & sic potuit testator pœnitere, & mutare voluntatem donec vixit, & quòd illam mutauerit inspicitur denique in testamento vltimo ipsius.

3 Secundò, quia testamentum definitur: *voluntatis nostræ iusta sententia de eo, quod post mortem suam fieri quis vult*; vt habetur *l. 1. ff. de testam.* vndè sicut vltima sententia attenditur, ita & vltimum testamentum, cùm sit sententia quædam; & in casu nostro hoc vltimum testamentum nihil loquitur de suppellectili prætensa à prætensis legatarijs.

4 Adeò verum est debere attendi, & esse standum vltimo testamento, vt si à duobus hæredibus producerentur duo testamenta, nec appareret quodnam illorum sit posterius, essent ambo censenda æqualia; iuxta Gofredum, & Guillelmum de Suza, quos refert Anton. Go-
5 mez *l. 45. Taur. num.* 147. vbi varias adducit leges ad hanc opinionem probandam. Tamen iuxta sententiam communem, & veriorem, vtrumque testamentum corrueret, neutrumque valeret ratione incertitudinis, & hæres ab intestato haberet succedere, sic patet ex *l. duo sunt Titij, ff. de testam. tutel.* Tiraquellus *de primog. q. 17. opinione 6. num. 5.* Iulius Clarus *lib. 3. recept. §. testamentum, q. 100.* Peralta *l. si quis in principio testamenti, num. 86. ff de legat. 3.* Padilla *l. Clari, Cod. de fideicomm. num. 25.* vbi citat, & sequitur Bartolum, Dinum, Azo, Albericum, Iasonem, Curtium, Alciatum, Boerium, & alios: ergo de primo ad vltimum apertè probatur esse semper standum vltimæ voluntati in vltimo testamento significatæ. Idem dicit Anton. Gomez *l. 45. Tauri, num.* 148.

6 Et

6 Et quamuis prædicta opinio aliquas exigat limitationes, nulla tamen facit contra hoc, quòd testamentum vltimum antecedat priora quæcunquè testamenta. Sic non officit limitatio ad prædictam sententiam, vt non valeat quando alter possidet, quia in dubio melior est conditio possidentis; & ita tradit Gomez *loc. cit. num.* 149. Item non obstat limitatio, quòd dicta opinio non valeat, vbi in vno ex dictis testamentis instituuntur hæredes venientes ab intestato, nam hoc testamentum præfertur; secus si in vtroque testamento instituti sint extranei, in quo casu nullum valebit. *Idem ibidem* cum multis alijs. Pariter non militat contra limitatio, dummodò in vno ex dictis testamentis non appareat legatum ad causam piam; seu nisi in vno testamento fiat institutio causæ piæ, tunc enim hoc esset præferendum; at in casu nostro causa pia, vel legatum pium, sunt tantùm in primo testamento, de cuius prioritate nulla adest dubitatio. Similiter limitanda est, quando in protocollo Notarij, in quo ordinatum est testamentum, appareat de anterioritate testamenti, quia scriptum est prius, nam in hoc casu posterius censeretur vltimum, vt tradit Gomez, *vbi suprà* referens multos alios. Cùm igitur vltimum testamentum Alexādri clarè constet quodnam sit, & in eo non legantur aliquo modo nominati RR. Regulares quidē nominati in anteriori testamento, sequitur non esse audiendos, vtpote à testatore postmodum exclu-
7 sos. Quæ omnia sub tribus numeris antecedentibus 4. 5. *&* 6. vera sunt in iure communi, nam de iure Regni, si quod daretur, iuxta istud esset dicendum.

8 Nequè cautio propria manu conscripta eiusdem testatoris, suffragatur RR. Regularibus, nam in primis dicta cautio non stabilitur cum subscriptione duorum testium ad minùs, sicut duos requirit pro probatione facienda ius cōmune, & habetur *l. vbi numerus, ff. de testibus,* & Matth. 18. dicit omnium Legislator Deus: *in ore duorum, vel trium testium stat omne verbum.* Si ergo non probat dicta cautio, neque illam habentes possunt eam pro clypeo adhibere.

9 Et dato quòd eadem scriptura firmaretur duplici testimonio, adhuc esset reijcienda in præsenti, quia agimus de legato, & legatum exprimitur in testamento, & testamentum reputatur inualidùm, si debitæ solemnitates deficiant, nam non sunt solùm probatoriæ, sed ad formam substantialem spectant taliter, quòd earum minima parte deficiente, deficiat, & nullum sit testamentum, quia solemnitas est indiuidua *l. si vnus, C. de testamento,* & ibi Iason latissimè id probat.

10 Extenditur probatio contra dictam cautionem, faciendo paritatem cum casu, quo quis cœperit facere testamentum nuncupatiuum coram requisito numero testium, adhibitis etiam omnibus solemnitatibus legitimis, & postquam fecit institutionem, & aliqua legata, ac capitula, si morte præueniatur, & constet voluisse vlteriùs procedere, testamentum tale non valet, licèt valeret si non constaret, vel si dubium adesset de tali voluntate, *l. si is, qui, ff. de testam. & l.* 23. *tit.* 1. *part.* 6. ergo multò magis non valebit simplex illa scriptura, vltra quam datur testamentum perfectum, in quo ipsa reticetur vnà cum illis, quibus fuerat data.

11 Licèt ad pia legata eadem solemnitas non requiratur, quæ ad testamentum aliud requiritur, nihil tamen sequitur fauorabile prædictis Regularibus. Primò, quia eorum scriptura non fuit facta coram duobus testibus. Secundò, quia etsi esset facta coram duobus, non fuit facta per modum testamenti, deficit enim Notarius; imò ad testamentum faciendum explicitè refertur, ibi: *promitto, & iuro me legaturum in meo testamento;* ergo non est ipsa ipsum testamentum, & cōsequenter non valet, quamuis valeat testamentum coram duobus ad causas pias, *cap. relatum,* 1. *de testam.* & ibidem Glossa, cum Couarruuia *num.* 1. & hoc intelligitur si in tali testamento fiat tantummodò le-
12 gatum ad pias causas. Quando autem huiusmodi testamentum esset principaliter factum ad causas pias, tunc valeret similiter quoad legata prophana, quia principale trahit secum accessorium. *Authentic. quod sinè, Cod. de te-*
13 *stam.* Si verò fieret principaliter ob legata non pia, & esset inualidum, esset tamen validum pro legatis pijs, vt dictum est supra *sub num.* 11. & colligitur ex *l.* 21. *tit.* 1. *part.* 6. Sed hæc non fauent RR. Regularibus, quorum cautio non est testamentum, nec habet testimonia, quæ sic de necessitate requiruntur etiam ad pia legata,
14 vt ius explicet ea sufficere, si sint talia, qualia poscit ius gentium, scilicet duo, & hæc duo si essent vnum fœmina, & aliud infamis, valerent per *d. cap. relatum,* vbi dicitur: *ad legata pia sat est solemnitas iuris gentium,* propterea non valet cautio sinè testibus, quam exhibent RR. Regulares.

15 Nec obstat contra hæredem D. Alexandri, quòd voluntas testatoris, manu ipsius scripta, etsi careat testibus, & notario, si de hac ipsius voluntate dubium non sit, sit valida quoad le-

gata pia: Respondetur enim, quòd data, & non admissa tali opinione, adhuc non fauet cautio scripta propria manu testatoris, imò pugnat fortiter, & validè pro hærede contra aduersarios RR. nam supposito vltimo testamento, insurgit graue dubium, an vltima voluntas testatoris fuerit eadem expressa longè retro in dicta cautione; & vt manuscriptum à testatore sinè testibus, & sinè notario valeat ad causas pias, requiritur vt sit de vltima voluntate & quòd de hac nullum sit dubium; & sic expressè dicunt multi apud Couarruuiam *in d. cap. relat. num.* 10. Ergo in casu nostro nihil vrget antiquum scriptum à testatote, cùm in testamento recenter facto sit attendenda omnis vltima voluntas testatoris, qui nec de scripta cautione, nec de alijs cum illa annexis, aut in illa contentis, nec minimum posuit verbum in vltimo testamento; vndè infertur non includi in vltima sua voluntate prior voluntas habita, & expressa in manuscripta cautione, & hoc pro certo, nedum sub dubio, ideòque cautio non est admittenda.

16 Fauore hæredis item probatur ipsum non teneri aliquid dare RR. habentibus cautionem, quia quando datur dubium de validitate testamenti, seu contractus in foro externo; imò & quando habetur certitudo nullitatis in iure ciuili de aliquo contractu, aut testamento, si aliunde constet eam esse voluntatem testatoris, nec aliqua intercedat fraus, tunc non est omninò nullum tale testamentum in foro conscientiæ, sed res fiunt primò occupantis, vt docent Sotus *lib.4 de iust q.5. art.3.* Palacios *summa, v. hæreditas.* Ludouicus Lopez 2. *p. instruct. c.*14. & alij, dicentes posse tuta conscientia primò capiens hæreditatem, eam retinere donec condemnetur. Ratio est, quia quando adest dubium quinam ex duobus habeat melius ius in foro conscientiæ, tunc possidens iuuatur possessione, & ius melius habet in foro animæ: sed in casu nostro hæres iam adijt hæreditatem, & possessionem accepit; ergo nisi iuridicè condemnetur, & obligetur dare, potest tuta conscientia retinere, quæ possidet, supposita certitudine voluntatis testatoris expressæ per vltimum testamentum, in quo hæredem non obligat ad dandum suppellectilem Regularibus eam prætendentibus.

17 Quòd si contra insurgatur, & dicatur hæredem teneri adimplere legata particularia, eò ipso quòd vult testamentum amplecti tamquam validum in foro conscientiæ, vndè & debet dare, & facere iuxta quòd dictum testamentum loquitur. Respondetur concedendo

18 totum, licèt legata possit dare cui malit, nempe vel legatario, vel venienti ab intestato, cum vterque habeat ius, vt tradit Burgos 5. *p. leg.* 3. *Taur. à num.* 1514. *&* 1518. *vsque ad* 1521. *exclusiuè*; sed indè non sequitur dandum esse aliquid prædictis RR. Regularibus, quia eorum cautio non facit eos legatarios, vt enim tales essent, debuissent exprimi in testamento vltimo.

19 Similiter probatur pro hærede, quia etsi testator facto testamento inserat in illo iuramentum de illo non reuocando, si postea reuocet, reuocatio valet vnà cum secundo testamento, quod fieret contrarium primo. Ratio est, quia testamentum ex sui natura est reuocabile, & iuramentum superadditum rei non mutat illius naturam. Item, quia nullum medium dari potest, vt testamentum non sit reuocabile vsque ad mortem, sicut clarè traditur *l. si quis, in princ. ff. de legat.* 3. & *l.* 25. *tit.* 1. *p.* 6. & idem dicunt vt quid certissimum Syluester *verb. testamentum,* 1. *q.*12. *dict.*4. Armilla *verbo eodem num.* 14. Tabiena *eodem verbo, num.* 12. cum alijs tum Theologis, tum Iurisperitis: Ergo cautio iurata, & à testatore scripta, atq; data Regularibus vt in casu, non impedire potuit, quin validum testamentum posset postea condere oppositum promissis, & iuratis in ipsa cautione, sicut de facto fecit per nouum, & vltimum testamentum; atque si hæres obligatus non re-

20 manet ratione prædictæ cautionis. Neque testamentum vitiatur per hoc quòd fiat contra datum iuramentum, cùm inde solùm sequatur esse periurum ipsum testatorem, qui iurata poterat adimplere. Ità Sanchez *lib.*3. *summa, cap.*12. *à num.*19. *vsque ad* 23. *& cap.* 9. *à num.* 29. *ad* 36.

21 Confirmatur, nam si fiat solemne testamentum, in quo relinquantur pauperibus centum aurei, quia sic testator vouerat, deinde idem testator pæniteat, & reuocet testamentum, tunc talis reuocatio valet, quia votum, sicut & iuramentum sequuntur naturam contractus, cui apponuntur, propterea cum testamentum sit reuocabile, sic vouens facere testamentum, & relinquere centum pauperibus, intelligitur reuocabiliter, recipit enim iuramentum, & votum conditiones, subauditiones, & limitationes contractus, cui annectuntur, vt constat ex *l. final. Cod. de non numer. pecun.* & *cap. quemadmodum, de iureiurand.* & idem tenent Angelus *verb. iuramentum,* 4. *q.*1. Molina *lib.*4. *de primog. cap.* 2. *num.* 56. Gratian. *regul.* 275. Matien-

tienzo *dialog. 3. p. cap. 32. num. 5.* & alij plures: ergo potuit Alexander testari contra scriptum iuratum, & à se ipso scriptum, ita ut per testamentum posterius ad tale scriptum, hoc remaneat reiectum, si non iterum nominetur; quapropter ius non dat tale scriptum RR. Regularibus relictis in vltimo testamento scriptoris.

22 Neque iuuat dictos Regulares, quòd in eorum cautione Dominus Alexander à puncto scriptionis factæ dederit ius accipiendi dictam suppellectilem, vel saltem compensationem faciendi, si hæres eam non dabit de bonis eiusdem hæredis; nam talis concessio videtur pæna, quam testator sibi imposuit, si testamentum tale fecerit, vt per illud promissa non sint debita; sed talis pæna reprobatur à iure *l. stipul. ff. de verbor. oblig.* cùm sit contra bonos mores, & sit reputata pænalis stipulatio contra libertatem reuocandi testamentum, seu illud aliter non faciendi, quòd admitti non debet. Sic Bartolus *l. si quis, in princip. ff. de legat. 3.* Iulius Clarus *lib. 3. recept. sentent. §. testamentum, q. 95.* Tabiena *ver. testamentum, num. 12,* Syluester *eod. verb. 1. q. 12. dict. 4.* Gutier. *de iuram confirm. 2. p. c. 1. num. 3.* & alij. Ergo in præfata cautione ius illud
23 datum nō subsistit in fauorem Reuerendorum prætendentium. Et debet notari, quòd *dicta l. stipulatio* reijcit talem pœnam tum si apponatur pro non reuocando toto testamento, tum si ponatur pro non reuocando aliquo particulari legato, tum si ponatur fauore causæ piæ, & sic docet Carolus Molineus, quem citat, & ipsi subscribit Couarruuias *rubr. de testam. 2. p. num. 16. & 17.* ex quibus omnibus infertur non subsistere ius datum in cautione dictis RR. Regularibus, quibus videtur nō esse debitam suppellectilem Oratorij Domini Alexandri iam defuncti, si vera sint hucusque allata pro hærede.

## §. II.

***Referuntur fundamenta in fauorem RR. Regularium contra hæredem, & pro illis resoluitur casus.***

24 Dicta in præcedenti Paragrapho vera esse negandum est, quatenus in fauorem hæredis pro præsenti facto sunt adducta, & sic dico eum teneri dare suppellectilem RR. Regularibus iuxta cautionem eis factam à testatore, & iuxta primum istius testamentum, qui Regulares si petitam suppellectilem aliter habere non possunt, poterunt vel eam accipere, vel compensationem sibi facere ex bonis hæredis; sed & acceptio dicta, & compensatio sunt omittenda, debent enim hæredem citare, qui à Iudice erit condemnandus ad suppellectilem dandam prætendentibus.

Ducor ad sic iudicandum, primò quia licèt quando in priori testamento non est clausula derogatoria sequentis testamenti, hoc si fiat derogat primum, etiamsi in secundo nulla fiat mentio primi, neque in eo ponatur clausula derogans priora testamenta. *§. posteriore. Instit. quib. mod. testam. infirm.* & ità docent Couarruuias cum multis *rubr. de testam. 2. part. num. 1. & 2.* Iulius Clarus *lib. 3. recept. §. testa-*
25 *mentum, q. 94. & 99. initio.* attamen si in primo testamento sit clausula derogatoria sequentis testamenti, si hoc fiat sinè clausula derogatoria, etiam generali, tunc primum testamentum non remanet reuocatum, quia præsumitur in secundo testamento defectus voluntatis, & hoc certum est apud omnes, vt dicit, & adhæret Clarus *dicta q. 99. vers. primus casus:* at in casu nostro Dominus Alexander fecit primum testamentum, in quo legatarios instituit dd. RR. Regulares *iuxta cautionem manu testatoris conscriptam, & eis datam,* quæ cautio continebat *iuramentum non reuocandi*
26 *talis legati voluntatem*; ergo idem fuit hæc positio in testamento, ac si testator in eo iurasset nolle facere mutationem; vndè cùm iuramentum appositum in priori testamento habeat vim clausulæ derogatoriæ, prout expressè tradit Sanchez *consilior. lib. 4. cap. 1. dub. 17. num. 4.* sequitur non fuisse derogatum priori testamento per secundum, in quo non ponitur clausula derogatoria prioris, sicuti apponi debebat, vt primū testamentum remaneat reuocatum. Sic Ioannes Andreas Bertrand. Sozinus, & alij sequuti à Iulio Claro, qui eos refert *lib. 3. recept sentent. §. testamentum, q. 95.* Segura *l. filius dum in ciuitate, ff. de verbor. obligat. vers. ex hoc infertur.* Perez *super Seguram, & lib. 5. ord. tit. 2. l. 1. §. quaro vtrum.* Bartolus, Couarruuias, & alij:

27 Et Gutier. *de iuram. confirm. 2. part. cap. 1. num. 6.* optimè tuetur non sufficere in hoc casu clausulam generalem derogantem testamentum quibuscunque verbis, sed oportere fieri mentionem expressam iuramenti; & ità tenet quoque Molina *lib. 4. de primog. c. 3. num. 30.* Cùm ergo in vltimo testamento Domini Alexandri de quo difficultamus, non fuerit apposi-

posita clausula derogans iuramentum inclusum in priori testamento, hoc valebit, & non secundum, & consequenter præfati Regulares sunt in suo iure prætendendi suppellectilem eis legatam, quæ specificatur in cautione data à testatore ijsdem Regularibus.

28 Nec refert, quòd in priori testamento Domini Alexandri fuerit posita clausula generalis indicans legatum, & illud non specificans, dum solùm dixit testator: *legatum Regularibus N. facio iuxta cautionem, &c.* nam supposito quòd legatum fiebat de re, de qua testator poterat disponere, tenetur hæres stare dictæ cautioni, & hoc probatur à fortiori per paritatem ad sequentem casum, videlicèt: si testator iubeat, vt stetur sententiæ Patris N. hæres testamentarius tenetur stare sententiæ dicti Patris N. & pariter tenetur stare eidem sententiæ etiam hæres legitimus si tangatur in parte, cuius est hæres voluntarius, quia talis pars non est ei debita, & sic testator poterat de ea disponere, & onus hæredi imponere. Sic respondit quidam Iurisperitus admodum doctus Thomæ Sanchez, qui idèm docet *lib. 4. consilior. cap. 1. dub. 61. num. 3.* ergo & standum erit cautioni scriptæ manu ipsius testatoris, qui eidem cautioni iubet debere stari.

29 Nequè obstat, si dicatur quòd ad hoc vt clausula posita in primo testamento derogatoria testamenti secundi habeat effectum, debet esse de non reuocando toto priori testamento, non verò de non reuocando certo legato, sicuti factum est in casu nostro: respondetur enim esse fortissimum argumentum de toto ad partem, *l. quæ de tota, ff. de rei vindic. & l. hæredes mei, §. cum ita, ff. ad senat. consul. Trebel.* nam id, quod iuris est de toto quoad totum, est etiam de parte quoad partem; hinc fit, quòd quemadmodum clausula derogatoria secundi testamenti posita in primo de toto isto non reuocando facit non remanere reuocatum, nisi in secundo testamento derogetur exprefsè dictæ clausulæ; sic & clausula posita in primo testamento non reuocandi istud quoad partem, seu quoad certum legatum, quæ clausula sit derogatoria, sicuti est iuramentum, sequitur non remanere dictam partem reuocatam, nisi in secundo testamento exprefsè derogetur clausulæ derogatoriæ positæ in primo testamento fauore dictæ partis, quæ pars cùm sit legatum exprefsè factum in primo testamento D. Alexandri, iste cùm nullam fecerit derogationem in suo secundo testamento de dicto legato iurato, hoc non remanet reuocatum, & ideò iustè à RR. Regularibus exigi potest.

30 Ducor secundò, ad resoluendum præsentem casum fauore dictorum Regularium, quia in eorum cautione legitur ius eis demandatum accipiendi dictam suppellectilem, seu compensationem ex bonis hæredis, si iste dare spontè recuset *ratione alicuius obortæ difficultatis, vt sæpè oriuntur dubia post obitum testatorum*, sed de facto difficultas est orta; ergo ius Regularium viget, prout eis exprefsè à testatore fuerat concessum in euentu difficultatis exortæ; & in hoc manifestè constat quænam sit, & fuerit voluntas testatoris, ideo illa est adimplenda, vtcumque sit factum testamentum, quia istud pendet à voluntate testatoris, & hoc concluditur ex opinione docente non subsistere

31 primum testamentum, in quo erat clausula derogatoria secundi, si istud postea fiat cum quibuscunque verbis derogatorijs, nulla prioris etiam generali mentione facta, si ex coniecturis constet testantem pœnituisse prioris voluntatis, nam testamentum pendet à voluntate, & vbi hæc constat, mutatio, & factum, iam non sunt dubia, sed certa. Ita Iulius Clarus, qui affirmat hanc opinionem esse communem. *lib. 3. recept. q. 99. §. cæterùm*; eam etiam docet Couarru. cum multis.

32 Ducor tertiò cohærenter ad mox prædicta, nam vbi nulla adfuit fraus, & constat quænam fuerit voluntas testatoris, tunc licèt iure ciuili contractus, vel testamentum non subsistant, valent tamen in foro conscientiæ, & hæres hæreditatem, & legatarius legatum possunt accipere, quòd si hæredes venientes ab intestato in foro externo hæreditatem acciperent, tenerentur in conscientia restituere relicta hæredi, & legatarijs. Sic probatur *ex cap. cum omnes, de testam.* sicque tenent communiter Iurisperiti, & innumeri alij ex Theologis, & Summistis, & nominatim Panormitanus *d. cap. cum omnes nu. 10. & 15. & c. quia plerique de immunit. Eccles.* Tiraquellus *post leges connub. glos. 4. nu. 21.* Oroscius *l. omnes populi, num. 65. ff. de iust. & iure*, Felinus *cap. 1. de constit. num. 39.* Ancharanus, Immola, Innocentius, Alexander, Iason, Alciatus, & Albertus Brunus, quos refert Couarruuias *dicto cap. cum omnes, de testam. num. 6. 7. 8. & 10.* Tabiena *ver. hæres, num. 4.* Armilla *ver. hæreditas, num. 14.* Angelus *verbo alienatio, num. 14. & verbo hæres, num. 5.* Syluester, *verbo alienatio, q. 13 & verbo testamentum 2. q. 5. & verbo hæreditas 3. q. 7.* Medina *de restitut. q. 23. in fine*, & alij. Ergo in casu Regularium contra hæredē, de quibus agimus,

cùm

cùm secundum testamentum D. Alexandri sit nullum iure ciuili quoad legatum, scilicet quoad supellectilem Oratorij comprehensam in alijs bonis ad hæredem deuolutis, debebat enim dicta supellex cum clausula derogatoria posita in secundo testamento tolli, nec ampliùs legari RR. Regularibus, quibus cum iuramento derogatorio mutationis fuerat legata in priori testamento, sequitur posse in conscientia dictos RR. exigere eamdem supellectilem, quam & hæres in conscientia tenetur illis dare, quia certò constat de testatoris voluntate tum per primum testamentum, tum per exhibitam cautionem, & aliunde in nullo est fraus, & derogationem debuisse fieri, dixi supra.

33 Si quis dicat fuisse fraudem in petitione facta à dictis Regularibus ipsi Alexandro, vt talem supellectilem eis concederet, & dispositio captatoria, idest quæ confertur in alterius arbitrium, regulariter non valet; ego illi respondeo primò, & dico dictos Regulares petijsse quidem dictam supellectilem, sed cum voluntate vt eis statim concederetur à Domino, qui quia noluit tunc dare, spontè fecit illam dispositionem, quæ propterea non dicitur captatoria. Secundò respondeo, quòd quamuis in vltimis voluntatibus non valeat captatoria dispositio de prophanis, valet tamen ad pias causas. Ita habetur ex *cap. cum tibi de testam.* vbi Innocentius III. dicit: *Qui extremam voluntatem in alterius dispositionem committit, non videtur decedere intestatus*; quod de causis pijs exponitur in summario illius capituli, & itá dicunt multi DD. Ita Clarus *q. 6. num. 5.* citat Bartolum cum aliis, qui dicunt hanc sententiam esse communem. Valebit igitur in casu nostro dispositio D. Alexandri facta fauore RR. Regularium, etiamsi dicamus fuisse dispositionem captatoriam, quia fuit in causa pia.

34 Ducor quartò, quia vltima voluntas testatoris scripta manu propria, ita vt hoc dubium non sit, est valida quoad pia legata, etiamsi non sit facta coram testibus, & notario, vt notat Sanchez *consilior. moral. part. 2. lib. 4. cap. 1. dub. 7. num. 6.* at Regulares habent dictam vltimam voluntatem propria manu testatoris scriptam; ergo valet cùm sit de pio legato. Et quòd talis voluntas sit vltima, constat quia non fuit reuocata vt debebatur, iuxta prædicta.

35 Ducor quintò, nam etiam admittendo, quòd per vltimum testamentum fuerit reuocatum legatū antecedenter factum dictis RR. Regularibus, adhuc ius ipsis concessum non remanet infirmatum, quia in primo testamento D. Alexander legauit ipsis RR. iuxta eis datam cautionem, quæ dicit: *ex nunc do dictis RR. Regularibus ius, & facultatem, vt tuta conscientia possint ea sibi accipere, si ab herede, vel heredibus meis spontè non dentur, atquè dare se non obligatos prætendant ratione alicuius oborta difficultatis, vt sæpè oriuntur dubia post obitum testatorum*. In quibus verbis voluntas testatoris apparet quòd fuerit, vt si ipse cōdat aliquod testamentum, ex quo dubium oriatur an dictū legatum relinquatur, & apertè non intelligatur relictū, sicut iurauit se legaturum, nec voluntatem hanc reuocaturum, in tali casu ipsemet testator cōferebat ex tunc ius, & faculatem necessariam prædictis RR. vt eamdem supellectilem suam haberent: at quandocunque testator tribuit ius alteri super id, quod ei per legatum relinquit casu quo tale legatum reuocaret, dictum ius valet, & viget ipsi, cui est datum, vt tradunt Baldus, Gutier. Paulus, Alexander, & Francus, citati à Sanchez *vbi supra*, *dub. 18.*

36 *num. 3.* & maximè si iuramento fuerit stabilitum nolle reuocare, ergo in nostro casu RR. Regulares ius habent ad supellectilem non obstante reuocatione prætensa ab hærede.

37 Et si dicatur satis fuisse, quòd D. Alexander adimpleuerit promissa iurata in cautione, dum de facto testamentum fecit, & iuxta cautionem legauit, vndè ad aliud non tenebatur, & propterea non opus habebat vti derogatorijs verbis, si aliud testamentum faciebat, quia aliam non habebat obligationem ex vi cautionis, in quo verba apposita: *iuro me legaturum RR. Regularibus N. in meo testamento, nec vnquam talem voluntatem reuocaturum*, intelligenda sunt, quòd faciens testamentum, faciet & legatum, quæ omnia fecit per primum testamentum; ergo ad aliud non tenebatur, si faciebat secundum. Respondeo, illud non esse testamentum, quod non est vltima voluntas, vt patet ex definitione testamenti tradita supra *num. 3.* quapropter si secundum testamentum D. Alexandri erat vltima eius voluntas, tenebatur in isto legatum facere, imò si mille fecisset testamenta, vnum tantummodò, scilicet vltimum est verum testamentum, si tamen sit factum cum requisitis sufficienter derogantibus testamenta priora, quod non fuit factum in casu nostro. Et omnino nil probat argumentum istud, quia

38 verba sunt intelligenda cum effectu, *cap. relatum, de cleri. non resid.* & cum effectu non intelligerentur verba cautionis, si ad solum primum testamentum referantur, quamuis hoc primum non semper perseueret vltimum, sed aliud, vel

alia

alia fiant; vndè nugatoria esset illa cautio, quod non est iudicandum, nec dicendum.

## §. III.

*Resoluuntur argumenta hæredis; & ponitur permissiuè propositio 43. inter damnatas ab Alexandro VII.*

39 Fundamenta, quibus hæres innitebatur, facili negotio nunc euertuntur. Sic adducta *à num. 2. inclusiuè vsque ad 7. inclusiuè*, respondetur vera esse, quando secundum testamentum est verè vltimum vtporè derogatorium primi quoad omnia, & hoc non est factum in casu nostro, sicut probauimus, & ostendimus.

Ad id, quod dicebatur *num.* 8. iam dixi valere ad pias causas cautionem illam sinè testibus, & Notario, & per hoc patet responsio *ad num. 9. & 10. & 11. vsque ad 15. exclusiuè*.

40 Ad allata *num.* 15. dico cautionem esse verè vltimam testatoris voluntatem, expressam quoquè in primo testamento, quod quoad hoc legatum est etiam vltimum, cùm non fuerit derogatum prout erat derogandum, sicuti latè probaui: Insuper nunc addo potuisse testatorem sibi voluntatem derogare reuocandi legatum, vel etiam testamentum, ac proindè si reuocet opus est vt vtatur clausula derogatoria sufficienter, aliàs reuocatio non est facta, quia in secundo testamento præsumeretur defectus voluntatis; Ita Clarus *lib. 3. recept. §. testamentum q. 99. vers. primus casus*, & omnes. Si ve-

41 rò testator deroget suæ potestati, nollens posse condere aliud testamentum, tunc talis derogatio non valet, & si fiat secundùm testamentum ab eo, nec ponat verba derogatoria primi, hoc est reuocatum statim per secundum, inualida enim fuit derogatio propriæ potestatis; & sic habet idem Clarus *d. q. §. hoc autem*. In casu autem nostro D. Alexander non derogauit propriæ potestati, sed solummodo propriæ voluntati, quod licet.

42 Ad *num.* 16. dico eadem, quæ posui *sub nu.* 32. Deinde etiam dico non dari in casu nostro inualiditatem testamenti, cùm reuera valeat primum quoad legatum suppellectilis Oratorij. Et sic remanet responsum *ad num.* 17. & 18.

*Ad num.* 19. 20. & 21. dicendum est posse quidem testamentum reuocari, sed adhibitis clausulis requisitis, & hoc deficit in casu nostro, quidquid sit postea de fractiono iuramenti.

Ad *num.* 22. quem iterum admitto ego postquam ab aduersario fuit admissus, dico nihil nobis obstare, quia reuocatio non fuit facta in toto, sed solùm quoad partem, nempe quoad legatum, pro quo facto tenenda sunt ea, quæ *supra num.* 35. adduximus, & ea, quæ numero sequenti dicam.

43 Ad posita *sub num.* 23. respondeo non posse quidem apponi pœnam sibi ipsi à testatore si reuocet totum testamentum; posse tamen si reuocet legatum aliquod, præcipuè si talem pœnam sibi imponat fauore causæ piæ. Ita Iason *in l. stipulatio, ff. de verbor. oblig.* & cùm casus noster sit de non reuocando legato pio, potuit D. Alexander dare ius, & facultatem dictis RR. Regularibus sibi compensandi, si hæres renuat dare ratione difficultatis obortæ causa testamenti, quia testator in ipso non benè, seu malè eos RR. legatarios facit.

44 Fauet etiam dictis Regularibus, quòd à primo testamento ad secundum non effluxit tempus decennij, quod facit præsumere obliuio-

45 nem, quæ excusaret. Nec contra hoc pugnat, quod Alexander VII. damnauerit propositionem inter alias quadragesimam tertiam dicentem: *Annuum legatum pro Anima relictum, non durat plus quàm per decem annos*; & ideò ista doctrina damnata non pugnat contra nos, quia aliud, est quòd decennium præsumptionem inducat in nunc testante, se fuisse oblitum rei ante decennium volitæ; & aliud est, quòd absolutè terminet legatum annuum pro Anima relictum, cùm decennium effluxerit, vt ex se patet.

46 Vrget hic salutis animarum desiderium, ac zelus, vt aliqua de allata propositione damnata scribam, illam contra nonnullos impugnando. Errant igitur illi, qui per vocabulum *Animæ*, solas animas purgatorij contendunt intelligi, & sic concedunt *Annuum legatum pro alia pia causa relictum non durare plus quàm per decē annos.* Sed manifestè allucinantur ità sentientes, cùm quodlibet piū legatum censeatur relictum, vt anima testatoris inde suffragium habeat, & per consequens idem est *legatum pro Anima relictum*, & *legatum pium*. Nec valet recurrere ad regulam dicentem esse restringenda, non amplianda, quæ sunt odiosa, vt est damnatio propositionis sub pœna excommunicationis; nimis autem ampliatur, si pro omni pio legato intelligatur. Id, inquam, non valet, nam vbi de animæ salute agitur, vti etiam est de liberatione à Purgatorio per suffragia, extensio fit in odiosis, & pœnalibus. Sic Aym. *de antiquit. temp.*

*temp. p.* 4. § *videamus modò de aliquibus limitationibus*, *num.* 10. Tiraquell. *de priuileg. piæ causæ, priuil.* 161. Corset. *in sing. verb. extensio*, 2. *ante fin. post. num.* 23. Villag. *in tract. de extensione legum, rubr. de extens. leg. correct. & pœnalis simul*, *num.* 80. & *rubr. de extensione leg. pœnalis tantum. num.* 19. Couarru. *de sponsalib. p.* 2. *cap.* 6. *in princ. nu.* 12. Farinac. *fragment. criminal. p.* 1. *litt. E. num.* 109. & 111. Perez *lib.* 1. *tit.* 1. *lib.* 5. *Ordin. pag.* 39. Sanch. *de matrimon. disp.* 29. *num.* 5. & *lib.* 3. *disp.* 1. *num.* 8. & alij; ergo non stat damnatio tantùm pro doctrina de legato facto pro Anima purgatorij expresse nominata, sed de omni pio legato, quia hoc semper est pro anima.

47 Vlteriùs propter hoc debuit damnari dicta propositio, quia, vt iacet, loquitur contra proprietatem terminorum tum attenta mente testatoris, tum inhærendo authoritati iuris, nam quod annuum est, perpetuum est, vt constat ex *tit. ff. de annuis legatis*, & ex *l. final. C. de legatis*, & tradit Sanchez *part.* 2. *consilior. lib.* 4. *cap.* 1. *dub.* 24. *nu.* 1. & *cap.* 2. *dub.* 12. *nu.* 5.

48 Idem conuincitur ex mente testatoris, nam si interrogetur quid nomine *annui legati* intelligat, responderet, se intelligere *legatum perpetuum*, ergo de tali legato est intelligenda particula *annuum legatum relinquo, &c.* Ità colligitur ex *vulgata gloss. final. in fin. in l. tale pactum* 41. §. *final. ff. de pactis in contractibus*, & docet Decius *cons.* 555. *num.* 7. & Crauet. *cons.* 442. *num.* 21. *vol.* 3. quatenus dicunt interpretationem verborum inter contrahentes, fieri debere secundùm quòd interrogati verisimiliter intellexissent.

49 Nec iuuat dicere, quòd leges obstent, vidimus enim *num.* 47. apud Iurisperitos idem reputari *Annuum legatum*, ac *Perpetuum legatum*, idemque constat ex *l. penult. & antepenult.* & *l. annuam*, & *l. annua*, §. *fin. ff. de annuis legatis*.

50 Fundamentum verò id asserendi, nimirum quia non est credibile Deum vltra decennium detinere animas in Purgatorio, gratis dicitur, cùm nobis de hoc certò non constet, vnde nequè certum, nec firmum est eiusmodi fundamentum; & vbi firmum non est fundamentum, immeritò fundatur aliqua sententia. Videantur historiarum codices, & detegetur oppositum; referunt enim longè vltra decennium interdum animam ignibus illis expurgari. Igitur scandalosa est dicta propositio, imò dupliciter scandalosa, nempè & pro damno, quod viuentibus affert; & pro mortuis, quibus suffragia subtrahit. Sed dicta à *num.* 46. vsquè adhuc, permissiuè attulisse opportunum fuit.

# DECISIO LXXIV.

*An patrimonium factum alicui, vt ordinaretur, sit restituendum, si ordinatus detegatur hermaphroditus potiùs fœmina: & quid si hæc nupsit, & patrimonium dedit in dotem viro, qui eam consumpsit; & quid, si vterquè sexus ostendatur ob lucrum.*

## Casus, seu Historia LXXIV.

### SVMMARIVM.

1 *Casus proponitur.*
2 *Sex continet difficultates.*
3. *vsquè ad* 35 *Varia de titulis pro Ordine, & maximè de Patrimonio vero, ficto, quoad eius quantitatem, renunciationem, defectum, effectum in Episcopo, ac in Ordinato, & de illius assignatione.*
36. *vsquè ad* 40 *Cuius sexus sit Hermaphroditus.*
41. *vsquè ad* 55 *De fœminis quoad Ordines, saltem per dispensationem Papæ.*
56. *vsquè ad* 62 *De hermaphrodito quoad matrimonium coram Parocho, & quoad ingressum in Religionem.*
63. *vsquè ad* 69 *De consensu per errorem etiam inter sponsos, & sponsas.*
70 *Pauper potest sibi applicare bona restituenda, si dominus testetur, vt sua bona dentur pauperibus.*
71. *vsquè ad* 75 *Causæ excusantes à restitutione.*
76. *vsquè ad* 89 *An liceat inspici in sexu hermaphrodito.*
90 *Illegitimi sunt Irregulares.*
91 *An filius teneatur credere parentibus asserentibus eum illegitimum.*

1 De montibus descenderat ad Ciuitatem N. vidua quædam nomine Ioanna, secumque conduxit filium, quem vnicum genuerat ex adulterio secreto, cui nomen erat Iulius Cæsar, habitus tamen ab omnibus, vt legitimus natus ex dicta Ioanna, & Petro illius marito. Causa eorum descensus ad Ciuitatem, relicto monte natiuitatis ipsorum, Ioannæ scilicet & filij fuit summa pauperies, in quam deuenerant, amissis facultatibus, parentibus, affinibus, & cognatis, sicque proprijs necessitati-

tatibus quærebant prouidere, vbi multitudo populi non caret aliquibus pijs, qui egentibus succurrunt. Vrgebat quoquè matrem defectus confusi sexus in filio suo, seu filia quòd esset, procedebat enim in ætate, & iam decimum tertium attigerat annum, & semper sub habitu virili incesserat, iamque tempus eligendi statum aduentabat, sed qualem statum deligere posset cùm ignorarent, in hoc erant eorum angustiæ intensiores. Igitur ad Ciuitatem, vbi fortuna viget, conuolarunt, & quidem à fortuna recepti, eos tradidit cuidam satis diuiti, qui solus cum famula dies suos sanctè transibat: Quærebat namque, demortua sua, famulam aliam diues iste, qui Ioannam cum filio, vt ei inseruirent admisit. Placuit eidem diuiti seruitium & matris, & filij, quem cùm bonæ indolis agnosceret, curauit vt proprijs expensis gramaticam disceret, quatenus sic ad Ordines ascenderet, paratus ipse Dominus ei dare patrimonium pingue. Studuit ergo Iulius Cæsar, multumque breui temporis spatio profecit, ideò à Domino suo, qui carus erat Episcopo, huic fuit commendatus, vt eum ordinare vellet, ipse enim patrimonium fecisset. Annuit Episcopus propositioni Domini Erasmi, sic enim vocabatur diues ille, cumque iam ad Diaconatum ascendisset, moritur Erasmus post dies tres à morte Ioannæ famulæ suæ, & matris eiusdem Iulij Cæsaris, sed antequam ista decederet voluit suæ satisfacere conscientiæ per notificationem omnium, quæ facta erant circa filium suum, potiùs filiam, vni docto Confessario, cui & facultatem dedit, vt sinè scrupulo fractionis sigilli, prudenter prouideret. Mortua matre vocat Confessarius filium, cui obligationem suam aperit, consuluitque vt dimisso habitu Clericali, si est potiùs fœmina, ad Sacerdotium suscipiendum nullatenus accedat, spargatque vocem se iturum ad D. Iacobum de Gallæcia, vt sic possit se omnibus perdere, atque fœminarum veste suscepta in aliam personam commutari. Et vt aptiùs ista fierent, inclusit optimus, & prudens Confessarius intrà domum propriam hanc fœminam, quam propriè matri tradidit custodiendam, donec ipse facultatem obtineat eam collocandi in quodam hospitali. Dum dictam facultatem ipse Confessarius quærebat, finxit venisse epistolam ex Barcinona cum nuncio mortis D. Iulii Cæsaris, qui tamen realiter viuebat collocatus in domo pia cum alijs fœminis. Et quia patrimonium Iulio Cæsari factum erat totum in prædijs, vendidit ea, & pecunias exegit Confessarius, qui comparuit hæres dicti Iulij Cæsaris iuxta testamentum ab ipso factum priusquam discederet eundi causa ad D. Iacobum, vt prædictum est. Post annum fuit in matrimonio collocata Iulia, non ampliùs Iulius, in fide enim baptismi Iulij Cæsaris, fuit aptatum verbum *Iulius* in *Iulia* Cæsar, quæ ab eodem Confessario accepit pro dote easdem patrimonij pecunias, quæ datæ fuerunt viro in dotem, quam vir ipse dilapidauit, & consumpsit, & vnà cum Iulia peregere profectus est. Peruenerunt ambo ad quamdam Ciuitatem Prouinciæ Picæni, in qua ægrotans ad mortem Iulia apud quemdam cauponem, aduocauit Confessarium Regularem, cui in Sacramentali Confessione totam vitam propriam dixit, se accusans etiam quòd sæpè tum spontè, tum marito volente, & fœminis, & viris exhibuit seipsam inspiciendam in pudendis, vt aliquam indè reportarent mercedem ratione necessitatis in eorum itineribus.

Et quia contigit mihi per eamdem Ciuitatem transire, fui interrogatus ab eodem Confessario Iuliæ, quid sentirem de concurrentibus in descripta historia sanè curiosa, & difficultatibus pro vtroque foro abundante, quibus attentè, & cautè debebatur resolutoria responsio.

2 Comendaui statim prudentiam Confessarij Ioannæ defunctæ, qui non communi solertia transtulit Iulium omnibus notum de vna persona in aliam, imò & de vno sexu ad alium itá vt hoc nemini notum esset. Eiusdem Confessarij laudaui modum, quo patrimonium Clerici mutauit in dotem ipsiusmet Clerici, qui falsò erat Iulius & sexu, & nomine, sed verè Iulia in vtroque. Difficultates verò in hac historia inuolutæ sunt circa diuersa.

Prima, est circa patrimonium factum hermaphrodito, vel alteri non tali.

Secunda, est circa hermaphroditi ordinationem.

Tertia, est circa hermaphroditi matrimonium.

Quarta, est circa patrimonium translatum ad rationem dotis, quæ à viro fuit dilapidata.

Quinta, est circa denudationem sexuum coram viris, & fœminis ob lucrum obtinendum.

Sexta, est circa illegitimationem Iuliæ, siuè Iulij nati ex secreto adulterio iuxta matris testimonium.

§. I.

§. I.

*Referuntur desiderabilia circa patrimonium ordinandorum.*

3 Patrimonium taliter requiritur in volente ordinari titulo patrimonij, (quia caret beneficio, nec est Regularis, qui ordinetur titulo paupertatis, nam Paupertas, Beneficium, & Patrimonium sunt tres tituli, pro quorum
4 singulo potest Episcopus ordinare) vt illud debeat esse nō fictum, aliàs peccaret mortaliter sinè dubio, vt obseruat Diana 3. *part. resolut.* 184. *tractatus quarti*.

5 Si tamen quis sic decipiens Episcopum ordinetur titulo patrimonij, quod patrimonium est fictum, non ideò incurreret suspensionem, vndè si celebret non fiet irregularis, vt docet Toletus *lib.* 1. *cap.* 48. *num.* 5. Homobonus *de exam. Eccl. p.* 2. *tract.* 11. *cap.* 10. *quæst.* 22. Auila *de censuris, p.* 3. *disp.* 5. Coninchus *de sacrament. disp.* 16. *dub.* 5. *num.* 38. Henriquez *lib.* 13. *c.* 37. *num.* 2. *& in glossa, littera G.* Gonzalez *ad* 8. *regul. Cancell. gloss.* 5. §. 10. *num.* 25. Et hæc
6 opinio est probabilior opposita, quam tuentur Sanchez *de matrim. lib.* 6. *disput.* 32. *num.* 8. Nauar. della Cruz, Filliucius, & alij, quos pro se adducit Bonacina *de Sacrament. disput.* 8. *quæst. vnica, punct.* 5. *num.* 24. fundati in Tridentino, quod *sess.* 21. *cap.* 2. *de reform.* videtur innouare canones antiquos *cap. neminem, & cap. sanctorum* 70. *distinct.* in quibus stabilitur esse suspensum, qui sinè beneficio, & patrimonio ordinatur; & ordinari patri-
7 monio ficto, est esse sinè patrimonio. At dicendum est Tridentinum innouasse tantummodò pœnas in Ordinantem statutas in duobus canonibus, *Episcopus*, & *cùm secundum Apostolum*
8 , in quibus imponitur pœna ordinanti sinè beneficio, & patrimonio, vndè ordinatus viuere valeat, vt teneatur istum suis sumptibus alere, donec eum de beneficio prouideat.

9 Et quamuis Tridentinum *d. sess. & cap.* velit ordinandum habere patrimonium, quod ve-
10 rè ab ipso possideatur; tamen circa quantitatem ipsius, spectat ad prudentem virum iudicem illam declarare, quia determinatio eorum, quæ à iure indeterminatè statuuntur, prudenti viro, nempe iudici, relinquitur. *cap. de causis, de offic. delegat. & l.* 1. *ff. de iure delib.*

11 In materia autem patrimonij facienda est taxa iuxta qualitatem personæ ordinandæ, nam
12 quod sufficit ignobili, non sat erit nobili. Sed Flaminius *de resignat. benef. lib.* 5. *quæst.* 6. *num.* 155. Nauarr. *miscell.* 63. *num.* 3. Manuel *cap.* 15. *num.* 9. dicunt sufficere beneficium 50. scutorum, quia non requiritur ad decenter viuen-
13 dum tantùm. Tamen quòd taxa sit facienda iuxta qualitatem personæ, tenet glossa *cap. Episcopus, de præb. vers. necessaria.* & Imola
14 *cap. cùm secundum, de præb. num.* 7. In Episcopatibus autem, in quibus per Synodum ponitur taxatio, huic est stādum, quia sic Iudex iam determinationem fecit.

15 Si modicum deficeret ad honestam sustentationem, non esset curandum, quia sic fit de modico, *cap. de vera, de consecr. dist.* 2. *l. serò,*
16 *ff. de restitut. in integr.* Ex quibus sequitur dicendum esse oppositum, si defectus sit notabilis, vt esset quinque respectu vigintiquinque, iudicio Nauarri *in consil. de tempor. ordinat. cons.* 17.

17 Eò autem ipso quòd aliquid in patrimonium ordinati transeat, non tenetur soluere gabel-
18 lam, vt docent omnes, licèt non habeat priuilegia bonorum Ecclesiasticorum, nullus namquè datur textus id probans. Ità glossa *cap. tuis, de præb. fine.* & *ibi* Imola, & Panormitanus, & Felinus *cap. Ecclesia Sanctæ Mariæ, num.* 10. *de constit.* cum multis aliis contra Baldum *tit. de pace constantiæ, colum.* 5. & Decium *cap. Episcopus, de præb.*

19 Nec beneficium, vel patrimonium requiruntur ad ordines minores, quia ab istis receditur; benè verò ad ordines sacros, quia expresè de istis loquitur Tridentinum *sess.* 21. *cap.* 2. *de reform.*

20 Ideò Episcopus ordinem minorem conferens sinè patrimonio, aut beneficio, nec peccat, nec tenetur alere: ità expresè habetur in *cap. si Episcopus, de præb. in* 6. & sic vbique obseruari notat Nauarrus *lib.* 1. *consiliorum, tit.* 11. *de tempor. ordin. cons.* 14. & idem docent plures contra alios paucos oppositæ opinionis,
21 volentes Beneficium, & patrimonium requiri similiter ad ordines minores, quia canones loquuntur generaliter. Ità Panormitanus *cap.* 2. *de præb. num.* 2. Hugo *cap. neminem, dist.* 70. & *ibi* glossa *vers. neminem.*

22 Circa patrimonii renunciationem, tenendum est non valere, nisi ordinatus aliunde habeat ad viuendum. Ratio est, quia Tridentinum *loco citato*, decreuit cum verbis: *aliter nullatenus possit fieri*, & verbum *nullatenus* inducit actus nullitatem ipso iure, vt tradit Zenzelinus *Clement. vnica, de sequestrat.* glossa *authent. si qua mulier, Cod. ad senatusconsult. Vellejan.* Neuus *c. qua fronte, de appellat. num.* 32. glossa *in d. Clement. vnica, vers. nullatenus*, & *ibi*

*ibi* Imola *num.* 20. Felin. *cap. Rodulphus, de rescript. ante num.* 27. *vers. nullatenus*. Decius *cons.* 320. *num.* 21. cum alijs pluribus. Et confirmatur ex verbis *non possit fieri*, quæ faciunt
23 inualidationem actus: & Tridentini intentio fuit, ne ordinatus cogatur cum Ordinis dedecore mendicare; ergo si non habeat vndè viuat, erit inualida extinctio, aut renunciatio patrimonij.

24 Ex hac inualida renunciatione patrimonij, sequitur dicendum peccasse renunciantem, & esse puniendum à Prælato, quamuis non incurrat pœnas statutas contra eos, qui absquè patrimonio ordinantur, si talis renuncians suscipiat alium Ordinem. Sic Nauarrus *lib.* 10. *consiliorum, tit.* 11. *de tempor. ordin. cons.* 16. *num.* 14 *in edit. antiqua, in noua editione, cons.* 21. & Manuel 2. *tom. summ. cap.* 15, *num.* 2. & 5. Dixi *non incurrere pœnas statutas*, loquendo iuxta sententiam Bonacinæ adductam *num.* 6. huius Decisionis; sed nos tenemus *num.* 5. & 7. non fuisse à Tridentino innouatas illas pœnas, sed illam solùm, quòd Episcopus alat suis sumptibus ordinatum sinè patrimonio, & beneficio.

25 Si tamen Episcopus fuisset deceptus à dicente se habere beneficium, & patrimonium, & sic non esset in culpa, an adhuc teneretur alere, dicit Diana neminem citans, *forsan Episcopus illi necessaria denegare potest, cùm ipse in culpa non fuerit, sed deceptus ab ordinato*; ità ille *part.* 2. *tract.* 16. *resolut.* 5. *vers. non valet*. Sed ab-
26 solutè dico, quòd non teneretur. Ità Sanchez *part.* 2. *consiliorum. lib.* 7. *cap.* 1. *dub.* 75. *num.* 62. vbi quamuis dicat, quòd tunc solus decipiens incurreret pœnam suspensionis, nos tamen id negauimus supra *sub num.* 5. & 7. quia licèt extarent canones antiqui talem pœnam imponentes ordinatis sinè patrimonio, & beneficio, sublata tamen fuit dicta pœna per alios canones Alexandri Tertii, & Innocentii Tertii ante Concilium Tridentinum, quod nec talem pœnam innouauit, vt diximus *num.* 5. & 7. ità iterum dico, quòd Tridentinum innouauit pœnam contentam in duobus canonibus recétioribus, scilicet *in c. Episcopus*, qui est dicti Alexandri, & *in can. cùm secundùm Apostolum, de prabend.* qui est dicti Innocentii, per quos canones statutum est contra ordinatorem vt alat suis sumptibus ordinatum ab eo sinè patrimonio, & beneficio, donec de beneficio ei prouiderit, & hoc sic statuitur in pœnam.

27 Quòd si habens patrimonium ordinetur non facta de illo mentione, non tenebitur Episcopus illum alere, licèt patrimonium non sit titulus, nisi exprimatur; & ideò sinè Episcopi licentia poterit alienari. Ità Imola *cap. Episcopus, de prabend. num.* 5. & *cap. tuis, de prabend.*
28 *in* 6. *num.* 3. Et item in dubio non erit titulus ordinis patrimonium, nisi expresse dicatur, & assignetur. Sic Hostiensis, Imola, & Panormit. *eod. cap. tuis, num.* 3.

29 Nec Subdiaconatus susceptus cum patrimonio ficto, facit licitum ascendere, sed exigitur patrimonium verum, vt vult Tridentinum *d. sess.* 21. *cap.* 2. *de reformat.*

30 Quinimmò si danti patrimonium fiat secreta conditio, & antapocha illud restituendi statim susceptis ordinibus, non potest restitui, nisi habeatur beneficium, vel vndè viuere queat. Ità Sanchez *de matrimonio, lib.* 6. *disput.* 32. *num.* 7. ex aliquorum opinione, sed ipse docet contrarium *ibi num.* 8. quia tunc Episcopus non teneretur alere ordinatum cum patrimonio fictè recepto, supposito quòd Episcopus bona fide, & sinè culpa id fecerit. Sic Decius *cap. Episcopus, num.* 13. *de prabend.* & Nauarrus *lib.* 1. *consilior. tit.* 11. *de tempor. ordin. cons. consil. vltim. per totum, in* 2. *editione, in* 1. *consil.* 14. & 46. Et quando dicitur Episcopum tene-
31 ri alere ordinatum, cuius patrimonium casu perijt, intelligendum est de obligatione generali succurrendi pauperibus, non de obligatione orta ex ipsa ordinatione, idest virtute promotionis ad ordines, ità se explicat gloss. *cap. cùm secundum, verb. donec, de prab.*

32 Neque debita sunt soluenda cum patrimonio donato ante ordinationem, quia ante istam non potest peti, cùm sit donatum causa faciendi illam *per l.* 1. & 2. *Cod. de donat. qua sub modo fiunt*. Sed nec potest alienari post ordinationem, donec beneficium obtineatur, vel patrimonium sufficiens ad viuendum, & sic vult Tridentinum *d. sess.* 21. Nauar. *loc. cit. consil.* 13. *in* 1. *edit.* & 18. *in* 2. propterea si debita contracta, vel dos sorori promissa sint maiora valore patrimonij, non sunt de patrimonio soluenda in tali casu, sicque poterit promoueri habens tale patrimonium, non obstantibus debitis, & dotis promissione.

33 Si pater melioret filium, vt bona illa sint patrimonium, ad cuius titulum ordinetur, tenendum est talem donationem esse irreuocabilem post ordines susceptos. Ratio est, quia talis donatio est onerosa, scilicet ob matrimonium spirituale, & respicit tertiam personam, nempe Episcopum, qui ordinauit cum certitudine ta-
34 lis irreuocabilitatis, aliàs teneretur alere. Ità Gutierez *lib.* 2. *pract. quaest.* 65. *num.* 7. Caldas

*l. si*

*l. si curatorem*, *verb. legis*, *num.* 103. Mendez *l. cùm oportet*, *p.*4. *num.*165. & alii. Et d. Gutierez *loc. cit. num.* 10. cum Manuele 2. *tom. summa*, *cap.* 16. *num.* 4. docent patrimonium, ad cuius titulum quis fuit ordinatus non posse vendi sinè licentia Episcopi, donec habeantur aliunde alimenta, aut sufficiens beneficium, quia Tridentinum vetat alienationem, sub qua
35 comprehenditur etiam venditio. Excluso tamen Tridentino obligante, & stando in solo iure communi, potuisset fieri dicta venditio. Sic glossa *cap. tuis*, *de prabend.* & *ibi* Panorm. Imola, Felin. *cap. Eccles. Sancta Maria*, *de constit. num.* 10. & *ibi* Decius *num.* 18. Omnia prædicta de patrimonio ordinandorum summariè pro viribus adduxi, vt quæ de illo poterant desiderari exhiberem legenda in responsionem ad primam difficultatem propositam in præsenti casu. Et cùm nullibi in prædictis capitibus fiat mentio de subiecto capaci habendi patrimonium, sic examinatis iis, quæ ad patrimonii rationem spectant, transire debemus ad agendum de iis, ad quos patrimonium est dabile, & hoc præstabo respondendo statim ad secundam difficultatem ab initio casus excitatam.

## §. I.

*An Hermaphroditus, & fæmina saltem cum dispensatione sint capaces Ordinis.*

36 HErmaphroditus si est capax Ordinis, est quoquè capax patrimonij, nam hoc datur relatiuè ad Ordines suscipiendos. An autem hermaphroditus sit capax Ordinis deducendum est ab illius qualitatibus, quæ sunt in quadruplici differentia. Prima est, quando sexus virilis præualet, præeminet, & predominatur. Secunda est, quando sexus fæmineus superat virilem. Tertia est, quando æqualiter sexum
37 vtrumque gerit. Quarta est, quando dubium extat quinam sexus in hermaphrodito sit maior, & ad hoc dubium decidendum, debet quæri ab eo quid de se dicat, & dicto ipsius ex communi sententia standum erit, vel iudicio Medicorum, qui secundùm ea, quæ de se asseruerit, debebunt sententiam proferre. Nauar. *lib.* 1. *consilior. tit.* 14. *de ætate, & qualit. ordin. cons.* 8.
38 Quòd si res semper maneat sub dubio, nec appareat pro quo sexu sit dijudicandum, tunc reputabitur æqualiter vir, & fæmina, quia rationes pro vtroque sexu sunt æquales, dummodò omnia exactè examinata sint etiam cum genitalium inspectione nedum per Medicos, verùm & per matronas. Sic tradunt Albericus, Turrec. & alij, quos citat, & sequitur Sanchez. *de matrim. lib.* 7. *disput.* 106. *num.* 1. 2. & 9.
39 At quando sexus virilis præualet in hermaphrodito, dijudicabitur vir, sicuti iudicabitur
40 fæmina si sexus fæmineus prædominetur. Sic *l. quæritur*, 10. *ff. de statu hominum*. Quòd si neuter sexus præemineat, cùm nulla ratio plus faueat vni, quàm alteri sexui, dicetur æqualiter vir, & fæmina. Ita Sanchez *loc. cit.* cum communi omnibus nota, & probata sententia.
41 Explicatis diuersorum hermaphroditorum qualitatibus, dico hermaphroditum esse capacem Ordinis solùm quando sexus virilis in eo præualet. Ratio est, quia est verè vir. Sic D. Antoninus 3. *p. tit.* 28. *cap.* 6. §. 5. Ledesma 2. 4. *quæst.* 26. *art.* 2. Sotus 4. *dist.* 25 *quæst.* 1. *art.* 2. Angelus *ver. hermaphroditus*, *num.* 2. Tabiena *verbo eod. num.* 2. & item Armilla. Syluester *verbo Corpore vitiatus*, *quæst.* 9. Nauarrus *in*
42 *summ. cap.* 27. *num.* 203. Et hi omnes dum hoc affirmant de hermaphrodito potiùs viro, negant simul expressè illum esse Ordinis capacem si in eo fæminarum sexus præeminens sit, quia tunc reputatur fæmina sicuti est.
43 Et licèt daremus hermaphroditum quemcumque esse capacem Ordinis quantùm est ex ipsius natiuitate; tamen est semper incapax ratione irregularitatis, cùm ex Ecclesiæ instituto quilibet hermaphroditus sit Irregularis, quia est monstrum, *cap. illiteratos*, *distinct.* 36. & *cap. vltimo*, *distinct.* 39. & ita dicunt citati Syluest. Ang. Tabien. Armilla, Ledesma, &
44 Nauarrus *eodem num.* 203. Et Irregularitas impedit ordinum susceptionem, & susceptorum exercitium; vndè si quis Irregularis non se abstineat à suscepto, & suscipiendo Ordine, peccat mortaliter, vt iam dixi *Decisione* 68. *num* 38. Cùm ergo hermaphroditus in casu nostro esset Irregularis, ei licitum non fuit accedere ad Ordines suscipiendos, etiam si fuisset potiùs vir, quamuis de facto esset Ordinatus. Sed quia erat potiùs fæmina, ideò à fortiori accedere non debebat ad Ordinationem, quam licèt acceperit, inualida, & nulla fuit iuxta prædicta *num.* 41. & 42. sicque Iulia in casu nostro non fuit ordinata, nec caracterem Ordinis accepit.
45 Si in hermaphrodito sexus sit æqualis vel certè, vel sub dubio, adhuc est incapax Ordinis, & si ordinaretur, factum non teneret, quia cùm valdè dedeceat fæminā promoueri ad Ordinem, meritò credere debemus hoc Sacramentum fuisse à Christo institutum taliter, vt illius

illius sit incapax fæmina, quamuis sit æquuè vir; propterea cùm, vt diximus *num.* 40. in dubio quinam sexus præualeat, iudicetur æqualiter vir, & fæmina, ideò est incapax Ordinis tum quando sub dubio, tum quando certè est æqualiter vtriusque sexus. Videatur Henriquez *lib.* 14. *de irregularitate*, *cap.* 8. *num.* 6. & hæc incapacitas admittitur ab omnibus.

46 Posset quis contra obijcere, quòd vt notat D. Bonauentura 4. *dist.* 25. *quæst.* 1. *art.* 2. quidam dixerunt fæminam esse incapacem Ordinis ex solo præcepto, proinde si ordinetur, factum valebit, & hoc probatur ex eo quòd idem D. Bonauent. vocet solumodò opinionem sa-
47 niorem oppositam opinionem. Confirmatur, quia Paludanus 4. *dist.* 25. *quæst.* 3. *art.* 1. docet fæminam ex Papæ dispensatione fieri capacem primæ tonsuræ, nam non est sacramentum, sed sacramentale; ergo tenendo quòd vno excepto Sacerdotio cæteri Ordines non sint nisi sacramentalia, poterunt ex dispensatione Pon-
48 tificis conferri fæminis. Confirmatur, quia *cap. fin. dist.* 32. legimus fæminas apud Grecos fuisse presbyteras, sicuti & ex *cap. Diaconissam.* 27. *quæst.* 1. habemus prohiberi, ne ante annos quadraginta Diaconissa ordinetur: ergo non iure Diuino, sed humano fæmina est Ordinis incapax, vndè si ordinetur, ordinatio tenebit, stante prædictorum capitulorum veritate, quæ negari nisi temerè potest.

49 Non ergo nego id, quod ex dictis capitulis adducitur, si prout sunt intelligenda explicentur, nego tamen intentum in allato argumento, & confirmationibus, & affirmo fæminam esse omnino incapacem Ordinis ex iure Diuino, quapropter nullo modo, neque cum Papæ dispensatione potest ordinari. Probatur ex receptissima, & stabili Ecclesiæ Christi consuetudine, ex qua constat numquam fuisse ordinatam aliquam mulierem. Item, quia Christus in vltima cœna, vt patet ex Euang. Io: *vltimo cap.* Christus ordinauit, & dedit potestatem tantummodò viris, Deinde magnam de hoc facit certitudinem, quòd Doctorum caterua in Ecclesia Dei vnanimi opinione censeat exclusas fæminas ab Ordinis capacitate per Christi Domini Legislatoris Diuini interdictum, & inde superfluum duco prolixitate nunc vti, citans quinam Doctores id doceant, sed tantùm nomino Sotum 4. *dist.* 25. *quæst.* 1. *art.* 2. vt apud eum videantur de hac veritate rationes fortissi-
50 mæ. Ad id, quod adducitur de *Diaconissa*, dico tales fuisse tunc temporis appellatas sanctimoniales, quæ inter cæteras mulieres, per aliquam benedictionem destinabantur ad Cho-
51 rum pro lectione Euangeliorum, & homiliarum. Ad allata de Græcorum fæminis presbijteræ nominatæ *d. cap. fin.* respondeo eas fuisse matronas viduas seniores, quæ de rebus Ecclesiæ curam aliquam habebant, & sic habetur ex *eod. cap. finali*.

52 Prima tonsura vt, volebat Paludanus à contrarijs citatus, neque ex Papæ dispensatione est danda fæminæ, quamuis sit solùm sacramentale, quia est præambulum ad Ordines, vt benè dicit Sotus *loc. cit.* ergo à fortiori nec erit dandus Subdiaconatus, aut Diaconatus, nec minores ordines erunt conferendi fæminis, etiam dato, quòd essent sacramentalia, cùm sint præambula ad Sacerdotium viciniora, quàm sit prima tonsura.

53 Si à me petatur, an in Summo Pontifice Romano sit potestas ad dispensandum, vt fæmina ordinetur vsque ad Sacerdotium inclusiuè; puto quòd possem respondere affirmatiuè, nam quamuis sententia Abbatis, *cap. proposuit*, *nu.* 20. *de conces. præb.* Decij *cons.* 112. *num.* 3. *fin. volum.* 1. & *cap. quæ in Ecclesiarum*, *in noua editione*, *num.* 44. & 45. *de constit.* & Roias, *epitome successionum*, *cap.* 23. *num.* 71. dicentium Pontifici integrum esse, in omni iure Diuino dispensare, præter fidei articulos, sit sen-
54 tentia totaliter non admittenda, vtpote à veritate aliena; nihilominus potest Papa, non quidem in iure Diuino propriè dispensare, prout dispensatio est relaxatio iuris, sed authoritatiuè declarare id ius in tali euentu non obligare, & sic tenent quàm plurimi, inter quos D. Thomas *quodlibeto* (apud me) 4. *art.* 3. *in corpore*, & *ad* 1. Barbosa *rubrica*, *ff. soluto matrim.* 2. *p. num.* 104. Sijluester *verbo Papa*, *quæst.* 16. & 17. ergo non obstante iure Diuino, vetante fæminam ordinari, si detur euentus rationabilis, Papa poterit authoritatiuè declarare, quòd in tali euentu ius Diuinum non teneat, & sic ordo possit conferri fœminæ, est enim fœmina eiusdem speciei ac vir, quamuis illa diuersificetur à viro secundùm magis, & minùs quę non habent mutare speciem.

55 Item & per dispensationem veram videtur posse idem probari; nam Pontifex in iure naturali, & diuino potest aliquando dispensare, si non vniuersum illud ius, in quo dispensat, abroget, sed si solùm eius obligationem verè tollit per veram dispensationem in aliquo casu speciali, ex causa vrgenti; & ita posse fieri à Papa, fuse, & optimè probatur à Sanchez, *lib.* 8. *de Matrim. tomo* 3. *Disputat.* 6. *num.* 5.

ad

ad quem locum remitto lectorem, vt hic consulam breuitati: ergo si oriatur vrgens causa, licitum videbitur in speciali casu, modo dicto, fieri mulieris ordinationem. Quinam autem casus diceretur vrgens causa pro fœmina dispensatoriè ordinanda, tu cogita, ad eum enim mea idea non pertingit. Hoc benè scio, quòd in casu nostro Iulia non fuit validè ordinata, quæ quia erat hermaphroditus, videndum est an nubere potuerit, & sic transibo ad tertiam difficultatem expositam in casu huius nostræ decisionis.

### §. III.

*An Hermaphrodito sit capax Matrimonij.*

56 AD tertiam difficultatem, quæ passim obuia est in Authoribus, respondeo breuiter licitum esse hermaphrodito nubere, dummodo iuxta sexus præeminentiam contrahat Matrimonium. Hinc fit, vt quādo sexus fęmineus præstat, tenetur ducere virum, & non fœminam. Quando è contra præualet sexus virilis, tenetur nubere ducendo fœminam, si velit nubere. Quando neuter sexus prædominatur, vel quinam sexus prædominetur sub dubio est, nequè potest discerni, tunc liberum est hermaphrodito eligere sexum, quem maluerit, & iuxta factam electionem poterit nubere, nempe ducendo fœminam, si eligat se-
57 xum virilem, & è contrà. Illud tamen notandum est, quòd tenetur iurare se semper retenturum factam electionem sexus, itaut numquam opinionem mutabit, sed quoties fiet, quòd matrimonium contrahet, semper contrahet sub eo sexu, sub quo prima vice elegit
58 contrahere. Nec Parochus assistere debet talis hermaphroditi matrimonio, nisi coram iudice Ecclesiastico iuramentum dictum idem hermaphroditus fecerit. Hæc summatim dicta complectuntur substantiam eorum, quæ possunt inquiri circa Matrimonium hermaphroditi, & omnia docet Sanchez *de Matrim. to. 2.*
59 *lib. 7. qu.* 106. Illud autem est quoquè sciendum, quòd si factus Viduus hermaphroditus sexus æqualis, postea nubat contra factam sexus electionem, videlicet si prima vice voluit ducere virum, & secunda vice ducit fœminam, tale matrimonium est validum, quia non irritum à natura, nec irritatur per alterius
60 iuramentum. Parochus verò non debet assistere tali secundo Matrimonio, vtpote interdi-
61 cto. Ita Sanchez *loc. cit.* In Religione non potest admitti hermaphroditus; sed si de facto profiteatur iuxta sexus præeminentiam vel inter viros, vel inter fœminas, professio tenet, vt si sit vir, & fiat inter viros.

62 Nec obstat, quòd æqualiter vir, & fœmina nequeat contrahere matrimonia spiritualia Ordinis, & Professionis Religiosæ; ergo neque poterit carnaliter nubere. Respondetur enim dari valde diuersam disparitatem, quia dedecet veram fęminam simul verum virum ordinari; & periculum nimium esset si in Monasterio fęminarum verus vir profiteretur, sicut & si inter Religiosos vera fœmina posset admitti; at in matrimonio cessant hæc omnia. Nauarrus *lib. 1. consilior. tit.* 14. *de ætate, & qualit. ordin. cons.* 8. & latiùs Sanchez *lib.* 5. *summæ cap.* 4. *num* 41. ex quibus manifestè infertur validè, & licitè nuptias cum viro contraxisse hermaphroditum casus nostri, quia sexus præeminens in eo erat ille fœminarum.

### §. IV.

*An hermaphroditus possit dari in dotem, quòd ei fuit datum titulo patrimonij, vt ordinaretur.*

63 QVarta difficultas huiusce casus est, an datum patrimonium Iulio potuerit in dotem adhiberi si Iulium fœminam conuincatur esse Iulium ante reputatum virum. Et statim firmiter respondeo donationem illam patrimonij fuisse inualidam, & ideò debuisse à donatario restitui donatori, neque in dotem poterat adhiberi, nisi alia circumstantia concurrat, vt dicam infra *num.* 70.

Probatur, nam inter virum, & vxorem, quorum matrimonium est nullum, sed hoc nouit solummodò vnus ex illis, si iste ab alio, qui est in bona fide recipiat donum, seu legatum, quod est quæ iam donatio *l. legatum 2. ff. de legat.* 2. tenetur donatarius omnia restituere donanti, vel huius hæredibus. Ità Molina *tom.* 1. *de iust. tract.* 2. *disput.* 200. *fol.* 1225. legatum enim, & donum in tali casu ex errore procedunt, putabat namquè ipse donans dare vero coniungi, & nihil magis contrariatur consensui, quàm error *l. si quis per errorem, ff. de iurisdic. omn. iud.* sed etiam in casu nostro donum patrimonij processit ex manifesto errore, & recipiens sciebat qualis erat in semetipso; ergo donatio fuit inualida, ac per consequens erat
64 restituenda. Item probatur, quia quamuis recipiens patrimonium ignoraret suam incapacitatem

tatem ad ordines, & sic bona fide acciperet illud, tamen est semper subsistens error donantis, qui putabat dare capaci ordinis; ergo talis error reddidit inuoluntariam donationem factam, quæ propterea debebat restitui, sicuti coniux tenetur donum acceptum ab alio coniuge restituere, ratione nullitatis donationis, quamuis se veros coniuges crederent, cùm non essent, vt habetur significatum in *l. si ex voluntate 7. Cod. de donat. inter vir. & vxor.* & etiam ex ratione textus *l. cum his status, §. finali, vers. si quis sponsam, ff. de donat. inter vir. & vxor.* vbi dicitur non valere donationem factam sponsæ putatiuæ, sed reddire ad donantem, *quia non quasi ad extraneam, sed quasi ad vxorem fecit*, ex quibus infertur debere similiter redire ad donantem donatum patrimonium, quia non ad incapacem, & fœminam, sed viro capaci ordinis putabat dare, & dedit.

65 Probatur etiam, quia causa finalis, ob quam donans patrimonium dedit, erat Ordinum susceptio; at sic est quòd in casu nostro talis causa non subsistebat, & falsum erat posse talem finem consequi; ergo nec donatio ipsa fuit valida, nam causæ finalis falsitas annullat donationem *l. 2. §. finali, ff. de donat.* vbi per Bartolum *num. 1.* & alios scribentes: non ergo patrimonium potuit transferri ad rationem dotis, cùm esset restituendum.

66 Confirmatur iterum ratione erroris, cum quo patrimonium fuerat donatum, & error tollit consensum *l. nihil, ff. de regulis iuris.* inuoluntariè igitur erat datum, vnde nulla fuit donatio.

67 Probatur adhuc, nam ideò arrhæ, quæ à sponso dantur sponsæ in virginitatis præmium non sunt restituendæ si virginitas non habeatur, quia non sunt præmium solius virginitatis, sed sunt etiam propriæ donatio in præmium dotis, arrhæ enim sunt donatio propter nuptias, & sic possunt dari ob nobilitatem, & ob alias causas, quæ omnes causæ si deficerent, arrhæ, siuè dona deberent restitui, non verò si solùm
68 vna causa cesset, quia vt cessante causa cesset effectus, oportet omnes causas cessare, vt optimè dicit Bartolus *l. 2. §. finali, in fine, ff. de donat.* Tiraquellus *tract. cessante causa, tota limitatione 16.* cùm ergo in nostro casu cesset tota causa donationis patrimonij, vt clarè constat, cessabit ipsa donatio, & propterea erat resti-
69 tuendum. Tandem suadetur eadem veritas per ea, quæ tradit Vega *lib. 1. summæ, casu 387.* Ludouic. Lopez *1. part. instructorij, cap. 76. §. præterea consequenter.* Corduba *summ. quæst,* 135. & alij, nempe si viduus constituat dotem fœminæ, quam ducit, credens eam virginem, aliter nullatenus constituturus, dicta fœmina si virgo non sit, tenetur dotem restituere: ergo & tenetur restituere patrimonium ille, qui illud acceperat vt vir capax ordinis, sicuti ille, qui patrimonium constituit, credebat tali viro capaci constituere, aliter numquam constituisset pro fœmina ordinis incapaci; & sic si dans dat viro vt ordinetur, non valet donatio, sed viget restitutionis obligatio in recipiente, qui non est qualis à dante credebatur. Iniustè igitur patrimonium restituendum à Iulia fuit adhibitum in dotem dum nupsit, nisi aliunde ex alio capite, eo vti potuit, ac illud sibi applicare, vel retinere, seu nisi ab aliquo fuerit ei legitimè illud concessum, vt si hæres D. Erasmi, à quo patrimonium fuerat datum, illud cesserit, vel donauerit prædictæ Iuliæ. Sed quia Iulia in omnibus fuit gubernata à prudenti Confessario matris suæ, qui Confessarius sciebat omnia, & nihilominus eodem patrimonio vsus est pro dote, ideò id licitè potuisse fieri credo, nec de tanto Confessario ignorantiam præsumo, cùm in tot alijs sapienter se gesserit.

70 Qualiter autem id fieri potuerit, puto dictum Confessarium considerasse, quòd Dominus Erasmus nullum instituerit hæredem nisi animam suam, & pauperes, sicque in tot sacrificia, & eleemosynas mandauit insumi quidquid habeat, & ità fieri se velle per legitimum testamentum expressit, & duobus exequutoribus testamentarijs imposuit. Cùm ergo inter pauperes esset & ipsa Iulia, nec Dominus viueret cui restitutio fuisset facienda, quinimmò implicitè idem Dominus inter hæredes suos constituerat hæredem eamdem Iuliam pauperem, ideò patrimonij quantitatem fecit fortasse ille Confessarius retineri in eleemosynam dotalem ab ipsa Iulia, & ità iure optimo po-
71 tuisse fieri probatur: nam obnoxia restitutioni sunt danda in pias causas, si Domino nequeant dari, vt docent communiter Doctores: ergo cùm in casu nostro non detur Dominus, quia est mortuus, nec detur hæres temporalis, rectè facta fuit restitutio in pauperem Iuliam. Item quia si ideò est dandum in opus pium, aut pauperibus, quod est restituendum, & Dominus non habetur, quia sic restituitur saltem animæ eiusdem Domini, cui meliori modo non potest restitui; sequitur à fortiori, benè restitui Domino defuncto per erogationem in eleemosynam pauperibus, si hos defunctus expressè nomi-

nominauit hæredes. Et hoc est taliter verum, vt ille, qui tenetur restituere, possit sibi retinere per applicationem à semetipso factam titulo eleemosynæ, si verè sit pauper. Id suadetur à pari de exequutore testamentario, qui bona testatoris distribuere debet in pauperes, si enim etiam ipse est pauper poterit de illis sibi in eleemosynam applicare, dummodò eius paupertas post factum testamentum superuenerit; vel tempore testamenti ignota fuerit testatori, licèt de facto talis paupertas tunc adesset. Ratio est, quia si testator sciens sui exequutoris paupertatem, illum non nominauit, signum est voluisse vt solùm alijs pauperibus bona sua daret; nisi constaret testatorem ideò non nominasse exequutorem ipsum, ne ruborem de illius paupertate illi inferret. Videantur Menoch. *de præsumpt. lib. 4. præsumpt. 125. num. 18. & 19.* Sanch. *in decalog. lib. 6. cap. 11. num. 54. & seq.*

72 Nec opus fuit restituere exequutoribus testamentariis, vel saltem ab eis petere, vt pauperi Iuliæ applicarent restituenda, quia cùm à restitutione excuset notabile periculum famæ, sic nec tenebatur Iulia restituere mediantibus exequutoribus testamentariis, periclitabatur enim se infamare notabiliter, si omnia debuisset aperire, & notificare: Videatur Bonacina *de rest. q. vltim. p. 1.* Et multò magis ob tale periculum excusatur Iulia, quia iuxta mentem Domini fuit illa quantitas data in eleemosynam, licèt deficiatur in modo accidentali, scilicet quia non fuit ab exequutoribus erogata, ad quem modum testator non habuit respectum, sed ad salutem animæ suæ procurandam mediantibus eleemosynis; vndè à pari est dicendum, ac si testator reliquisset annuum censum singulis annis distribuendum
73 pauperibus, & illum solueret totum primo anno ipse testamentarius, optimè faceret cum hac temporis præuentione, quia nemini facit iniuriam, & testator respectum habuerat ad suæ animæ salutem, sicut docent Decius *l. cum tempus, ff. de regul. iuris.* Anchar. *cons. 202.* Couarruuias *cap. tua, de testam. num. 5.* Panormit. *cons. 11.* & alii: cùm igitur in casu nostro sinè alicuius iniuria fuerint bona testatoris data in eleemosynam pro ipsius anima vt ipse testator voluit, remanet decisum, quòd licitè patrimonium aliàs restituendum fuit applicatum pro dote pauperis; & idem est de damnis restituendis ab ipsa Iulia, si quæ Domino patrimonii euenissent, vel si in aliquo facta fuisset ditior, omnia enim in eleemosynam poterant retineri, siuè bona, siuè mala fide rem alienam
74 retinuerit. Pro statu postea superuentæ paupertatis ex dilapidatione dotis facta per maritum, cùm sic impotens sit ad restituendum si restituere teneretur, libera est à tali obligatione, quia à restitutione deobligat impotentia. Ità omnes Doctores. Verùm an suæ paupertati fuerit licitum prouidere cum denudatione sexus monstruosi, mox dico.

## §. V.

### *An aspectus genitalium Hermaphroditi sit licitus tum actiuè, tum passiuè ob lucrum.*

75 QVinta difficultas examinanda, cùm in curiositate inspicientium genitalia hermaphroditi fundetur, & ipse hermaphroditus solùm intenderet lucrum sibi necessarium pro victu, videtur in isto nullum dari peccatum, & in illis ad maximum fuisse culpam venialem, ad quam culpam quamuis cooperaretur ipse permittens inspici, ab ea tamen videtur immunis ratione necessitatis, quæ à veniali excusat, sicuti si Sacerdos non habens ad viuendum hodie nisi celebret, & crux non detur, sinè qua celebrare est veniale, veniale non erit pro tali celebrante sinè cruce, ratione necessitatis, & sic edoctus fui Romæ oretenus à P. F. Gabriele à S. Vincentio controuersiarum lectore meo, qui impressorum voluminum aceruo, meam, & suam illustriorem reddidit Religionem.

76 Vlteriùs videtur fuisse licitum hermaphrodito se exhibere inspiciendum in pudendis, quia monstruosa inspiciuntur ab omnibus, & qui monstrum habet vtitur eo ad lucrum captandū circumeundo per Ciuitates, nec damnantur de peccato aliquo tum quærens inspectores, tum isti.

77 Item, quia aspectus est quid indifferens, vndè non erit malus, nisi ex malo fine; at in casu nostro non adest finis malus, sicuti adesset si vir aspiceret curiosè pudenda fœminæ, & è contra.

78 Item, quia vbi est necessitas tangendi, & videndi pudenda sexus oppositi, potest tangi, & inspici, vt faciunt Medici, & omnes Doctores fatentur non esse in hoc peccatum neque in agente, neque in patiente, cùm tactus, & aspectus ex se indifferentes, hìc, & nunc ad bonum finem applicentur: sed etiam in casu nostro adest necessitas in hermaphrodito, ad cuius necessitatem, scilicet vt lucretur victum, non potest prouidere nisi per alios, qui ei succurrant

ipsum

ipsum inspiciendo in genitalibus monstruosis: ergo si inspicietur, erit applicatus ad bonum
79 finem aspectus indifferens. Item, quia licèt ex curiositate non liceat sinè graui culpa aspicere personam diuersi sexus, in casu nostro hoc non currit, quia inspicitur monstrum. Item deni-
80 que, quia vbi cessat periculum & peccandi, & commotionis in se ipso, non est saltem lethalis culpa inspicere personam alterius sexus nudam, vt esset si videtur infans, vel si aspiciens esset senex, vel frigidissimæ complexionis, vt tradit Sanchez *de matrimon. lib. 9. disput. 46. num. 24.* sed in inspectione hermaphroditi cum insolito curiositatis motiuo cessat periculum: ergo & peccatum.

81 Nihilominus dico non posse vllo modo concedi licitum esse aut pati, aut facere talem aspectum partium constituentium rationem hermaphroditi. Ratio est, quia huiusmodi aspectus est valdè turpis, grauiterque aduersatur honestati naturali, & ideò cum magna cautela in secretis cubiculis fit, & patitur: ergo etiamsi fiat sinè libidine, sed ex sola indiscreta curiositate, erit semper lethalis, quia & ob hanc rationem est mortalis culpa aspectus valdè turpis personæ alterius sexus. Ità Sanchez *loco citato, num.* 23.

82 Secundò probatur nam hermaphroditus inspectus in secretioribus partibus, aut est potiùs fœmina, aut est potiùs vir, aut est vtrumque, & propterea si inspiciatur à fœmina, hæc simul inspicit virum in pudendis, si sexus virilis præemineat, seu si æqualiter possideatur; sed est mortale secundùm omnes, quòd fœmina videat studiosa curiositate pudenda viri; ergo sic grauiter peccatur; si verò hermaphroditus sit potiùs fœmina, & à fœmina inspiciatur, quamuis ex hoc capite non sit peccatum lethale, quòd
83 personæ eiusdem sexus se nudas inspiciant, cùm inter eas non sit tanta inhonestas, nec tam graue periculum, vt tenet Nauarrus *in summa, cap. 3. num. 27.* & Corduba *summa, quæst. 4. corollar. 7.* tamen quia simul habet virilia, licèt cum imperfectione, ideò fœmina inspiciens talem hermaphroditum potiùs fœminam, pecabit lethaliter ex inspectione inhonesta viri imperfecti. Idem sequitur dicendum, quando vir inspicit hermaphroditum potiùs virum, aut æqualis sexus, quia semper verificatur aspectum fieri in verendis personæ simul vtriusque, & diuersi sexus, licèt vnus sit imperfectus.

84 Confirmo hoc, nam si daretur vera fœmina, sed cum aliquo defectu in fœmineis, certè non liceret viro eam inspicere ob curiositatem; sed idem est etiam dum vir vult videre, aut videt curiosè hermaphroditum potiùs virum, sed simul fœminam cum defectu in fœmineis; & idem dic è contrario de fœmina inspiciente aliam fœminam veram, sed simul virum cum defectu in virilibus: ergo sinè graui culpa nequit fieri, aut pati huiusmodi aspectus.

85 Idem suadetur cum responsionibus ad argumenta in contrarium, & sic ad allatum *num.* 75. dico quòd quamuis necessitas excuset à veniali, id non currit in facto præsenti, nam curiosa inspectio verendorum perfectorum, vel imperfectorum alterius sexus non est peccatum veniale, sed mortale, vt supra probaui. Deindè dico, & do quòd talis aspectus sit curiositas venialis, sed nego necessitatem suppositam, nam necessitas vera est illa, cui aliter non potest succurri, nisi fiat hoc, quòd non est peccatum neque veniale ex natura sua, sed solùm ex præcepto, vt est celebrare sinè cruce; cùm ergo in casu nostro necessitas hermaphroditi non sit eum obligans ad denudationem sexuum coram alijs propter horum curiositatem, quæ ex sua natura est ad minùs venialis, & ex circumstantijs fit mortalis; ergo illicitè permisit se
86 inspici; id tamen licitè permisisset, si ex necessitate, qualis esset ob aliquem morbum curandum, vocaret Medicum, qui non ex curiositate, sed ad medicinam admitteretur etiam in pudendis tangendis, & positiuè inspiciendis, in quo nullum est peccatum iuxta communem Doctorum opinionem, inter quos Nauarra
87 *cap. sicui, de pænit. distinct. 1. num. 12. & 13.* P. Emanuel Sà *summa, verbo Infirmus*, & Lessius *de iust. lib. 4. cap. 3. num. 60.* dicunt licere quidem admitti à fœmina chirurgum ad curandum eius morbum in verendis, non tamen ad id teneri, quia pudicitia est tantum bonum, vt possit vitæ præferri.

88 Ad adducta *num.* 76. respondeo esse licitum habentibus monstrum vti eo ad lucra capienda per plateas Ciuitatum, quia supponitur nihil inhonestum exhibere, sicuti esset si infantulum hermaphroditum circumferrent, non verò si adultum, vt dictum est ab ipsis arguentibus in contrarium *num.* 80.

Ad *num.* 77. dico exclusionem mali finis, non sufficere, dum id quod fit est periculosum, & malum.

Ad *num.* 78. do eamdem responsionem suprapositam *sub num.* 85. 86. & 87.

Ad *num.* 79. respondeo illud monstrum esse semper personam diuersi sexus, siuè illud inspiciat vir, siuè fœmina, vt explicaui *nu.* 82. & 83.

Ad

Ad *num.* 80. admitto quòd si persona inspecta, aut inspiciens sit talis, qualis ibi supponitur, nempe infans, vel senex, aut frigidissimæ complexionis, non erit grauis culpa; at non admitto pro alijs tum ob aspectus inhonestatem; tum ob periculum, quod falsò creditur non adesse dum hermaphroditus inhonestè inspicitur.

89 Notandum est, quòd lucrum reportatum ab hermaphrodito ex illicita concessione sui corporis curiosum oculis, potest licitè retineri, nec est restituendum, siuè ex pacto, siuè ex liberali donatione sit datum, dummodò fraus non intercesserit, & in hoc currit paritas cum meretricibus iuxta dicta à nobis *Decisione* 72. *numero vltimo*. Puto tamen diuersificari à meretricibus, quòd istis datur ordinarium præmium, quod quia non extat pro hermaphrodito, aut pro alia persona, quæ velit inhonestè inspici ab aliquo, poterit exigi, & in pactum adduci quantùm placuerit, & illud poterit retineri, quia volente, & consentiente ipso dante, non fit ei iniuria, si aliud non obstet, sicut non obstat in præsenti facto.

§. VI.

*An illegitimi, & hermaphroditi sint irregulares.*

90 AD sextam, & vltimam difficultatem dico, quòd si Iulia casus nostri fuisset verè Iulius, erat irregularis, vtpote natus ex adulterio, nam omnes nati extra matrimonium sunt irregulares, & incapaces Ordinum, & beneficiorum iure Canonico *cap. cùm in cunctis, &c. innotuit. de elect. & cap.* 1. *& cap. fin. de fil. presbyt.* & sic illicitè sinè dispensatione accessit ad ordines suscipiendos. Sed quia in facti veritate erat hermaphroditus, etiam ex hoc capite erat irregularis, vt dixi *num.* 43. Quia similiter erat sexus potiùs fœminei, quàm virilis, ideò erat incapax Ordinis iure Diuino, vtpote fœmina, sicuti fusè probatum est supra, quapropter Ordines suscepti ab ea non tenent. Hinc licitum, & validum fuit suum matrimonium, nam nec sexus, nec ordo, & multò minùs illegitimitas, nec aliud impedimentum obstitere.

91 An autem teneatur illegitimum se credere, quamuis id à matre affirmetur, iam dixi non teneri, nisi matri addatur testimonium patris, quamuis mater id asserat in mortis articulo, in quo solummodò veritatem credi potest quòd dicat: vide nostram Decisionem 40. *num.* 48. vbi cum Suarez, Filliucio, Reginaldo, Bonacina, & alijs id dixi esse verum, etiamsi mater cum iuramento protestaretur de filij illegitimitate. Quid tandem dicendum sit de habente filium natum ex adulterio, latè descripsi cum integra Decisione, quæ est 41.

---

# DECISIO LXXV.

*An vxor Petri priùs concubina Caroli curatoris sui, quæ ex ab eo administrata dote, & ex adulterijs lucra fecit, teneatur medietatem dare marito, si cum eo ad medietatem contraxit.*

## Casus, seu Historia LXXV.

SVMMARIVM.

1 *Casus proponitur.*
2 *vsque ad* 7 *De numero, & obligatione Curatoris, & Tutoris.*
8. 9. 10 *Copulæ cum Virgine consentiente, etiam sub cura alterius, quam malitiam habeat.*
11. 12 *An liceat reuelare crimen proximi vni, vel alteri.*
13 *vsque ad* 19 *De matrimonio ad medietatem & per dotem, & per arrhas.*
20 *Contractus dubius, iudicatur more loci.*
21 *Idem actus potest esse duplex contractus.*
22. 23 *Quid sit Societas.*
24 *vsque ad* 37 *Varia de dote.*
38. 39. 40 *In quibus communicent vir, & vxor.*
41. 42. 43 *Agitur de fructu industriæ.*
44. 45 *De qua culpa teneatur Socius.*
46 *Vxor an possit vti compensatione.*
47 *Damna ex ludo an sint communia inter virum, & vxorem.*
48 *vsque ad* 55 *Varia de adulterio mariti, vel vxoris quoad lucrum.*
56. 57. 58 *Copula vxoris cum alio ex mariti consensu, an sit adulterium.*

1 CLaudius, & Paula Coniuges, & Eleonora eorum filia Viennenses, Neapolim perrexerant, vbi Patre, & Matre defunctis, cuiusdam Proceris curæ remãsit filia annorũ decem & septem ætatis, cui & copiosam facultatem parentes ipsius nobilitate insignes legauerant. Pio curatoris officio iniqua superuenit libido, quæ adeò Procerem curatorem dementauit, vt Eleonoram Virginem, nedum stupratam faceret, sed & concubinam suam retineret. Ad annos duos iniquitas ista vixit, quando à quo-

dam nobili Segobiensi curiæ Proregis, petita in sponsam fuit Eleonora. Eiusdem Neapolitanorum Proregis accessit authoritas, quæ Procerem adolescentulæ Curatorem, eam in Matrimonio collocare coegit. Nouerat Sponsus malam sponsæ qualitatem, at non ideò huiusmodi Venerem sibi copulare recusauit. Sciebat similiter idem Sponsus quantis donis à prædicto Procere fuerat remunerata Venus sua, propterea attendens quàm locupletem ducebat sponsam, huic pretiosas obtulit arrhas, formamque eorum matrimonio præscribentes, se ad medietatem bonorum contrahere in carta Notarij obligauerunt. Hanc obligationem dum actu Notarius scribebat, accessit Sponsus ad aurem Sponsæ, dicens: Nunc mihi bonum erit quòd tu non solùm vni Proceri, imò multis sis in Venerem, vt dona inde prouenientia tibi, mihi proficiant ad medietatem. Igitur celebrato Matrimonio isto, Sponsus detegitur commessationibus, & impudicitijs deditus, in quas insumebat facultates, ideò per Iudicem dos traditur administranda Sponsæ. Hæc plus æquuo familiæ vtilitati incumbens, reuersa est ad vomitum, & per adulteria cumulabat lucrum. Item cum annuo fructu dotis, qui ducentum scuta numquam excesserat, ipsa quasdam merces emebat, easque alio trasnportare faciebat, vbi cariores habebãtur, sicque viginti supra ducentum scuta per plures annos reportabat, at istum excessum lucri, vnà cum obtentis diuitijs adulterando, continuè reponebat, vndè paucos post annos considerabile peculium secretum adunauerat.

Quæritur quid circa præfatam historiam in vtroquè foro iudicandum sit.

## §. I.

*Agitur de Curatore peccante cum minore.*

2 SVppono non opus esse immorari in examine Curationis susceptæ ab illo Procere, siue fuerit Curator testamentarius, siuè legitimus, siuè datiuus, nempe siuè sit institutus talis per testamentum Patris, siuè per iudicem, siuè per legem, sicuti in nostra decisione 65. *nu.* 21. diximus esse in triplici differentia Tutores, cùm idem sit de Curatoribus, ambo enim tutelam gerunt, & de culpa tenentur tum la-
3 ta, tum leui, sicut determinat *lex Cæsarea Cod. arbitrium tutelæ, lege 7. Quidquid tutoris*, & tradunt ibi Glossa, & Doctores communiter, qui addunt à fortiori teneri de culpa Theologica; etenim in casu nostro bona pupilli fuerunt potiùs aucta à Curatore, dum multa donauit de proprijs eidem personæ curatæ, quia Curatori loco Veneris inseruiuit, dummodò propria pupilli benè administrauerit.

4 Et certum est Curatorem teneri ad fidelem administrationem bonorum pupilli, & per consequens teneri de culpa, datur enim primariò pro rebus curandis personæ puberis, quæ annum 25. non excedat; vel amenti, aut prodigo nescientibus res suas curare, vel simili personæ præficitur Curator *Instit. de Curat. § in principio*. Et quamuis Curator de secundariò detur personæ, in quo à Tutore diuersificatur, quia hic de primariò datur personæ; nihilominus vterque tenetur sic personam curare, vt eius instructionem, bonosque mores non negligat, qua in re dari potest tanta negligentia, vt culpa sit mortalis, iuxta Nauarrum 6 *cap. 25. nu. 67*. Et instructio, quam Curator, & Tutor tenentur procurare, debet esse iuxta personæ qualitatem, vt patet per *l. cum plures, §. tutor, ff. de administ. tutor.* & per alias leges. Quòd autem iuxta dicta diuersificentur Tutor, & Curator, vide Syluestrum, *verbo Tutor in principio*. Hinc à Procere Curatore Eleonoræ in nostro facto, fuit grauis culpa contracta propter deprauationem morum, ad quam traxit personam pupilli, cuius bonæ educationi ex officio erat præfectus; & sic non solum tenetur 7 in Sacramentali Confessione exprimere stuprum, & alias fornicationes, vel adulteria si vxorem habebat, sed etiam debet explicare ea omnia commisisse cum persona consignata illius tutelæ, cuius personæ Curatoris gerebat 8 officium. Dixi Procerem teneri exprimere stuprum, quia in primo congressu cum Eleonora, hanc suppono fuisse Virginem, & ob congressum cum Virgine, siue consentiat, siuè non, est explicãda Virginitatis circũstantia, iuxta opinionem Fagundez, *de prac. Eccl. tract. 2. lib. 4. c. 3. n. 1.* & *16.* Bonac. *de Matrim. quæst. 4. punct. 17. num. 2.* Filliuci. *tom. 2. tract. 30. c. 3. num. 66.* & *72.* Azorius *p. 3. lib. 3. cap. 11. qu. 4.* & *5.* quia Virginitatis circumstantia mutat speciem, & constituit peccatum stupri; vel saltem est circumstantia aggrauans secundùm aliquos, si sit virgo sub custodia parentum, & 9 tutorum, vt est in casu nostræ Eleonoræ, eiusque Curatoris, ita D. Thomas 2. 2. *quæst. 64. art. 6.* Graffius *p. 1. lib. 2. cap. 79. num. 1.* Tabiena *ver. Stuprum, nu. 1.* Armilla *eodem verbo nu. 1.* & *verbo luxuriosus, nu. 4.* Syluester *verbo luxuria qu. 1.* & Angelus, *verb. Stuprum, in principio*,

*cipio*, cum alijs. Probabilius tamen censeo,
10 non esse peccatum stupri, neque circumstantiam in Confessione necessariò aperiendam, si Virginitas habebatur à fœmina, siuè sit, siuè non sit sub cura parentum, & tutorum, si spontè consentiat, sed erit simplex fornicatio, nisi ex parte viri alia concurrat circumstantia, vt si esset Religiosus, vel coniugatus, vel cum voto. Hanc sententiam tenent plerique inter quos Coninchus *de Sacram. disput. 7. dub. 4. nu. 19.* Lessius *de iust. lib. 2. cap. 10. dub. 6. n. 5.* Sanchez *de Matrim. lib. 7. disput. 4. num 5.* Megala *in ip. lib. 5. c. 11. nu. 10. opin. 4.* Nauarra *de restit. lib. 2. cap. 3. num. 419.* & alij. Igitur in nostro facto ex adductis opinionibus possunt intelligere Eleonora, & Curator quale fuerit eorum peccatum. Notetur quòd quamuis dixerim non releuare, si virgo erit sub Tutore, hoc non currit in præsenti, quia peccatum fuit cum gerente tutelam Curationis, & sic Curator debet in Confessione id exprimere iuxta prædicta *nu. 5. 6. & 7.* & similiter Eleonora tenetur explicare peccata sua fuisse facta cum Curatore, quia ipsa cooperata est ad graue peccatum alterius, & quidem non solum in luxuriosis, sed & in trasgressionibus grauibus sui officij, vt per se patet. Nec
11 refert, quòd complex in Confessione manifestetur, si v. g. pupillus fateatur suam cooperationem ad peccatum Curatoris, nam si adest copia Confessarij, qui Curatorem non cognoscat, esset talis Confessarius adeundus, quòd si non fiat, non ideò peccaretur saltem mortaliter, quia reuelare peccatum alterius vni, aut duobus verè taciturnis, non est mortale, quia videtur esse leue detrimentum in fama, & Confessarius certum est, quod tacebit. Sic Caietanus, *2. 2. qu. 63. art. 2. dub. 1.* Reginaldus *to. 2. lib 2. 24. cap. 4. nu. 75.* Petr. à Nauarra *lib. 2. cap. 4. nu. 335.* & alij, contra Azorium *tom. 3. lib. 5. cap. 9. quæst. 2.* Sayrum *clau. reg. lib. 11. cap. 6. num. 12.* vbi alios pro
12 se citat. Item puto non esse peccatum, si de necessitate sit complex reuelandus Confessario, quia supposita tali necessitate, & nihilominus quis voluit peccare, supponitur cedere iuri suo ille complex necessariò detegendus, nam sciebat quòd alter, cum quo peccabat, voluisset confiteri. Et hæc quoad peccata inter Curatorem, & pupillam Eleonoram, prout in casu fuit propositum, sufficiant.

## §. II.

### *Quot modis Matrimonium contrahatur.*

13 QVantùm ad Matrimonium inter Eleonoram, & Segobiensem nomine Didacum, est aduertendum posse dupliciter Matrimonium contrahi, & hoc maximè inter Lusitanos, vbi dictus Didacus nobilem quamdam duxerat, nulla facta specificatione in carta tabellionis, quando fecit sponsalia, sed eò ipso, quòd nihil exprimitur, totum intelligitur factum ad medietatem in illis regionibus Lusitaniæ, & sic decernit pro vtroque foro *l. Lusitana, in 4. Ord. tit. 7. ad initium* & in nouis, *lib. 4. tit. 46. ad initium*, qui modus Matrimonij esto non sit communis inter nobiles, tamen voluit iterum hoc modo nubere Didacus, & non secundo modo nubendi, scilicet non ad medietatem bonorum, sed data dote ab vxore, restituenda tamen à marito, soluto Matrimonio; & liberali promissione datis arrhis à viro vxori in remunerationem, & contemplatione dotis, siuè ante, siuè post factum Matri-
14 monium, quod statim consumatum, sponsa habet ius, vt promissæ à sponso arrhæ soluantur cum dote, soluto matrimonio, vel eidem sponsæ, vel ipsius hæredibus, esto ipsa moriatur an-
15 te maritum. Extat & alia arrharum species, & est pignus, quod inter sponsos interuenit, vt matrimonium compleatur; de quibus agit Co-
16 uaruuias *2. p. Epit. c. 3. §. 7. nu. 6.* Et insuper datur sponsalitia largitas, quæ distinguitur à dicto pignore, quia hoc datur dum fiunt sponsalia; at sponsalitia largitas datur sponsæ à sponso, vel è contra, post ipsam desponsationem per respectum futuri matrimonij, qui respectus est specificandus, aliter stabitur veritati, an sit pura donatio, vel vera sponsalitia largi-
17 tas pro foro conscientiæ, sed pro foro fori præsumitur sponsalitia largitas per *l. Cum veterum, Cod. de donat. ante nupt.* sicut tradunt Glossa, Bartolus, Baldus, & alij super *d. l.*

18 Quamuis præfatus Didacus ad medietatem intenderet nubere, de facto tamen nupsit vtroque modo nempè accepta dote, & datis arrhis; deinde ad medietatem, per istum contractum sic: Titulo dotis dabat Didaco quatuor millia scutorum Eleonora, quæ octo millia alia taliter portabat in domo mariti, vt secundùm dimidiam partem essent propria vtriusque. Didacus verò intuitu, & in remunerationem dotis dabat ducentum duplas; pro pignore, vt matrimonium compleretur, dabat

centũ alias duplas; dotẽ assicurabat super duas possessiones A.& B. & super omnia sua bona, vt iuris est; deinde post desponsationem, per respectum ad futurum matrimonium dabat Eleonoræ possessionem C. & hoc modo fuit iuxta intentionem, & volitionem Didaci,& Eleonoræ factum, & consumatum matrimonium quod vt apparet ex cartis Notarij potest dici ad medietatem, & simul cum dote, & arrhis
19 iuxta supradictas arrharum species. Sed an tale matrimoniũ fuerit vitiatum, tenendum est quòd non, nam substantialia pro matrimoniali contractu, fuerunt omninò salua, & integra in casu nostro, vt de se constat; ergo fuit contractus hinc inde obligatorius, eò quòd solus error ipsius substantiæ tollat consensum absolutè, sinè quo nulla contrahitur obligatio inter homines ex *l. 1. §. 1. ff. de pact.*

20 Item probatur, quia si quæ adesset dubitatio validitatis dicti matrimonij, esset propter modum; ad medietatem namque non est mos vt fiat in aliquibus regionibus, vndè cùm contractus coniugalis sit contractus naturalis, ciuilis, debet fieri iuxta morem cæterorum incolarum, & hoc fortasse non est obseruatum in casu nostro. At hæc dubitatio non officit, cùm in dicto matrimonio sit quoque additus modus contrahendi per dotem; ergo optimè subsistit. Et id maximè, quia reliqui contractus censẽtur fieri more regionis, in qua celebrantur, si de illis oritur dubitatio, nisi aliud exprimatur *l. quod si nolit, §. quia assidua ff. de ædilitio edicto*, cum Bartolo, *l. nemo est ff. de duobus reis*, Panormitanus, *cap. cum M. Ferrariensis, de constitutionibus*, & alij communiter; Ergo multò magis in casu nostro censendus est factus contractus coniugalis Didaci, & Eleonoræ iuxta morem loci, cùm contineat omnia ab alijs incolis solita fieri, scilicet per dationem dotis,& receptionem arrharum.

21 Nec contractum inficit id, quod nec eius essentialia lædit, nec est contra legem; at in casu nostro illa ratio medietatis adiecta, non est contra legem, quia nulla datur id prohibens, quamuis detur lex, vt dos detur in matrimonijs; vnde quia dos est data, nec per rationem medietatis dos cessat, seu non destruitur contractus per dotem ex modo superaddito seruandi medietatem, iuxta prædicta in cartis Notarij: ergo contractus iste non fuit vitiatus, neque enim implicat, vt in eodem actu contrahendi duæ, aut plures inducantur obligationes diuersorum titulorum contractuum, absquè eò quòd vna obligatio repugnet alteri Exemplum esse potest in contractu, quo quis locat suum prædium cum obligatione in conductore, vt soluat, v.g. triginta aureos annuos, & medietatem frumenti, sed hanc medietatem ad periculum vtriusque partis emat pro decem scutis annuis ipse conductor prædij, non quidem pro toto tempore locationis, sed pro medietate dicti temporis; in tali casu dantur duo tituli duorum contractuum in eadem stipulatione celebratorum, nam est contractus locationis, & conductionis; & insuper emptionis,& venditionis, nec vnum excludit alium. Sic & in casu nostro stabit optimè contractus coniugalis iuxta leges patriæ,& alter contractus societatis ad medietatem, nulla lege prohibitus, nec de natura sua illicitus.

22 Aduertendum est, quòd quando societas fit inter coniuges, non erit societas, quæ definiatur: *contractus pariter contribuendi rem aliquã, ad negotiationis lucrum, & damnum proportione diuidendum*, prout intercedit inter mercatores, vt notat Rebellus *de oblig. iust. lib. 5. qu. 1. num. 1.* sed erit societas ad vitæ indiuiduæ
23 consuetudinem, potiùs quàm ad negotiationem. Et societas talis potest optimè dari inter coniuges, etiamsi contrahant per dotem, & arrhas: Rebel. *loc. cit. num. 2.* & fit quando contrahunt per dotem, & arrhas ea conditione, vt constante matrimonio lucra sint communia. Cùm igitur inter Didacum, & Eleonoram sint datæ arrhæ, & dos, & in carta Notarij sit expressum, *vt omnia lucra sint communia, qualitercumque facta à singulo eorum, taliter quòd in euentu separationis accipiat quisque medietatem suam*, sequitur dicendum, hunc modum medietatis non esse irritum, nisi obstet statutum particulare loci, quod non est in casu nostro. Ratio est, quia in eo contractu communitatis lucrorum integra remanent capitalia dominis, & ita dos est vxoris, item arrhæ sunt ei soluendæ, &c. Hinc fit, quòd octo millia scutorum, quæ vxor tulit marito, itaut secundùm proprietatem medietatis spectarent ad vtrumquè, indicatur fuisse secundùm medietatem donata, & facta propria mariti, sicque & de istis sola lucra per medium erant diuidenda in casu separationis, sed communia perseuerante matrimonio, & in hoc sensu sunt intelligenda à nobis dicta *sub num. 18.* Nihil ergo est damnabile in coniugali contractu Didaci, & Eleonoræ, quæ considerans obligationem suam ratione facti contractus, vt cum marito *communia habeat lucra qualitercumque facta*, & ipsa fecerit multa per administratio-

strationem dotis, & eius fructuum, sicut & per adulteria, & maximè quia spōsus dixit ei verba citata in propositione casus, nempè: *mihi bonum erit, quòd tu non solum vni Proceri, imò multis sis in Venerem vt dona inde prouenientia tibi, mihi proficiant ad medietatem.*

## §. III.

*An vxor possit licitè dictorum lucrorum medietatem celare, & omnia sibi retinere, nec aliquid marito elargiri: tanguntur varia de dote.*

24 DIco, quod dotis administratio spectat ad virum, cui ideò datur vt ex fructibus ex ea perceptis subleuetur ab oneribus matrimonij, & hinc est, quòd dos definiatur esse *id, quod datur viro à muliere, aut eius Patre, pro oneribus matrimonij sustinendis.* Sic D. Thomas *in 4. distinct. 49. quaest. 4. ad 1.* Azo *in summa Cod. de iure dotium*, iuxta ea, quae traduntur eodem titulo, & toto titulo *ff. soluto matrimonio, & ff. de iure dotium ff. de pactis Dot. & Cod. de Dot. promissione*, quidquid contra dictam de-
25 finitionem dicat Bartolus *ad rubricam, ff. soluto matrimonio, num. 16.* ex eò quòd Dos sit ius incorporale, seu vniuersale, sicut haereditas, patrimonium, legatum, & similia, ratione cuius omnes fructus, & accessiones dotis, augent eamdem dotem, & dotis actione veniunt, ex *l. si marito, §. fin. ff. soluto matrimon. & Cod. de iure Dotium, l. etiam*, & propterea ipse dotem definit esse *ius quoddam in se continens id, quod à muliere, vel eius Patre, marito vel eius patri traditur, vel pro tradito habetur propter onera matrimonij sustinenda.* Sed haec definitio Bartoli cùm in idem recidat ac prima, ideò non est in hoc immorandum, sufficit enim ad rem nostram scire, dotem dari mari-
26 to propter onera matrimonij, vndè ad ipsum, non ad mulierem attinet illam administrare, & ita regulariter est faciendnm, & fit, nec potest dos repeti nisi soluto matrimonio per mortem mariti, aut facto diuortio, *l. 2. ad initium, ff.*
27 *soluto matrimonio.* Quod adeò verum est, vt matrimonio constante, quantumcunque velit maritus, non possit dotem vxori restituere, *l. vnica, Cod. si dos costan. matrim.*

28 Sed dictis non obstantibus, dato casu inopiae in marito, itaut iam bona sufficientia non habeat ad solutionem integrae dotis, ius dat vxori actionem, per quam possit dotem suam
29 repetere, *l. si constan. ff. soluto matrim.* quae tamen repetitio non debet esse, vt dotis alienationem ipsa vxor faciat, sed vt eam alteri det administrandam, nisi ipsa velit illam administrare, & sic poterit eam dare mercatori ad securam, & licitam negotiationem, vt habetur *cap. per vestras, de donat. inter virum*; ex cuius fructibus, vel lucris tota familia constante matrimonio alatur, salua semper, quoad fieri possit, dotis substantia. Ista etiam habentur *ex l. cùm dotem, ff. solut. matrim. l. seruum, ff. de manumiss. Cod. de iure dotium, in Authent. de aequalitate dotis, §. illud quoquè, vers. nos autem.*

30 Non tamen sola viri inopia dat ius vxori ad dotem repetendam, si vir rem familiarem malè non administrauerit, etiamsi ex casu fortuito in paupertatem inciderit, nam afflicto non est
31 addenda noua afflictio; neque sufficit sola suspicio dilapidationis, cùm ex sola suspicione nemo soleat priuari sua legitima administratione. Sic post Molinam, & alios, tradit Barbosa *ad l. si constante, ad initium, num. 12.*

32 Nec dos potest repeti ab vxore, si vir dilapidet propria bona, saluis dotalibus etiam à periculo, quia in verisimili, ac proximo periculo ne dos pereat in totum, vel in partem (ad arbitrium prudentis Iudicis, qui dijudicet hoc, & an marito sint alia in bonis, vt compenset) est adhuc licitum vxori dotem repetere, dicto periculo subsistente, iuxta doctrinam Bartoli, quae deducitur ex praefat. Authentic.

33 Et taliter conceditur priuilegium vxori ad dotem repetendam, quando maritus vergit ad inopiam, & malè vtitur substantia sua, vt dicto priuilegio non possit seipsam priuare, ei renunciando, etiam per pactum, quod pactum, & renunciatio essent inualida si fiant, ne alioquin praeiudicet doti iuxta regulam, *l. de die, ff. de*
34 *pactis dotalibus*; cogi tamen non potest vt ipsa vtatur dicto priuilegio, quia si maritus euadet impotens ad soluendum, & vxor fuerit negligens in remedio adhibendo ad suam dotem saluandam iuxta ei concessum priuilegium, de-
35 bet sibi imputare. Nec dos semel repetita, erit iterum restituenda marito, etiamsi ad pinguiorem fortunam ascendat, & rem familiarem benè administret: ità cum multis Barbosa *d. l. si constante, ad initium, num. 32.* Ratio est, quia casus superueniens, per quem posset ab initio impediri sententia, siuè actus, quando conducit ad eumdem effectum sententiae, seu rei gestae, tunc per talem casum non tollitur, quod semel gestum est. *l. verbis, ad finem, ff. ad legem Falcidiam, §. ex contrario.* Cùm ergo bona mariti administratio, & adeptae ab eo diuitiae, con-

conducant ad eumdem finem, vt securior sit dos restituta, reuocari non debet facta restitutio. Quæ opinio est communis contra Baldum, Angelum, Romanum, Iasonem, & alios apud Tiraquellum *tract. cessante causa, limit.* 14. *num.* 4. Quòd si vxor ad dotis repetitionem iudicia-
36 liter faciat expensas, has omnes tenetur maritus subministrare, iuxta regulam, *l. vltima, Cod. de Ordinar. iudicio, & cap. ex parte de ac-*
37 *cusationibus*. Si petatur an extraneus, qui dedit dotem pro vxore, cum pacto, vt mortua vxore sinè liberis, dos ad eum reuertatur, possit vti priuilegio ad dotem repetendam, prout potest vxor; respondeo negatiuè, quia priuilegium istud est odiosum, & iure conceditur soli mulieri, & sic docent communiter Doctores. Igitur Domina Eleonora ritè repetijt dotem à marito, si iuxta prædictas doctrinas dos ipsius periclitabatur perire.

38 Nunc quòd dotem vxor administrat, & ex fructibus annuis eiusdem dotis lucratur viginti vltra solitum lucrum, quod à marito fiebat, quia ipsa vxor emit cum dictis fructibus dotis merces, quas ad regionem longinquam transmittit vendendas, vbi cariores sunt, & ideò tale lucrum, detractis etiam expensis, reportatur; dubitatur an talis lucri saltem medietatem teneatur marito cedere ex vi contractus communitatis in lucris qualitercunque obuenientibus ab vtroque. Respondendum videbitur alicui, posse vxorem tale lucrum retinere, quia manifestè patet fuisse reportatum ex propria industria; & quemadmodum de iure communi potest maritus de industria acquirere, & taliter acquisita non communicat vxori, sed ea sibi retinet, vt post alios asserit Barbosa 1. *part. lib.* 1. *ff. solut. matrim. num.* 33. nec communi-
39 cat id, quod proprio nomine emit, *l. ex pecunia, Cod. de iure dotium. leg. multùm interest,*
40 *Cod. si quis alteri, vel sibi*: similiter de iure communi in solidum, sibi acquirit vxor quidquid ex propria pecunia, vel ex paraphernalibus bonis, vel ex industria comparat, vt post Baldum, & Boerium tenet Barbosa *loco citato, num.* 34. & Nauarrus *cap.* 17. *num.* 155. *in Summa*, ergo &c.

41 Potest fieri confirmatio, nam fur tenetur restituere rem, & lucrum ex re reportatum, dummodò lucrum non sit fructus industriæ suæ, vt si ad regionem longinquam iuerit, vbi Dominus rei non iuisset, & ibi solùm poterat fieri di-
42 ctum lucrum; sic & filius familias acquirit sibi quidquid obtinet ex industria cum re furtiua, quam patri fuerat furatus, licèt patri spectet vsusfructus dicti lucri industriosi, Lessius *de iust. lib.* 2. *cap.* 4. *dub.* 3. *num.* 7. & 9. ergo & vxoris erit lucrum ex propria industria reportatum, quamuis fuerit cum re non sua, scilicet cum fructibus dotis.

43 Dicendum est tamen, quòd quamuis veritatem habeant prædicta *à num.* 38. *inclusiuè, & seqq.* si absolutè sumantur, nihilominus non concludant in fauorem vxoris, quia fecerat pactum cum marito communicandi cum illo lucrum qualitercunque factum constante matrimonio, & sic etiam lucrum industriale remanet comprehensum, vt rectè notat Rebellus *de contract. dotal.* nam sub verbo *qualitercunque* venit omnis modus, & ideò ratione pacti debet esse commune etiam lucrum industriale, & sic absolutè teneretur vxor id lucrum communicare marito, licèt ex industria obtentum, ita colligitur ex *l. etiam, ff. solut. matrim. & l. penes, ff. de verbor. obligat.*

44 Verùm inhærendo casui prout iacet proposito, dico licitum fuisse Dominæ Eleonoræ illud lucum seruare sibi, dummodò non excedat quantitatem damni accepti ex dilapidatione mariti. Ratio fortissima id conuincens est, quia inter Eleonoram, & Didacum eius maritum fuit celebratus societatis verus contractus, etsi non sicut ille mercatorum, vt notaui sub *num.* 22. & 23. sed sic est, quòd in tali contractu coniugum, iudicia sunt facienda secundùm regulas societatis negotiationis ad lucrum, vt docet expressè Rebellus *de obligat. iust. lib.* 5. *secundæ part. quæst.* 1. *num.* 2. *fine*. Et in societate negotiationis, socius tenetur de culpa lata leui, & de dolo, vt elicitur ex *leg. socius, ff. pro socio*, iuxta communem interpretationem, & sic Conrad. *q.* 93. *ad finem antè* 4. *corollarium*.
45 & Doctores communiter, quamuis in foro conscientiæ non teneatur de culpa iuridica, nisi simul sit Theologica; ergo cùm Didacus respectu socij sit in culpa, insumens in commessationibus, & impudicitijs, tenebitur restituere socio, nempe vxori, quæ quia aliter & pro se, & pro filijs nequit suum à marito recipere, propterea ad compensandum poterat lucrum, de quo dubitatur, si damnum acceptum non superet, retinere.

46 Confirmatur, nam non peccat vxor, si marito dissipatori rei communis in compotationes, in largas donationes, vel in mulieres profundens, accipiat quantùm opus est, vt pars ipsius sit salua, quæ acceptio fit titulo compensationis ex bonis mariti, vt sibi, & filijs vxor consulat, sicuti tradit Petrus Nauarra,

*leg.*

*leg. 3. cap. 1. num.* 114. ergo similiter in casu nostro verificari potest in fauorem Eleonoræ, quæ propterea poterat vti compensatione ad æqualitatem damni.

47 Quod si damnum veniret solùm ex ludo, cui deditus est maritus, tunc cum distinctione respondeo; vel enim id fit per ludum, qui non sit dissipatio, vel per ludum, qui sit dissipatio; si solitus perdere, & ab vxore correptus vetetur ei ludere, sed maritus non abstinet, verè dissipat, & ab vxore potest vti compensatione. Si verò ludo rationabili perdat, & non modo dissipationis, tunc damnum est commune cum vxore, sicuti commune esset lucrum, non minùs ac in alijs contractibus, cùm & ludus sit contractus fortuitus, quo potest quis perdere, & lucrari Lessius *de iust. lib. 2. cap. 12. dub. 14. num.* 87.

## §. IV.

***Cuius sint lucra vxoris ex adulterijs etiam marito consentiente.***

48 Circa lucra prouenientia ex adulterijs, dico ea esse extra mentem mariti, imò nec potiùs se similia lucra prætendere, quia vbi agitur de culpa vxoris remittenda à marito, huic
49 nullum lucrum potest prouenire. Semper est inualidum pactum, quòd dos non amittatur, etiamsi ob culpam vxoris sequatur diuortium. Ratio est ne per tale pactum detur aditus iniquitati, flagitijsque ostium aperiatur. *l. conuenire, ff. de pactis dotalibus. & glossa l. 1. §. & ideò V. interuenit*, & ibidem Bartolus *num. 2. ff. de dote prælegata*.

50 Sic est pariter nullum pactum, quod marito afferat lucrum, si vxori remittat adulterium. Ità docet Palat. *Repet. Rubr. §. 34. num. 4.* ergo non comprehenduntur in contractu societatis lucra, si quæ fierent per adulteria, quia si talia lucra essent comprehensa, esset pactum remissionis adulterii propter lucrum, quod maritus intendit, quamuis in hoc fortasse seipsum decipiat, nam si lucrum quærit, id maius inueniet per adeptionem dotis adulteræ vxoris, quàm per tenue donum ab adultero eidem vxori
51 præstitum, per adulterium namque vxor amittit dotem, & sic plus expedit marito cupido lucri, adulteræ vxori non parcere. At fortasse volebat maritus concubinis se non priuare, & ideò sciens quòd & ipse propter sua adulte-
52 ria poterat ab vxore accusari, tum ad tori separationem obtinendam, tum ad acquirendam donationem propter nuptias, hanc enim perdit adulter, sicut adultera perdit dotem, vt dicunt communiter Doctores, seu sciens maritus adulter, se non posse accusare vxorem adulteram,
53 quia mutua delicta compensatione tolluntur, *cap. penult. de adulterijs*, ideò forsitan satiùs iudicauit non curare de vxoris adulterijs, & in pactum adducere lucra inde prouenientia; at inualidum iam probaui huiusmodi pactum, & consequenter lucra adulteræ vt talis, sunt omninò ipsius adulteræ.

54 Et talem inualiditatem pacti prædicti, dico verificari, quamuis non ab vxore, sed à tertia persona maritus accipiat pecuniam ob adulterii remissionem, quæ remissio nulla erit, sicuti & nulla erit transactio super accusatione facta à marito dicti adulterii. *l. de crimine, Cod. de adulterijs. l. transigere. Cod. de transactionibus*.

55 Vt autem valeat adulterii remissio facta à marito, debet esse tota gratis, vel sub quouis pacto, quod marito lucrum non afferat. Ita Gama *decis. 63. & 368.* Barb *1. p. l. 2. ad initium, ff soluto matrimon. num.* 115. ex quibus satis constat non dari pactum communicationis, seu societatis in lucro vxoris propter adulteria, & ideò Eleonora non tenetur de talibus
56 lucris dare aliquid marito. Nec releuat, quòd maritus dixerit ad aures Sponsæ verba allata in expositione casus, nempe quòd bonum erat ipsi Sponso, si non solùm cum vno Procere, prout ante fecerat, sed si cum multis adulteria committeret, quia eo ipso quòd nubebat cum communione bonorum, etiam ipse medietatem recepisset donorum prouenientium ex adulteriis; nam hæc verba potuit maritus dicere tantummodò iocosè, ac lepidè, id enim præsumi debet. Si autem intentionem habuisset sic obligandi vxorem, quæ vice versa huiusmodi obligationem credebat in pactum induci cum Sponso, iam dictum est esse pactum inualidum, ac per consequens nullam attulit obligationem.

57 Et hæc fortiùs suadentur stante doctrina damnata ab Innocentio Vndecimo, quæ dicebat, quòd *Copula cum coniugata, consentiente marito non est adulterium, adeòque sufficit in confessione dicere, se esse fornicatum*. Hanc propositionem retuli *in Decisione 41. num. 32.* vbi dixi eam collocari sub *num. 50.* in ordine aliarum ab eodem Pontifice damnatarum. Si ergo est semper adulterium, consequenter consensus mariti nihil suffragatur, prout supra dicebamus.

58 Quòd si dicatur non fieri iniuriam volenti, *l. ne-*

*l. nemo videtur, ff. de regul. iur.* vndè Clerico in sui percussionem consentienti non irrogari iniuriam videtur dicendum, quare percussor illius excommunicationem non videtur incurrere, proindeque idem sit affirmandum de marito consensum præstante in vxoris congressum cum alio: Respondetur iuxta dicta *in ea Decisione* 41. nam vt notat summa Astensis, quam refert, & sequitur Sayrus *de censur. lib. 3. cap. 26. num.* 18. in Clerici percussione fit iniuria Ecclesiæ, quapropter licèt ea, quæ in nos delinquuntur possimus remittere quantùm ad nos, non tamen quantùm ad Ecclesiam. Ratio est, quia Clericus non potest in id consentire; cùm hoc priuilegium sit concessum ordini clericali, cui priuilegio Clericus nullo modo potest renunciare: Tabiena *verb. Excommunicatio, 5. casu, num.* 32. cum Sayro *supra*. Hinc est, Clericum se percutientem incurrere excommunicationem, si id faciat animo irato, & iniuriosè, sicut sæpè faciunt illi, qui tædio vitæ, vel alia desperatione ducti seipsos interficiunt, aut vulnerant. Ità Caietan. *verb. excommunic. cap.* 10. *notab.* 3. Tabien. *supra*. Angel. *verb. excommun. num.* 28. Panorm. *in cap. contingit, num.* 7. Cosm. Philiarch. *lib.* 3. *de offic. Sacerdotis, cap.* 33. Nauarr. *in manual. cap.* 15. *num.* 11. & *cap.* 27. *num.* 78. *versic.* 6. Angles *in floribus* 4. *sentent. in quæst. de excommun. art.* 5. *diffic.* 3. *conclus.* 7. Idem est prorsus asserendum de copula cum alterius vxore, semper enim est adulterium, quia iniuria fit Sacramento, quam iniuriam nequit maritus remittere, vt optimè patet ex paritate cum Clerico percusso ex sui consensu, saltem si ab alio percutiatur. Et est valdè notandum, quòd non solùm violenta manuum iniectio, sed etiam iniuriosa satis est ad incurrendam excommunicationem, adeòque nihil iuuat Clerici consensus, per quem quamuis tolleretur violentia, remanet semper iniuria facta ordini. Ità & in matrimonio licèt ad vxorem alterius violenter non accedat quis, qui mariti placitum obtinuit, nihilominus Sacramento iniuriam grauem facit. Fuit ergo meritissimè damnata propositio præadducta.

# DECISIO LXXVI.

*An legatum ab adultero relictum marito adulteræ, cum conditione vt detur primo filio, quem eius vxor pariet à die acquisitionis, quando idem filius statum eliget, & in defectu filij spectet ad hæredem, sit censendum datum in compensationem liberantem adulteram ab omni obligatione.*

## Casus, seu Historia LXXVI.

### SVMMARIVM.

1 *Casus proponitur.*
2 *Obligatio adulteræ supponentis filium.*
3 *Legatum est quædam donatio.*
4. 5 *De Legato partus, & mariti.*
6 *vsque ad* 15 *Duplex est obligatio, & quando per legatum satisfiat.*
16. 17. 18. 19 *Pater quid debeat Spurio.*
20 *vsque ad* 41 *Plura de legatis pijs, & non pijs, & de præsumptione facienda de mente testatoris.*
42 *Spurius qui dicatur.*
43. 44. 45 *Dos, quinam contractus dicatur.*
46 *Ex nudo pacto non oritur actio ciuilis.*
47 *Excipitur dos, & quare.*
48 *Vir quam dotem debet restituere.*
49. 50 *Dos, quando pereat, vel non in damnum viri.*
51 *Legatum quando censeatur compensatio.*

1 CAsum Herodis, qui tulerat Herodiadem fratri suo Philippo viuenti vxorem, continet præsens Historia, nàm postquàm Melchior duxit Lauram, hæc & Herculi mariti sui fratri, velut vxor in venereis ministrabat. Amor Lauræ plus in falsum, quàm in verum maritum inclinabat, vndè & faciliùs ab illo fœtum concepit. Pariendi appropinquabat tempus, sed nec ab Hercule longè ibat mors, quæ cùm iam ostenderet se breui eum intrà suam falcem recepturum, sibi consulens moriturus, condidit testamentum, in quo fratri Melchiori legatum fecit conditionale, videlicet cum obligatione astringens, vt legatum illud cederet integrum filio, quem Laura primò pariet à die dicti legati acquisitionis post eius mortem, & tunc dabitur eidem filio illud, quando statum sibi deliget. Quòd si contingat filium istum non dari, vel quia mater non pariet, vel quia ipsa, vel filius moriatur antequam ad præfixum tempus eli-

eligendi statum perueniat; volebat testator vt idem legatum à fratre Melchiore daretur hæredi. Peperit Laura, quæ iam à duobus mensibus mortuo Hercule, huic ab ipso se grauidatam asserebat. Vixit filius nomine Hercules vsque ad decimumtertium annum, & quidem à Melchiore marito Lauræ primogenitus suus credebatur, cùm & tres alios haberet masculos, & fœminas duas. Ignorabat Laura Herculem cognatum,& amasium suum voluisse tale legatum facere, quapropter cùm non constet quali intentione illud fecerit, angitur scrupulis ipsa Laura, an teneatur ad restitutionem expensarum à marito factarum filio non suo; vel an dictum legatum sit censendum datum à patre vero in compẽsationem, per quam adultera liberetur à qualibet obligatione contracta per suppositionem filij illegitimi tamquam legitimi.

2 In Decisione 41. fusè tractaui de obligatione matris supponentis marito inter filios legitimos filium ex adulterio progenitum, & illam teneri ad damna, vel qualiter à tali obligatione possit excusari, in eadem Decisione declaraui. In præsenti autem casu, an Laura præsumenda sit libera à simili obligatione ratione legati, vt descriptum est, videtur resoluendum esse negatiuè.

## §. I.

*Ponuntur fundamenta contra Lauram.*

3 Primò, quia legatum est quædam donatio, & de essentia donationis est, quòd sit data sinè grauamine, nec in satisfactionem debiti.

4 Secundò, quia filii vxoris fratris, sunt nepotes dicti fratris, & nepotibus verisimile est voluisse patruum ex affectu proprias facultates per legatum communicare: Et licèt in casu nostro legatum sit factum fratri, tamen constat fuisse contemplatione filii, cui legatum à patre erat dandum tempore electionis status, & consequenter non videtur dari locus præsumptionis ad iudicandum voluisse adulterum dare fratri in compensationem damnorum, quandoquidem à fratre aufert datum; & vbi præsumptio contraria non est, voluntas testatoris constat qualis sit, & ipsa constante, standum est ei. Aymon *cons.* 149. Couarr. *cap. officij, de testam, num.* 2. *fine*, & alii.

5 Idem suadetur, quia maritus per legatum factum vxori non liberatur ab obligatione restituendi dotem integram, si in dicto legato nullam addiderit specificationem suæ intentionis, & ideò in tali casu licitum, & iustum est vxori petere dotem, & legatum ab hærede mariti. *l. creditorem, ff. de legat.* 2. Gratian. *regul.* 285. Cotta *cap. si pater, part.* 1. *verbo legauit, à num.* 17. Nauarrus *summa, cap.* 17. *num.* 100. Angelus *verb. legatum* 1. *num.* 31. Syluester *verbo eodem* 3. *q.* 12. Armilla *verb. eod. num.* 21. Greg. Lopez *l.* 16. *tit.* 9. *part.* 6. & alii. Ergo & in casu nostro, cùm testator nullam fecerit declarationem suæ mentis, censetur legatum non fuisse ad compensandum, sicque liberum est fratri legatario exigere integrum legatum, & insuper debitum ei propter damna ex suppositione filii non sui, si id ei constabit, sed quamuis hoc ipse ignoret, habet tamen ius, & in matre adultera viget obligatio restitutionis.

6 Ne obstat distinctio adducta ab Antonio Gomez *tom.* 1. *var. cap.* 12. *num.* 27. Couar. *vbi supra.* Mantica *de coniect. vltim. volunt. lib.* 10. *tit.* 2. *num.* 3. & ab aliis dicentibus duplicem dari obligationem, quarum vna est voluntaria, altera necessaria: hæc est ex dispositione legis; illa est ex voluntate illius, qui se obligat. Est

7 autem diuersitas inter has duas obligationes, quòd quando est voluntaria, censetur non satisfacta per legatum factum ab obligato, si aliter non se explicet, & propterea legatum mariti non est in compensationem erga vxorem, sed huic insuper est debita dos, quia obligatio ista est ex voluntario matrimonii contractu. Cùm igitur obligatio adulteri erga tenentem vt proprium, filium adulteræ vxoris, sit obligatio ex voluntario adulterio nata, non censetur talis obligatio adimpleta per legatum simpliciter factum. Sic expresè Doctores allati supra, licèt diuersimodè sit discurrendum de obligatione necessaria, seu per legem, vt mox dicam *num.* 12.

8 Ex veritate dictæ diuersitatis inter illas obligationes, sequitur non satisfieri à marito suæ obligationi restituendi medietatem bonorum acquisitorum constante matrimonio, per hoc quòd instituat vxorem legatariam sinè alia limitatione; ratio est dicta, nempe quia ex voluntario contractu coniugali, lucra fiunt communia inter coniuges, & sic medietas est propria vxoris, & ei à marito debetur taliter, quòd si tota non detur, & tamen det legatum, hoc non reputatur compensatiuum debiti ex vi voluntariæ obligationis, nisi fiat declaratio à testatore, huiusmodi legatum esse ad compensandum. Ità Couar. *vbi supra, num.* 5. Ergo idem dicatur in facto de quo agimus, quia le-

gatum adulteri est simplex,& eius obligatio est de genere volitarum; ergo non satisfecit per tale legatum, sed satisfaciendi obligatio remanet adhuc in matre.

9 Et confirmatur quòd per legatum non fiet satisfactio obligationis voluntariæ,ex eò quòd hæres,qui per fideicommissum tenetur aliquid restituere Mæuio, non satisfacit, nec compensat per legatum Mæuio relictum, quia talis obligatio est volita à primo testatore, vt docent Aymon, & Couar. *d. num.* 2. ergo multò magis est id asserendum, si obligatio sit volita ab ipsomet immediato testatore, vt currit in nostro casu adulteri,qui voluit malè coire cum adultera matre filij dicti adulteri, & non mariti, qui filium non suum cum damno suorum aluit.

10 Notat idem Couarr. *eodem num.* 3. & Molina *tom.* 1. *de iust. tract.* 2. *disp.* 200. quòd legatum simpliciter factum ei, respectu cuius testator habebat voluntarium debitum, adhuc censeri relictum in compensationem, si testator poterat in iudicio damnari ad rei illius solutionem; secus si condemnari non poterat.

11 Ex indè ad rem nostram concludendam venit, non satisfecisse legatario ipsum adulterum, quia eius adulterium non poterat in iudicio probari, vel saltem probatio non poterat fieri, filium primum Lauræ esse adulterinum, nam sola mater id asserit, & asserere potest, sed ei non est credendum in iudicio per hoc solummodò, quòd id ipsa affirmet, vt alibi dixi, non teneri filium credere se illegitimum per hoc, quòd mater sola sic asserat, & iuramento confirmet, etiamsi sit in mortis puncto. Videantur nostræ Decisiones 40. & 74. *num.* 91.

12 Sic multi casus poterunt resolui, vt sciatur quando legatum non sit compensatiuum rei debitæ à testatore, videlicet si eius obligatio fuit voluntariè contracta. Si verò soluere tenebatur ex necessitate legis, tunc & legatum erit in compensationem, siuè in solutionem de-

13 biti, compensatio enim dicitur solutio. Hæc distinctio duarum obligationum,docetur à Couarruuia *d. num.* 2. communiter admissa ab omnibus vtriusque iuris Doctoribus, excepto Corasio *lib.* 3. *miscell. cap.* 1. & quòd legis obligatio remaneat compensata cum legato, quatenus præsumitur testatorem voluisse satisfacere cum legato suæ obligationi necessariæ, seu legali, habetur ex *authent. præterea, Cod. vndè vir, & vxor*; & similiter constat ex *l. si cùm dotem*, §. *si pater*, *ff. soluto matrimonio*. Ratio autem cur obligatio legalis remaneat sic compensata per simplex legatum, est quia lex quæ talem posuit obligationem, decreuit quoquè vt ab ea lege obligatus, fruatur legis beneficio in hoc, quòd si debitor legatum faciat, reputetur factum in solutionem, vel compensatio-

14 nem debiti sui. Nec est opus, vt hoc legatum fiat ab eo, qui à lege obligationem habet, sed sufficiet si fiat ab hærede, qui in tali debito legali successit. Sic Anchar. & Paulus de Castro, cum Aymone, quibus subscribit Couarruuias *vbi supra, num.* 2.

15 Non esset tamen compensatiuum obligationis necessariæ illud legatum,si instituens expresserit aliam causam, ob quam illud relinquit; nam cùm compensatio fiat ex testatoris præsumpta voluntate, hæc præsumptio non habet locum, vbi expressæ voluntatis contrariæ facta est declaratio.

### §. II.

*Resoluitur in fauorem Lauræ.*

16 POsita obligationum prædicta distinctione, resoluo propositum dubium circa Lauræ obligationem, & dico eam non teneri ad aliquam restitutionem marito, vel alijs filijs legitimis, si legatum relictũ à patre illegitimi, sit ad æqualitatem damni, siuè expensarum, quas pro eo fecit maritus. Ratio est, quia obligatio debiti, quæ erat in adultero est obligatio legalis, & necessaria; sed ex dictis *num.* 12. obligatus tali debito legis, si faciat legatum creditori, censetur satisfecisse; ergo & in nostro casu est censendum satisfactiuum legatario legatum adulteri. Hæc consequentia est verissima, si verum est obligationem testatoris fuisse legalem, ideò hoc probo; nam omnis lex obligat patrem, & matrem vt suos filios alant, siuè illi sint naturales, siuè spurij, siuè nati ex damnato concubitu, & hoc manifestè apparet in spurijs, quibus per leges pater nihil potest legare, nequè hæreditatem assignare, sicut latè dixi, & probaui *Decisione* 40. tamen volunt leges, vt eis à patre dentur alimenta, si aliundè non habeant ad se sustentandum, *cap. cùm habent de eo, qui duxit in matrimon. &c.* & illa

17 sunt danda à patre secundùm dignitatem status, ita colligitur ex *l. sed & si quid*, §. *sufficienter*, *ff. de vsufructu*, nec enim decet filium Principis habere tantummodò quomodo viuat ac filius rustici. Sic tenet glossa *l. nepos Proculo*, *ff. de verbor. signific.* Iason §. *fin. Institut. de act. &* §. *item Seruiana*, *num.* 64. *eod. tit.* Imola *l. Nesennias*, §. *finali*, *ff. de re iudic.* Alexand. *l. si*

ma-

*maritus, ff. solut. matrim.* Aretin. *conf.* 17. & alij.
18 Imò & tenetur pater in alimentis dandis spurio, considerare personam vxoris spurij, etsi eam duxerit contra patris consensum. *l. si quis à liberis, §. non tantùm, ff. de liber. agnosc.* Item & debet attendere ad ancillas, & seruos, quibus
19 spurius indiget, nam hæc spectant ad statum suum. *l. habitatio, ff. de vent. in possess. mitt.* ergo legalis est obligatio parentum alendi filios etiam hæreditatis incapaces propter qualitatem eorum illegitimitatis, qualis est illa pessima spurij: ergo obligatio adulteri circa filium adulterinum cùm sit necessaria, seu legalis, & non præcisè voluntaria, censendum est voluisse in legato facto marito adulteræ, suæ obligationi compensare, & debitum creditori soluere, vt volunt leges, quòd præsumatur, iuxta prædicta *num.* 12. ad nihil igitur tenetur Laura.

Nec obstat si dicatur, quòd inspecto iure ciuili, naturales filij non sunt à patre alendi, & multò magis filij ex coitu damnabili. *§. fin. Auth. quibus modis natural. efficiuntur legitimi. Auth. ex complexu, Cod. de incest. nupt. §. si aduersùs ea, Instit. de nupt.* ergo debitum alendi dictos filios, non est per legem, seu necessarium, nec legale. Respondeo enim, & dico primò, alimenta deberi filijs de iure naturæ. *l. 1. §. ius naturale, ff. de iust. & iur. § sed naturalia, Instit. de iur. natur. gent. & ciuili.* quod ius naturæ competit æqualiter legitimis, & illegitimis. *§. liceat igitur, Auth. quib. mod. natur. efficiunt. legit.*

Dico secundò, quòd de æquitate canonica debentur alimenta prædictis filijs. *cap. cùm haberet, in fin. de eo, qui duxit in matr. quam polluit per adulterium.* & ibi Gloss. & DD. Dec. *conf.* 312. *num* 4. Ruin. *conf.* 165. *num.* 23. *lib.* 2. Surd. *de aliment. tit.* 1. *q.* 10. *num.* 1. cum alijs apud istum. Hæc autem iuris canonici æquitas, vsu recepta est. Aret. *in l. 1. col. 1. ff. solut. matrim.* & sic tenetur in vtroque foro. Gloss. *in d. cap. cùm haberet, in fin. ff. de eo, qui cognouit, quam polluit per adulterium*. ibique Card. Abb. & alij. Dec. *in cap. at si Clerici, num.* 4. *de iudic.* qui Decius testatur sic communiter teneri. Ripa *in l. si vnquam, num.* 68. *Cod. de reuocand. donat.* Paleot. *de noth. & spur. cap.* 46. Didac. *de spons. p. 2. cap.* 8. *§.* 5. *num.* 6. Capyc. *decis.* 164. *num.* 2. Vndè Regula generalis est, patrem teneri alere filios qualitercumque susceptos, tum quia in omnibus æquuè militat ratio æquitatis. Nicola. de Vbald. *in tract. de success. part.* 1. Dec. *conf.* 611. *in fin.* Ludouic. de Sard. *de legit. col. 9. vers. quartò quaritur.* Couarr. 2. *de sponsal. part. 2. cap.* 8. *§.* 6. Garz. *in tract. de vlt. fin. iuris Ciuil. & Canon. num.* 78. & alij: tum quia cùm filii sunt nati, non sunt perdendi, perderentur autem, si eis alimenta negentur. *l. necare, ff. de liber. agnoscen.* Et iuxta prædicta, tenetur pater alere quemcumquè ex eo progenitum, etiamsi disponat vt illegitimo alimenta non dentur. Bald. *in l. quod pauperibus, num.* 38. *Cod. de Episcop. & Clericis.* Surd. *de aliment. tit.* 1. *quæst* 9. *&* 10. *num.* 8. imò etiamsi pater iuramento se obligauerit, se non relicturum filio alimenta. Surd. *d. quæst.* 9. *num.* 5. & taliter tenetur pater alimenta filio præstare, vt teneatur & filiam dotare, quia dos, & alimenta æquiparantur. Bart. *in l. fin. num.* 7. *ff. de ijs, quib. vt indig.* Bald. *in l. sed nec mater, C. de iur. dot.* Surd. *d. quæst.* 10. *num* 9. vbi plures citat. Boer. *decis.* 127. *num.* 2. *&* 7. Capyc. *decis.* 180. & dicta subsistunt, etiam extante Constitutione B. Pii Quinti reuocatoria facultatum testandi fauore illegitimorum, nam reuocat quidem facultates competentes de iure speciali, non autem de iure communi, vt est alere filios, & ita docet Nauarr. *in comment. spol. §.* 18. *num.* 9. *& seq. & conf.* 4. *&* 5. *de testamentis.* Rot. *decis.* 505. *num.* 4. *cum seq. part.* 1. *diuers. &* 487. *num.* 4. *ead.* dicta autem Constitutio est 117. in nouissimi Bullarii ordine. Tandem adeò constringitur pater alere filios, vt deficiente patrimonio, Clericus teneatur alere cum fructibus beneficii filios, licèt in Sacerdotio susceptos. Surd. *d. quæst.* 10. *num.* 29. Abb. *in cap. 1. num. 4. de cohabit. cler. & mulier.* Duen. *in reg.* 367. *num.* 3. *ampliat.* 3. *in fine*. Quæ omnia sunt intelligenda de alimentis, aut dote proportionatis, & non pro dignitate patris, sed ad præscriptum vitæ naturalis. Videatur Antonius Ricciullus *tract. de personis in statu reprobo versant. lib.* 3. *cap.* 31. *num.* 11. *&* 12. ergo obligatio patris alendi filios est legalis.

20 Nec contra probat id, quod *num.* 3. dicebatur, nempe legatum esse donationem, & sic non posse esse solutionem, nam respondetur id esse verum, stando in ratione puri legati, non verò si sumatur legatum vt est quædam dispositio, quia vt dispositio est, stat in arbitrio testatoris illud legatum facere sub quolibet titulo ipsi placuerit, vt est si fiat ad satisfactionem conscientiæ suæ.

21 Item nec obstant dicta *num.* 4. cùm potiùs ab eis eruatur qualis fuerit mens testatoris, qui si voluit legare marito adulteræ, cum conditione dandi legatum illud primo filio vxoris, quando à patria potestate volens exire statum eli-

eliget, signum est habuisse testatorem eam considerationem, vt maritus adulteræ haberet ad alendum filium, quem nesciebat esse non suum, & in casu, quo filius statum eligeret, haberet patrimonium, vel dotem, absquè eò quòd aliud ei daretur à marito adulteræ, hoc enim fuisset cum damno legitimorum. Cùm igitur nedum præsumptiuè habeamus testatoris voluntatem in facto legato, sed ex probabilibus coniecturis constet ipsius voluntas, & taliter constet, vt intelligatur fuisse velle compensare, & prouidere pro filio illegitimo, standum est tali voluntati, etiamsi debitũ, ac obligatio testatoris fuisset voluntaria, & non solùm legalis, seu ex necessitate legis. Igitur
22 mater adultera si videt legatum factum ab adultero, vt in casu esse ad excessum, vel saltem ad æqualitatem expensarum, quas maritus fecit, & faciet pro illegitimo, ad nihil ipsa est obliganda, vel si esset obliganda, deberet legatum non esse ad æqualitatem sumptuum, quos ipsa deberet impendere, vel compensare pro parte, quæ legati vires superat, quia quoad hanc partem adulter non compensauit, & compensatio, seu solutio debet fieri in integrũ.

23. Quæ dicebantur *num.* 5. vera sunt, quia debitum mariti restituendi dotem, est obligatio voluntaria ob voluntarium contractum matrimonij; at debitum adulteri, vt præfertur, est necessarium. Vndè patet responsio ad dicta *nu.* 7. nam licet fuerint voluntaria adulteria, non est tamen voluntarium debitum alendi filium, si nascatur, sed leges illum volunt esse alendum à parentibus, vt probant textus citati à *num.* 17. *vsque ad* 19. *inclusiuè*, omissis pluribus alijs, & sic patet responsio ad cætera, quæ adducebantur à *num.* 8. *vsquè ad* 11. inclusiuè, & maximè in hoc vltimo, quãuis enim nequeat adulter nostri casus damnari in iudicio, si conueniretur, quia tamen debitum suum est legale, ideò lex succurrit, vt eius legatum censeatur factum in compensationem, iuxta prædicta. Adde quod si debitum esset voluntarium in nostro casu, fuisset compensatum per legatum, quia debitor posset damnari; quidquid sit, quod per accidens non possit conuinci, cùm sufficiat debitum ad iudicem deduci.

24 Iterum fauore Lauræ probo, quòd legatum adulteri sit relictum in compensationem; nam vbi expressis verbis non constat de opposita voluntate testatoris, reputandum est, & tenendum, eum disposuisse secundùm consuetudinem, vt docent Doctores *cap. cùm M. de const.* & ibi Felinus *num.* 6. atqui est, quòd secundùm consuetudinem legant patres etiã filijs non habitis in matrimonio; ergo legatũ adulteri in casu nostro, cùm à verbis testatoris aliter non colligatur, censendum est relictum pro filio iuxta consuetudinem expensandi illum, & ideò pater putatiuus retinet capitale, & fructus, donec filius ab ipso discedat, & proinde Laura non tenetur, quia damna mariti, & filiorum fuerunt reparata ab adultero, supposito quòd legatum sit æquale damnis, vt iam prædixi, & semper cum hoc supposito deobligo Lauram in toto.

25 Confirmo, nam sinè expressa dispositione contraria non est recedendum à iure communi, per *l. præcipimus, Cod. de appellat.* Et in du-
26 bio testator iuxta ius commune censetur disponere, vt expressè dicit Sanchez *part.* 2. *opuscul. moral. lib.* 7. *cap.* 1. *dub.* 48. *num.* 14. ergo à primo ad vltimum, videlicet tum in casu certo, tum in dubio dispositionis factæ ab adultero, vt in casu nostro, censenda est eius dispositio iuxta ius commune, quod astringit patres, vt consulant, & prouideant filijs, sicuti faciunt per legata relicta illegitimis; vndè cum legatum, de quo agimus, sit prius datum patri putatiuo filij alieni, clarè patet id fuisse factum, vt filius expensaretur de proprijs patris veri, ac consequẽter adulteræ adimeretur obligatio restitutionis damnorum, si darentur in filijs aliis legitimis mariti sui. Laura igitur nullum habet debitum.

27 Addo, quòd in dubio de testatoris voluntate, tota præsumptio est facienda fauore piæ causæ. Ita Panor. *cap. nos, de testam. num.* 14. Mantic. *lib.* 8. *de coniect. vltim. volunt. tit.* 5. *fine*, ergo in legato relicto prout exprimitur in testamento cum adulteri mens ad maximùm sit dubia, nisi certa, sequitur præsumenda esse fauore satisfactionis suæ conscientiæ, ne filius suus aleretur ab alio non vt alienus, & ex hoc sequerentur damna filiis aliis legitimis, inter quos reputatur ille testatoris, qui sic per
28 legatũ censetur exonerare se à conscientiæ obligatione, quod est causa pia. Item causa pia est, vt filius adulterinus non destituatur vitalitiis subsidiis, sicuti destitueretur, si à patre adultero fuisset transactus in testamento, quia licèt teneatur & mater ei prouidere, id tamen matribus est valde difficile; imò & iuxta pietatem est, vt mater liberetur ab angustiis, & obligationibus, ac periculis manifestandi suum delictum, ne damna legitimis causa illegitimi obueniant; ergo datis tot causis piis, pro istis, & pro illorum singula præsumendum est de mente

te testatoris adulteri in facta dispositione legati, & sic censendum est datum patri putatiuo in compensationem, per quam mater adultera deobligetur. Et quòd dicti legati dispositio ad
29 maximùm sit dubia, nemo meritò negabit, attentis circumstantijs, & coniecturis, nam testator scit se esse patrem, licet hoc celet sub pallio parentelæ: deinde non legat nepoti, sed primo filio, quem Laura pariet, & sic vocat tacitè filium quoquè suum: tum vult vt & capitale sit ipsius, si fiat sui iuris: insuper fructus legati, & legatum totum dedit testator marito adulteræ pro tẽpore, quo filium apud se habebit: igitur ad maximùm sit dubia testatoris mens in facto legato; ergo præsumenda est fauore piarũ causarum, & fauore Lauræ iudicandæ ad nihil pro illegitimo obligatæ vltra legatum à patre, si legatum æquet damna, vt dictum est.

30 Vlteriùs dico, quòd dato dicto dubio, adulteri legatum censetur factum animo compen-
31 sandi debitum legale, seu necessarium, non tamen sic donatio inter viuos, *l. etiam, §. si debita, ff. de bonis libert. vers. sed si non mortis, l. si verò, vers. caterùm, ff. eod. tit.* vbi id expresè habetur; & sic tenet Socinus apud Couarruuiam *vbi supra, num. 9.* Ergo Laura est libera ab obligatione, per quam teneatur pro illegitimo, vt præfertur.

32 Tandem iudico exemptam Lauram, quia legatum factum marito suo, fuit factum ab adultero contemplatione filij adulterini, & consequenter propter omnia, quæ eum habebant concomitari, vt erant expensæ pro eo factæ, & faciendæ tum à se ipso sibi, tum ipsi ab alio, prout de planò stat præsumptio; si enim quis præsumitur legasse contemplatione personæ, & non intuitu causæ piæ, in legato facto, verbi gratia Mariæ, vt nuberet, si ipsa diu seruiuit testatori, qui ideo creditur voluisse eam remunerare, vt expresè tradit Sanchez *vbi suprà, lib. 4. cap. 2. dub. 4. num.* 8. multò magis præsumetur factum legatum sola contemplatione personæ, quam quis genuit. & eam alendi obligatione constringitur, impediendo damna imminentia marito, & filijs legitimis genitricis dictæ personæ, sed ex adulterio conceptæ.

## §. III.

*Varia de obligationibus legalibus voluntarijs, naturalibus, & ciuilibus.*

33 Notandum est pro limitatione doctrinæ circa obligationes legales, quod vt per legatum relictum ab obligato censatur facta compensatio ipsi creditori, debet dari similitudo speciei in re legata cum re, quæ sub debito erat, nam si legetur res diuersæ naturæ à re debita, non habet locum compensatio, quia speciei cum quantitate non fit compensatio; glossa communiter recepta in *l. fin. Cod. de compensat.* Hinc fit vt si obligatio testatoris erat pecuniaria, & creditori legauit item pecunias, censetur factum legatum in compensationem, si obligatio erat legalis, vel necessaria; at secus esset dicendum, si legasset vinum, frumentum, aut oleum, quamuis ad valorem quantitatis debitæ. Pro casu autem nostro, cùm debitum adulteri pro filio suo expensato ab illo, cui fecit legatum, sit debitum rerum mixtarum, quas in eadem specie restituere non est possibile, ideò quidquid sit, quod fuit creditori legatum, dico aduc esse censendum relictum in compensationem, quia saluatùr similitudo speciei inter debitum, & legatum, quando debitum exigit rem inseruientem pro expẽnsis vitalitiis alicuius, & legatum est de re huiusmodi qualitatis, sicuti verificatur in legato facto prout in casu; ergo stat optimè ratio compensationis in eo, & stat liberatio Lauræ ab alia restitutione, si legatum æquat debitum, vt semper supposui esse inspiciendum, & considerandum.

34 Et quòd subsistat similitudo speciei inter debitum, & legatum in casu nostro, probatur à pari: nam si pater legat filio aliquid, & aliud in tali legato non exprimat, censetur legasse animo compensandi cum legitima, quia cùm teneatur ex vi legis dare filio legitimam, debitum suum dicitur, & est legale, seu necessarium: *Authent. ex testamento. Cod. de collat.* &
35 ita docet Gratian. *regula* 285. *num.* 3. *&* 4. cum alijs. Idem est censendum, si legat filiæ, iudicatur enim legasse animo compẽsandi cum dote, quam tenetur dare per leges, *Authent. præterea, Cod. vndè vir, & vxor. & l. si cum dotem, §. si pater, ff. soluto matrimonio.* Nauarrus, *summa cap.* 17. *num.* 150. in quibus duobus casibus, non attenditur an pater det pecuniam, aut prædia, aut aliud, sed sufficit vt det aliquid, quod inseruiat pro legitima. & pro dote, & tunc salua est similitudo speciei inter debitum, & legatum: ergo idem sequitur asserendum in casu nostro, cùm legatum ab adultero factum
36 seruiat ad filij expensas, vt dicebam supra. Et idem confirmatur; nam si maritus faciat legatum vxori, vel è contra, tale legatum censetur factum animo compensandi pro ea parte, quæ alteri erat danda ex vi legis, *Authent. cit.* & ita do-

docent Baldus, Iason, Decius, Socinus, Campesius, & Aretin. quos sequitur Gratian. *d. reg. num.* 5. & tamen pars debita quia est vel pecuniaria, vel prædialis, vel rerum æquantium in valore ipsum debitum, ideò sat est, quòd sit factum legatum cuiusque rei ab ipso debitore, vt censeatur voluisse compensare debito suo legali: ergo & in casu nostro infertur satisfecisse cum legato ipsum adulterum, cùm debitum sit pro expensis filij adulterii, & pro ijsdem expensis facit legatum, quod ideo est eiusdem speciei cum debito. Vel tandem vnico verbo

37 dici non potest semper esse attendendam similitudinem speciei rei debitæ, & legati, vt est pecunia pro pecunia; sed aliquando sola quantitas cum quantitate sufficient ad constituendam rationem similitudinis in specie, vt legatum censeatur factum in compensationem debiti legalis. Tunc verò dicta quantitatum similitudo sufficiet, quando debitum est de rebus confusis, cuius debiti species constituitur per solam quantitatem, non attenta qualitate, & sic illi debito correspondebit tamquam similis in specie æqualis quantitas, non attenta qualitate. Ducor ad sic asserendum ab exemplis adductis mariti erga vxorem, & è contra, & patris erga filium, & filiam: nam ideo pater si legat filio, reputatur fecisse pro compensatione legitimæ, quia si filio debebat mille, satis est si legat mille, nulla facta consideratione an legauerit domum prædia, aut pecunias, quæ mille valeant, cùm debitum legitimæ esset dandi mille siuè in prædijs, siuè in domibus, siuè in pecunijs, ergo similitudo speciei inter debitum necessarium, siuè legale, & legatum saluatur in sola similitudine quantitatis. Idem est de legato pro dote, & de legato inter coniuges pro debita parte iuxta leges, sufficit enim si dentur v. g. centum in legato, si centum per leges debentur, sed in quali rerum qualitate dicta centum sint debita, non consideratur. Igitur & in nostro casu, similitudo speciei inter debitum, & legatum, saluatur penes solas quantitates similes, videlicet vt centum v. g. dentur à testatore adultero marito adulteræ pro expensis filii adulterini, pro quo centum sunt expensa, sed in qualibus rebus, non attenditur. Legatum ergo factum à patre primi filii Lauræ, reputatur factum in compensationem debiti legalis, & necessarii expensandi filium, ex quo sequitur non amplius incumbere eidem matri, an aliquid pro eodem filio restituat, nisi pars aliqua deficeret ad æquandum legatum cum debito, vt semper notaui. Quòd si debitum le-

38 gale sit de re in specie determinata, tunc admitto esse in legato relinquendam rem similem in specie, vt censeatur factum in compensationem, licèt Alexander, & Imola in ea sint opinione, vt hæc similitudo speciei inter rem debitam, & legatum, non sit necessaria, nec requisita, vt legatum censeatur in compensationem. Idem docuit etiam Iason, qui postea vel palinodiam canens, vel primæ opinionis immemor, vel vtramque sententiam tenens, sibi fuit alibi contrarius. Videatur Couarruuias, *cap. officij, de testam. num.* 2. En qualiter saltem iuxta hanc Alexand. & Imolæ opinionem, legatum adulteri sit compensatiuum, quamuis non esset simile in specie cum re debita, aut cum debito, sufficit enim esse Legatum relictum à debitore per legem ipsi creditori, vt in compensationem reliquisse censeatur. Nil ergo vltra quærat Laura compensare, si legatum æquuè compensauit.

39 Si quæratur quandonam obligatio sit dicenda ciuilis, siue à lege, ac necessaria, & quando voluntaria, dico tunc esse necessariam quando quis incidit in obligationem ex dispositione absque suo facto: tunc verò est obligatio voluntaria, quando quis in illam facto suo incidit.

40 Hinc dicet aliquis: ergo obligatio adulteri circa filium adulterij sui, erit obligatio voluntaria, & consequenter non fuit compensatum debitum per factum legatum, non enim est censendum factum in compensationem, si debitum, siuè obligatio sit voluntaria, vt supra dicebatur. Et quòd sit voluntaria talis obligatio adulteri, probatur quia in eam adulter incidit suo facto, eò enim ipsò de iure naturæ tenebatur filium alere. Respondeo: nemo negat quin pater habeat debitum à lege dotandi filiam, & dandi legitimam filio, & tamen ipse pater suo facto habuit filios, atquè in obligationes erga ipsos incidit, & nihilominus sunt obligationes legales, & debita necessaria, quibus censetur compensare si faciat simplex legatum, vt ostensum est *num.* 34. *&* 35. non igitur obligatio est voluntaria per hoc quòd vtcunque consequatur à facto illius, qui incidit in illam, sed proximè ad factum debet consequenter se habere ipsum debitum, vt dici possit voluntarium respectu illius, qui facto eodem incidit in tale debitum. Sic qui emit, habet

41 debitum voluntarium, quo tenetur soluere, quia huiusmodi debitum proximè consequitur ad factum emptionis, vndè si fiat legatum creditori ab emptore, qui non soluit rem emptam,

ptam, non censetur legatum compensatiuum, quia debitum est voluntarium: idem est in similibus obligationibus. Verùm quando quis ponit suum factum, per quòd incidit in obligationem, seu debitum remotè, & ab extrinseco prouueniens, tunc tale debitum dabitur, quia præscribitur à lege obligante hominem, qui facit hoc, aut illud factum, vt si nupserit filiam, si habebit filium, &c. Similiter in casu, quo quis habet filium ex concubitu illicito, incidit quidem facto suo in obligationem prouidendi eum de alimento, sed hæc obligatio remotè, & ab extrinseco aduenit patri adultero ex impositione per legem, vndè est obligatio legalis, seu necessaria, non obstante quòd etiam de iure naturæ parentes quicumque teneantur filios alere, non enim implicat ab eodem nasci posse obligationem naturalem, & ciuilem, seu legalem: ergo in casu nostro cùm pater per leges, vt dixi *num. 16. & seqq.* teneatur spurijs alimenta
42 præstare, iam in patre viget obligatio legalis, & spurius est reputandus filius Lauræ, vtpote natus à non nuptis simul, & simul nubendi incapacibus, imò & ex damnato concubitu, vt videre est apud Sanchez *consil. lib. 4. cap. 3. dub. 1. num. 2.* erat enim nupta mater, & affinis ipsi adultero, fratri mariti.

43 Dixi non implicare ab eodem oriri obligationem naturalem, & simul ciuilem, seu per legem, & hoc suadetur ex dotis promissione, quæ non potest dici contractus nominatus, vt notat Barbosa *4. p. Rubricæ, num. 35. ff. soluto*
44 *matrimon.* quamuis dici possit conuentio legitima per legitimam confirmationem, *l. legitima, ff. de pactis adiuncta, l. pen. Cod. de dotis promissione*; & conuentio per fictam stipulationem
45 vallata, nam fauore dotis, ipsius promissio gaudet hoc priuilegio iuris, vt censeatur habere tacitam stipulationem, tam vt eam exigat vir, quàm vt ab vxore soluto matrimonio exigatur, vt notat Rebellus *2. part. de obligat. iust.*
46 *lib. 5. quæst. 1. num. 17.* quo fit, vt quamuis hoc sit pactum nudum, & ex pacto nudo non oriatur actio ciuilis, *l. iuris gentium, §. nuda, ff. de*
47 *pactis*, tamen ex sola promissione dotis, per legis adminiculum, quo tacita stipulatione vestitur, oritur obligatio naturalis non solùm, sed etiam ciuilis, seu legalis, *l. ad Exactionem, Cod. de dotis promissione, & l. vnica, §. 1. & §. aut plenius, C. de rei vxoriæ actione*. Videatur Menochius *de præsumptionibus lib. 3. præsumpt. 5. num. 4.* Barbosa *3. p. l. 1. ff. soluto matrim. nu. 21.* Igitur ab eadem dotis promissione oritur obligatio naturalis, & ciuilis, vndè non obstante obligatione naturali, vt secundùm promissionem tacitè stipulatam debeat vir dotem restituere soluto matrimonio, nihilominus si vir faceret legatum vxori, censeretur voluisse compensare pro ea parte, quam secundùm legem tenetur restituere; & sic pariter in casu nostro, non obstante obligatione iuris naturæ, quòd patet alat filium etiam illegitimum; quia id per leges tenetur quoquè facere, ideo est debitor legalis, & necessarius, propterea legans creditori, censetur compensare.

48 Sed id, quod de obligatione legali in restituenda dote dixi, intelligendum est de dote æstimata, tantummodò vt eius valor cognoscatur; non verò de æstimata æstimatione facien-te venditionem, per quam vir tacitè eam emit, & proinde ad viri periculum dos patietur, aut
49 peribit; secus in prima æstimatione, si tamen vir non sit in culpa: quas dotis æstimationes
50 declarat Glossa, *ad l. si inter virum, Cod. de iur. dot.* Ratio est, quia vir est debitor legalis in primo modo æstimationis dotis; at in secundo, est debitor voluntarius, cùm voluntariè fuerit emptor, sicque meritò multi Doctores docent, quòd legatum relictum à viro vxori, non est compensatiuum sui debiti circa eam partem dotis æstimatæ æstimatione faciente venditionem, & idem infert Glossa *l. Lucius Titius, ff. de legat. 2.* quia non debet dare vxori dictam rem acceptam in dotem, sed debet dare illius æstimationem, quæ cadit sub debitis voluntarijs.

51 Et in casu quo debitor legalis faceret legatum creditori sub verbis *lego de meis bonis*, adhuc contra Felinum, Baldum, Alexand. Iasonem, & alios dicendum est esse compensationem, licèt ea sint dicenda bona, ex quibus æs alienum deducitur, *l. subsignatum, §. bona, ff. de verbor. signif.* & ita tenent Decius, Cumanus, & Aretinus, cum quibus ijsdem citatis, sentit Couarruuias *vbi supra, in fine numeri septimi*. Igitur conclusum remaneat, non debere Lautam aliud restituere, nec suum peccatum notum facere, cùm legatum relictum eius marito sit censendum compensatiuum pro Spurio filio suo, & eiusdem testatoris, si dictum legatum æquauit damna, & multò magis si superauit expensas. Nunc quòd Spurius est mortuus, incumbit legatario restituere legatum hæredi, & sic de hoc nulla obligatio vrget Lauram, quæ vlteriùs esset consulenda, si filius adulterinus viueret, cùm pro primogenito haberetur, sed quia mors omnia æquat, ità & omnia dubia, quæ possent dari præter hucusquè

què examinata, mors eadem explanauit, & funditus euertit, ac cum mortuo sepeliuit, iamque iudicium est factum, & sententia data in prædictis.

# DECISIO LXXVII.

*An sit peccatum, & matrimonium inualidet fictio virginitatis, ad quam probandam si Iudex plures deputet matronas, satis sit quòd vna inspiciat, in cuius verbo aliæ cum iuramento testificentur.*

## Casus, seu Historia LXXVII.

### SVMMARIVM.

1 *Casus proponitur.*
2 *Motiua difficultandi in isto casu.*
3 *Probatrices virginitatis, an teneantur omnes inspicere.*
4 *Virginitas in quo consistat.*
5. *vsquè ad 13 An liceat non virgini nubere, ac si sit virgo.*
14 *Non licet consumare matrimonium iudicatum inualidum.*
15. 16. 17 *Defectus virginitatis non irritat matrimonium.*
18 *Causa diuortij quæ sint.*
19 *De sponsorum bimestri.*
20. 21. 22. 23 *Conditiones irritantes matrimonium.*
24 *Grauissima res est agere de irritando matrimonio.*
25 *Plures testes singulares non probant.*
26 27. 28. 29 *De diligentijs requisitis pro probanda virginitate.*
30 *An seruato sigillo possit concipi.*
31. 32 *Virgo, & masculus an in mammis possint habere lac.*
33 *Virginitas an consistat in tela.*
34. *vsquè ad 65 Plura de Iudice deputante matronas ad probandam virginitatem, & de peritis electis ad deponendum, ac de eorum requisito numero.*

1 DVxerat Vrsulam Syluius, qui graui suspicione laborans, an virginem, vel corruptam sibi copularet, non priùs sponsalia fecit per verba de præsenti, quin duobus adductis testibus, istis protestatus sit, se velle quidem cum Vrsula, sed sub conditione, quòd Virgo sit, aliter non intendit se illam recipere in vxorem. An autem virgo sit, necne, secretum habeo (dixerat testibus Syluius) ad id cognoscendum antequam secum consumem matrimonium, at ad huiusmodi cognitionem pertingere non possum, quousque cum Sponsa non agam intimiùs. Vix quarta aduenit dies post illum coniugalem contractum inter Vrsulam, & Syluium, quòd iste accersitis testibus, omnes ad Iudicem perrexerunt, vt iuridicè constare faceret de sui matrimonij nullitate, quia intactam restituit Vrsulam, cum qua conditionaliter contraxerat, sed volitam conditionem reperit non verificari. Exigit Iudex iuramentum à testibus de tali conditionata intentione Syluij, quo dato ab illis, ac omnibus dimissis donec partem audiret Iudex, hic duas aduocat matronas, quibus imponit, vt ab Vrsula exquirant an se Virginem esse affirmet, vel non, cùm eam non Virginem asserat Sponsus suus, qui propterea dicit non consumasse matrimonium, quia illam pro sua non habet, stante conditionali intentione, testibus notificata, ducendi eam, dummodò virginitatem non amiserit, & istam amisisse cognouit medio secreto, quod tamen siluit. Confirmat matronis Vrsula, se à Syluio intactam, sed se non virginem absolutè negat. Deferunt matronæ Iudici Vrsulæ responsum, & ijsdem matronis imponit Iudex, vt & tertia matrona adhibita, diligenter inquirant veritatem, visitando Vrsulam in claustro virginitatis. Ad hoc munus iam promptæ tres matronæ, Lucia, Martha, & Angela, recusat, & vehementer protestatur Vrsula, se numquam permissuram, vt nec à Lucia, nec ab Angela, nec ab alia persona, excepta Martha, inspiciatur in secretioribus suis, quia intollerabili perfunditur rubore etiam cum Martha sola. Lite ista pendente inter dictas fœminas, Lucia, & Angela petierunt à me, an tuta conscientia possent se remittere Iudicio Marthæ, & postea simul cum ista testimonium facere coram Iudice, facto etiam aliquo iuramento, ac si & ipsæ immediatè inspexissent.

2 Statim ac istam audiui interrogationem, concepi mente grauitatem causæ; deceptionem Iudicis; vnitatem testis in grauissima probatione; iuramentum appositum æquiuocè in legitimo iudicio, & facilitatem erroris in detegenda veritate circa obiectum difficile, si vnica fœmina illam satagat inuestigare. Respondi ergo Luciæ, & Angelæ: verè non video, licitum esse Dominationibus vestris, vt clausis oculis sententiæ subscribant Marthæ; verùm an benè, vel malè in hoc responso iudicem, attentè con-

considerabo; & alia vice, quid verè possint facere, resoluam, studium enim requirit dubita-
3tio. Facto studio, comperi vix esse colles dubia illa, quæ mihi vt montes se obiecerant. Igitur resolutionem dedi, vt si Martha in peritia, & veracitate non claudicat, Lucia, & Angela Marthæ teneant sententiam, eamque Iudici dicant, iurantes se ita sentire, videlicèt quòd Vrsula sit, vel non sit virgo, vt Martha iudicauerit post diligentem Vrsulæ inspectionem, quam facere deobligaui Luciam, & Angelam, & hæc decisio satis fuit pro mulieribus.

## §. I.

*Virginitas in quo consistat, & eius fictio an matrimonium inualidet, & sit peccatum.*

4 NVnc pro doctis, doctrinalem efformans de proposito casu decisionem, adducens ea, quæ ad rem possent desiderari, superfluum duco immorari in examine, & declaratione signaculi virginitatis, in quo consistat; id enim potiùs ad scholam matronarum attinet, vt de illa ferre iudicium valeant, quàm ad Theologorum lycæum. Illud igitur siuè sit pellicula, vel tela numquam fracta ad os matricis posita; seu sint partes oris, & colli matricis simul complicatæ, & à nemine apertæ, quid circa hoc etiam cum Medicis sit sentiendum, videatur Sanchez *de matrimon. tom. 2. lib. 7. disput.* 14. *num.* 1. vbi abundè hanc materiam dilucidat.

5 In casu, quo Vrsula de facto non esset virgo, si quæratur an peccauerit lethaliter, celando defectum suum, dico debere in hoc considerari, num Sponsus se declarauerit, quòd Virginem intendebat ducere, & non aliter, quia si sic declarationem fecit suæ intentionis, certè peccauerunt lethaliter tum Sponsa, tum quilibet alii, qui ad hunc defectum cooperiendum fuerint cooperati, cùm Sacramentum nullum in tali casu sit factum, in quo magna, & grauis iniuria, ac irreuerentia apparet. & insuper Sponsus in re graui, ac substantiali sit deceptus in tali contractu. Et sic iudico esse omninò respondendum, attenta ratione doli in vendente erga emptorem expresè interrogantem
6de rei emendæ defectu, & matrimonium est quasi species emptionis, & venditionis, in qua vir emit, & mulier est venditrix, vt notat benè Tiraquellus *de retractu conuent. ad finem tituli,*
7*num. 70. & l. 4. connub. num.* 5. & venditor est ex iustitia obligatus indicare emptori saltem latentia vitia rei venditæ, vt docent omnes cum
8D. Thoma 2. 2. *q.* 77. *art.* 3. Imò si emptor ex ignorantia inuincibili ignoret vitia rei, quam emit, tenetur venditor ea illi dicere, licèt sint manifesta, sicuti optimè tradit Nauarra de restitutione *cap. 2. dub. 7. num. 46. in noua editione.* ergo & grauiter peccat Sponsa se vendens vt virgo, & similiter alii, qui illam vt talem tradunt emptori, de cuius mente expressè constat.

9. Non tamen peccaret mortaliter corrupta, quæ & cum remediis studet, vt virgo appareat viro, & huic non notificat suam amissam virginitatem, si de ipsa non requiratur, neque de mente viri constat ei, & verisimile putat, vt numquam talis defectus viro innotescet, vel si innotescat, fore vt non ægrè ferat. Ratio est, quia nullum damnum sequitur viro; neque talis defectus tegitur, vt vir eam ducat, cùm ante matrimonium irritum, vir non sit probaturus, num virginitatem amiserit, & ita vir non decipitur; sed ne à viro mala tractetur post factum matrimonium, ideò defectum quærit celare; & ita infertur ex opinione Nauarri *cap. inter verba, in 2. edit. conclus. 1. corollar. 16. nu.* 60. vbi *& num.* 7. totam culpam in hoc casu, reducit ad damnum viro sequutum.

10 Hinc ab opposito est concludendum, quòd tunc interueniat peccatum mortale in fœmina, & alijs celantibus amissam virginitatem quando verisimile est maritum habiturum notitiam illius defectus, & ægerrimè laturum, atquè acturum vitam discordijs plenam, simulque malè tractaturum vxorem, quod peccatum erit lethale contra Charitatem, nam datur occasio scandalis, ac criminibus, quæ ex Charitate sunt impedienda, & impediri poterunt manifestando defectum.

11 Sed absolutè loquendo non est grauis culpa, si Sponsa occultet vitium corruptionis, & sinit se virginem credere, quia sic est vsus communis, vt fœmina non teneatur manifestare suum peccatum, sed incumbit viro certiorem se facerè, vel virginitatem vt conditionem exigere, quæ conditio si falsò dicatur adesse, certè mortaliter peccatur, & in hoc sensu est intelligendus Sotus 4. *dist.* 29. *q.* 2. *art.* 3. *post tertiam conclusionem, vers. his nihilominus.* vbi affirmat irrogari maximam iniuriam viro à fœmina illum in hoc decipiente.

12 Nec contra militat, si dicatur fœminam semper teneri suam corruptionem viro indicare, quia ei illa se vendit; nam respondeo non esse idem asserendum de coniugali emptione,

ac de alijs, cùm in istis ex communi omnium consensu debeant vitia rei venditæ aperiri; at in venditione matrimoniali vsus est potiùs contrarius, & vitium virginitatis amissæ non est in vsu, vt notificetur, nisi de illo vir velit certior reddi, & illud est dicendum, supposito, quòd fœmina id dicere obligatur à viro exigente.

13 Mendacium puellæ corruptæ, sed se virginem fingentis per remedia, quibus vtitur vt claustrum latum constringatur, non excedit culpam venialem, nisi fiat iuxta prædicta *num.* 5. *& 10. & in fine num.* 11. vbi explicaui doctrinam Soti.

14 Quòd autem Syluius matrimonium non consumauerit, prout dicitur in casu, & Vrsula ita esse affirmat, dicendum est, quòd non consumare tenebatur, quia matrimonium vel erat nullum, vel saltem ab eo reputabatur inualidum ob defectum conditionis appositæ, donec de veritate constaret, aliàs fornicationem com-
15 misisset iuxta dictamen conscientiæ suæ. Et quamuis defectus virginitatis in sponsa per ver-
16 ba de præsenti, non irritet matrimonium, vndè sponsus potest cogi ad consumandum, cùm ta-
17 lis defectus non sufficiat ad separationem etiam quoad thorum, nisi transeat ad Religionem, vt vult Sanchez *de matrim. tom.* 2. *lib.* 7. *disp.* 18.
18 *num.* 20. causæ enim diuortii sunt solùm adulterium spirituale, vel corporale, vel alterius
19 coniugis sæuitia; nihilominus in casu Syluii nondum poterat dari hæc coactio, nam intra bimestre non coguntur consumare sponsi, qui priuilegium habent eligendi Religionem, nisi consument, vt notum est.

20 Dicta sunt limitanda nisi defectus virginitatis cadat sub conditione vel expressa, vel etiam mente retenta, quia tunc verè irritat contractum, deficit enim consensus cum defectu conditionis, sub qua consensus fuerat præstitus, & idem verificatur in qualibet conditione, quæ sit honesta. Ita D. Antoninus *3. part. tit.* 1 *&* 2. *fin.* D. Bonauent. 4. *d.* 30 *in expositione litteræ num* 4. Petrus de Ledesma *de matrim. q.* 51. *art.* 2. *dub.* 3. *post* 2. *conclusionem*, §. *aduertendum est etiam*. Sotus 4. *dist.* 30. *q.* 1. *art.* 1. *col.* 4. *vers. error fortunæ*. Paludanus 4. *dist.* 30. *q.* 1. *art.* 2.
21 *num.* 9. *conclus.* 2. & alii; dummodo contrahens cum intentione talis conditionis habuerit dictam intentionem actualiter, seu virtualiter, non enim sufficit si sit tantùm habitualis. Cùm
22 ergo Syluius verè apposuerit conditionem virginitatis in sponsa, suamque mentem actualiter expressèrit duobus, qui testes esse possent, si opus esset, sequitur esse nullum suum matrimonium cum Vrsula, si hæc sit corrupta, licèt ipsa non peccauerit etsi non virgo nupserit,
23 quia mentem sponsi non nouerat. A culpa graui non est tamen excusandus sponsus contrahens cum tali non manifestata conditione intenta, nam cùm possit illam inuestigare, & fœmina teneatur veritatem respondere, poterat faciliter haberi veritas, absquè eò quòd deueniretur ad celebrationem Sacramenti inualidi, cui, & sponsæ grauis iniuria sic irrogatur. Et quod dixi de sponso, verificatur quoquè de sponsa, si contraherer cum conditione, quam reticet cum periculo inualiditatis Sacramenti, cui periculo poterat de facili obuiari, inquirendo de conditione prætensa

## §. II.

*Probatur requiri plures matronas ad probandam virginitatem.*

24 QVantùm spectat ad defectum virginitatis, prout asserit Syluius adducens de sua intentione conditionali duos testes coram Iudice, vt iuridicè possit Vrsula dimitti; certum est esse priùs probandum, quod prætenditur, quę probatio non aliter, quam per matronas est facienda, ideò an numerus assignatus à Iudice sit adhibendus, vel an sufficiat, si dictæ matronæ assignatæ inter se conueniant, & vna, quam Vrsula admittit, inspiciat, & aliæ Vrsulam à verecundia passiuæ inspectionis à tot matronis, liberantes, subscribant opinioni inspectricis, quâuis Iudex esset rogatus vt vnam solam assignaret, & ipse persisteret in delegatione multarum, videtur esse respondendum negatiuè, sed debere omnes attentè inspicere, & manibus tangere. Probatur, nam vbi agitur de approbando irrito matrimonio, instituitur quæstio de re grauissima, & maximi periculi animæ, ne matrimonium iudicetur superficiali iudicio irritum, cùm non sit tale, & aliud matrimonium celebretur, quod sit inualidum, & concubinarii sint, qui coniuges se credunt: ergo summa, & probabilis indagatio est adhibenda; sed hæc non adhibetur à Iudice, qui vnico vteretur testimonio, vnus enim testis singularis, imò &
25 plures singulares nihil probant in indiuiduo, aut in specie, sed neque in genere. Baldus *L.* 1. *Cod. de testament. quæst.* 8. *& consil.* 276. *lib.* 4. *& in cap. licet causam, num.* 11. *vers. adde, & est notatu &c.* Decius *ibid. num* 69. *vers. sed contra. Extra. de probat.* Ripa *in l. si constante, num.* 17. *ff. de solut. matrim.* Iason *l. admonendi, num.* 256. *vers.*

*vers. nota etiam; iuncto vers. sed aduerte, ff. de iureiurando.* Abbas *lib. 1. cons. 42.* Iulius Clarus *lib. 5. recept. sentent. pract. crim. quaest. 53. num.* 18. 19. *&* 20. Bertaz. *lib. 1. cons. 41. num. 31. & lib. 2. cons. 452. num. 6.* Io. Bapt. Sanseuer. *in l. omnes populi, ff. de iust. & iur. col. 46.* Alexand. *lib. 1. cons. 72. num. 3.* Feder. *cons. 17.* Lanfran. *in Clem. dispendiosum, de Iud. circa finem.* Crot. *de testibus, part. 7. num. 324. in 7. conclus. vers. contrarium tamen.* & alii plures, dicentes ità obseruari in Sacro Tribunali Inquisitionis, sicut nouissimè notauit Sousa *in Aphoris. Inquisit. quaest. vnica, de testib. singul. &c. sect. 2. num. 10.* ergo vnica matrona non sufficit ad testimonium praebendum in re maximi ponderis, quae grauissimas secum trahit consequentias, ac proinde Iudex non benè deputasset, nisi plures matronas delegasset ad veritatis probationem, & consequenter tenentur omnes inspicere, ac testimonium ferre.

26 Confirmatur, nam in causis extra matrimonium, dicitur oportere iudicantem acta rimari. *cap. iudicantem. 30. quaest. 5.* ergo à fortiori debebit id praestari in causa tanti ponderis; at nemo rationabiliter approbabit esse veram rimationem Iudicis in grauissima causa, nisi vnica vtatur muliere, maximè cùm sexus foemineus regulariter sit inhabilis ad testimonium faciendum; ergo in casu nostro fuit opus plures matronas assignare, quę propterea tenētur singulae, & in solidū per seipsas immediatè inspicere.

27 Probatur secundò, nam quando contingit esse faciendam probationem impotentiae in matrimonio, debet Iudex potiùs superfluas, quàm diminutas probationes adhibere, ratione grauitatis negotii tantae aestimationis, quare meritò non potest Iudex de nimia superfluitate probationum in indaganda veritate condemnari in huiusmodi causa, vel dissoluendi matrimoniū validum, vel illud irritum declarandi, vt optimè docent Ioan. Andr. *cap. fraternitatis, de frigid. & malef. num. 3. & ibi* Anton. *num. 18.* Anchar. *num. 3. notabil. 3.* Praepositus *num. 1. notab. 1.* Alexander de Neuo *cap. finali, num. 15. de frigid.* Sed eadem ratio militat in casu nostro; ergo non vna matrona erit sufficiens ad probandum, cùm sic Iudex vteretur minima diligentia possibili, nihil enim minus posset facere ad veritatem cognoscendam, quam per superfluam diligentiam debet cognoscere, propterea benè delegauit plures matronas, & hae tenentur singulae personaliter, & non per vnam earum, veritatem quaerere.

28 Probatur tertiò, quia *cap. penult. de probat.* praecipitur & alias matronas esse adhibendas, & assignans rationem, dicit, *quia saepè manus fallitur, & oculus obstetricum*, ergo non vnam, sed plures debebat Iudex delegare matronas, quae omnes tenentur inspicere, & tangere, aliàs frustranea esset, & superflua & legis praescriptio, & Iudicis exequutio, si post assignationem trium matronarum, vna sola inspiceret.

29 Et maximè opus est, vt plus quàm vna sit inspetrix obiecti difficilis intelligentiae, quia malitia puellarum potest medicamenta applicare, vt signaculum virginitatis habeant artificiale, quando amiserunt naturale, sicut inter alios scribit Byrius *tract. de medendis humani corporis morbis, lib. 5. cap. vltimo.*

30 Sed etiam exclusa malitia, adhuc probare virginitatem est perquam arduum, etenim & virgo potest concipere per virilis seminis attractionem factam à matrice, dum illud circa vas fuerat effusum, vt notat D. Thomas *quodlibet. 6. art. 18.* & Nauarr. *lib. 4. consilior. tit. de frigidis, cons. 3. num. 3. in 1. edit. & in 2. consil. 2.*

31 *num. 23.* Sic & in mamillis virginis potest lac abbundare ob ascensum ad eas sanguinis illius, qui menstruus debebat esse: ita Hippocrates

32 *aphoris. lib. 5. aphorismo 39.* imò Cardanus *lib. 12. de subtilitate,* testatur se Venetijs vidisse virum habentem copiam tantam lactis in mammis, vt sugi potuisset; ac proindè lac in mammis foeminae non infallibiliter indicat virginita-

33 tis amissionem. Quòd verò ad collum matricis detur tela rupta in non virginibus, signum sufficiens, & totum non est pro dignoscenda corrupta, nam testatur Realdus *lib. 11. anatomiae, cap. 16.* se hanc telam vix in duabus virginibus inuenisse. Corruptio partium colli matricis, cùm possit arte fieri, non est certum signum, quòd numquam à viro fuerit aperta; sicque vndequaque remanet difficilima indagatio veritatis an aliqua sit corrupta, necne; ergo non debet à sola vna matrona inspici, ac iudicari; quapropter tres aliae deputatae in casu nostro videntur obligatae inspicere, & sagaciter tangere.

34 Nec reluctatio Vrsulae inspiciendae à matronis, suffragatur, vt aliquae ex illis desistant ab inspiciendo, & tangendo, edoctae ab eo, quod cauetur *l. 1. §. mittantur autem, ff. de ventre inspiciendo,* nempe ne muliere inuita obstetrices eius ventrem tangant; nam respondeo textum istum esse de impraegnatione cognoscenda, quod fit solo aspectu, at non sic virginitatis probatio, quae exigit tactum, & de hoc non est lex adducta.

35 Probatur quartò, nam ex *cap. proposuisti, de probationibus*, constat expressè, quòd *iuramento puellæ, & testimonio illarum septem mulierum est potiùs fides adhibenda*; ergo nullo modo sufficiet testimonium vnius matronæ, sed requiretur fides illarum trium, quas Iudex assignauit. cùm & septem potuisset assignare, imò & assignare debuisset, tum quia sic docet requiri septem Fuluius Pacianus *lib. 2. de probat. cap. 2. num. 26.* tum quia ad inspiciendam præ-
36 gnantem requiruntur quinque obstetrices, *l. 1. §. si omnes, vel plures, vers. mittantur autem mulieres, ff. de ventre inspiciendo*, & ibi Glossa *vers. quinque*. Ergo à fortiori plures erunt assignandæ in re grauiori, qualis est probatio virginitatis ad inferendam validitatem, vel irritationem matrimonij.

37 Et quamuis prædictis testibus possit responderi, sermonem in illis esse de maiori cautela, non de necessitate, nihilominus negari non potest, quin saltem duæ, vel tres matronæ debeant inspicere, vt fiat iuxta regulam generalem *in ore duorum, vel trium stat omne verbum.* Ita Sanchez *de matrim. tom. 2. lib. 7. disput. 109. num. 8.* vbi satisfacit *d. cap. proposuisti, & d. l. 1.* & dicit fuisse sic decisum pro casu speciali. Ergo rectè fuerunt tres delegatæ in casu nostro, quæ omnes tenentur vt delegatæ se gerere, exequentes munus, ad quod sunt missæ, non stantes sententiæ vnius duæ ex illis, quæ illi vni, siuè illi tertiæ se remittant, vt illa sola totum exequatur.

38 Confirmatur, quia Authent. *de non alienando, §. quod autem, collat. 2.* præcipitur pro æstimando rei valore adhibendos esse duos peritos, si adsint, secus si non darentur in ciuitate, quia in eo casu, vnus solus sufficeret: ergo duæ matronæ ad minùs sunt necessariæ pro facienda virginitatis probatione, quando dantur, sicuti nedum duas, sed tres dantur delegatæ in nostro casu. Et duas, vel tres matronas sufficere, sustinent Glossa *cap. nec aliqua, verb. obstetricum 27. quæst. 1.* Baldus *cap. proposuisti, num. 4. vers. item quia.* Anton. *cap. fraternitatis, num. 4. de frigid.* Alexand. de Neuo *cap. fin. num. 11. eod. tit.* & alii. Cùm igitur idem sit, quòd vna sola matrona deputetur, non obstante, quòd dentur, & reperiantur aliæ peritæ, si vna sola inspiciat, & tangat puellam, quando aliæ deputatæ non inspiciunt, & tangunt, sed vni inspectrici tantummodò subscribunt, sequitur esse obligatas omnes, vel duas ad minùs de Iudicis consensu, cùm vna non sufficiat, vbi secunda reperitur.

39 Limitanda est tamen opinio asserens sufficere vnam personam ad testificandum, quando in Ciuitate non est inuenire secundam; vt id sit verum, si illa persona sit valdè perita in arte ad testificandum in re ardua, & sic vniuersaliter loquendo docent Anchar. *cap. laudabilem, num. 1. notab. 6. de frigidis.* Gomez *tom. 2. Variar. c. 9. n. 5.* & nominatim de vnica matrona ad inspiciendum de virginitate, dum alia non reperitur, & illa sit in arte peritissima, dicunt illam sufficere, Decius *cap. proposuisti, de probat. num. 18.* Felinus *ibidem, num. 7. vers. fallit tertio.* Baldus *eod. tit. cap. penult. num. 3.* Bar-
40 batius *ibidem, num. 12.* & alii. Nihilominus licèt tot Authorum opinio probabilitatem habeat, alii adhuc vtuntur limitatione, & dicunt quidem sufficere vnius periti testimonium, quando in eo oppido alter non inuenitur, qui eamdem habeat peritiam, dummodò res sit leuis momenti, nec alteri præiudicium ferat; secus verò si res, de qua est dandum testimonium sit ardua, & talis, qualis est iudicium virginitatis, nam quando res iudicanda est ardua, debet ab oppido vicino alter testis aduo-
41 cari, quia testimonium vnius in quauis dignitate constituti, non facit integram fidem. *l. iurisiurandi, in fine. C. de testib. c. licet vniuersis, de testib.* Et ita tradunt Abbas *cap. proposuisti, num. 5. de probat.* Ioan. Garzia *de expens. cap. 24. num. 20. & 22.*

42 Addendum est etiam, quòd vna sola matrona potest fauere parti, & ideò saltem duæ esse debent. Ex quibus deducitur numquam posse virginitatem puellæ sufficiēter probari per vnicam matronam, & consequenter quando tres matronæ sunt destinatæ pro dicto effectu non licebit duabus ex illis omittere inspectionem, & tactum diligentem in partibus virginitatis dictæ puellæ, ne ei verecundiam afferant, vel alia de causa, putantes sufficere, quòd vna inspiciat, & isti subscribant, reticentes Iudici se non inspexisse. Ergo non solùm Martha, sed & Lucia, & Angela tenentur Vrsulam visitare; prout Iudex eas omnes delegauit, vel si non visitent, debent Iudici veritatem aperire, vt ipse decernat quid sit agendum. Sic videbitur aliquibus esse resoluendum præsentem casum.

§. III.

§. IIII.

*Probatur sufficere unam matronam, ceteras verò posse testimonium iuratum facere iuxta dictum illius; & satisfit argumentis contrariorum.*

DIxi *num.* 3. me deobligasse Luciam, & Angelam ab inspectione Vrsulæ, ità tamen vt nihilominus testimonium facerent Iudici iuxta Marthæ inspectricis sententiam, addentes quoque iuramentum se ità sentire, dum dicunt Vrsulam esse, vel non esse virginem, ideò meæ opinionis sequentia affero fundamenta, quibus innixus censui me potuisse responsum illud deobligatorium dare Luciæ, & Angelæ, quibus & iurare permisi, iuxta prædicta *eodem numero* 3.

43 Fundamentum vnum est, quòd quilibet peritus in arte, & delegatus ad deponendum quid sibi de re videatur non est testis, sed iudex, cui mandatur, vt tamquam peritus suam pronunciet sententiam. Ità Decius *cap. proposuisti, num.* 53. *vers. vltimò de istis peritis, de Probat.* Bartolus *tract. de testimon. num.* 121. Baldus *l* 2. *num.* 4. *ff. de ferijs*. Felinus *cap. proposuisti, de probat. num.* 9. & alii plures: ergo non est necessarius numerus duorum, aut plurium, qui iudicium proferant, sed vnus, vel vna matrona sufficiet, quando iudicis officium exercet, sicuti facit dum delegatur ad iudicandum, an puella sit virgo; & sic colligitur
44 etiam ex *cap. quia iudicante, de præscript.* Eamque esse Iudicem, & non testem, probat diuersitas inter illos, nam testis recusari non potest, etsi contra suum dictum possit obiici; & ideò non potest recusari, quia nullam habet iurisdictionem, & *recusatio est declinatio iurisdictionis*:
45 Speculat. *tit. de recusat. principio*: at matronæ deputatæ ad inspiciendum possunt recusari: *cap. causam matrimonij, de probat.* & ità dicunt citati Doctores *num.* 43. ac consequenter cùm testes non possint recusari, iure, & meritò debent esse plures, sed iudex cùm sit recusabilis, dicendum sequitur sufficere vnum: vna igitur matrona valet iudicium dare de virginitate probata.

46 Nec contra pugnat, quòd in aliquibus textibus vocentur testes isti periti ad deponendum de re aliqua, vt patet ex *cap. proposuisti, de probat. ibi: mulierum testimonio*. Respondeo enim dici tales non propriè, sed impropriè, seu præsumptiuè, vt eos sic vocat Baldus *l. data opera, num.* 23. *vers. si autem non est verus, Cod. de his qui accusare non possunt*. Vndè propria appellatione sunt dicendi iudices, & sic etiam colligitur ex *cap. finul. de frigid.* Si ergo tales peri-
47 ti sunt Iudices, vnus solus sufficiet ad iudicandum, nam vni soli solet committi iudicium ferre, etiam in rebus arduis, si sufficiens habeatur pro sententiam ferendo, sicut fit in dissolutione matrimonii, quæ causa inter arduas forsan est princeps; ergo à fortiori vna sola matrona si sit perita sufficiet in causa virginitatis probandæ. Ità Pasqualigus *decis.* 222. *num.* 16. & ibidem *num.* 17. notat, tunc tutissimè
48 operari, quando negotium committitur perito, cùm non numerus, sed peritia sit inspicienda, & æstimanda, vt fit quando quis à iudicio vnius Confessarii dependet, seu vnius Magistri, aut Doctoris, & proptereà est peccatum
49 mortale promouere insufficientem ad Magisterium, vel Doctoratum in Medicina, vel in iure Canonico, seu Cæsareo, quia ad quemlibet eorum potest quis confugere tamquam ad iudicem, qui si sit insufficiens, erit perniciosus animabus, vel corporibus; & ità latè probat cum multis Sanchez *opuscul. moral. part.* 1. *lib.* 2. *cap.* 1. *dub.* 57. *per totum.* Ex quibus infertur, quòd optimè sufficiat vnus Iudex etiam in causa salutis animæ, qua causa nulla alia maior est. Igitur vnica matrona sufficit, si delegetur ad probandam virginitatem, dummodò sit verax, & debitam habeat peritiam; sicuti talis affirmabatur Martha à Lucia, & Angela in casu nostro: ergo superfluæ erant tres, & consequenter Lucia, & Angela se habuissent vt duo accidentia concomitantia Martham in inspectione Vrsulæ, & sic accidentia possunt deficere, & adhuc integra stabit substantia iudicii, quia licèt tres matronæ si inspiciant, reddant magis certum iudicium, quàm si vna sola; tamen magis, & minùs non variat speciem, secundùm omnes Moralistas; ergo species, seu essentia iudicij certi, manet in suo esse, quamuis fiat ab vnica matrona; & huic fundamento innixus, censui non esse obligatas Luciam, & Angelam ad inspiciendam Vrsulam, etiamsi
50 ista non recusaret præ pudore inspici. Quòd autem substantia iudicij subsistat, non seruatis accidentalibus, constat ex *cap. qualiter*, 2. *de accusat. in fine.*

51 Fundamentum aliud est, quòd licèt possint plures matronæ delegari ad virginitatem inspiciendam, *d cap. proposuisti, d. cap. causam ma-*
52 *trimonij, & d. cap. fin.* non tamen talis pluralitas potest adhiberi, nisi ex causa rationabili, vt esset, si non daretur vnica matrona adeò suffi-

ciens

ciens, & perita, vt eius sententiæ iudex stare non posset, aliàs illicitè delegarentur plures, quando vna potest sufficere. Ità expresè Pasqualigus, *decisionum moral. decis. 223. num. 4.* Ratio est, quia delegatio plurium matronarum, vbi vna potest sufficere, fieret in graue præiudicium fœminæ inspiciendæ; ergo talis matronarum pluralitas est illicita. Sed in casu nostro Martha erat satis ad probandam Vrsulam; ergo illicitè fuerant deputatæ Lucia, & Angela, ac per consequens non solùm poterant licitè omittere inspectionem virginitatis Vrsulæ, sed vlteriùs tenebantur illam non inspicere, maximè ipsa reluctante. Hoc fundamento consului, & deobligaui illas duas matronas ab earum delegatione, easque edocui, vt facta probatione à Martha, cum ista se conformarent, & coram iudice deponerent, & iurarent se ita sentire, idest vt Martha testatur; Si verò dicatur id esse ad praxim deducere propositiones 26. 27. & 28. damnatas ab Innocentio XI. de amphibologia, seu æquiuocatione; videantur quæ diximus *in decisione 72.* §. 3. per totum, stante illegitima Iudicis interrogatione.

53 Nec obstat, quòd Iudex decipiatur, nam respondetur totam deceptionem esse à solo iudice, qui seipsum decepit, delegando iudicem vnum sufficientem, additis illicitè alijs duobus, & sic isti duo debent se gerere velut non additi; nec vt additi se gerunt per hoc, quòd postea referant suam opinionem, cùm id totum sit apparens tantùm, & realiter non plus dicunt, quàm sensum delegati referentis deleganti suam sententiam; quam sententiam debet delegans approbare, & cum delegante, omnes inferiores debent eamdem sententiam tenere, & ita eam tenent, vt in nostro casu, Lucia, & Angela sentientes cum Martha.

54 Item nec obstat, si dicatur Iudicem fuisse operatum in tali delegatione secundùm aliquam sententiam fortasse apud ipsum probabilem, per quam tres matronas potuit delegare; nam & ad hoc respondeo, quòd si Iudex fecit iuxta vnam sententiam, alij volunt facere iuxta eorum opinionem, & in hoc nulla fit iniuria Iudici, nec veritas iudicij vitiatur, cùm nihil mendacij dicatur. Id præcipuè est verum pro casu, quo Iudex fuisset rogatus, vel admonitus, vt vnam tantùm matronam assignaret, quia Vrsula nimiùm repugnat, & Iudex noluisset annuere.

55 Nec valet instare, quòd licitum non fuerit Luciæ, & Angelæ taliter se gerere; quia vbi plures sunt destinati ad componendum vnum Capitulum, vt fit in Religionibus, non potest aliquis in dando suffragio, vel in proferenda sententia, se gerere secundùm quòd videt alios; nam ideò ponuntur multi in vno Capitulo, vt vnusquisque propriam dicat opinionem, quæ propria opinio est omissa, quando pecudum more, quò vnus vadit, alter sequitur, & hoc culpa non vacat. Cùm igitur sic fecerint illæ duæ matronæ sentientes cum tertia, illicitè fecerunt. Respondeo primò, vt iam dixi, quòd duæ fuerant illicitè delegatæ, ac proinde tenebantur non inspicere. Secundò dico, & fateor non esse licitum vni vocali in Capitulo operari, ac dicere secundùm quòd sentit, & videt alium præcisè; potest tamen ex eo, quod videt, & sentit ab alio, quem scit virum doctum, & pium, facere & ipse sibi sententiam sequendam, & secundùm istam operari, nam sic non currit more pecudum, sed verè facit iuxta propriam suam sententiam, & conscientiam. Ità in casu Luciæ, & Angelæ scientes Martham esse peritam, & veracem, didicerunt ab ista quam opinionem possunt sibi persuadere esse sequendam, quam vt propriam postea sequuntur, & ideò dicunt se ita sentire, & iurant.

56 Ad rationes contrarias, vt satisfaciam, respondeo ad allatam *num.* 24. reuera agi de re grauissima, sed hæc committitur vni soli iudici, vt cum Pasqualigo dixi *num.* 47.

57 Ad dicta *num.* 25. concedo vnum testem non probare, sed matrona est Iudex, & non testis.

Ad *num.* 26. sunt dicenda ea, quæ dixi *num. præcedenti.*

Ad *num.* 27. dico totum esse verum, si tamen Iudex non ponat superfluam inuestigationem modo illicito, & qui sit in præiudicium tertij, sicut facit deputando plures cum præiudicio alterius honestatis; vndè non est verum, quòd adhibendo vnam matronam ad probandam virginitatem, non possit minori vti probatione, sed facit totam probationem possibilem, si illa sit peritissima, & verax.

Ad *num.* 28. dico capitulum illud esse intelligendum, quando vna mulier non est sufficiens, vt ei credatur, sicuti esset, si non est perita, nec verax.

Ad *num.* 29. *vsquè ad num.* 33. *inclusiuè*, dico non obstare malitiam corruptæ, quia ad peritiam inspicientis spectat veritatem inuestigare.

Ad *num.* 34. admitto, & ego debere matronam non tantùm inspicere, sed etiam tangere.

Ad

Ad *num.* 35. & 36. patet responsio ex dictis sub *num.* 37.

Ad *num.* 37. respondeo requiri duos, aut tres testes, non tamen Iudices, vt sunt matronæ, sed vna est sufficiens, vt toties est dictum supra.

Ad *num.* 38. 39. & 40. possent omnia concedi, alio non obstante, sicut in nostro casu obstat præiudicium alienæ honestatis iuxta prædicta.

Ad *num.* 41. si vnus testis non probat, tamen indicat vnus Iudex, vt est matrona in casu nostro.

Ad *num.* 42. dicendum est, quòd etiam vnus Iudex posset fauere parti, & tamen admittitur; ergo & vna matrona poterit iudicare in proposito facto, si est verax, & perita, aliter si esset suspecta, aut non perita, iam non esset sufficiens pro intenta probatione, & sic non esset delegandа. Nos autem vnam semper admisimus, sed quæ sit sufficiens, idest verax, & peritissima.

58 Notetur tamen, quod si vnica matrona non daretur, quæ qualitates, & circumstantias haberet ad per se solam, & sinè socia probandam virginitatem, tunc rationabiliter adhiberentur plures, quas Iudex delegaret; ratio est, quia mulier inspicienda, debet inspici à tot, quot sunt necessariæ; ergo si vna sola sufficiens non inuenitur, debet pluribus subiacere. Nec in

59 tali casu fit præiudicium honestati, cùm ratione finis necessarij, ob quem fit inspectio, totum cohonestetur, & naturalis honestas tenetur subiacere, nec potest se retrahere.

60 Et quòd teneatur subiacere necessariæ inspectioni, suadetur cum paritate ad obligationem fœminæ arctæ, & ineptæ viro, quæ tenetur subiacere, & tolerare incisionem, per quam fiat apta, quamuis molestiam, grauem dolo-

61 rem, & cauterium debeat pati; licèt grauissimum morbi incommodum non teneatur perpeti. Ita cum multis Sanchez *de matrim. tom.* 2. *lib.* 7. *disput.* 99. *num.* 32. ergo à fortiori tenebitur inspectionem sustinere, nam rationes probantes primum, probant multò magis secundum, scilicet teneri sinere se inspicere à matronis, vel matrona vt diximus, cùm hoc non afferat dolorem, nec molestiam, nec cauterium, nec tantum ruborem, quantus fortasse habebitur ex inspectione facientis incisionem, eamque curantis, si sit chirurgus. Videantur rationes apud eumdem Sanchez *loc. cit.* vbi agit de incisione, sed ex illis manifestè sequitur à fortiori obligatio admittendi inspectionem matronæ, vel matronarum.

62 Si petatur an iuramentum periti, vel matronæ, aut matronarum exigatur in earum fide, dico, & respondeo affirmatiuè; nam res est grauissima, proinde solum dictum non sufficit. Deinde quia sic habetur ex *cap. fraternitatis, de frigid.* iuxta Glossam, *verb. districtè*, & ita tenent *ibi* Alexander de Neuo, *initio num.* 9. 10. & 12. Abbas, *num.* 12. Cardinal. *num.* 3. Ioannes Andr. *num.* 5. & 23. Innocentius *statim ad initium*. Ancharan. *num.* 4. *notabili* 5. Hostiensis *num.* 2. Bartolus *l.* 1. *in princip. num.* 2. *ff. de ventre inspic.* Baldus *cap. proposuisti, nu.* 3. Antonius Cucus *lib.* 5. *institution. maiorum, tit.* 12.

63 *num.* 264. & alij plures. Sed hoc iuramentum non requiritur, quando periti, aut matronæ fuerunt electi ex communi partium consensu, quia tunc fides deponentium est approbata ab vtraque parte, & sic non opus est iuramentum addere.

64 Requiritur ergo dictum iuramentum, quando à solitudine, vel ex Iudicis iussione facta, fuit electio earumdem, qui debent veritatem quærere, & eam deponere. Ità cum multis docet Fuluius Pacianus *de probationibus lib.* 1. *cap.* 47. *à num.* 22.

65 Cùm ergo in nostro casu fuerint illæ matronæ electæ à Iudice, qui earum volebat iuratam depositionem, iuramentum erat dandum, non quidem secundùm omnimodam veritatis certitudinem, cùm hæc à peritis in arte haberi non possit; sed secundùm eam veritatem, quam ex artis peritia, periti sunt assequuti. Sic Mascardus *de probatio. concl.* 1274. *num.* 48. & 49. cum multis ab ipso relatis. Iuramentum autem, quod Lucia, & Angela debebant facere, non poterat esse in isto sensu, sed tantùm cum intentione, quòd ita & ipsæ sentiebant, scilicet prout Martha iudicauerit. Igitur ex dictis, puto satis decisa dubia in proposito casu inuoluta.

DE-

# DECISIO LXXVIII.

*An Socius in negotiatione, si ex proprijs extra sortem, inscio socio soluat maturè societatis debitum, quod decursu temporis erat augmentandum, possit sibi accipere partem, quam post tempus pro dicto augmento debuisset Socius soluere.*

## Casus, seu Historia LXXVIII.

### SVMMARIVM.

1. *Casus proponitur.*
2 *Malitia, & interesse, quid agant.*
3. *vsquè ad 21 Plura de Societatis contractu quoad numerum, conditiones, & damna.*
22. 23. 24. 25. *De soluente debitum alterius, qui id ignorat.*
26 *Ratihabitio retrotrahitur, & comparatur mandato respectu contractuum.*
27 *Extra societatem alter lucratur.*
28. *vsquè ad 49 Varia de vendenda re non tuta, ac furata, atquè in societate, & de tribus contractibus in ea, ac de dolo.*

1 MErcaturam simul faciebant Franciscus, & Paulus ex vi contractus Societatis, quem mutuo consensu inierant, data ab eorum singulo æquua pecuniarum portione, vt lucra in fine Societatis diuiderentur. Fuit amborum consilium plenam mercibus aperire officinam, ideo vltra vires capitalis, in nundinis Brixionensibus copiosas merces, credita pecunia emerunt. Debitum illorum, decursu trium mensium pro quantitate octo aureorum fiebat maius, & sic successiuè ad temporis augmentum, augebatur & debitum, donec Societatis negotium inter dictos contrahentes, acquisiuisset vires ad tale debitum extinguendum. Non placebat Paulo quòd debitum istud longo tempore perduraret, nimiùm enim extendebatur, & propterea cogitauit illud soluere ex proprijs pecunijs, quas extra capitale in sortem expositum, apud se otiosas in capsula conseruabat. Cum tali solutione debiti, volebat seipsum liberare à nouis debitis semper enascentibus vt fructus debiti principaliores, quos fructus tum ipse Paulus, tum eius Socius pro medietate vnicuique illorum spectante tenebantur dare, quousque integrè soluerent debitum, quod non fuissent soluti, nisi à Sociatate potuissent necessariam pecuniam extrahere. Ergo Paulus ad debiti solutionem deuenit vix completo primo tertio mense à die emptionis, inscio tamen socio, qui Paulo curam omnium delegauerat. Tribus transactis annis, iam Societas lucra fecerat, ex quibus debitum soluere poterat, ideo Paulus sibi accepit ex lucris Societatis pecunias ad æqualitatem earum, quas ad debitum extinguendum Brixinonem mandauerat. Insuper computauit Paulus quantitatem fructuum, quos vlteriùs soluere cum Socio debuisset, & dicta quantitate, cognita, eam in duas partes diuisit, quarum vnam ipse, alteram Franciscus tenebantur dare, & ideò hanc fructuum partem ad Franciscum spectantem, Paulus secretò sibi accepit ex ijsdem Societatis lucris, ac si dictam partem simul cum alia spectantem ad Paulum fuisset soluenda Brixinonæ vnà cum portione totius debiti.

Hinc dubitatur, an licitè Paulus deceperit Franciscum, cum quo Societatem contraxerat, eò quòd eidem Francisco numquam dixerit se fuisse solutum debitum Brixinonæ; sed potiùs propriæ vtilitati consulens, se liberauerat à fructuum debito, à quo tamen non liberauit Socium, quinimmò fecit istum sibi debitorem, & pro parte debiti, & pro parte fructuum trium annorum durationis eiusdem debiti, quod ipse Paulus tertio mense extinxerat, licèt cum proprijs pecunijs extra sortem; quorum omnium fuit semper inscius Franciscus eius Socius ex contractu.

### §. I.

*Quot sint species societatis, & quot modis exerceatur.*

2 SOcietatis species sunt adducendæ, vt resoluatur propositus casus, à quo licet ediscere, quòd quemadmodum hominum malitia, est magistra inuentionum iniquarum, quas Moralistæ, & Iurisperiti arduo studio debent examinare, vt illarum condemnanda qualitas cognoscatur; sic Interesse meretur nomen magistri, à quo, & à magistra malitia nouæ semper gignuntur inuentiones dubiosæ, an animarum salutem satagant eliminare. Huiusmodi inuentio ab interesse, & malitia, progenita dignoscitur in præsenti facto, quod apud neminem ex multis Doctoribus, quos viderim, reperi speculatum, ideo illud à nobis erit attentiùs considerandum.

3 Supponendum est igitur, quòd species Societatis, nimiùm ad abundantiam multiplicantur,

tur, dum quatuor, vel quinquè dicuntur esse ab Azorio *Institut. moral. part. 3. lib. 9. cap. 1. quæst. 1.* vbi postea illas enumerando, sex Societates assignat, & non solùm quatuor, vel quinquè, quas vsitatas, & frequentiores ibidem nominat. Prima secundùm istum Doctorem, est Societas omnium bonorum, *l. 1. ff. Pro socio*. Secunda, est negotiationis. Tertia, quando quis exercet artem, & cum socio habet lucrum, & damnum commune. Quarta, est officij, cùm quis in officio adsciscit sibi socium, & cum isto habet communes fructus dicti officij. Quinta, est animalium, siuè illa sint minora, vt sunt oues, capræ, & pecudes; siuè sint maiora, vt boues, & equui. Sexta, est vectigalium, quæ duo, aut plures habent simul conducere, & expensas communiter faciunt. Ita ille, quem potiùs ob doctrinæ suæ effluentiam, quàm iuxta præcisam necessitatem, iudico fuisse in præsenti loquutum.

4 Vnam solummodò possumus dicere esse veram Societatem, quæ dicitur negotiationis licèt ista fiat varijs modis non variantibus speciem, & propterea seu sit Societas omnium bonorum; siuè sit in arte; siuè sit in officio; siuè sit in animalibus, siuè sit in vectigalibus, semper est Societas negotiationis, proinde in tali sensu definitur, & accipitur à Doctoribus. Sic Maior *in 4. dist. 15. quæst. 47.* tradit de Societate hanc definitionem: *coniunctio plurium, gratia lucri contracta*, Lessius *de iust. lib. 2. cap. 25. dubit. 1. num. 1.* non discrepat à Maiore cum sua Societatis definitione, dicens eam esse, *conuentionem duorum pluriumue, ad conferendum aliquid in vsum, vel quæstum commu-*
5 *nem, contractam*, quæ fit solo consensu externè expresso, sinè aliqua iuris solemnitate, & ideo traditio rerum, est effectus eiusdem iam facti contractus. Rebellus *de obligat. iust. part. 2. lib. 15. quæst. 1. num. 1.* dicit quòd Societas, *est contractus pariter contribuendi rem aliquam ad negotiationis lucrum, & damnum proportione diuidendum*. En quid sit vera Societas, quæ passim inter mercatores reperitur.

6 Sed talis Societas, in qua res pariter contribuitur, potest dupliciter exerceri. Vno modo, si omnia bona in societatem generaliter assignentur. Alio modo, si bona Societatis limitentur, vt si ex pari contributione quingentorum aureorum, sola lucra ex ijs prouentura, declarentur communia, & diuidenda. Inter
7 has Societates, hæc diuersitas intercedit, vt in primo modo Societatis communicentur bona quæcũque ex qualibet causa acquisita, scilicet tum ex labore, tum ex opera, tum ex industria, & etiam ex negotiatione, donatione, hæreditate, & legato, vt patet ex *l. ea verò, ff. Pro socio*. Sic essent communia etiam stipendia militaria per *l. qui stipendia, Cod. de procur.* Item communia fierent bona castrensia, & multò magis bona solùm quasi castrensia, sicut colligitur à *l. si fratres, §. Idem Papinianus, ff. Pro socio*. Similiter communicantur omnia debita contracta, lucra, damna, & impensæ, quamuis essent factæ ex condemnatione per Iudicis iniuriam, non tamen si fiant ob proprium delictum, & ex iusta sententia, *l. si fratres, §. socium, ff. Pro socio*. Pariter erit commune quidquid acquiritur ob iniuriam, vel iuxta *legem Aquilam*, ob damnum, nostris filijs, vel nobis illatum, *l. si fratres, §. Socium, ff. Pro socio*, & tandem dico communicari in tali Societate quidquid licitè adipiscitur, & obtinetur ex qualibet causa, & ex quolibet titulo, siuè iure, vt tradit *d. l. si fratres*.

8 Excluduntur tamen bona, quæ acquiruntur contra iuris, vel legis prohibitionem, qualia sunt bona furata; bona ex illicita corporis venditione obtenta, vt per adulterium, vel per fornicationem, bona reportata in exequutione mandati pro homicidio; & item bona data falso testi, qui via periurij ea recepit. Sic *dicta l. si Fratres, & iterum l. Quod autem, ff. Pro socio*: Et meritò non sunt participanda mala lucra, ne & in malo, sed tantummodò in bono Socius communicet.

Si ergo Societas casus præsentis fuisset facta à Francisco, & Paulo de omnibus bonis, iam resolutum remaneret quodlibet dubium, nam Paulus nullo modo potuisset se gerere prout historia exponit, vndè & malè fecisset, & veram deceptionem in damnum Socij adhibuisset, & damna resarcire, & accepta restituere tene-
9 tur. Sed quia limitato modo contractus fuit factus, ideo standum est inter contrahentes intentioni ipsorum, vt sciant de quibus bonis determinatè assignatis, sit ab illis contracta societas, nam modus limitatus in Societate excludit quæcumque bona contrahentium, quæ ad societatem non fuerant redacta.

§. II.

*Suadetur non licere vni Socio vti proprijs bonis à societate exclusis, ad lucrandum in societate, sed contra Socium, & plus eodem Socio, imò inscio ipso.*

10 Circa titulum huius paragraphi fundamentum difficultandi potest esse, quia quamuis contractus societatis sit de se iustus, & licitus iuxtà communem Doctorum, & Iurium consensum, vt videre est in D. Tho. 2. 2. *quæst.* 78. & Caietan. *ibi.* Nauar. *cap.* 17. *num.* 251. Gama, *decisione* 11. *Summa*, *verbo*, *Societas*, iuxtà *l.* 1. *Cod. pro Socio*, & *l.* 3. *ff. eodem tit.* & *cap. per vestras*, *de donatione inter virum*, &
11 *vxorem*; tamen tota ratio est, quia dum fit societas tam ad damnum, quàm ad lucrum æquua proportione rerum contributarum diuidendum, cernitur æqualitas, sicque secundùm iustitiam commutatiuam, iustus erit contractus; cùm igitur in casu nostro non stet æqualitas lucri, & damni, vt ex se constat, sequitur non fuisse licitum Paulo in societate lucrari, vt
12 præfertur. Item contra Paulum facit, quòd Societas tres exigit conditiones, 1. vt sit de negotiatione licita. 2. vt damna, & lucra sint paria. 3. vt proportio saluetur, vt benè notant omnes scribentes de Societate, & sic Lessius, & Rebell. *vbi supra*. Sed vbi Socius decipitur, & plus illo alter Socius acquirit, iam deficiunt omnes Societatis conditiones; ergo Societas fuit illicitè non seruata à Paulo deceptore Socij, vt patet in propositione facti.

13 Nec refugium potest quærere Paulus ab opere suo; nam si quando fit Societas inter duos, quorum vnus ponit pecunias, & alter solam operam (qui contractus est licitus per *instit. de Societ.* §. *de illa*. & per *l. Societas*, *ff. pro Socio.* & per *l. si non fuerit*, *ff. eod. tit.* quia opera, & industria pauperioris, vel compensat, vel plus confert Societati) nihilominus tenentur adeò Socij æqualitatem seruare, vt si in fine
14 nihil lucri sit factum, neque aliquid est dandũ operario, qui amisit operam, quæ erat suum capitale, vt sic nihil acquirat, sicuti nihil acquirit ille, qui pecuniam pro capitali contulerat, vt docet Azorius *part.* 3. *instit. moral. lib.* 9. *cap.* 4. *q.* 2. ità Paulus propter suam operam multò minùs potest in casu nostro aliquid exigere, cùm illam teneatur ponere, sicut & Frãciscus, cum quo facta Societate, æqualitas est seruanda à Paulo.

15 Et rursus contra Paulum pugnat, quòd expensæ, quæ fiunt pro negotio societatis debent esse communes, sicut notant Angelus *verb. Societas* 1. *num.* 12. Syluester *eod. verb.* 1. *quæst.* 12. Armilla *eod. verb. num.* 13. Ideò si vnus ex
16 Socijs pro Societate iter facit, de communi
17 Societatis marsupio facit expensas; detractis tamen illis, quas domi manens facere debuisset, iuxta Syluestrum *verb. Societas*, 1. *quæst.* 12.
18 contra Nauarram oppositum docentem *in ma-*
19 *nuali cap.* 17. *num.* 283. licèt veriùs dicat Syluest. & alij sentiant esse standum consuetudini gentis, aut populi; vel esse attendendũ ad pactũ inter Socios factum: ergo si Franciscus expendit in societate tamquam si fructus trium annorum essent dandi, quas expensas non facit Paulus, prout dicitur in casu nostro, manifestè sequitur iniustitia, seu inæqualitas in eorum Societate ob dolum Pauli.

20 Et confirmatur, quia damna in societate communicantur, quæ causa societatis patiuntur; ità Bartolus, & Baldus *l.* 1. *Cod. pro socio*, & propterea Socius, qui pro Societate sentit damnum, vt si infirmetur, & expendat in Medicinas: si faciat iter, & amittat ensem; si captiuus ducatur, & redimatur; si à latronibus expolietur, & cætera huiusmodi ei succedant, debent hæc damna esse communia, *l. cum duo-*
21 *bus*, §. *damna*, *ff. pro socio*. Verum tamen est, non fieri communia damna orta ex sola occasione societatis, *l. socium*, §. *socius*, *ff. eod. tit.* vt contingeret, exempli gratia, si quia Franciscus societatem fecit cum Paulo, ideò Ioannes illum deleuit in suo testamento, nec ei ampliùs legatum prius factum relinquit. At in casu nostro, damnum Francisci oritur à Societate tamquam à causa, & ideò ab initio Societatis erant soluendi etiam à Paulo fructus debiti Brixinonensis, & eosdem fructus deberet post tres annos adhuc soluere cum Francisco, nisi ipse Paulus debitum extinxisset; ergo damnum Francisci soluentis fructus trium annorum, deberet esse commune cum Socio, aut nullius.

22 Rursus argumentatur contra Paulum, nam in solutione ab ipso facta pro debito communi inter ipsum, & Franciscum socium, adhibitis pecunijs proprijs, cùm Societas pecunias haberet, videtur fuisse quoddam mutuum à Paulo factum Francisco, vt debitum suum solueret: sed in mutuo non est licitum velle lucrum à mutuatario; ergo Paulus à Francisco potest solùm prætendere quantitatem mutuatam, secluso quouis lucro ex hoc mutuo prouenien-te, aliàs committitur vsura, & id quod acquiritur

tur est restituendum, vtpote iniustè adeptum, & sic docent omnes Doctores. Non igitur Paulus, qui nunc mutuat Socio centum, vel aliam summam, vt debitum suum soluat, potuit licitè post tres annos recipere à Socio dictam summam, & insuper summam fructuum, quam debuisset soluere, si per tres annos protraxisset sui debiti solutionem, sed reuerà erit vsurarius, & talis factus est in casu.

23 Confirmatur, quia casu quo aliquis soluat creditorem alterius, qui est nescius, quòd suum debitum soluitur ab alio, iste soluens verè liberat debitorem, sed à debitore nihil poterit exigere supra datam quantitatem, quæ fuit ei mutuata ad debitum soluendum, cùm nullo alio titulo potuerit ei dari, nisi aut mutui, aut donationis, nam sub alio contractu in nostro casu debuisset ille debitor consensum præstare. Imò si titulo donationis factæ debitori dantur creditori pro debitore pecuniæ ipsæ, tunc ipse donans donatario nescienti, non potest donata repetere, benè verò si titulo mutui liberauit debitorem à debito: Sed in casu præsenti Paulus non donauit socio, pro quo inscio debitum soluebat; ergo fecit ei mutuum, & consequenter non potest repetere illos fructus. Vide infra quæ dicuntur *num. 26*.

24 Confirmatur similiter, nam ideò Antonius, qui debet centum Marcello satisfacit suo debito, si det centum Benedicto; cui Marcellus centum debebat, quia Antonius transfert in seipsum ius Benedicti ad petendum centum à Marcello, qui ad totidem petendum ab eodem Antonio ius habebat; & ità tradunt Angelus *verb. solutio. num. 13. ex Glossa, institut. quibus modis tollatur obligatio*. Syluest. *eodem verbo, num. 4.* & alij. Sed in nostro casu Paulus soluens creditorem Francisci, non potest in se transferre ius dicti creditoris ad exigendum à Francisco, nisi ad mensuram, quam creditor ipse poterat à Francisco exigere; ergo cùm creditor nunc solutus pro debitore, non habeat ius ad exigendum fructus futuros debiti, si hoc non fuisset extinctum, ità neque soluens pro debitore habet ius ad eosdem fructus; ac proindè Paulus solutor debiti Francisci, non potest à Francisco repetere vltra quantitatem, quam spontè, & inscio Francisco protulit creditori eiusdem Francisci, & hæc à fortiori verificantur, stante ratione Societatis inter Franciscum, & Paulum soluentem debitum factum ex causa prædictæ societatis de amborum consensu.

25 Dixi quòd Antonius *satisfacit suo debito* soluens creditorem sui creditoris, quod tamen est intelligendum pro foro interno, nam secundùm Bartolum *in l. solutum. 11. ff. de pignorat. actio.* potest cogi in foro externo ad soluendum, nisi res debita, quam restituo tuo creditori, sit illi obligata; vel nisi causa mei sit factus debitor

26 illi. Item dixi esse *quoddam mutuum* illam solutionem, quam quis facit pro debitore inscio; etenim cùm non soluatur titulo donationis, sed id quod datur velit repeti à soluente pro debitore, cui non intendit donare, videtur teneri ipsum debitorem ratum habere contractum sinè onere, qualis est contractus mutui, qui in casu censetur subsistens per ratihabitionem, quæ habet rationem mandati, & ità factum valet, ac si ex mandato debitoris factum fuisset: vndè *cap. Ratihabitionem, de regulis iuris in 6.* dicitur *Ratihabitionem retrotrahi, & mandato non est dubium comparari*; & hoc verificari respectu contractuum docet Lessius *de iust. & iure, lib. 2. cap. 13. dubitat. 3. num. 13. §. respondeo*; exclusa tamen restitutione damnorum.

## §. III.

*Suadetur sententia amplectenda, & contraria sententia paragraphi antecedentis, cuius fundamenta eliminantur.*

27 SEd non obstantibus prædictis, resoluo quòd Paulus in casu nostro potuit optimè sibi accipere fructus, quos Socius debuisset soluere pro tempore, quo debitum non fuisset solutum. Ratio prima, qua ducor est, nam Paulus dum ex proprijs pecunijs extra societatem habitis soluit debitum Societatis, sic se habuit ac tertia alia persona distincta à Socijs, quæ persona transtulit in seipsam ius creditoris in Socios, quando pro Socijs soluit: sed Socij non erant certè in statu se liberandi à debito, donec Societas fuisset adepta vires pro debito extinguendo; ergo debitum semper durauit, quousquè illud Societas soluit; vndè cùm tres anni transierint ante debiti solutionem, sic & creuerunt fructus ipsius debiti, quapropter omnia erant soluenda creditori: cùm ergo creditor sit Paulus prout non socius Francisci, à Francisco poterit Paulus accipere tum partem debiti, tum partem fructuum, quæ omnia Franciscus tenetur dare creditori, qui siuè sit ille, à quo merces emerūt, siuè sit hæres ipsius, siuè sit alter ad quem ius dicti debiti sit deuolutum, huic solutio debetur à Francisco, & à Paulo, quidquid postea sit, quòd Paulus vt Socius non det aliud sibi vt creditor existens ex-

tra Societatem. Quòd autem Paulus potuerit in se transferre ius creditoris, probatur cum Angelo, Syluestro, & Glossa *vbi supra, sub num. 24 huius Decisionis;* imò à fortiori infertur, quia creditor est dominus sic dandi alteri tale ius.

28 Ratio secunda idem probans, desumitur ab illa quæstione, an debitum pecuniarium, verbi gratia, centum aureorum, quòd Titius debet Caio, possit emi à Seio pro nonagintaquinque aureis? Ad quam quæstionem licèt aliqui respondeant cum limitatione, concedendo esse licitum, si debitum non sit in tuto, sed sub incertitudine, vel in periculo aliquo, vt volunt D. Antoninus *part. 2. tit. 1. cap. 8. §. 12.* Sotus *lib. 6. de iust. quæst. 4. art. 1. ad 3.* Rosella *verbo Vsura, 1. num. 50. & 51.* Syluester *verb. eod. 2. quæst. 14.* Angelus *eodem verbo, num. 63. & 64.* Tabiena *eod. verb. 5. quæst. 10.* & alij: multi ni-
29 hilominus docent absolutè licere. Sic Panormitanus *in cap. ex parte, de alienat. mut. dom. caus. facta.* Armilla *verb. vsura, num. 50.* Caietanus *in summa, verb. vsura, in cap. pagas acerbas.* Nauarrus *in manuali, cap. 17. num. 231. & 232.* cuius etiam sententiæ videntur esse Innocentius, Hostiensis, Ioannes Andreas, Lignanus, & Zabarella *cap. in ciuitate. de vsur.* & hoc propter multas rationes, inter quas vna est, quòd melior est res, quàm spes. Ratio alia, est, quia minus est ius ad rem, quàm ius in re; & plus soluit, qui ante tempus soluit: *Instit. de action. §. Plus. & cap. 1. de plus petit.* Tertia ratio est, quia lucrum, quod prouenit emptori, est ex vera emptione, qua verè, & propriè
30 emit totum ius, quod creditor habebat. Nec dubitari potest, quin possint emi iura, etiam pecuniaria, sicut venduntur redditus annui, & emuntur; & sic etiam venduntur alia iura. Ergo pro re nostra sequitur à fortiori esse dicendum, potuisse Paulum vt non Socium Francisci, transferre in se totum ius, quod erat in creditore eorū vt sunt Socij, dum soluit debitum pecuniarium ad æqualitatem, & etiam fructus iam maturos: si enim potuisset creditor vendere tale debitum pecuniarium pro minori, multò magis pro æquali pecunia potuit illud vendere, & consequenter alter emere, ac accipere ius creditoris: ergo Paulus rectè fecit.

31 Nec contra pugnat, quòd Paulus sciret id sibi fore lucrosum, tum quia pro parte sua liberabatur ab annuis fructibus, tum quia pro parte Socij, fructus illius recepisset Paulus; nam dixi alibi non esse illicitum vendere, aut emere rem hodie, quam scio cras fore cariorem, vel deteriorem in pretio, dummodò iuxta valorem præsentem fiat contractus, quia tunc nemini fit iniuria, & vtitur iure suo. Vide *decis. 70. num. 18.*

32 Tertia ratio est, quia si fur accipiat nunc aliquid, quod valet viginti, & illud retineat per vnum mensem, post quem valet viginti quinque, deinde post alium decrescit ad pretium decem & octo, non tenetur nunc restituere, nisi decem & octo, si dominus rei erat illam retenturus apud se vsquè ad tempus istius valoris decem & octo, & nisi dominus eo tempore, quo fur rem tenebat, fuerit coactus expensam aliquam facere, vt cum Couarruuia, & Medina tenet Leonardus *de iust. lib. 2. cap. 12. dub. 16. num. 103.* & hoc ex ea ratione ita est, qua constat rem furatam habuisse eamdem vtilitatem respectu Domini, qui erat illam conseruaturus vsquè ad tempus decrementi, siuè illa fuerit apud dominum, siuè apud furem: ergo similiter debitum, quod est res creditoris, siuè ius ad rem, habebit eodem modo sua incrementa manens apud ipsum creditorem, & apud alium, etiamsi esset apud furem, ac consequenter multò magis si est apud aliquem, cui creditor cessit, dedit, aut vendidit idem debitum; ex quibus patet, quòd debitum Francisci, & Pauli sociorum, si à creditore fuit translatum in eumdem Paulum vt non socium cum Francisco, certè apud Paulum debitum Francisci manet cum incrementis, quæ habuisset manens apud creditorem primum: Paulus igitur licitè accipit fructus debiti Societatis, donec Societas illud redimet.

33 Quarta ratio sit, quòd quando inter Socios fit pactum, vt non nisi in tali genere mercium expendatur, & non nisi cum talibus personis, ac mercatoribus negotietur, tunc si vnus ex ipsis non seruet pacta, velit, nolit, suo tantùm nomine negotiabitur, & tota iactura inde suc-
34 cedens ad eum solum pertinebit. Et pariformiter ab opposito totum lucrum erit istius, qui contra societatis pacta negotium gerit, nam proprio nomine omnia facit, non nomine Societatis, vt benè tradit Rebellus *part. 2. de obligationibus iustitia, lib. 15. quæst. 5. num. 1. & 2.* ergo à fortiori erit alterius ex socijs lucrum, seu damnum acceptum ex facta negotiatione non nomine Societatis; vndè cùm nomine Societatis non fit, facta negotiatio contra pa-
35 cta, quamuis fiat cum pecunijs Societatis; nequè nomine Societatis erit à Socio facta negotiatio cum pecunijs proprijs habitis extra Socie-

cie-

cietatem, & sic in nostro casu erit Pauli lucrum factum in receptione illorum fructuum à Socio, & in propria liberatione sui ipsius à si-
36 milium fructuum solutione. Notandum est tamen, quòd quando contra pactum Socius negotiatur cum pecunijs Societatis, tenetur satisfacere alteri Socio totum lucrum cessans, & damnum emergens, ex eò quòd cum pecunia Socij contra conuentionem fuerit negotiatus. Hæc tamen non currunt in casu Pauli, qui cum proprijs pecunijs negotium egit.
37 Quinta ratio sit, nam quando duo, aut plures contrahunt Societatem ad communionem lucri, quod intelligitur deducto omni damno,
38 *l. Mutius, ff. Pro socio.* tunc lucrum socijs commune, intelligitur id, quod ex negotiatione, vel causa, vel ratione negotiationis prouenit, non verò id, quod aliunde, siuè sola occasione negotiationis deriuat. Exemplo possumus hoc intelligere, nam si causa societatis quis assumat nauigationem, & in naui existens ludat, & multum acquirat, certè lucrum non est socijs commune, & tamen fuit factum occasione societatis; & ità succedit in mille aliis contingentiis, atque ità non esse commune tale lucrum, habetur ex *l. Socium, §. Socius, ad finem, ff. pro socio.* proinde lucrum Pauli in nostro casu est suum, cùm proueniat à societate, vt ab occasione, non vt à causa, seu ratione ipsius, si enim non esset à societate tamquam à sola occasione, non potuisset dictum lucrum fieri, nequè à primo creditore, à quo Paulus transtulit in seipsum creditum erga Societatem, & sic creditum est eiusdem rationis in primo creditore, ac in illo cui conceditur ab eodem primo creditore: ergo tale lucrum est totum ipsius Pauli, qui occasione societatis sciuit illud facere.
39 Confirmatur, nam si Socius rem communem proprio nomine, non nomine Societatis administret, tunc lucrum fit totū ipsius, qui rem illā suo nomine administrauit, *l. si vnus ex socijs, §. si vnus, ff. pro socio, & l. si quis societatem, ff. eod.*
40 *tit.* licèt damnum teneatur resarcire, si quod socius passus est. *l. non ob eam, & l. & ideò, ff. pro socio.* & videatur Bartolus *in l. si Patruus, Cod. Communia vtriusque iudicij*, & Syluester *in verbo Peculium, 2. quæst. 17. & 18.* Ergo & erit Socii lucrum factum ab eo in administratione propriarum pecuniarum non tamquam Socius, sed tamquam tertia persona contra Socios, seu cum Sociis inter se, sed non cum illo, saltem in tali negotio, ex quo fit, quòd cùm sit velut extraneus, non tenetur ad damnum, quia est impropriè damnum, & propriè est solutio debita.
41 Vltimò suadetur benè fecisse Paulum, quia quando aliquis propriæ studet vtilitati absquè alterius præiudicio, non potest damnari; cum ergo Paulus habeat proprias pecunias otiosas in domo, potest illas occupare cum lucro, seu fructu, & sic fuerunt occupatæ, dum emit creditum, quod creditor habebat contra ipsum vt Socium cum Francisco; in quibus omnibus nulla apparet iniustitia nec contra creditorem, nec contra Societatem; nam ista tenetur debitum dare cum debiti fructibus, quousquè ex communibus lucris possit debitum soluere; & creditor poterat ius suum vendere, vel donare, &c. & tunc donatarius, vel emptor, vel ille quisquis sit, in quem transiuit creditoris ius in debitricem Societatem, licitè ab ea recipiet debita cum fructibus, nihil obstando quòd talis solutio fiat creditori, qui simul ex alijs motiuis, & capitibus est Socius; quæ omnia in Paulo, & fauore ipsius plenè, & planè iudico verificari, sicque in nullo Societatis iura fuisse ab eo violata, asseueranter pronuncio.
42 Nec refert, quòd Paulus duplicem personam agat, nempe & sit Socius, & sit creditor Societatis, quæ videntur implicare, maximè cùm nemo sit debitor, & creditor sui ipsius. Respondeo enim nullam esse implicantiam in facto, quando dantur diuersæ rationes, per quarum vnam quis est Socius, quia contribuit pecuniam ad commune lucrum; & per aliam est creditor, quia creditoris emit ius datis pecuniis propriis, & non comprehensis in Societate. Nec enim implicat, quòd facto contractu societatis, aliæ obligationes superueniant
43 Socio: sic fas non est contrahere Societatem, simul exigendo à Socio assecurationem pecuniæ, aut rerum, quæ contribuuntur, cùm periculum, & alia debeant esse Sociis communia;
44 nihilominus facta Societate, est licitum accipere pignora pro securatione pecuniæ socialis, vtà Socio restituatur, si extra negotiationem societatis pereat, seu ob culpam socii; Ità D. Antoninus *2. part. tit. 1. cap. 7. §. 38.* Nauarrus *cap. 17. num. 259.* & alii communiter. Imò in
45 eodem contractu societatis, possunt tres contractus interuenire, scilicet vnus societatis ad lucrū, & damnum pecuniæ tuæ, & operæ socii: secundus assecurationis, quo socius receptam pecuniam pro certo iusto pretio detrahendo de lucro verisimili maiori, quod speratur, siuè lu-

lucrum succedat, siuè secus ad rationem, v. g. quatuor pro centum assecuratis: tertius est, quo is, qui operam ponit, ad tollendas suspiciones, & molestias rationum, lucrum incertum verisimile, quod modò maius, modò minus esse potest, certo aliquo lucro minore simul cum sorte postea reddendo redimit, vel illud certificat pro aliquo pretio minore detrahendum ex eodem incerto lucro per illud cer-
46 tificato. Hi tres contractus sunt liciti, si fiant successiuè, non verò simul, vt vult Caietanus *tract.* 17. *responsionum, cap.* 11. Alij tamen illos approbant, etiamsi simul quomodolibet fiant. Ità Maior *in* 4. *dist.* 15. *q.* 48. *&* 49. Nauar. *cap.* 17. *num.* 254. Syluester *verbo Societas*; 1. *quæst.* 2. & alij plures ex Theologis, & ex Iurisperitis: ergo Paulus in nostro casu potuit esse Socius, & Creditor, prout supra propositum est.

47 Ad argumenta, quæ videntur impugnare nostram opinionem, respondeo ea nihil conuincere; nam ea quæ adducuntur *sub num.* 10. *vsque ad* 19 *inclusiuè*, dicendum est fuisse æqualitatem seruatam à Paulo cum socio Francisco, quem non decepit, quia in ijs, quæ videntur æqualitatem excedere Paulus se gessit vt creditor, non vt Socius.

Ad dicta *num.* 20. *&* 21. patet resolutio per alia dicta *num.* 38.

Ad mutuum prætensum *num.* 22. *&* 23. non admitto esse mutuum, sed veram adeptionem iuris exigendi debitum à Societate, vt probaui *num.* 27. & sic est similiter dicendum ad cætera omnia adducta *num.* 24. 25. *&* 26. ergo nihil probant.

48 Aduerto deniquè, quòd cùm Paulus in nostro casu esset ille, qui ex consensu Socii administrabat res Societatis, sic non potest dici, eum secretè accepisse fructus, vel etiam capitale debiti, quod fuisset soluendum Brixinonæ; etenim sicuti poterat nullo facto verbo cum Socio, à cumulo lucrorum Societatis separare quantitatem debiti, & fructuum, & omnia transmittere ad creditorem; sic eodem modo potuit omnia sibi dare vt creditori Societatis, & Francisci, cui suo tempore sat erit reddere rationem per exhibitionem computorum, vt videat suam fidelem administrationem; & sanè Franciscus non conquereretur, quòd Paulus soluerit vnà cum debito etiam fructus, nil cùrans quòd creditor sit Paulus, vel Thomas, dummodò verus creditor sit solutus, sicuti est in præsenti facto, in quo nulla Pauli contra Socium apparet deceptio, quæ si daretur, de dolo Paulus teneretur, nam de dolo tenetur Socius *Instit. de Societate.* §. *Socius socio. &* *l. cum duobus,* §. *venit. &* *l. Socius socio*, *ff. pro Socio.* vbi & dicitur item teneri de culpa lata, & leui,
49 quia Societas est cõtractus factus gratia vtriusque, & in similibus contractibus soluendum est damnum, quod prouenit ex dolo, & ex leui, & lata culpa. *l. Contractus, ff. de regul. iuris. &* *l. si vt certo.* §. *nunc videndum*, *ff. commodati.*

---

# DECISIO LXXIX.

*An cesset, tum præceptum Superioris, sic volente subdito, in cuius gratiam fuit factum, tum illud Regulæ alicuius Religionis, ne Superiores vtantur Scientia Confessionis in regimine, nec Capitulares in suffragando, si pænitens liberat eos à sigillo.*

## Casus, seu Historia LXXIX.

### SVMMARIVM.

1 *Casus proponitur.*
2 *In præsenti sunt quinque dubia.*
3 *Sigillum Sacramentale vnde dicatur:*
4 *Frangens illud peccat dupliciter.*
5 *Secretum naturale non semper obligat.*
6 *Secus Secretum Sacramentale.*
7. 8. 9 *De obligatione seruandi sigillum.*
10 *vsque ad* 26 *An Confessarius possit iuuari scientia Confessionis in externo regimine, & ponuntur varij casus.*
27 *Nec cum pænitente licet vti scientia Confessionis etiam per signa.*
28 *Quid si Confessarius errauerit.*
29 *Præceptum impedit vti notitia Confessionis in mea Religione.*
30 *vsque ad* 43 *Præceptum in virtute Spiritus Sancti soli Prælati possunt dare, non verò Abbatissæ, nec Principes, & si detur, ad quid obliget.*
44 *Materia leuis, si premat est grauis.*
45. 46 *Cessante causa cessat effectus.*
47 *Præceptum est quædam lex.*
48. 49. 50 *An cesset lex, cessante fine.*
51. 52 *De censura ad reincidentiam.*
53 *Lex non obligat vltra eius finem.*
54 *vsque ad* 58 *A proœmio legis intelligitur mens Legislatoris.*
59. 60 *Sensui, non verbis Legis est standum.*
61 *vsque ad* 69 *Præceptum quando cesset ratione*

con-

*conditionis, vel causa.*

70 *An sit contemptus præcepti impedire illius finem.*

71 *Liberatio à sigillo, an liberet à præcepto.*

72 *Manuscripta à Religioso sunt ipsius.*

73 *Grauitas furti vnde metiatur.*

74 *An teneatur denunciare furem, qui solus eum nouit.*

75 *Vnus testis an sufficiat denuntians matrimonij impedimentum.*

76 *Fur non tenetur se prodere.*

77 *vsque ad 84 Impugnatur quadragesima quarta ex propositionibus damnatis ab Alexandro Septimo.*

1 IN Religione N. quidam Religiosus ibat de suo Conuentu, ad quamdam Ciuitatem, vt in eius Cathedrali cursum Quadragesimalium concionum perageret. In itinere fuit hospes benignè receptus à Superiore alterius Religionis, non quòd spontè petierit hospitari, sed quia enixis precibus ab amico permiserat in Conuentu, cui idem hospitis amicus præerat, detineri. Contigit vt infortunium dulcem amicorum societatem felle condiret, nam concionatoris euanuere scripta, quæ supra mensam cubiculi sibi in hospitium designati; certissimè se deposuisse affirmabat. Premebat amissio, instabat enim amissæ mercis necessitas. Congregat Capitulum Prælatus, & formale promulgat præceptum, vt sub excommunicationis pœna, & in Spiritus Sancti virtute, quisquis aliquam de scriptis ablatis habet notitiam, hanc mediatè, vel immediatè illi participet, vt amissa reperiantur. Dum expectabatur an aliquis aliquam Superiori deferret notitiam, accessit ad hospitem Religiosus quidam eidem hospiti in amicitia coniunctus, & nulla præuia interrogatione dicti Religiosi, huic proprio motu dixit hospes: si tu mea scripta sustulisti, ego tibi illa dono, immò & omnium, quæ habeo, Dominus es, & ideò ego te libero ab obligatione præcepti in mei gratiam facti. Gratias tibi ago, respondit Religiosus ille, qui statim ad alia diuertit sermonem, verè enim ille fuerat, qui scripta acceperat, non vt furtum faceret, ac amico afflictionem præberet, sed vt amicum apud se diutius retineret, licèt ex dono spontè illi facto, motiuum traxerit non ampliùs scripta restituendi, prout ab initio restituere intendebat, neque per præceptum iudicabat se obligatum, cùm ab eo in cuius gratiam erat factum, absolutionem habuerit. Igitur Prælatus nihil vnquam nouit de amici hospitis sui amissis scriptis, nisi quòd in Sacramentali Confessione subditi Conuersi suspicionem concepit contra tertium; propterea ex venia pœnitentis vsus est scientia Confessionis nonnulla disponens ad regimen spectantia, non obstante formali Regulæ præcepto, quo & ipsi Prælato prohibetur sub Excommunicatione, & in virtute Spiritus Sancti, ne scientia Confessionis vtatur in materia regiminis, at illa censuit posse ordinare ipse Prælatus, ex vi liberationis à sigillo Sacramentali, ei à pœnitente absolutè concessæ; sed an Regulæ, vel Superioris præceptum fuerit licitè habitum pro annullato à voluntate, seu dispositione subditorum, rationabiliter reuocatur in dubium, quod mihi proponitur, vt quid sentiam pronunciem.

2 Et dubia, quæ veniunt in præsenti resoluenda, vt Casus quoad omnia decidatur, video esse quinquè.

Primum est de sigillo, vt sciatur quando rumpitur, nec ne, à Prælatis maximè.

Secundum est circa particulare præceptum, quod fit in gratiam alicuius subditi, an possit ille reddere nullum, aut obligans tale præceptum, prout ipsi libuerit.

Tertium est, an Præceptum insertum in corpore Regulæ, seu Constitutionum nonnullarum Religionum, ne Superiores vtantur scientia confessionis in materia regiminis, nec Capitulares in dandis suffragijs, intelligatur non obligare, quando pœnitentium accedit facultas, quæ liberat à sigillo.

Quartum est, an donum factum à Concionatore illi Religioso, admittat aliquam Paupertatis violationem, tum in dante, tum in recipiente, supposito quòd in nullo Superioris licentia sit petita.

Quintum est, an si dicta scripta fuissent furata, fur peccasset lethaliter.

§. I.

*Quid sit sigillum, & an saluo ipso liceat aliquando eo vti.*

3 AD primum dubium respondeo, quòd *sigillum Sacramentale* ita est nominatum, quia est quoddam signaculum, & operimentum tegens, & celans exposita in Confessione, quæ est Sacramentum; & ideo si quis illud 4 aperit, dupliciter peccat grauiter ex duplici malitia in Confessione aperienda, scilicet contra Religionem, & contra iustitiam. Obligat enim plus omni secreto naturali hoc Sacramen-

mentale taliter, quòd quamuis secretum naturale non semper obliget, vt esset si eius obseruatio fieret cum damno Reipublicæ, sicut do-
6 cent communiter DD. tamen secretum Sacramentale in nullo casu, qui mente, aut intellectu potest imaginari, aut fingi, licitè potest infringi; & hoc adeò verum est, vt inuiolabile sit semper seruandum sigillum, etiamsi ageretur de illo frangendo ad tuendam fidem totius orbis, vel ad saluandam Papæ, aut Regis vitam,
7 vel pro conseruando toto mundo. Item & hoc est tam strictè verum, vt si Confessarius non possit proprium suum peccatum confiteri, nisi sigillum frangat, non tenetur illud peccatum dicere, sed debet illud tacere, donec Confessarij habeat copiam, apud quem saluo sigillo possit loqui. Ità Nauarrus *in manuali cap.* 8. *num.* 6. *& in cap. Sacerdos de pœnit. num.* 166. Syluester *verbo Confessio*, 3. *num.* 2. §. 4. Toletus *lib.* 3. *Summæ*, *cap.* 16. *num.* 3. *&* 4. Armilla *verbo Circumstantia*, *nu.* 11. Ledesma *quæst.* 10. *art.* 1. *dub.* 7. *& art.* 5. *dub.* 5. Henriquez *lib.* 3. *de pœnit. cap.* 19. *num.* 5. *& cap.* 20. *nu.* 5. Paludanus *in* 4. *distinct.* 21. *quæst.* 3. *art.* 2. & cæteri ex Doctorum caterua. Ergo multò magis non licitum erit sigillum frangere, vt priuata Monasterij vnius gubernatio ad virtutis
8 normam reducatur. Et nominati Doctores, imò & alii asserunt debere Confessarium quælibet atrocissima tormenta subire, potiùs quàm
9 vel in minimo sigillum violare. Quamuis autem dixerim non esse excogitabilem casum, in quo liceat hoc sigillum frangere, exclusum tamen suppono illum, in quo ipsemet pœnitens concedit ex iustissima causa facultatem Confessario, vt de à se auditis ab eo in Confessione extra Confessionem loquatur.

10 Non ergo est dubium, quin semper sigillū sit obseruandum; sed an liceat Prælatis, imò & quibusuis Confessariis iuuari scientia confessionis in ordine ad directionem externam, vt est regimen, arduas continet difficultates. Has vt explanem, non agam in præsenti an id liceat, etiamsi extet legis Præceptum, ne tali scientia vtantur Prælati, sed absolutè considero quæstionem in se ipsa, & statim respondeo me de hoc duplicem inuenire sententiam. Vna affirmat, sed quia continet arduas circumstantias, vt ad praxim reducatur, remanet sententia vix subsistens, vnde omnino sequenda est opinio negans, vt mox dicam. Igitur Prima sententia dicit esse licitum Prælatis, & Confessariis vti notitia confessionis in externo regimine, præcipuè in rebus gratuitis, & sic in electione ad officia, ad superioratum, & ad honores Religionis poterunt non promoueri ij, qui ex scientia confessionis sciuntur indigni. Et similiter iam promoti poterunt amoueri, nisi officium sit perpetuum, vel ad tempus certum durabile, quia tunc habent ius ad illa officia, & ideò requiritur causa pro foro externo producenda, & cognoscenda. Hanc sententiam tradunt ex Summistis Syluester, *verbo, Eucharistia* 3. *quæst.* 5. §. 7 Rosella, *verbo*, *Confessionis celatio*, *num.* 2. Tabiena, *eod. verbo*, *num.* 5. ex Theologis, D. Thomas *in* 4. *distinct.* 21. *quæst.* 3. *art.* 1. *quæstiunc.* 1. *ad* 3. *& quodlib.* 5. *art.* 13. D. Bonauentura, *in* 4. *distinct.* 21. *in* 2. *part. vbi agit de sigillo confessionis, art.* 2. *quæst.* 1. *nu.* 62. Scotus, *ibi*, *quæst.* 2. *art.* 3. *&* 4. Durandus *in* 4. *distinct.* 9. *quæst.* 5. Paludanus *in* 4. *dist.* 21. *quæst.* 3. *art.* 3. *num.* 60. Sotus *in* 4. *distinct.* 18. *quæst.* 4. *art.* 5. *ad finem, vers. de his autem subditorum officijs*; *& de tegendo secreto*, *membr.* 2. *quæst.* 4. *post quintam conclusionem*, *dub.* 1. Bartholom. Ledesma *de pœnit. num.* 32. *conclus.* 7. *ad med.* & super canones Rebuffus *in cap.* Omnis, *de pœnit.* § *suscipiens reuerenter*, *vers. octauo non debet*, Turrecremata *in cap. Sacerdos*, *de pœnit. distinct.* 6. *art.* 1. *num.* 10. *& ibi* Nauarrus *num.* 146. & alii multi, inter quos Henriquez, Alensis, Altisiodorensis, Capreolus, Gandauensis, D. Antoninus, Medina, Victoria, Lopez, Capua, Viualdus, Rodriguez, Adrianus, alter Ledesma, Soarius, & Corduba, quos breuitatis gratia sufficit nominasse, suppressis locis, vbi hoc dicant. Ratio autem id suadens, est multiplex, sed inter potissimas est, quòd Confessarius tenetur non manifestare personam, ne sigillum frangat; ergo tacita persona, & non manifestata, poterit vti notitia habita ex confessione in bonum commune, in bonum proximi, & in bonum ipsius pœnitentis.

11 Item, quia si Confessarius non daret votum suo pœnitenti antequam eius pœnitens fieret, non posset de hoc ipse pœnitens conqueri; ergo neque postquam factus est pœnitens; sed irrationabiliter suspicaretur fuisse ei denegatum suffragium gratuitum ob peccatum confessum.

12 Item, nam Confessio non tribuit ius nouum confessario; ergo nec tollit antiquum; ergo sicuti poterat Prælatus non conferre officium, denegare honorem Religionis, amouere, &c. ante confessionis auditionem; ita & eadem præstare poterit post confessionis exceptionem, etiamsi iuuetur notitia in cōfessione acquisita.

13 Item, quia licet Confessio fiat homini, vt

Deo,

Deo, tamen notitia subiectatur in hominis intellectu, & ex hac parte est humana; ergo poterit Confessarius vti illa ad dirigendos actus externos, si sinè iniuria, & præiudicio alterius, & sinè scandalo id possit facere, sicuti fit in casu, prout supponimus, non dari periculum suspicionis in alijs, nec iniuriam irrogari ipsi pœnitenti.

14 Ex dicta opinione infertur, pòsse Confessarium, vel Prælatum fieri prudentiorem ex notitia habita in confessione, vndè benè faciet publicando leges opportunas, vt subditi impediantur à peccatis, quæ in confessione nouerit perpetrari: similiter in aliis sui regiminis poterit iuuari dicta notitia. Ita expressè Sotus *in 4. distinct.* 18. *quæst.* 4. *art.* 5. *& in relect. de tegendo secreto, membr.* 3. *q.* 4. Syluester, *verbo Confessio*, 3. *q.* 9. Ledesma, *quæst.* 10. *art.* 5. *dub.* 4. & alij. Ergo potuit Prælatus in casu nostro, qui ex notitia ei data à subdito Conuerso in Sacramentali confessione, sciebat quid expediret in regimine, illud idem ordinare, non solùm quia à pœnitente liberatus fuit à sigillo, sed etiam, si sigillo esset à pœnitente astrictus; sed hæc vera sunt, non dato in con-

15 trarium aliquo præcepto, nam si hoc datur, aliter est differendum, vt videbimus in responsione ad tertium dubium ex contentis in præsenti

16 casu: Et item vera sunt, si vsus sit iure suo ille Prælatus, absquè eò quòd sigillum frangat, quidquid sit, quòd alij, & ipse etiam pœnitens suspicentur facta ob notitiam confessionis, nam id irrationabiliter cogitant, sicut & irrationabiliter à confessione retraherentur.

17 Pariter sequuntur plures alij casus, qui posita probabilitate prædictæ sententiæ, quam probabilem esse non nego, si rectè intelligatur, poterunt liberare confessarios à multis angustijs. Sic si sciat Sacerdos ex confessione fuisse immixtum venenum in vino Sacrificij, poterit periculum declinare, vel fingens ægrotationem, ne celebret; vel simulans effusionem vini venenati sequutam casualiter, & aliud vinum petere, vel similia faciens, quæ non sunt actiones reuelatiuæ confessionis, licèt aliqui sint suspicaturi ipsum Sacerdotem vti scientia Confessionis, hoc enim iudicium sibi imputent alij, nam Sacerdos in illis circumstantijs, non ponit actionem iniuriosam pœnitenti.

18 Sic si Confessarius neget pœnitenti instrumentum, quod scit ex confessione peti ad illum occidendum. Sic si non ampliùs confiteatur ei, quem in Confessione nouit non Sacerdotem. Sic si Confessarius se contineat domi tali hora, quia in Confessione didicit à pœnitente quòd tali hora vult eum occidere. Sic si Episcopus negat beneficium conferre ei, quem in confessione cognouit indignum. Sic si Prælatus ex notitia Confessionis amouet subditum ab vno Conuentu, & eum transfert ad alium distantiorem, vt ei cesset occasio peccati. Sic si subditum priuaret officio, à quo ad nutum tenetur discedere. Sic si Superior domus ex præcisa Confessionis scientia non concederet alicui Religioso licentiam egrediendi foras. Sic tandem in mille alijs consimilibus casibus.

19 Nec solùm licet prædicta fieri à Prælatis, vel à Confessarijs priuatis, sed ad ea tenentur in conscientia, iuxta opinionem Paludani *in 4. quæst. 5. de confess. post dubium nonum, vers. ad 3. in principale*, Nauarr. *in cap. Sacerdos, de pœ-*

20 *nit. & remiss. dist. 6. num.* 146. & alii. Tamen probabiliùs est oppositum, & sic poterit quidem licitè vti tali scientia confessionis, non verò adest obligatio vtendi ea; quia est medium nimis difficile, & arduum, & nimiùm periculosum, vt sigillum frangatur, cum tot requirantur cautelæ, & circumstantiæ, & propterea ad id non est quis obligatus, quod vix fieri practicè potest, quamuis speculatiuè videatur licitum.

21 Cæterùm dicendum est, nullatenus esse sequendam dictam opinionem, quæ non firmis, & solidis innititur rationibus: Et quidem non subsistit prima *sub num.* 10. posita, quia non solùm non est manifestanda à Confessario persona, sed nec sunt reuelanda cætera, quæ aliquo modo directè, vel indirectè offendunt sigillum, nam hæc reddunt sacramentum odiosum, & ab eo rationabiliter retrahunt, & ista verificantur in modo operandi iuxta dictam sententiam.

22 Ad rationem *num.* 11. allatam, manifestè constat, quòd quamuis non possit conqueri ille, cui negatur suffragium antè confessionem; tamen post confessionem rationabiliter conquereretur, facilè est enim credere id fieri ob notitiam sacramentalem, sicque Sacramentum fit odiosum.

23 Ad rationem *sub num.* 12. dictam, admittendum est non acquiri nouum ius Confessario per Confessionem, nec deperdi antiquum, si tamen ante sciebat id, quod postea discit in Confessione; at si didicit quid nouum, obligatur non vti ad actus externos dirigendos.

24 Ad rationem *num.* 13. adductam, dico, quòd notitia subiectata in humano intellectu ex Confessione pœnitentis, non potest inseruire nisi pro foro diuino conscientiæ.

25 Sententia igitur opposita prædictæ, est omnino tenenda. Ratio est, quia Sacramentale sigillum obligat adeò inuiolabiliter, vt nullo modo notitia illius deducatur ad forum externum, nec externorum actuum, vtpote à Christo institutum in salutem animarum, itaut hominibus non reddatur graue, nec formidabile, nec odiosum, & ideo nullatenus licet, quod inseruire potest ad illud odiosum reddendum, seu quod poterit ab eo homines retrahere: sed sic est, quòd nihil magis retrahet à Confessione, & confessionem faciet odiosam, quàm scire, posse v. g. subditum priuari officio, aut Conuentu à Prælato; vel posse sibi denegari suffragium in electionibus, ob notitiam habitam in confessione: ergo non licet vti tali notitia in

26 actibus exterioribus. Hinc rectè notauit Sanchez *lib. 3. de matrim. cap. 16. num. 3. fine*, quòd ad homines auertendos à Confessione, sufficit si sciant posse Superiores iuuari notitia confessionis ad regimen actuum externorum, quare opinio prima, non est docenda, nec ad praxim deducenda, velut perniciosa hominibus, & nociua Sanctitati, ac Religioni Sacramenti Pœnitentiæ.

27 Et hæc secunda sententia suadetur verior, quia si Confessarius non potest loqui cum ipso pœnitente, nec ad bonum finem spiritualem, nisi loquendi ab eodem licentiam obtinuerit; & taliter tenetur ad sigillum, vt neque signis possit in pœnitentis memoriam reuocare Confessionem, neque gestum facere, quo pœnitenti confusionem, aut mœrorem afferat; ergo multò minùs non licebit posse illum priuare officio, aut alio commodo, nam sic virtualiter ei obijcitur suum crimen expositum in Sacramentali sigillo, quod fieri prohibetur per *cap. omnis vtriusque sexus fidelis, de pœnit. & remiss. in 6.*

28 Et confirmatur, quia nec errorem substantialem in confessione commissum à Confessario, potest confessarius remediare, nisi expresse pœnitens det licentiam loquendi, aliàs neque gestu, aut nutu, aut suspicione poterit id pœnitenti indicare: ergo falsa est prima opinio, & ideò hanc secundam docent Richardus *in 4. distinct. 21. num. 4. quæst. 2. ad 4.* Bañes, *2. 2. quæst. 33. art. 8. ad finem*. Armilla, *verbo Confessor, num. 7.* Sanchez *vbi supra, num. 4.* Valentia *tom. 4. disput. 7. quæst. 13. puncto 3.* Soarius *tom. 4. de pœnit. disp. 33. sect. 7. num. 4.* Angelus, *verbo Confessor, vltimo, num. 14.* & alij, sed vnus pro mille sit Clemens VIII. qui in decreto de casibus reseruatis facto pro Regularibus anno 1594. die 20. mensis Maij, sic loquitur: *Tam superiores pro tempore existentes, quàm Confessarij, qui postea ad superioratus gradum fuerint promoti, caueant diligentissimè, ne ea notitia, quam de aliorum peccatis in confessione habuerunt, ad exteriorem gubernationem vtantur.* Quid clarius ad rem nostram, vt hoc primum dubium remaneat decisum, & sic discant à Christi Domini Vicario supremo cæteri Inferiores, non eis licere vti scientia confessionis in materia regiminis, sicuti nec quilibet Episcopus, aut Parochus, aut priuatus Confessarius poterit iuuari notitia habita in Sacramentali sigillo ad actus externos dirigendos, quos actus non est opus adducere, cùm omnes adducti *num. 17. & 18.* pro prima sententia, inseruiant pro ista secunda, dicendo non licere aliquem eorum ponere, etiam adhibita qualibet cautela, & sub quolibet quæsito prætextu, aut colore; semper enim sunt omittenda quæcumque per se, vel per accidens, directè, aut indirectè, possunt verecundiam, vel sinistram suspicionem, vel nocumentum aliquod ingerere pœnitenti.

29 Et quamuis licitum esset Prælatis iuuari notitia confessionis in subditorum gubernatione, certum nihilominus erit, non eis id licere, si per præceptum Constitutionum prohibeatur. Ratio est, nam quando aliquid à lege, vel ab homine præcipitur sub pœna excommunicationis maioris, vt exempli gratia, si quis fecerit hoc, aut illud excommunicabitur; esto, quòd ante præceptum, illud facere non esset peccatum mortale, quod præcipitur, vel prohibetur sub pœna excommunicationis, ipso facto constituitur materia peccati mortali, præsumitur enim tunc intentionem legislatoris fuisse obligare transgressorem ad culpam mortalem, postquam comminatur pœnam, quæ non potest ferri, nisi pro peccato mortali. Sic Ledesma. *2. 4. quæst. 23. art. 3.* Sotus *4. distinct. 22. quæst. 1. art. 2. conclus. 1.* Couarruuias *in cap. alma mater, §. 9. num. 2. de sent. excommun. lib. 6.*

30 ergo hæc forma, fac, aut non facias hoc, vel illud, sub pœna excommunicationis, continet virtualiter in se præceptum graue, à quo sequi-

31 tur obligatio; Prælati enim sunt Iudices Ecclesiastici, seu in spiritualibus, & eò ipso, quòd sub tali pœna præcipiunt, constituunt illud vt præcipuam virtutem, cuius omissio, vel commissio, fit mortalis. Quidquid igitur sit, an liceat, necne Confessarijs priuatis, vel etiam Prælatis in Religionibus iuuari scientia confessionis in ordine ad regimen externorum actuum; illis nullatenus licebit postquam ac-

ces-

cessit præceptum id prohibens in virtute Spiritus Sancti, ac sub pœna excommunicationis, quia sic remanet constitutum peccatum mortale id, quod excluso præcepto non erat tale.

32 Certissimum est etiam, quòd talis forma præcipiendi in virtute Spiritus Sancti, ac in virtute Sanctæ Obedientiæ, spectat solummodo ad Prælatos Ecclesiasticos potestate spirituali præditos, numquam tamen Principibus sæcula-
33 ribus; & neque Abbatissæ possunt sub ea forma Monialibus sibi subditis præceptum impone-
34 re, quod si imponant, factum non tenet, ita vt obliget instar præcepti sic impositi à Prælato. Ita docet Victoria *de potest. Eccles. q. 2. num.* 4.
35 Mart. Ledesma 2. *p.* 4. *q.* 20. *art.* 4. Teneret tamen tale præceptum, etsi factum sub forma ineptorum verborum, vndè & obligaret sub mortali, si materia sit talis, vt à Præcipiente possit sub mortali dicta materia præcipi. San-
36 chez *in decal. lib. 6. cap.* 4. *num.* 45. & quia subditus tenetur stare iudicio superioris, ideo & obligaretur ad obediẽdum, quando materia esset dubia, an sub mortali possit præcipi, prout tradunt Sotus 4. *distinct.* 22. *q.* 1. *art.* 2. *conclus.* 1. *corollar.* 1. Cordu. *in reg. D. Franci. cap.* 10. *q.* 3. *punct.* 1. Aragon. 2. 2. *q.* 62. *art.* 3. *col.* 6. §. *& si quis quærat*, & alij.

37 Sed regula generalis ad cognoscendum an sub mortali præceptum obliget, est si tradatur cum verbis declarantibus intentionem præcipiẽtis, sicuti quando iubet in virtute Obedientiæ, & hoc certum est inter Doctores, atquè ita docent D. Antoninus 2. *part. tit.* 4. *c.* 2. §. 3. *&* 3. *parte, tit.* 16. *c.* 1. §. 9. *ad finem*, Caietanus 2. 2. *quæst.* 186. *art.* 9. *circa solutionem ad* 2. Sayrus *in clau. reg. lib.* 3. *cap.* 7. *num.* 24. Azorius, *tom.* 1. *instit. moral. lib.* 5. *cap.* 6. *q.* 5. Ledesma 2. *parte* 4. *q.* 17. *art.* 2. *dub.* 6. Nauarrus *in sum. cap.* 23. *num.* 57. Tabiena *ver. lex, q.* 28. *num.* 29. & ibi Armilla *num.* 4. & alij innumeri.

38 Et quamuis aliqui doceant, intentionem præcipientis concurrere ad roborandam materiam præceptam, vel ad illam infirmandam, ita vt semel dato præcepto, velit, nolit ipse præcipiens, præceptum obliget iuxta materiæ grauitatem, vel leuitatem, vt volunt Victoria *relect. de potest. ciuil. num.* 19. & alij, quos refert Sanchez *summa, lib.* 6. *cap.* 4. *num.* 26. *statim in*
39 *initio.* Nihilominus *ad medium dicti numeri*, docet, quòd quando materia est grauis, adhuc pendet à præcipientis intentione, vt obliget tantùm sub pœna, vel solùm sub veniali, & ità
40 latè docuit *loc. cit. num.* 25. quos numeros 26. & 25. videre poterit cupiens scire rationes vtriusque opinionis, & qualiter author respondeat contrarijs, nam nobis hoc loco est satis adduxisse prædicta circa materiam, ac formam præcepti Superioris, vt sciatur qualem vim habeant præcepta, de quibus agimus in præsenti. Et ideò sufficiat dixisse Prælatos non posse iuuari scientia confessionis ad externam gubernationem, tum ex vi facti illiciti ex se, vt probauimus supra; tum ex vi præcepti per Constitutiones ipsis impositi in forma grauem obligationem inducente, & quidem in materia graui, sicut infra patebit ex resolutione quinti du-
41 bij propositi in isto casu, fateor namquè, quòd si materia præcepti esset leuis, non posset sub mortali præcipi, nec de ea excommunicatio imponi, vndè non obligabit sub mortali præceptum de tali materia leui, quantumcumque intendat Legislator obligare ad mortale, & quibuscumque verbis, & pœnis vtatur. Sayrus *de censuris, lib.* 1. *cap.* 9. *num.* 5. Sanchez *summa, lib.* 1. *cap.* 4. *num.* 4. & alij.

## §. II.

*Examinatur, & resoluitur secundum dubium propositum num.* 2.

42 AD secundum dubium iam est respondendum, vt videamus an subditus, in cuius gratiam Superior fecit præceptum, hoc possit tollere, annullare, cassare, aut non obligatorium reddere, prout exponitur fecisse illum concionatorem in nostro casu præsenti. Pro parte affirmatiua videntur stare varia fundamenta. Primum est, quòd pœnitens licèt habeat rationem subditi respectu confessarij, qui habet præceptum non reuelandi confessionem, potest nihilominus hoc præceptum tollere, & licitum reddere ipsi Confessario, vt dicto præcepto non obligetur, concedendo ei facultatem loquendi de auditis in confessione: cùm ergo præceptum Prælati non tantum releuet, quantum præceptum non infringendi Sacramentale sigillum, poterit à fortiori per subditum infirmari vt non obliget, si tale præceptum Superioris sit factum in gratiam eiusdem subditi, sicuti præceptum seruandi sigillum confessionis, est in gratiam pœnitentis, qui propterea ab eo deobligat.

43 Secundum fundamentum est: si quis iurat se donaturum aliquid alteri, est obligatus iuramentum adimplere, nisi ab obligatione illud adimplendi liberetur ab eodem, in cuius gratiam

tiam fuit factum iuramentum, vt aliis notatis notat Diana *in summa, verbo Iuramentū, n. vltimo.* ergo & obligatio ex vi præcepti inducta in gratiam alicuius, poterit ab eodem relaxari, in cuius gratiam fuit factum, nam eadem ratio videtur de iuramento, & de præcepto in tali casu.

44 Confirmatur, nam si aliquis propter alterius instantiam promittit ei aliquid gratum, & optatum, peccabit si promissum non tribuit; sed an grauiter, vel leuiter peccet, non est spectandum ex materia promissa, sed an multùm, vel parùm intersit illius, cui promissio in cuius gratiam erat facta; & ità docet Sanchez *in decalog. tom. 1. lib. 3. cap. 15. num.* 18. ergo obligatio nata in aliquo in gratiam alicuius, aut grauiter, aut leuiter, aut nullatenus obligabit, prout grauiter, aut leuiter, aut nihil habebit premere ei, in cuius gratiam obligatio illa ortum duxit, & consequenter præceptum Superioris factum in gratiam subditi, intantùm habebit vim obligandi, inquantùm voluntas subditi instabit vt obliget, vndè & in toto poterit à subdito tale præceptum infirmari.

45 Tertium fundamentum est, quia causa ob quàm Superior facit præceptum ad inueniendam rem furatam est, vt Domino rei satisfiat; ergo si Dominus rei non curat de satisfactione, præceptum corruit, nec ampliùs durat intentio Superioris, vt suum præceptum subsistat, siquidem cessante causa cessat effectus, per *l. adigere, §. quamuis, ff. de iure patro.* & sic Superioris præceptum poterit annullari ab eo, in cuius gratiam fuit factum. Vide *decisione* 41. *num.* 36.

46 Confirmatur magis hoc tertium fundamentum, si Superior ideò præcipit, quia alter vult vt præcipiat, nam in isto casu Superior habet totam voluntatem suam pendentem à voluntate alterius; ergo Superior cessabit velle subsistentiam sui præcepti, quando præceptum tale cessabit esse volitum à subdito, à cuius voluntate dependentiam habet voluntas præcipientis. Igitur si in nostro casu ille Concionator voluit, vt Superior præceptum faceret, & Superior illud fecit, quia sic est subditi Concionatoris voluntas, iuxta hanc voluntatem præceptū similiter annullabitur, & sic à subdito poterit præceptum Superioris in isto casu cassari.

47 Fundamentum quartum esse potest, quòd cùm præceptum sit quædam lex (disponit enim quid agendum, vel non agendum sit, tùm lex, tum præceptum) sic quemadmodum cessante fine legis cessat lex; ità & cessante fine præcepti, cessabit præceptum; sed tota cessatio finis præcepti facti in gratiam alicuius, ponitur ad arbitrium eiusdem, pro cuius gratia est factum præceptum: ergo quamuis sit subditus ille Concionator nostri casus, poterat totum Superioris præceptum annullare, non solùm quoad omnes, non curans vt sua scripta reperiantur, sed etiam quoad aliquem particularem, quem ipse liberat ab obligatione restitutionis suorum scriptorum, casu quo ille ea acceperit, ac surripuerit, sicut casus ex-

48 positus narrat euenisse. Ratio est, quia cessante fine legis in particulari, cessat quoque lex in particulari, vt docent Nauarrus *tom. 4. comment. in rubr. de iudicijs, num.* 74. Abbas *in c. quia in insulis, de Regularib.* Sà *verbo lex, num.* 1. *ver. ludus, num.* 1. Angelus *eod. verb. num.* 4. *cas.* 7. Megala *in* 2. 2. *lib.* 2. *c.* 7. *q.* 2. *num.* 55. &

49 alij; & sic deducitur ex authoritate *legis, quæ de tota, ff. de rei vendit.* vbi docetur valere argumentum de toto ad partem, ideò debet in particulari lex cessare, quando legis finis ces-

50 sat in particulari, quemadmodum lex cessat si eius finis cessat adæquatè in generali, sicut tenent communiter Doctores: ergo &c.

51 Quintum fundamentum sit: Si aliquis innodatus censura absoluatur ad reincidentiam ad instantiam partis, verbi causa sic: *absoluo te, si intra triduum solu.s*, & creditor inscio Iudice prorogat debitori terminum, in tali casu debitor non reincidit si intrà triduum non soluit, quia terminus iudicis datus fuit in fauorem partis, quæ proinde prorogare illum potest, vt notat Diana *Summa, verbo Absoluere*

52 *à Censuris, num.* 88. qui terminus prorogatus si transeat, & absolutus non soluerit, iterum reincidit absquè alia Iudicis sententia. Idem *ibidem*. Ergo nec incidit in Excommunicationem, nec in peccatum ille, qui non stat præcepto Superioris, si à tali præcepto liberatur ab illo, in cuius fauorem Superior tale præceptum dederat, sicque à subdito Superioris præceptum potest in nostro casu annullari, sicut à creditore annullatur terminus assignatus à Iudice ad reincidendum in censuram, vt dictum est; & paritas videtur omnino currere inter casum dicti debitoris liberati à parte, cui debet, & inter casum nostrum.

53 Sextum fundamentum est, quia legislator per suam legem non intendit aliquem ligare, nisi iuxta finem, & numquam vltra finem, quem intendit, quia actus agentium non operatur vltra eorum intentionem, prout dicitur in Iure,

*l. in*

*l. in aqua, ff. de acquir. rer. domin. cap. fin. de pra.* at finis præcipientis in lege lata in gratiam alicuius, est, vt fiat res præcepta, quia volita ab eo, in cuius fauorem præcipitur; ergo vltra hunc finem non ligat intentio præcipientis; & sic si talis finis destruetur per contrariam voluntatem illius, in cuius gratiam erat factum præceptum, etiam præceptum destruitur, & annullatur à solo subdito. Finis autem, seu intentio legislatoris, aut præcipientis, intelligitur à verbis proœmij eiusdem legis, seu præcepti, quæ verba in casu nostro sunt. *Cùm fuerint ablata nonnulla scripta è cella Patris N. qui nos rogauit, vt ea inuenire studeamus; ideò iuxta eius instantiam præcipimus, volentes fieri supplicantis voluntatem, vt &c.* totus igitur finis, ob quem præcipiens condidit præceptum, explicatur in dictis verbis proœmialibus præcepti,
54 cùm proœmialia inducant causam finalem, iuxta *l. fin. ff. de her. instit.* & ibi Bartolus *num. 6.* & Imola *num. 4.* nam ex verbis proœmij col-
55 ligitur mens disponentis; Panormitanus *in cap. aduersus, de immunit. Eccles. num. 2.* sicut ex
56 præfationibus contrahentium intentio indagatur, *l. Titia, §. idem respondit, ff. de verbor. oblig.*
57 & ex præfationibus statutorum, probatur mens statuentium, secundùm Bartol. *in l. ambitiosa,*
58 *col. pen. de decret. ab ord.* & ad proœmium semper recurrimus, vt disponētis voluntatem coniiciamus, sicut colligitur in Iure à *l. 1. & in princ.* & ibi Bartol. *ff. ad Senatus consult. Macedon.* Igitur ex verbis proœmialibus præcepti, vt præfertur, cùm constet finem præcipientis fuisse, præcipere vt ablata scripta inueniantur, quia sic vult subditus, cuius sunt dicta scripta, videtur sequi dicendum cessare talem finem, si ipse subditus non ampliùs sic velit, & ita ab eodem subdito idem præceptum annullabitur, iuxta illius voluntatem, seu in toto, & quoad omnes, seu quoad àliquem.

59 Confirmatur, nam vbi agitur de adimplenda lege, aut præcepto, standum est sensui, & non verbis; vt habetur *ca. Marchi. 1. q. 1.* ibi, *ne putemus in verbis scripturarum esse Euangelium, sed in sensu, non in superficie, sed in medulla, non in sermonum folijs, sed in radice rationis*; vndè in
60 quadam decretali, *c. vlt. de re iud.* dicitur, quòd *is cõmittit in legem, qui verba legis amplectens, contra legis nititur voluntatem*; ergo in re nostra cùm verè constet, sensum præcepti facti à Superiore esse vt scripta inueniat, prout vult ille, qui ea amisit; consequenter à voluntate subditi præceptum pendet vt à fine, ac proinde cessante tali voluntate, cessabit præcepti finis, & cum fine ipsum præceptum, quod erit dicendum sic annullatum à subdito.

61 Confirmari vltimò potest, quia præceptum factum sub conditione, profectò non obligat, nisi purificata conditione; sed præceptum factum in gratiam alicuius, qui illud voluit, videtur continere conditionem, vt scilicet valeat, & liget, si ipse in cuius gratiam fit, sic velit: ergo si nolit, nullum erit præceptum. Igitur hucusquè probatum remanet posse præceptum annullari à subdito, in cuius gratiam iuxta eius voluntatem fuit factum. Verùm est tamen, me apud neminem Doctorem inuenisse examinatum hoc dubium, quod an iuxta veritatem in prædictis sit decisum, constabit ex infra dicendis *num. 67. & 68. & seqq.*

62 Antequam dem vltimam resolutionem huius secundi dubii, aduerto duplicem dari causam: vna est finalis, altera est impulsiua, & quãuis inter Doctores sit grauis difficultas in quo hæ duæ causæ consistant, vt notat Tiraquellus *tractatu cessante causa, tota limitatione prima*;
63 nihilominus dicendum est, in omnibus dispositionibus voluntarijs, causam finalem esse eam, quæ ita animum ad disponendum mouet, vt ad eam obtinendam, res electa dirigatur, vt ea non existente, quispiam minimè esset dispositu-
64 rus. Causa autem impulsiua est illa, quæ animum iam determinatum ad disponendum, impellit, seu incitat ad libentiùs, aut celeriùs, aut tali modo disponendum, ac proinde eâ non existente opus fieret, sed non eodem modo. Ita docent Aymon *cons. 142. num. 9. & cons. 19. nu. 21.* Ant. *c. post translationem, num. 34. de renunc. & ibi* Abbas *in totius tituli illius lectura, n. 18.* Beccius *cons. 20. num. 10.* Et alij, quos refert Tiraquel. *d. limit. num. 36. & 37.* Videatur etiam de hoc Syluester *verbo Votum, 2. quæst. 8.* & Angelus *ver. eod. 3. num. 5.* & Sanchez *de matrim. lib. 8. disput. 21. num. 8.*

65 Et supposita dictarum causarum diuersitate, habent quoquè diuersos effectus, & ideo si cesset causa impulsiua, non cessante causa finali, effectus non cessat, licèt cesset cessante causa finali propria, non impropria, qualis est causa impulsiua, cùm & ipsa ex sui intentione moueat
66 animum. Sic Vasquez *1. 2. q. 19. art. 7. disput. 70. c. 3. num. 11.* vndè quando textus *cap. cum cessante, de appellat.* & alij textus dicunt cessare effectum, cessante causa, debent intelligi, cessante causa finali, vt optimè notat Syluest. *loc. cit.* Angel. *loc. cit.* Azorius *lib. 11. instit. moral. cap. 15. quæst. 3.* Abbas *cap. Magna,*
67 *num. 14. de Voto*; & alij. Quando igitur Superior

rior facit præceptum in gratiam alicuius, qui se habet vt causa tantùm impulsiua respectu Su-
68 perioris in talis præcepti editione, præceptum non cessabit, nisi à solo Superiore reuocetur. At quando causa finalis vera dicti præcepti, est ipsa voluntas subditi, videlicet quia subditus sic vult, ideo Superior mouetur ad præcipiendum, aliàs non moueretur, tunc cessante tali causa finali, seu tali voluntate in subdito, cessat præceptum, sed cum ista distinctione, quòd si Superior dum facit præceptũ est motus à causa finali non existente, præceptum non tenet; sicque si causa finalis sit subditus, quia vult vt fiat præceptum, at verè subditus hoc non vult, tunc per nolitionem subditi annullatur, vel potiùs nullum remanet dictum præceptum: si verò dum Superior facit præceptum motus tamquam à causa finali à subdito, quia sic vult, verè subditus sic vult, præceptum tenet, nec à subdito poterit annullari per quamcumque nolitionem subsequentem, contra primam volitionem, nisi illa nolitio subsequens talis sit, vt per eam cesset causa finalis vera, in cuius gratiam erat factum præceptum; non enim video quare non cesset lex, si cessat finis.

69 Nec refert, quòd prima fronte appareat absurdum, à subdito annullari præceptum Superioris. Respondeo enim nullum esse absurdum, quando Superior facit præceptum prout ei libet, vndè si ei placet illud ponere in arbitrio alicuius subditi, vtitur sua auctoritate, & subditus poterit & ipse velle, vel nolle vt præceptum obliget, non per vsurpationem facultatis superioris, sed per concessionem facultatis ei demandatæ à Superiore sub tali forma, & ob talem finem præcipiente.

70 Dices, impedire finem præcepti, æquiparatur contemptui eiusdem præcepti, vt docent Caietanus *sum. verb. præcepti transgressio, vers. commune est autem*. Armilla *ver. præceptum, num.* 4. Valentia 1. 2. *disput.* 7. *q.* 5. *punct.* 6. & alij: ergo non potest ille subditus, de quo in casu, impedire finem præcepti, & hoc annullare. Respondeo primò, quòd quamuis esset peccatum contemptus præcepti, impedire finem illius, nihilominus cessante fine, præceptum adhuc cessaret, quidquid sit an cessauerit per peccatum alterius. Respondeo secundò, quòd contemptui præcepti æquiparatur velle impedire præcepti finem, quando aut sequitur scandalum, aut fit contra legislatoris intentionem. Exemplum sit in transgrediente præceptum Regulæ, quod non obligat ad mortale, nam si tale transgrediatur, vt finis Regulæ impediatur, certè erit mortale, cùm indè sequatur scandalum, & sit contra mentem legislatoris. At quando non sequitur scandalum, nec fit contra intentionem præcipientis, vt est in nostro casu, non contemnitur neque interpretatiuè præceptum.

§. III.

*Resoluitur tertium, quartum, & quintum dubium propositum, num.* 2.

71 AD tertium dubium patet responsio ex dictis ad secundum, nam quia non cessat finis pręcepti inserti in corpore Constitutionum alicuius Religionis, ne Supriores in regimine, nec Capitulares in suffragando vtantur notitia confessionis, quamuis pœnitens eos liberet à sigillo, ideò numquam cessat pręceptum. Quapropter sciendum est, quòd dictum præceptum, licèt ex parte sit in gratiam pœnitentium, principaliter tamen est in gratiam boni regiminis politici totius Religionis, quod requirit ne Superiores, nec Capitulares immisceant Sacramentum in externis actionibus suis, & sic dictum præceptum est fauorabile Sacramento Pœnitentiæ, ac consequenter nec hoc Sacramentum, nec vniuersale regimen Religionis possunt priuari iure suo eis concesso per tale præceptum Constitutionum, seu Regulæ, per hoc quòd pœnitens det veniam Confessario Prælato, aut Capitulari, vt sigillum non seruet, quamuis cum eodem pœnitente potestatem loquendi dante possit dictus Confessarius loqui, hoc enim non vetat præceptum, nec repugnat iuri boni regiminis, atque Sacramenti Pœnitentiæ. Igitur admitto, & approbo posse subditum annullare præceptum juxta prædicta in numeris ad secundum dubium spectantibus; at nego idem posse pœnitentes respectu præcepti Constitutionum, vt adnotaui in hoc numero. Nec immoror, breuitatis gratia, in fusa probatione ad ostendendum qualiter præceptum Constitutionum sit fauore boni regiminis, cùm sufficiat illud esse positum in corpore Iuris alicuius Religionis, cùm omnia inserta in corpore Iuris, sint sancita pro bono vniuersali regimine Communitatis, quam respiciunt.

72 Ad quartum dubium, dico semper esse Religiosi libros à se manuscriptos, quos potest secum portare quocunque vadat, etiamsi ad aliam transeat Religionem, & hoc verum est, licèt nulla petatur licentia, neque de illis aliqua relinquatur copia. Ita Ioan. Valerus, quem

re-

refert, & sequitur Diana *part. 1. tract. de Paupertate Religiosa, resol.* 25. ideo potuit ille Concionator, de quo in præsenti agimus, donare alteri sua scripta, nullo facto verbo cum Superiore pro licentia, nam partus intellectus sunt proprij eiusdem Religiosi. Et quamuis simul donet cartam, quam à principio cum licentia acceperat, per accidens se habet in illo dono, in quo non carta, sed scripta considerantur, & maximè quia illa carta est quid modicum. Ita communiter.

73 Ad quintum dubium respondeo, quòd grauitas furti non mensuratur semper à grauitate materiæ, sed aliquando solùm attenditur damnum, seu necessitas rei furatæ. Sic erit mortale, si sutori furetur vnicum instrumentum, vt acus, si sinè illo non poterit laborare, & victum sibi acquirere, prout tradunt communiter DD. & ratio id dictat, cùm inde ei damnum graue proueniat. Similiter erit dicendum in furto scripturarum, atquè in casu nostro certè de facili potuit esse mortale dictum furtum, attenta grauitate materiæ, & necessitate graui ipsius, instabat enim tempus Quadragesimale, & sinè scriptis concionibus, nesciebat Concionator ille, quomodò Cathedralis pulpito posset inseruire. Sequitur etiam damnum populorum, qui deficiente Concionatore, priuabantur auditione Diuini Verbi pro eorúm spirituali fructu. Imò & ex promulgatione præcepti ad furtum inueniendum, arguitur fuisse mortale.

## §. IV.

*Satisfit duabus petitionibus, non obstante propositione 44. ex damnatis ab Alexandro VII.*

74 Si petas, an excommunicatio cum præcepto propter furtum inueniendum, obliget vel furem se prodere, vel alium vt furem prodat; respondeo, si vnus solus est conscius furti, & alij ignorant, non tenetur ille denunciare furem. Ratio est, quia eò ipsò quòd ille est solus, nec socium habeat in tali scientia, ad nihil inseruit denunciando, præterquam ad irrogandam infamiam proximo, quem in iudicio non potest conuincere, & illa excommunicatio fertur, vt constet in foro externo de fure, vt postea in eodem foro per testes conuincatur, & sic ad restitutionem obligetur. Ita D. Thomas 2. 2. *quæst.* 70. *art.* 1. Caietanus 2. 2. *quæst.* 69. *art.* 1. Sotus *de teg. secreto, membr.* 2. *q.* 6. Nauar. *cap.* 18. *num.* 40. *& 61.* Genuensis *cap.* 2. 75 *num.* 2. *praxis Neapolitana*. Sed hanc doctrinam dicunt aliqui fallere, dum agitur de reuelando impedimento matrimonij, quia vnus testis sufficit ad illud probandum; tàmen iuxta vnam opinionem, quam retuli *in decisione 3. à num. 6. & seqq.* vnicus testis non sufficit; sed hodie est discurrendum iuxta propositionem damnatam, prout notaui *in d. decis.* 3.

76 Tandem si petas, quid dicendum sit, quando præceptum cum excommunicatione fertur, non ad conuincendum in foro exteriori furem, sed tantùm ad inueniendam rem furatam, vt est præceptum latum in casu illius concionatoris; respondeo teneri etiam ipsum furem obedire, non quidem se publicando, sed si potest occultum se seruare, & rem restituere, debet præceptum adimplere, vt ponendo rem in loco, vbi inueniatur, aut mediante persona Confessarij mittere rem eamdem Superiori, vel aliter se gerere prout videbit expedire; quòd si videat non posse restituere, nisi se prodat, non ligabitur præcepto, licèt restitutionem facere debeat, statim ac salua sua fama, poterit illam facere. Ita communiter DD.

77 Sed obijci potest contra mox dicta numero antecedenti damnatio doctrinæ traditæ in propositione quadragesima quarta inter condemnatas ab Alexandro VII. quæ dicit: *Quoad forum conscientiæ, Reo correcto, eiusque contumacia cessante, cessant censuræ.* Si ergo non obstante Rei correctione, eiusque contumaciæ cessatione, adhuc censura non cessat; etiam loquendo de solo foro conscientiæ, consequenter nec cessabit præceptum, atquè censura per illud lata, nequè in foro animæ, prout supra dicebatur cessare.

Nihilominus respondetur obiectionem nihil contra adducta probare, quia in illa arguitur de censura contracta ad contrahendam. Et quidem aliud est affirmare, quòd in foro animæ cessent censuræ contractæ si Reus sit correctus, nec eius contumacia duret; & aliud est dicere, quòd censura lata contra aliquem per præceptum non obligans, cesset, idest non incurratur dicta censura in foro conscientiæ. Primum est omninò falsum, scandalosum, & damnatum: Secundum verò est omninò verum. Ratio veritatis secundi est, quia ad hoc vt censura incurratur, quando per præceptum fertur, requiritur talis præcepti violatio, quæ violatio numquam fit, si præceptum non obligat, obligatio enim præcepti supponitur necessariò ad illius violationem, simulque ad pœnæ contractionem propter violationem, seu transgres-

gressionem eiusdem præcepti; & ità esse dicendum pro foro interno docent DD. communiter nemine discrepante: ergo obiectio allata nihil probat contra nos.

78 Ratio falsitatis scandalosæ primi asserti est, quia si verum esset, quòd pro foro conscientiæ Reo correcto, eiusque contumacia cessante cessarent censuræ, sequerentur maxima absurda: Sic ignorantiæ nota inureretur Patribus Concilij Tridentini, tamquam hoc nescientibus, & propterea superfluè plura statuentibus circa absoluendos à censuris etiam pro solo foro conscientiæ, vt v. g. *in sess.* 24. *cap. 6.* dum facultatem concedit Episcopis absoluendi à pluribus peccatis, & censuris occultis; & talem facultatem Concilij Patres concesserunt supponentes Reum esse correctum, nec in contumacia perseuerantem: ergo ignoranter id fecerunt, si à censuris liberatur Reus exiēs à contumacia, ac se emendans, vnde non indiget absolui, neque à Pontifice, si non habet censuram: at hoc esse maximum absurdum, luce clariùs est.

79 Aliud absurdum est, nam censuræ habent interdum rationem pœnæ, quæ infligitur delinquentibus; sed delinquentes liberari à subeunda pœna per hoc, quòd se emendent, nec in contumacia perseuerent, est reddere superfluas, & frustraneas dictas pœnas, quod est absurdum etiam pro foro animæ; ergo non est vera, sed scandalosa proppositio allegata, ex qua talia sequuntur absurda.

80 Aliud absurdum est, nam Ecclesiæ mos est, vt Sacramentali absolutioni à peccatis præmittatur absolutio à censuris in illis verbis: *Dominus noster Iesus Christus te absoluat, & ego auctoritate illius te absoluo ab omni vinculo excommunicationis, suspensionis, & interdicti inquantùm possum, & tu indiges:* seu in articulo mortis: *ego te absoluo ab omnibus censuris, & peccatis, &c.* Cæterùm talis mos reprobatur per doctrinam dicentem cessare censuras, cessata contumacia, Reoque correcto, cùm semper ista concurrant in pœnitente disposito pro sacramentali absolutione recipienda; cùm ergo sit absurdum talem vsum in Ecclesia communem reprobare, per consequens erit scandalosa illa doctrina eiusmodi absurdi illatiua. Ex quo ab-

81 surdo manifestè sequitur esse dicendum, quòd quilibet Confessarius poterit totaliter negligere studium de Censuris, cùm satis erit cognoscere pœnitentes esse contritos, aut attritos attritione sufficienti pro absolutione obtinenda, cùm sic sint Rei correcti, & in contumacia non perseuerantes, vnde nulla innodati sunt censura. Dixi, *attritos attritione sufficienti*, propter doctrinam propositionis damnatæ ab Innocentio XI. de qua egi *in decis. 61. num. 18. vers. circa quinquagesimam septimam*. Dixi etiam, *cùm sic sint correcti, & in contumacia non perseuerantes*, quia censura infertur propter peccatum mortale, vt omnes DD. docent, & ideo qui Sacramentaliter confitetur cum debita dispositione, dicendus est Reus correctus, cuius contumacia cessauit, eò ipso quòd omne peccatum lethale detestatur, & vult destruere, seque emendare.

82 Ex dictis concluditur meritissimè damnatam fuisse ab Alexandro VII. illam propositionem præallegatam *sub num.* 77. cùm ex illa sequantur dicta absurda scandalosa, ex quibus constat, quòd Rei correcti, & à contumacia egressi, haberentur vt liberi à censuris in foro interno cum illorum salutis æternæ pernicie, eò quia verè liberi non sint à censuris, quibus Ecclesia potest illos innodare in vtroque foro, prout supponitur etiā à doctrina præfatæ propositionis damnatæ, & ideo hoc non est hic probandum; sed tamen est aduertendum, quòd huic potestati Ecclesiæ derogatur per illam propositionem propterea dignam damnatione.

83 Ex hac potestate Ecclesiæ sequitur, illam posse à mystico suo corpore, quod est tale per vnionem liberam, non naturalem, separare membrum excommunicatum, licèt per contritionem sit de corpore Christi, nec hoc impedit, quin teneatur comparere vt absoluatur à censura, adeoque patet censuras non cessare per correctionem Rei, ac per eius contumaciæ

84 cessationem. Nec facit in præsenti, quod cessante causa cesset effectus, vt cum pluribus probat Barbosa *axiomat. iur. vsufrequent. axiom.* 40. nam id verum non est, quando licèt effectus sit à causa in fieri, ab ea tamen non exigit conseruari, sed ab initio procedit perfectè, & completus in se: sic se habet pœna, seu censura, quæ supposito delicto, vel contumacia, perdurat in suo esse, etiam si essent eius causæ. Igitur non solùm est absolutè falsa, & scandalosa illa propositio nunc dignissimè damnata; sed neque aliquid probat contra nostras doctrinas adductas pro præsentis decisionis historia.

DE-

# DECISIO LXXX.

*An exequutores testamentarij, qui venditis facultatibus defuncti, pretium miserabilibus dandum deferebant iuxta mentem testatoris, possint eodem pretio se redimere à latronibus, itaut nec exequutores, nec latrones teneantur restituere; & soluuntur aliqua dubia de tali legato.*

## Casus, seu Historia LXXX.

### SVMMARIVM.

1 *Casus proponitur.*
2. *vsquè ad* 8 *Pauperes, & Miserabiles quinam dicantur.*
9. *vsquè ad* 26 *Plura de Executore testamentario circa res testatoris dandas in eleemosynam, an possit sibi accipere, dare spurio, &c.*
27. *vsquè ad* 32 *An liceat aliena accipere in extrema necessitate, sinè obligatione restituendi.*
33 *Cui res pereat in manu Tutoris, Curatoris, & Executoris.*
34 *Executoris officium est amicitia.*
35. *vsquè ad* 41 *An executori debeatur salarium.*
42. 43. 44 *In casu nostro an sit restituendum à furibus.*
45. 46 *Qui metus non irritet votum.*
47. 48 *Fur non debet restituere sibi donata à tertio, vt parcat aggresso.*
49 *Eleemosyna benè datur peccatori.*
50. *vsquè ad* 64 *An Executor possit mutare locum, tempus, & dare pauperibus minùs indigentibus, non ciuibus testatoris, ac indignioribus.*

1 IN oppido N. mortuus est Marcus, qui per legitimum testamentum reliquit hæredes suos personas miserabiles, quibus pretium omnium bonorum, quæ possidebat, iussit dari, facta venditione, & distributione ab Antonio, & Iusto, quos exequutores sui testamenti instituit. Habitabant dicti exequutores in ciuitate, ideò ad oppidum Marci perrexere, vt venditis facultatibus, pretium darent iuxta mentem instituentis, institutis miserabilibus. Facta igitur venditione, & aliquali distributione eiusdem pretij inter miserabiles personas præfati oppidi, iter ad ciuitatem direxerunt, secum deferentes ducentum scuta, quæ alijs miserabilibus dare decreuerant in oppido viciniori. Verùm à latronibus aggressi, tã solers fuit Antonius, apud quem erant illa ducentum scuta intrà crumenam inclusa, vt nemine vidente, excepto Iusto, pecunias sepelierit ad arboris radices, signata arbore ad crumenam reassumendum data opportunitate. Aggressores illi, non erant latrones ex professione, at ne carceribus propter debita traderentur latitabant in syluis. Igitur latrones isti dixerunt aggressis: ducentum scuta à vobis exigimus, vt miseriæ nostræ consulentes, & vestram, & nostram libertatem consequamini. Sinite quæso, vt cum meo Socio verbum faciam in vestram vtilitatem, dixit Antonius latronibus illis, à quibus habita facultate secretè loquendi cum Iusto, simul decreuerunt vti pecunia testatoris ad se eripiendos ab illa miseria, & simul homines illos à furtis faciendis auertere, si verum est id, quod de seipsis asserebant, habitis ducentum aureis. Et quòd contra mentem testatoris non esset taliter consumere pretium illud dandum personis miseris, sibi ipsis persuasum fecerunt, cùm grandis esset miseria illorum latronum, imò & propria ipsorum exequutorum, quibus possibilitas deerat ad tantam quantitatem de proprijs soluendam; propterea se ipsos liberauerunt exenterantes sepultas pecunias, omniaque latronibus aperientes, & notificantes dixerunt; si vestra miseria eget ducentum scuta, ecce illa à testatore relicta, vt nos illius testamenti exequutores daremus eadem personis miserabilibus, ideo si tales estis, sicuti & miserabiles sumus nos in manibus vestris, cùm de nostro tantam quantitatem ad nos redimendos non habeamus, nunc furtum non facitis, sed testator mediantibus nobis hanc pecuniam dat vobis, & nobis, vt omnes simul miserabiles, miserijs nostris consulamus. Ignorabãt quidem ipsi latrones, quod à seipsis aggressi, essent testamentarij exequutores, & quòd secum haberent petitam nummorum quantitatem, quibus nummis acceptis, facto inuicem iuramento de seruando secreto, acceperunt exequutores cautionem de datis pecunijs nomine testatoris, & sic singuli fuerunt libertate donati, regressis ad domos suas tum exequutoribus, tum debitoribus, qui carceribus tradi vltra non timuerunt, solutis creditoribus suis.

Post factum dubitauit Iustus, an licitum fuerit taliter expendere alienas pecunias in damnum personarum miserabiliũ, cùm fortasse inter ipsas non essent numerandi nec latrones, neque ipsi exequutores, & sic omnia fuerint contra testatoris voluntatem, vndè & ad restitutionem omnes tenerentur, præcipuè ob latronum vim, ac metum per quem tollitur voluntarium.

§. I.

*Quinam veniant nomine* Pauperis, *ac* Miserabilis; *& an tales sint exequutores in casu nostro, vt sibi applicent legatum factum miserabilibus.*

2 IN primis supponendum est non esse idem instituere hæredes *personas miserabiles*, ac instituere *Pauperes*, vndè *miserabiles* non sunt ijdem ac *pauperes*, nequè ad conuertentiam dicuntur, itaut omnis persona miserabilis, sit etiam pauper, licèt è contra omnis pauper sit etiam miserabilis.

3 Igitur *miserabiles* personæ sunt cœci, & alij perpetuo morbo laborantes, secundùm Innocentium *in cap. significant*; & Hostiensem, qui miserabiles dicit esse Pauperes pupillos, & viduas, & huiusmodi; & secundùm alios dicuntur miserabiles pesonæ etiam senes, & decrepiti, & Religiosi, & generaliter omnes, quorum naturaliter miseremur propter sortium iniurias prout docet Panormitanus: sed plebei vt tales nō sunt de numero personarum miserabilium. Ita Petrus Gregorius *sinta. iur. 2. p. c. 18. nu. 19.* apud Emanuelem Rodericum *tom. 1. quæst. regular. quæst. 65. art. 3. statim ad ini-*
4 *tium*. Pauperes verò dicuntur propriè tantummodo personæ, quæ necessaria ad vitæ sustentationem nōn habent, & hoc siuè in toto, siuè ex parte, & si aliquis nōbilis haberet ad viuendum, sed indigeret ad viuendum iuxta statum
5 suum, iste diceretur pauper ratione talis indigentiæ, imò tales sunt verè pauperes, quibus subuenire habet plus de pietate, quàm subuenire alijs. Ità Caietanus *2. 2. quæst. 43. art. 8. vers. in eadem parte*; & Bañes *ibidem*. Syluester *verbo, ornatus, q. 8.* Nauarrus *in summa, cap. 17. num. 93.* Tiraquellus *de nobilit. cap. 20. num. 148.* Baldus *l. si quis ad declinandam, in principio, num. 5. C. de Episcop. & Cler.* Perez *lib. 3. ordinan. tit. 1. l. 1.* Ludou. Lopez *1. p. instruct. noui, cap. 136. fine.* Mantica *lib 8. de coniect. vlt. volunt. tit. 5. num. 2.* Spino *spe-*
6 *culo testam. gloss. 28. num. 27.* & alij quidquid contra sentiant Rosella *verbo, ornatus, num. 19.*
7 & Angelus *eodem verbo, num. 6.* Propterea quando aliquæ fœminæ essent quidem nobiles, & dotem haberent, sed non talem, ac tantam, quanta requiritur ad matrimonium contrahendum secundùm statum suum, illæ essent veræ pauperes, atquè ideò comprehenderentur in testamento, quod pauperibus iubet dari legatum aliquod, vndè optimè facit exequutor testamentarius, si talibus mulieribus distribuit eleemosynas in pauperes erogandas ex mandato testatoris. Sic Baldus, & Perez *locis cit.* Palacios Rubios *cap. per vestras, de donat. notab. 3. §. 12. num. 7.*

8 Limitandum est tamen id, quod numero præcedenti, ac de pauperibus dictum est suprà, itaut non veniant sub nomine *pauperum* vocatorum à testamento, ij, qui tantùm ad tempus indigentiam patiuntur. Ratio est, nam talis necessitas, non est simpliciter necessitas; imò spes proximè habendi facit vt simpliciter sint dicendi diuites, quamuis pro tempore indigeant, & sic docet Nauarra *lib. 4. de restit. cap 2. num. 54. fol. 457.* Cùm igitur nomine *miserabilium* veniant pauperes, & legatum factum pauperibus non comprehendat pauperes ad tempus, certum erit non fuisse licitè data illa ducentum scuta ab exequutoribus testamentarijs, de quibus agimus, quia ipsi titulo paupertatis non poterāt ea distribuere latroni-
9 bus, quia sic ab istis violenter diripiebatur facultas testatoris, & erant odiosi, & indigni, ac proinde non poterant eligi, sicut exequutores testamentarij non possunt facultatem testatoris distribuendam pauperibus participare eiusdem testatoris inimicis odiosis, & indignis; secus si solùm essent odiosi, & non indigni, & testator decessit contritus, & confessus, quia censetur remisisse, vt tradit Iacobus Butricanus, quem refert, & sequitur Ancharanus *cap. finali, de testam. in 6. num. 13. fine.* Baldus *l. id, quod pauperibus, num. 35. Cod. de Episc. & Cleric.* vnde ratio odiosi, & indigni reddit incapacem legati generaliter facti inimicum talem; ergo & latronem.

10 Nec sibi ipsis poterant exequutores illas pecunias applicare, cùm non essent pauperes nisi ad tempus, idest in illa necessitate, & pauperes huiusmodi non comprehenduntur, vt suprà diximus; cùm non sint simpliciter pauperes. Quòd si essent simpliciter pauperes, possent sibi ipsis, sicut & alijs pauperibus, summam aliquam distribuere, & idem potest executor ille, qui solus esset deputatus, si verè sit pauper,
11 sibi distribuendo partem vt pauperi. Ratio est, quia in tali casu saluatur distinctio personæ dantis à recipiente eleemosynam, quia testator est ille, qui tribuit. *l. vnum ex familia,*
12 *ff. de legatis, 2. §. si de falcidia.* propterea executor potest talem eleemosynam dare proprio fi-
13 lio spurio, non autem spurio defuncti, quia vt dixi, defunctus est ille, qui distribuit, & ita tenet communis opinio, cum Matienzo, & alijs apud

apud Sanchez *in decal. lib. 6. cap. 11. num.* 54. testator enim nihil potest legare spurio suo.

14 Item probatur posse exequutorem pauperem sibi distribuere vt pauperi; nam per hoc quòd est institutus executor, non est factus peioris conditionis ac cæteri pauperes; ergo sicut poterat recipere vt non executor, potest
15 & vt executor, sed pauper. Item quia magis est ad alterum iustitia, quàm misericordia, & tamen res incertas restituendas pauperibus, potest inuentor earum, seu ille, qui illas habet, eas sibi applicare si verè sit pauper; ergo à fortiori poterit quis sibi applicare eleemosynam. Hanc sententiam tenent Tabiena *verbo eleemosyna, quæst.* 13. *num.* 4. Armilla *eod. verb. num.* 9. D. Thomas 2. 2. *quæst.* 32. *art.* 9. *ad* 3. Rodericus *tom* 3. *quæstionum regul. quæst.* 70.
16 *art.* 4. vbi *in fine.* limitat hanc opinionem, sicuti & limitationem ponit Menochius *de præsumptionibus, lib.* 4. *præsumptione* 125. *num.* 18. *&* 19. volens esse veram dictam sententiam quando executoris paupertas superuenit post testamentum, vel si aderat tempore testamenti, eam testator ignorabat, nam si illam sciebat, & non expresè nominauit inter pauperes testatoris hæredes ipsum executorem, præsumitur noluisse eum comprehendere, & sic exclusus re-
17 manet, nec sibi ipsi in isto casu potest eleemosynam largiri, sicuti potest ille, qui habet rem restituendam pauperibus, illam in toto, aut in parte sibi applicando, si sit pauper, vt citans pro se Nauarrum dicit Rodericus *loco citato*, quia in hoc secundo non est facienda consideratio de voluntate domini, sicuti est facienda in casu testatoris prætereuntis exequutorem,
18 quem sciebat pauperem. Sed oppositum, idest etiam sinè dicta limitatione, dicitur probabile à Petro de Ledesma apud Sanchez *vbi supra, sed num.* 55. *ad medium*. quia testator vult tantùm, vt sua bona erogentur in pauperes, qui finis saluatur dum executor sibi accipit; at hoc non audet probare Sanchez *ibidem*, dicens hoc esse probandum, quòd testator aliud noluerit, cùm contrarium fortiùs probetur supposita cognitione, quam de executoris paupertate habebat ipse testator, qui nihilominus non nominauit executorem.

19 Sed meo videri nimiùm scrupulosè se habet Sanchez in hoc, dum protestatur *d. n.* 55. *ad medium*, se non audere affirmare probabilitatem affirmatam à Ledesma; ego enim potiùs iudico absolutè, & sinè prætensa limitatione esse certum, quòd possit exequutor sibi accipere; nam quamuis testator nouerit illum pauperem esse, potuit data opera ipsum non nominare, ne illum rubore afficeret, volens nihilominus ei succurrere cum ipsa institutione in executorem, vt sic posset sibi eleemosynam
20 accipere. Secundò ducor ad sic sentiendum, quia quando plures sunt deputati executores, possunt vni ex ipsismet partem eleemosynæ dare, quæ in pauperes est distribuenda, si ille sit pauper, quia hìc saluatur distinctio personarum, vt habent opinionem, quòd talis distinctio requiratur secluso defuncto, qui vtpote mortuus non dat; Et ità tenent Cardin. Imola, Paulus, Rosella, Syluester *verbo testamentum*, 2. *quæst.* 2. *dicto* 5. Panormitan. *cap. cum in iure, de elect.* Paris. *cons.* 26. *num.* 22. *volum.* 4. Greg. Lopez, & Sarm. nec limitant hi Doctores hanc suam sententiam, dummodò testator non nouerit paupertatem huius executoris; ergo secundùm hos Doctores potest executor absolutè participare de eleemosynis testatoris, quidquid sit postea an talis eleemosyna, cùm sit danda à distincta persona, sufficienter censeatur data ab ipso defuncto, vel requiratur socius in executione, quia defunctus non dat, vt volunt dicti Doctores, hoc enim est dubium distinctum à nostro circa necessitatem limitationis adductæ. Imò nec video, quòd ipse Sanchez tum *in decal. loco citato*, nec *in Consilijs moralibus, lib.* 4. *cap.* 1. *dub.* 58. *num.* 5. vbi multos allegat Doctores docentes posse executorem sibi accipere in eleemosynam, vt præfertur, non video, inquam, quòd dicat citatos à se Doctores adducere dictam limitationem, excepto Menochio, & Roderico, siuè Manuele, & illum à nomine vocat, non à cognomine: ergo potest Sanchez sinè scrupulo mecum subscribere ijs, quos ipse refert, vt sunt D. Thomas, Caietanus, Arragon, Marianus Socinus, Anton. Rosella, Ioannes Dilectus, Tabiena, Armilla, Nauar. Ledesma, Segura, Angles, Toledo, Ludouicus Lopez, Vega, Gomez, & Petrus de Ledesma, qui probabilem dixit illam limitationem.

21 Igitur executor testamenti potest absolutè sibi eleemosynam accipere de ijs pecunijs, seu facultatibus, quas pauperibus debet elargiri,
22 si & ipse sit verè pauper. Et quod dicitur de vno executore, verificatur similiter de pluri-
23 bus. Nec opus est vt vnus det alteri etiam quando sunt plures executores, quia non ipsi dant, sed defunctus est ille, qui dat, vt dixi *supra*; & similiter ad rem istam pertinent ea *decisionis meæ* 74. *num.* 70. 71. 72. *&* 73.

24 Ex dictis colligitur pro nostro casu, quòd An-

Antonius, & Iustus exequutores testamentarij, si verè erant pauperes poterant sibi ipsis applicare in eleemosynam quantitatem illam pecuniarum, quas in miserabiles personas distribuere tenebantur iuxta mentem testatoris. Quibus pecunijs sibi semel licitè retentis poterant postea vti ad se redimendum à latronibus; certum est namque, quòd dominium fuissent adepti dictarum pecuniarum, ac proinde eas in suos vsus expendere liberum erat. At si hoc modo dedissent de suis ad se liberandum à latronibus, hi tenerentur ad restitutionem, cùm sic coactè pretium illud fuisset solutum, ac propriè furatum, nec dubium est quin fur debeat restituere in omnium opinione, imò & damna illata resarcire. Sed sic non est factum in nostro casu.

25 In nostro casu non erant pauperes Antonius, & Iustus; ergo ex hoc capite non fuit integrum eis sibi accipere in eleemosynam. Quòd si se asserant pauperes in circumstantia aggressionis, erat ad tempus eorum paupertas, vndè non erant simpliciter pauperes, quales esse debuissent, vt possent participare de eleemosynis testatoris, vt prædictum, & probatum remanet *num.* 8.

26 Sed nec titulo personarum miserabilium non pauperum fuit licitum ijsdem Antonio, & Iusto sibi in eleemosynam, vt præfertur, retinere, nam non erant personæ simpliciter miserabiles, cùm tantummodò ad tempus, nempe in illa aggressione miseriam paterentur, pro qua erant commiserandi; sed quia eadem est ratio de paupere ad tempus, & de miserabili ad tempus, vt ex se patet; consequenter sicut non potest participare pauper ad tempus, ità nec miserabilis ad tempus.

27 Sed nec titulo personarum extremè indigentium potuerunt aliquid de alienis sibi accipere ipsi executores; nam non verè erant in extrema necessitate, vt in tali fuissent, si à latronibus illis mors comminaretur, nisi statim illam pecuniam exhibeant: si enim ad hanc miseriam deuenissent, tunc ad vitandam mortem cùm alter modus eis non suppeteret, nisi acceptione illarum pecuniarum, ideò nemo eos condemnabit, qui in licitè sibi illas applicassent, cùm necessaria extremè indigenti, ille possit illa surripere, & cum illis sibi pro ea necessitate
28 prouidere; nec postea ditiores facti tenerentur restituere, qui pro extrema necessitate
29 aliquid consumpserunt, etiamsi res sic consumpta, esset res priùs furata, & ab ipsomet latrone extremè postmodum indigente consumpta;
30 & idem similiter currit in fauorem debitor qui rem debitam expenderet in succursum
31 extremæ necessitatis propriæ, aut patris, aut matris, aut fratris, aut vxoris, aut filiorum, vt omnia dicta constant ex Diana *Summa*, *verbo Pauper, num.* 2. & 3. Latrones tamen tenerentur restituere accepta, & quidem ijsdem, à
32 quibus acceperunt, si isti inueniantur, qui an rem reacceptam teneantur & ipsi dare priori domino, dico, quòd non, cùm illam dederint, vt suam ratione extremæ necessitatis, ideò & vt suam item reaccipiunt, & proprerea retinere possunt, aliàs non esset verum id, quod supra diximus, videlicet non teneri restituere rem acceptam in extrema necessitate, licèt ad vberiorem fortunam ascendatur, nam in statu vberioris fortunæ non sunt restituenda accepta in extrema necessitate, quia talis necessitas fecit propria indigentis eadem ablata, & quod est proprium, non est restituendum.

33 Sed nec titulo, quòd illa ducentum scuta perierint Domino, possunt in nostro casu illi executores sibi licitum credere, fuisse rectè concessa latronibus. Ratio est, quia licèt Domino pereat res, si sinè culpa Tutoris, Curatoris, aut Executoris pereat, nihilominus in præsenti facto iam erant in tuto, & sepulta dicta scuta ducentum, nec ista limitatè petebantur à latronibus, sed tantùm ducentum scuta fuerant ab ipsis exigita; quapropter si Iustus, & Antonius exenterauerunt spontè sepultas monetas, istæ ob eorum culpam censentur deperditæ, ac à latronibus direptæ, non enim latrones has accepissent, nisi executores illas exenterassent, ac notificassent. Ergo executores tenentur restituere pecunias testatoris erogandas pauperibus, quas culpabiliter ipsi executores in palam posuerunt. Et ad sic iudicandum maximè ducor, quia executores isti, vt Iustus mihi dixit nullam interposuerunt replicationem, repugnantiam, aut supplicationem inter latronum petitionem, & pecuniarum oblationem; vndè poterant diligentiam adhibere ad saluandas pecunias testatoris, tentando an à latronibus absoluerentur gratis, vel saltem diminuta prætensione, cùm sinè crudelitatis signis fuerint aggressi, eisque pateret aditus amicabiliter, seu affabiliter cum latronibus paciscendi. Ergo & ex hoc capite viget restitutionis obligatio in executoribus, sunt enim in culpa, & rationem tenentur reddere. Matienzo apud Dianam *part.* 8. *tractat.* 5. *resolutione* 34.

34 Nec valet si objiciatur, quòd causa exequu-

quutionis damnum illud sentiant exequutores; ergo non de proprio ipsorum debet compensari; si enim non fuissent executores, neque iter illud arripuissent, nec in latrones incidissent; Quemadmodum enim commune est damnum, quod oritur causa societatis inter socios negotiantes, vndè si vnus iter facit pro societate, expensæ sunt communes, & damna item communicantur, vt diximus *nostra decisionis 78. num. 15. 16. & 17.* sic in isto casu totum damnum Executorum erit illius, seu illorum pro quibus iter illud faciebant. Respondeo non currere paritatem, cùm Socij ex vi contractus sic mutuò obligentur ad damna communiter patienda; & Executores solo titulo amicitiæ munus executoris exercent, proinde sicuti si amicus iter faceret pro seruitio alterius amici, & in itinere à latronibus expolietur, totum damnum est suum, & nullatenus amici, pro quo iter fuit arreptum, sic est in nostro casu. Sed hæc responsio clariùs patebit ex numero sequenti.

35 Sed nec ratione alicuius salarij exequutoribus debiti, potuerunt exequutores in nostro casu accipere illa ducentum scuta, nam exequutoribus non debetur salarium, & hoc probatur tum ex consuetudine, tum quia nulla le-
36 ge probatur oppositum. Idem suadetur ratione; nam officium testamentarij est voluntarium à principio, potest enim non acceptari; & consequenter non fit ei iniuria si nihil ei pro suo
37 opere soluatur. Item; tale officium communiter acceptatur tantùm causa pietatis; ergo excludit solutionem salarialem. Ita docet Francus *cap. finali, num. 9. de testam. in 6.* Gutierez *de tutelis, 3. part. cap. 45. per totum.* &
38 alij. Dummodò iacturam non sentiant in proprijs bonis conseruandis ratione occupationis in adimplendo testamento, quia tunc ad iudicem spectaret assignare salariū aliquod modicum. Vel nisi officio executoris sit annexa aliqua administratio, quia tunc administrationis
39 deberetur competens salarium, vt tenet Scobar *de ratiocinijs, cap. 27. num. 47.* Alij tamen diuersimodè sentientes, varia dicunt, nam Auendaño *lib. 1. Pretorum, cap. 2. num. 8.* dicit
40 de consuetudine deberi salarium. Spino *speculo testam. gloss. 28. num. 79.* ait de iure deberi decimam bonorum administratorum tempore durationis officij executoris, & adhæret Baeza *de decima tutoris, cap. 2. num. 19. & cap. 19. num. 20. & 21.* & Spino *loco citato, num. 80.*
41 negat de consuetudine deberi decimam, sed solùm aliquod salarium arbitrio iudicis taxandum. At in casu nostro neque decima debebatur, quia consuetudo est contraria in illa Ciuitate; neque salarium erat assignandum propter administrationem, aut propter iacturam, quia hæc non dabantur in dictis Antonio, & Iusto; ergo non est dabile refugium, quod ipsis fauens, eis concedat posse, seu potuisse sibi ipsis applicare pretium bonorum Marci testatoris, volentis ipsos vt executores totum erogare in auxilium personarum miserabilium.

§. II.

*An quamuis Exequutores potuerint semel se miserabiles tenere, censeantur semper liberi à restitutionis obligatione.*

42 SEd non obstantibus tot rationibus contra exequutores Antonium, & Iustum, ac contra Latrones, quibus pecuniarum tanta summa fuit data, dico nihilominus neminem teneri ad aliquam restitutionem, videlicet, nec exequutores testamenti, nec Latrones. Ratio id conuincens est, quia illa ducentum scuta fuerunt erogata iuxta mentem testatoris ab exequutoribus legitimis; ergo non suppetit locus ad scrupulum, an in dantibus, & in recipientibus currat obligatio restitutionis: non quidem in recipientibus, nam erant veri pauperes verè miserabiles, & indigentes, quorum familiæ eleemosynis in oppido victitabant, & de acceptis eleemosynis ad syluam deferebant hominibus illis, qui Antonium, & Iustum fuerunt ob necessitatem aggressi: ergo ex parte recipientium subsistebant requisita à testatore, nempe ratio miserabilium personarum iuxta prænotata *num. 3.*

43 Nec contra facit si dicatur eos fuisse acceptos testatoris pecunias per vim, aut metum, & hunc iniustè incussum ad extorquendum ducentum scuta: sed facta per metum non tenent, si metus sit grauis, vt censetur esse in latronum aggressione; ergo accepta sunt restituenda. Respondeo enim concedendo nullitatem actus facti per huiusmodi metum; & nego sic euenisse in isto casu, nam vt refert Iustus, nullum timorem causauerunt eis illi latrones, qui potiùs placidis verbis petierunt ducentum scuta pro se liberandis ab illis speluncis, putantes quòd viatores illi de proprijs dedissent, si habebant, quòd si dare recusassent, neque malum recepissent, sed salui fuissent dimissi, vt putat Iustus, qui factum narrat: ergo signum

gnum est non fuisse incussum executoribus metum grauem, ac per consequens datum te-
44 net. Secundò respondeo, verum quidem esse quòd actus factus non subsistit, si metus grauis dedit causam eidem actui, idest si metus fuit iniustè incussus ad actum illum extorquendum, vt est communis doctrina. Quòd si actus fiat ob metum iniustè incussum, sed non ad talem actum extorquendum, valet actus ille; &
45 sic votum factum ob metum naufragij, seu ob metum latronum, in quorum manus quis incidit est obligatorium, quia nemo incussit metum ad votum illud extorquendum. Videatur Lessius *de iust. lib. 2. cap. 17. dub. 7.* & ita colligitur ex *l. metum, ff. quod metus causa*: cùm igitur illi aggressores nec metum incusserint, vel si incusserunt, cùm non fuerit ad extorquẽdam alienam pecuniam, sed propriam Antonij, & Iusti, sequitur dicendum, quòd si Iustus, & Antonius dederunt sinè metu, vel ob metum incussum ad extorquendum ab eis id, quod dederunt, erat licitè receptum, quia tunc ille metus non est causa dati, sed occasio. Suadetur hæc veritas cum doctrina Lessij *de iust. lib. 2. cap. 17. dub. 6. num.* 40 vbi docet, quòd si
46 quis incidat in latrones, & promittat vni tertio centum aureos si illum à latronibus liberat, tenetur dicta centum soluere, quia metus licèt fuerit occasio talis promissionis, non tamen fuit causa, nam ad talem effectum metus non incutiebatur. Sic ergo currit in nostro facto, dum illi duo Executores inciderunt quidem in latrones, qui ducentum scuta petunt ab illis, sed quia numquam illi latrones intendebant extorquere pecuniam testatoris, ideò videtur totum fuisse factum hoc modo: Dicunt latrones, *date ducentum scuta, quæ nobis necessaria sunt, ne amplius in his miserijs vitam nostram transeamus.* Respondent latronibus aggressi, *est hic Marcus quidam, qui spontè vobis offert in eelemosynam ducentum scuta, quibus acceptis cessetis à furtis, sicque à nobis nihil exigite.* Replicant latrones, *libenter eleemosynam accipiemus, nec quidquam vltra per furtum quæremus.* Igitur in isto casu licitè aggressores acceperunt pecuniam, seu eleemosynam ab eis non cogitatam, atquè eis spontè donatam, quamuis fuerit occasione, sed non causa metus grauis.

47 Et hæc secunda responsio potest confirmari, nam non implicat, quòd quis incidens in latrones, dum ab istis vexatur ad aliquid extorquendum, superueniat vnus tertius, & spontè donans quinquaginta latronibus, ab istis eripiat vexatum, in quo casu illa quinquaginta non sunt à latronibus restituenda, quia Dominus eis spontè donauit illa: sed sic est, quòd etiam similiter factum est in casu nostro, dum adfuit Marcus in personis executorum, vt spontè donans illis latronibus, liberos dimitterent Antonium, & Iustum, quos vt personas particulares, non vt executores Marci latrones illi vexabant; ergo pecunia data latronibus titulo eleemosynæ à Marco per suos executores, non est restituenda à latronibus, dictum enim est supra, quòd defunctus est ille, qui dat, & distribuit, & non executores: *vide supra, numero* 11.

48 Hinc fit, quòd neque obstet ratio latronis, seu exercitium furandi, vt indigni censeantur fures recipiendi eleemosynam à testatore. Nam respondeo, & dico primò dans, & concedens id verificari in latronibus ex professione; at in furibus per accidens, seu ex necessitate, vt in casu, manifesta apparet Charitas, quòd à miseria tali per eleemosynæ largitionem liberentur.

49 Secundò dico, nullum esse inconueniens, nec aliquo iure vetari, imò vndequaquè est laudabile, quòd data eleemosyna retrahantur indigentes verè emendati ab occasione, & exercitio peccandi, qualecumque sit peccatum illud, quod committebatur; & sanè nulla persona est miserabilior illa, quæ indiget temporaliter, & simul etiam spiritualiter, ac consequenter meliùs adimpletur finis testatoris, dans eleemosynam non solùm miserabilibus, sed miserabilioribus, cuiusmodi sunt egentes in corpore, & in anima. Ergo in casu nostro nulla currit obligatio restitutionis pro acceptis pecunijs in illis executorum aggressoribus.

50 Neque ex parte exequutorum datur obligatio restituendi pro ijsdem pecunijs, quas dederunt aggressoribus suis. Primò, quia iuxta prædicta, Marcus tribuit spontaneam eleemosynam, & non ipsi executores. Secundò, quia nullus metus causauit in ipsis inuoluntarium circa dispositionem faciendam de pecunijs erogandis miserabilibus ex vi executionis eis demandatæ à testatore. Tertiò, quia testatoris mens fuit plenè adimpleta per talem elargitionem.

51 Nec contra militat, si adducatur executorum intentio iam facta distribuendi illas pecunias inter personas miserabiles oppidi N. & sic non erat ampliùs eis liberum alteri personæ, aut aliò eas distribuere, & per consequens teneantur restituere. Respondeo enim posse optimè fie-

fieri talis mutatio ab exequutoribus, tum quoad personas pauperum semel electas. Sic quoad personas docet Angel. *l. sed si alio, §. si quis sub conditione, ff. ad Trebel.* & quoad locum etiam tenet Card. de Lugo, quem refert, & sequitur Diana *part. 8. tract. 5. resol.* 50. ergo nihil est, quod probet teneri ad aliquam restitutionem executores testamentarios nostri casus; quapropter & executores dantes, & aggressores recipientes secundùm relata in historia præsenti, consului, & iudicaui ad nullam restitutionem teneri.

§. III.

*Solutio aliquorum dubiorum pro casu præsentis Decisionis.*

52 SEd quia præter allata dubia, addidit alia Iustus præfatus exequutor, & omnia suam exequutionem concernentia, ideò breuiter hîc illa, eorumque solutionem subdo. Primum est, an potuerit executionem differre, vt maiori pretio venderentur nonnulla, sicque copiosior fieret eleemosyna? Respondi affirmatiuè, dummodò ad breue tempus sit dilatio, aliàs si multum differatur erit peccatum, nisi augmentum eleemosynæ æquiualeat diuturnæ dilationi. Ita censui cum Tabiena *verbo exequutor, quæst.* 16. & D. Thoma *quodlibeto 6. art.* 14. & alijs.

53 Secundum dubium est, an ab opposito potuerit præuenire tempus, aliter non constante de mente testatoris? Respondi affirmatiuè cum Rodriquez, quem refert, & sequitur Diana *vbi supra, resol.* 51.

54 Tertium dubium est, an si est pauper executor possit sibi accipere, quamquam testator non ignorauerit suam paupertatem, & nihilominus ipsum pertransijt in testamento? Respondi affirmatiuè cum Dicastillo apud Dianam *loco citato, resolut.* 47. & iam dixi supra contra Sanchez meam opinionem. Vide *num. 19. huius Decisionis.*

55 Quartum dubium est, an potuerit dare pauperibus ob eorum culpam? Respondi affirmatiuè cum Menochio, quem sequitur Diana *resol. 49. loco citato.*

56 Quintum dubium est, an potuisset dare pro fabrica Ecclesiæ pauperis? Respondi negatiuè, si testator iussit distribui personis miserabilibus, nam Ecclesia non est persona. Si verò

57 dixit dari miserabilibus, & illa Ecclesia sit pauper, & indigens, iam est digna commiseratione, & sic est & ipsa miserabilis, ac proinde ei potest applicari eleemosyna, nam in legatis relictis pauperibus comprehenditur talis Ecclesia. Ita Ioannes Andreas *cap. finali, de testam. num. 6. per l. omnes, qui, in princip. Cod. de Episc. & Cler.* & ibi Baldus *num. 7. & l. si quis ad declinandam, in princip. num. 10. Cod. eod. titulo.* Et Rosella *verb. restitutio, n.* 3. idem admittit, quando non ingruit magna fames: ergo sicuti sub nomine pauperum venit Ecclesia indigens reparatione, & est pauper, ita non dubito quin veniat & sub nomine miserabilium, quibus testator vult dari eleemosynam, si tamen non dicat testamentum, vt detur personis miserabilibus, vt supra notaui.

58 Sextum dubium est, an eleemosynæ illæ essent dandæ pauperibus conciuibus testatoris? Respondi negatiuè in casu nostro, quia pauperum electio fuit ab ipso testatore demandata executoribus. Ita Ancharanus *cap. final. in testam. in 6. num.* 12. Francus *cap. si pater, de testament. in 6. num.* 64. & *ibi* Ioan. Andr. & alii.

59 Oppositum esset dicendum, seclusa tali libertate eligendi; etiamsi absolutè testator dicat dari pauperibus, nam tunc est danda eleemosyna pauperibus, vbi testamentum fuit conditum, vt patet ex *l. si quis ad declinandam, Cod. de Episcop. & Cleric.* dummodò talis locus sit domicilium testatoris, alioquin legatum est dandum pauperibus domicilij testatoris. Sic Felinus *cap. fin. de foro competent. num. 23. vers. notant.* Albericus, & Imola *cap. indicante, de testam.* gloss. *cap. si pater, eod. tit. in 6. verb. pau-*

60 *peres.* Et inter pauperes domicilij, debetur primus locus consanguineis defuncti. Parisius, cum Padilla, *l. cum quidam, num. 8. ff. de legat. 2.* & alii.

61 Septimum dubium est, an eleemosyna legata pauperibus, vel miserabilibus possit tota dari vni soli? Respondi, quòd si pauperum electio spectat ad executorem, aliqui volunt non posse vnum solum eligere, sed plures, vt tenent Bartolus, *l. 1. ff. de optione legat.* Bald. *l. 1. Cod.*

62 *de Sacros. Eccles.* cum alijs. Sed posse vnum solum eligere docent Paulus à Castro, *l. cum quidam, num. 4. ff. de legat. 2. & l. vnum ex familia. §. post si vno, ff. de legat. 2.* & alij, vt An-

63 ton. Gomez, & Sarmiento, qui limitat dummodò legatum relictum, non sit sufficiens ad plures dotes pro maritandis pluribus. Ita ille, *lib. 8. select. super d. l. cum quidam, num.* 12.

64 Dubium vltimum est, an dignior, & pauperior sit eligendus ab exequutore? Respondi negatiuè, cùm sufficiat quòd electus sit dignus,

idest

idest verè pauper. Sic Paulus à Castro, *l. vnum ex familia, §. itaquè, num. 2. ff. de legat. 2. & l. cum quidam, num. 6. ff. eod. tit.* Baldus *l. id, quod pauperibus, num. 3. Cod. de Episcop. & Cleric.* Nauarra *lib. 4. de restitut. cap. 2. num. 60.* & alii multi, quia nulla lex obligat ad talem dignioris, ac pauperioris inquisitionem ipsum exequutorem, qui nequè agit de meritis remunerandis, propterea non operatur cum acceptione personarum.

# DECISIO LXXXI.

*An sint irritæ electiones capituli, in quo suffragatus est Syrus nomine vnius electoris, sed omninò impotentis accedere, qui dictum Syrum instituit Procuratorem cum conditione vt vota daret ijs, quos ei nominabat in epistola, & istam vidit Monasterij Superior simul elector vna cum Syro, qui duo vota misit in vrnam sed non iuxta conditionem dictam.*

## Casus, seu Historia LXXXI.

### SVMMARIVM.

1 *Casus proponitur.*
2 *Impedimentum, & impotentia sunt idem.*
3 *vsque ad 9 Inutilis in certis casibus est ac si non daretur.*
10. 11 *Electores seruent secretum.*
12 *vsque ad 15 Ostensio schedula an annullet electionem.*
16 *Destinatus cum conditione tenetur hanc seruare.*
17. 18 *Quid, & quotuplex sit electio.*
19 *vsque ad 33 De modis eligendi, & de numero electorum.*
34. 35 *Non obligat lex, si nequit seruari.*
36. 37 *An quis possit se eligere.*
38. 39. 40 *De expectando electore.*
41 *vsque ad 56 Varia de Procuratore electoris.*
57 *vsque ad 63 De suffragio Procuratoris plura tanguntur.*
64 *vsque ad 79 Ostenditur seruatum electionis secretum in aliquibus casibus, & in nostro, & quando peccet elector notificans suffragium.*
80 *Non acquiritur ius ante conditionem.*
81 *Elector quid possit imponere suo Procuratori.*
82 *vsque ad 86 Alia circa secretam electionem & peccatum dantis schedulam alteri, qui eam legit, & ostendit.*
87 *vsque ad 100 Adducuntur diuersa circa electionem solius digni, relicto digniore, maximè stante doctrina damnata.*

1 INstante iam die inchoationis Capituli Prouincialis cuiusdam Religionis, cùm ad illud accedere non valeret Prior Conuētus N. ratione diuturnæ, & grauis infirmitatis, addita multarum leucarum distantia à loco Capituli, ad quod eius assistentia desiderabatur à multis, qui vt saltem Procuratorem mitteret induxerunt dictum Priorem electorem; ideò iste votis supplicantium annuens Procuratorem suum instituit P. Syrum, cui per expressam voluntatis propriæ declarationem, mandauit vt danda suffragia nomine ipsius instituentis, dirigeret in eos, quos ei nominatim describebat in epistola, quam à P. N. recepisset, sub hac enim conditione eum in Procuratorem capitularem eligebat. Deuenit dicta epistola ad manus Superioris Monasterij, qui vtens iure suo circa aperitionem epistolarum subditorum sibi, iuxta facultatem per Constitutiones datam Superioribus Conuentuum, aperuit eamdem epistolam, eamque legit, ac tradidit Syro. Erat Syri Superior, & ipse vnus ex electoribus, cui Capitulū Conuentus assignare per viam canonicæ electionis debebat Socium, qui vocē haberet in Capitulo Prouinciali, & talis fuit electus Syrus. Approbauit Capitulum Prouinciale electionem Syri tum in Socium, tum in Procuratorem, & vt talis duplicem gerens personam, pro duobus suffragium ferens duo vota ad singulam electionem, seu in vnoquoquè scrutinio mittebat in vrnam. Finito Capitulo narrauit Syrus coram multis ex gremialibus, qualiter & ipse cessauerat personatum incedere cum cessatione Capituli, quia ipso durante duplicem gessit personam, nempe vnam propriam, alteram alienam, cùm officium Procuratoris pro Priore N. absente, adimpleuerit in dandis votis iuxta illius iussionem, & alteriùs iuxta propriam volitionem nomine proprio pro diuersis suffragatus fuerit. Insuper idem Syrus notificauit aperitionem, & lectionem epistolæ eiusdem absentis factam à Superiore suo, qui sic viderat, & nouerat quos eligendos nominabat absens, & eos volebat eligi per Procuratorem, quem sub hac conditione talem instituerat. Hæc vt audierunt illi gremiales, quibus nonnullæ ex factis electionibus vel parùm, aut nihil placebant, ideò de illarum nullitate, vel de annullandis illis cogitauerunt, prætendentes vitiatum

cum Capitulum ex triplici capite.

Primum est, quia ratione impotentiæ accedendi ad Capitulum, non erat integrum instituere Procuratorem, sicuti fuisset ratione alicuius rationabilis impedimenti, & dicta impotentia absentis fuerat proposita Capitulo sub nomine impedimenti, vndè Capitulum fuit deceptum admittens Procuratorem.

Secundum est, quia electiones non fuerunt secretæ, vtpote notæ duobus ex gremialibus, qui legerant epistolam, in qua absens imponebat suo Procuratori, quos eligi volebat.

Tertium est, quia ipse Procurator dixit coram multis testibus se non semper dedisse suffragium ijs, quos instituens nominauerat; ex quo sequitur, quòd non potuerit suffragari, non seruata conditione, cum qua fuerat institutus Procurator.

Quæritur ergo quid iuris, & facti pro vtroquè foro.

## §. I.

*Fit examen, & iudicium primi capitis allegati pro Capituli nullitate.*

2 EX primo capite in fauorem prætendentium nullitatem electionum videtur sufficienter haberi intentum; nam aliud est habere impedimentum ad aliquid præstandum; & aliud est, quòd quis sit totaliter impotens ad illud faciendum. Patet hoc exemplo nubere volentium, inter quos impedimentum impediens, si cesset, aut non cesset, sunt tamen habiles ad nubendum, at vbi est omnimoda impotentia, ibi est totalis inhabilitas ad nubendum, vt docent communiter DD. ergo quamuis elector habens impedimentum, quod impedit ne ad Capitulum accedat, habeat semper habilitatem, & ius accedendi, si impedimentum tollatur; tamen si habet omnimodam impotentiam, cessabit in illo ius, ac habilitas accedendi: propterea in primo casu impedimenti poterit procuratorem suum instituere, non verò in secun-
3 do casu, & iste currit in præsenti. Et confirmatur, nam institutio Procuratoris ad matrimonium contrahendum facta ab omnimodè impotenti, est nulla; secus verò fieret à solùm impedito impedimento impediente: ergo similiter elector impeditus poterit Procuratorem mandare ad electiones faciendas, at nō poterit si habeat omnimodam impotentiam, sicuti talis impotentia erat in electore absente in casu nostro.

4 Item probatur; quia qui habet omnimodam impotentiam ad aliquid faciendum, est inutilis respectu talis rei faciendæ, ac per consequens sic reputatur, ac si non daretur, & ideo *cap. inter cætera de translat. Episcop.* dicitur Vidua illa Ecclesia, quæ habet Episcopum inutilem, &
5 *ibi* glossa, *verf. inutilem*, dicit inutilem haberi pro mortuo, imò & mortuum reputari: Ergo & mortuus censendus est ille elector omnimodè impotens accedere ad electionem faciendam; ac vt mortuus non valebit accedere per alium, seu per Procuratorem ab ipso institutum.

6 Confirmatur per *legem plagiarÿ, C. ad l. Fabiam, de plagiar.* vbi pater vocatur orbatus filio, si iste est sibi inutilis, & glossa *ibi verf. orbitates* notat patrem vocari orbatum filio, licèt filius viuat, quia sibi est inutilis: ergo & vbi per omnimodam impotentiam quis est factus inutilis ad suffragandum, talis erit ac si Capitulum esset orbatum illo, vndè iste non poterit per alium pergere, prout posset si solo impedimento detineretur, ne personaliter accedat.

7 Confirmatur adhuc, quia ex dictis textibus multi Doctores concedunt priuilegia Viduis concessa, illi fœminæ, quæ habet maritum sibi inutilem. Sic Baldus *d. l. plagiarÿ*. Tiraquellus *in legibus connub. l. 6. num. 12.* Perez *lib. 3. ordinam. tit. 1. l. 1.* Cotta *in memorabilibus, dictione. Vidua.* Couaruuias *quæst. pract. 7. num. 2.* Rebuffus *tom. 1. constit. regiar. tract. de sententia prouisionali art. 3. gloss. vltima, verf. item Vidua, & super tit. §. de verbor. signif. l. 242. §. viduam, verf. item licet*; & alij apud eosdem.
8 Ratio horum est, quia fœmina habens maritum sibi inutilem, dicitur vidua: ergo & Capitulum habens electorem inutilem, erit orbatum, seu viduatum illo, & consequenter non est admittendus Procurator nomine ipsius inutilis, & omnimodè impotentis.

9 Probatur vltimò hoc idem fundamentum: nam per celebre dictum glossæ, *cap. admonere, 33. q. 2. verf. dici. siue priueris, nec nomen habere mereris*, sequitur dicendum, quòd Capitulum illo electore priuatum per omnimodam impotentiam, dicetur, non habere illum; ergo non est dandus Procurator ad Capitulum pro illo, quem Capitulum dicitur non habere electorem, sicuti diceretur eum habere, si tantummodò esset impeditus ipse elector, qui solùm impeditus posset per Procuratorem ad Capitulum pergere.

Igitur ex hoc capite fuit deceptum Capitulum, dum omnimoda impotentia electoris

absentis fuit exposita sub ratione solius impedimenti, ratione cuius Procurator impediti accedere, fuit ad suffragandum admissus, & consequenter electiones hoc modo factæ sunt irritæ, in ipsis enim votum dedit non habens ius, nec facultatem votandi.

## §. I I.

*Fit examen, & iudicium secundi, & tertij capitis allegati pro Capituli nullitate.*

10 EX secundo capite videtur irritas esse illas electiones, vtpotè factas non seruato secreto, & sic contra formam præceptam à Concilio Tridentino *sess. 25. cap. 6. de Regul.* vbi habentur hæc verba: *Sancta Synodus districtè præcipit omnes supradictos eligi debere per vota secreta*; at in casu nostro non fuerunt secreta vota nota Syro, eiusque Superiori, qui sciebant in quos dirigebantur vota Prioris absentis: ergo irritæ sunt electiones.

11 Confirmatur nam interrognta Sacra Congreg. Concilij circa *cap. 6. de regularibus, sess. 25.* an esset contra secretum suffragiorum electionis, si quis antè dicat, cui sit suffragaturus, aut post electionem cui sit suffragatus, respondit, quòd nec ante, nec post electionem vllo modo licet electoribus publicare, cui suum votum dederint, & ita tradunt Garzias *part. 5. de benefic. cap. 4. num.* 197. & Sigismundus à Bononia *de elect. dub. 31. num. 2.* ergo non est seruatum secretũ in electionibus casus nostri ad mentem Tridentini iuxta explicationem Cardinalium interpretum in Congregatione dicti Concilij Tridentini.

12 Probatur secundò, & à fortiori, nam si non est dicendum ab electore cuinam suum votum sit daturus, multò minùs erit ostendenda propria schedula, antequam ponatur intra vrnam, quæ ostensio si fiat, electio est irrita. Ita expressè idem Garzias *loc. cit. num. 193. & 194.* dum-

13 modò talis publicatio non fieret in fraudem, & quia ipse elector vellet annullare ipsam electionem, quæ ipsi non placet: Sic dicit fuisse declaratum à Sacra Congregatione super Concilium Tridentinum, cuius declaratio extat in *Collect. earundem declarat. circa caput 6. de regularib. sess.* 25. & eamdem opinionem tenet Sigismundus à Bononia *de elect. par. 1. cap. 4. dub. 31. n. 5.* Ratio talis irritationis est, quia non seruatur forma tradita à Concilio *dicta sess. 25.* per quam vota debent esse secreta; quapropter, cùm electio dependeat ab omnibus electoribus, & forma electionis sit indiuisibilis, consequenter fit, quòd dum vnum suffragium non est secretum, neque electio est secreta. Cùm igitur in nostro casu non essent secreta suffragia electoris absentis, vtpote nota illius Procuratori, nec non & eiusdem Procuratoris Superiori, electiones sic factæ irritæ erunt.

14 Probatur tertiò, quia si aliquis ex electoribus ostendat alteri propriam schedulam, qua est suffragaturus, & hoc faciat permittente Capitulo, electio sequuta erit irrita. Ita Nauarrus *consilior. lib. 1. consil. 4. in prima editione, & in 2. consil. 9. de elect. num. 3.* Rodriquez *part. 1. sum. cap. 202. num.* 4. Garzias, & Sigismundus *vbi supra*; igitur multò magis erit nulla electio, si fiat cum publicatione schedulæ, id non permitente Collegio, siuè Capitulo; & propterea in facto nostro verificabitur talis annullatio electionum, propter secretum non seruatum circa suffragia.

15 Confirmatur, nam neque sub sigillo secreti potest vni soli notificari schedula proprij suffragij, cùm & sic non seruetur secretum requisitum à Concilio Tridentino, *sess. cit.* ergo à fortiori erit non seruatum secretum, si absquè obligatione tacendi, nouerint alij, cuinam quis det sua suffragia. Adde, quòd Epistola, in qua elector absens scribebat suo Procuratori nomina eorum, quos volebat vt eligeret, fuit delata per Patrem N. qui erat & ipse elector, vndè non est infallibiliter certum, quòd lecta non fuerit etiam ab ipso delatore, & fortasse simul cum alijs. Cùm ergo secretum electionum sit adeò violatum in præsenti casu, erunt absquè dubio irritæ electiones factæ.

16 Ex tertio fundamento manifestè colligitur inualiditas electionum, quia (quemadmodum coram multis testibus dixit ipse) Syrus Procurator fuerat talis constitutus sub conditione, vt votum daret illis, quos elector constituens ipsum Procuratorem, ipsi in epistola nominauerat, quam conditionem non adimpleuisse fassus est proprio ore; sed non adimpleta conditione, nec subsistit contractus, vt docent omnes; ergo non erat Procurator, nisi conditionem adimplebat; vndè quia non adimpleuit, inualidè suffragatus est; ex quo sequitur electionum irritatio. Id suadetur cum hoc dilemate: Syrus Procurator electoris absentis, vel dedit suffragia personis ipsi assignatis ab instituente ipsum Procuratorem cum conditione, vt illas eligeret; vel non dedit illis suffragia: si dedit, iam electio non est secreta, cùm daretur sciens, imò & fortasse cùm darentur scientes, se

suf-

suffragaturum talibus nominatis, vt dixi supra: ergo est irrita electio quæuis, facta sine requisito secreto. Si verò non dedit vota iuxta mentem instituentis, iam cessabat adimpletio conditionis, sub qua erat Procurator, proindeque cessabat & ipse ab officio, à quo si non se abstinuit, inualidè suffragia tulit, & factæ electiones non tenent; vt de se patet, dum fiunt cum suffragio non habentis vocem, nec facultatem ferendi votum.

## §. III.

*Contra prædicta sententiatur, inhærendo modis faciendi electiones, ac numero requisito eorum, qui debent eligere.*

17 PRædictas electiones nec irritas, nec irritandas esse ex nullo ex allatis capitibus, nec alio pro nostra historia excogitando veritatem, ac subsistentiam habente, resolutoriè tenendum est. Electio enim definitur, vt notat Bordonus *resol. part. 2. resol. 61. num. 58. alicuius persona canonicè facta vocatio*; & in casu nostro non apparet, quòd quilibet ex electis non sit persona canonicè vocata, prout probabitur positiuè ex infra adducendis, & cùm responsionibus ad ea, quæ pro parte opposita sunt dicta.

18 Et electio, quæ tripliciter fieri potest, nempe per inspirationem, per compromissum; & per scrutinium, in facto nostro fuit huius tertiæ speciei, scilicet per scrutinium, in quo quilibet ex electoribus fert suum suffragium, hocque intra vrnam, seu calicem reponit cum alijs, vt postmodum à scrutatoribus legantur; fuit omnino seruata, & facta iuxta regulas scrutinij, quod non vitiatur per absentiam alicuius ex coele-
19 ctoribus, de quo constat non potuisse, aut noluisse accedere, nam *cap. quia propter. 42. de elect.* dicitur electionem esse faciendam *Præsentibus omnibus, qui debent, & volunt, & possunt, commodè interesse*; vndè quia non potuit ad electionem interesse Prior, de quo in casu,
20 non propterea sunt inualidæ electiones sequutæ. Essent tamen inualidæ, si constaret dictum Priorem fuisse non vocatum, relictum, seu contemptum. *cap. quod sicut. 28. de elect.* vbi decernitur. *Quòd si eos vocatos non fuisse constiterit, sed contemptos, infirmanda erit electio*; & adeo Prior iste non fuit contemptus in præsenti, quòd potiùs fuit admissus inter alios in persona Syri à dicto Priore constituti in Procuratorem, qui vices gereret eiusdem constituentis: non igitur hucusquè datur defectus inficiens validitatem electionum.

21 Quia verò consensus electoris cuiusquè, spectat ad illos tamquam ad corpus communitatis, prout à Doctoribus communiter notatur, *l. suum, §. fi. & ibi DD. ff. de pactis*; non autem ad singulos, vt colligitur ex *l. per fundum, ff. de*
22 *ser. rust. præd.* ideò electio est facienda collegialiter, neque debet aliquis ex electoribus mittere suum suffragium ad Capituli Præsidentem, seu ad totum Capitulum, sed debent in vnum congregati ferre suffragium, non enim ipsi sunt suffragatores, vt singuli separati, sed vt congregati vnum corpus communitatis efficientes, sicut dicit Rodericus *quæstion. reg tom. 2. quæst. 54. art. 2.* quapropter data suppositione realis impotentiæ in Priore casus nostri, vt ad cōponendum cum alijs collegialiter congregatis accederet, ad effectum suffragandi, non debuit suum votum mittere ad Prouincialem, vel ad alium, vndè poterat abesse personaliter; neque propter hoc electiones factæ sinè illo, ac sinè habito illius suffragio, essent, vel irritæ, vel irritandæ.

23 Nec aliquis potest meritò negare, quòd vt electio sit vera electio, debeat fieri ab electoribus, quatenus habent potestatem eligendi; hanc autem potestatem non habent, nisi in communi conueniant, & collegialiter congregentur, itaut tamquam collegialiter congregati veniant ad actum electionis, *cap. cum in Genes. de elect.* vbi Glossa, *ver. Communiter*, & *cap. quia propter, eod. tit.* Panormitanus *ibid.* Item Glossa in *cap. 1. de reb. Eccles. non alien.* Miranda *tom. 2. Manual. Prælat. quæst. 23. art. 29.* & alij communiter. Ratio est, quia quando electio pertinet ad plures, est ex natura sua communis, & pertinet ad collegium, ad singulos verò electores solùm vt sunt pars collegij, vndè non possunt eligere, nisi vt sunt pars collegij, & proindè nisi vt in collegio existentes, alioquin nulla sequeretur vera electio. Ex quibus pro re nostra sequitur non potuisse mitti suffragium à Priore electore, sed non valente accedere ad componendum collegium cum alijs; quapropter eius absentia non vitiauit factum.

24 Et adeo verum est, quòd absentia vnius electoris non vitiat electiones, vt adhuc stet collegium, quamuis multi absint, ac se separent; & volentes abesse, ac se seiungentes ab alijs, quando essent in maiori numero, seu maior
25 pars collegij, collegium durat, & remanentes possunt eligere Pasqualigus *decis. moral. decis. 260. num. 4.* Neque releuat, quòd caput Capi-

pituli se separet, nam vt componens cum alijs, non plus valet ac valeat vltimus, æqualiter enim iuuat suum votum, ac votum cuiusquè inferioris. Non igitur refert pro validitate electionum, si absens ratione impotentiæ, aut nolitionis, aut ratione cuiuslibet impedimenti, esset non solùm ex dignioribus, sed ipse Præses; ac consequenter in nostro casu nihil est opponendum ad factas electiones ob aliquod motiuum in absentia vnius fundatum, seu in absentia plurium, aut capitis eiusdem collegij.

26 Amplianda etiam est prædicta doctrina ad casum, quo omnes vellent, non interesse, vndè tres, aut duo, aut vnus solus remaneret in loco Capituli, nam licèt de Iure ciuili requirantur
27 saltem tres ad constituendum collegium; *l. Neratius, ff. de verbor. significationib.* tamen de iure Canonico satis erunt duæ personæ, quæ aliunde non habentes impedimentum, poterunt facere veram electionem canonicam. Ita eruitur ex *cap. 1. de elect.* & *ibi* Abbas *n. 5. & 6.* Nauarrus *consil. 6. de elect. nu. 2.* Miranda *tom. 2. Manual. quæst 23. art. 5. conclus. 21.* cuius ratio est, quia sic saluatur pluralitas, & inquisitio potest fieri, & simul concors scrutinium, & hæc verificantur inter duos. Nec refert, quòd de Iure Ciuili requirantur tres, nam Ius Canonicum præualet, estque communitati magis necessarium, ideò in forma faciliori debuit tradi.

28 Grauis tamen est difficultas controuersa, an quando sunt tantùm duo electores, possit nihilominus sequi canonica electio in vno ex ipsis; & posse sequi negant Nauarrus *loc. cit. num. 4.* Miranda *vbi supra*, & alij, ducti quòd secretum volitum à Tridentino in forma electionis, vt supra notatum est, in hoc casu non seruatur. Secundò quia electio cùm debeat sequi per maiorem partem, *cap. quia propter, de elect. & cap. Cumana, eod. tit.* maior pars nequit dari inter duos.

29 At veriorem puto sententiam oppositam, quam tenent Ancharanus in *cap. Nullus, de elect.* Io. Andreas *in regul. in toto de regul. iur. in 6.* Cardinalis Tuschus *lit. E. conclus. 72. & 78.* Panormitanus *per. 2. consil. 25. num. 2.* Sigismundus *de Elect. & potest. Prælat. part. 1. cap. 3. dub. 24. num. 5.* & alij multi, cùm enim electio sit *alicuius personæ facta vocatio*, sicut definitur communiter, vt supra notaui cum Bordono; *canonicè* tamen debet fieri talis vocatio, & talis fit, dum vnus vocatur ab alio ad id, ad quod eligitur, præmisso prudenti iudicio de
30 habilitate personæ. Et talis electio canonica vnius ex duobus, bifariam contingere potest. Primò, si alter ex duobus cedat iuri suo eligendi, tunc hic eligitur ab alio, & dicetur electus à toto collegio, ad quod licèt requirantur plures, potest tamen reduci ad vnum, in quo sit tota potestas collegij. *l. sicut. §. fin. ff. quod cuiusquè vniuer.* Glossa, & Panormit. *cap. Nullus, de Elect.* Innocentius *cap. Quia propter, eod. tit.* Item Panormitanus *cap. Gratum, de Postulat. Prælat.* Nauarrus *lib. 1. cons. 6. tit. de Elect. in secunda editione.* Rota *decision. 860. num. 7. & decis. 1050. nu 5. coram Cardin. Seraphin.* Lambert. *de iure patronat. part. 1. lib. 1. quæst. 9. art. 3. num. 27.* & alij.

31 Alter modus, quo inter duos saluatur ratio electionis canonicæ est si vnus ab alio palàm eligitur, & iste consentit in suam electionem, & per talem consensum auget numerum, & sic seruatur præscriptum à iure, *cap. quam, 18. q. 1.* volente vt electio sit concors, & hæc concordia verificatur in tali casu; item & à maiori numero prout esse potest; neque dicitur ambitiosus iste cõsentiens, quia ipse non incipit suam electionem, sed incæptam complet. Sic docent multi inter quos Præpositus, *cap. qui Episcopatum, 8. quæst. 1. num. 6.* Io. Andreas *in reg. in toto de regul. iur. in 6.* Baldus *cap. cùm in iure, num. 1. & 2. de elect.* March. *quæst 931. per totam.* Butrius *cap. Cumana, de elect. num. 35.* Rodericus *quæstion. regul. tom. 2. quæst. 52. art. 11.* vbi citat textum iuris, & dicit quòd si
32 à conclaui omnes Cardinales exirent, & vnus solus remaneret, iste solus posset eligere Papã, & pro hac sententia sunt multi alij, quos refert, & sequitur Pasqualigus *decision. moral. de-*
33 *cis. 253. per totam, à num. 4. & seqq.* In Religione autem mea, cùm in tertio scrutinio non requiratur de necessitate maior pars, sed sufficiat çqualis, quia tunc antiquior professione remanet electus, ideo in Capitulo Generali fuit admissa, vt valida electio P. Valerij à S. Ioseph ad officium Procuratoris Cõuentuum Missionum, quamuis ipse cum vno alio totum collegium composuerint, recusauerant enim alij electores venire propter impedimenta itinerum in illis regionibus Indiarum. Igitur Socius P. F. Valerij in primo scrutinio dedit votum eidem Patri, & iste P. Priori Goensi. In secundo scrutinio, fuit similiter factum, & sic etiam in tertio, in quo P. F. Valerius remansit electus ratione antianitatis in Religione, in qua antiquior erat professione; & sic fit in omnibus electionibus canonicis in mea Religione ex vi Constitutio-

num

num auctoritate Pontificia roboratarum. Non fuit ergo necesse in ista electione, vt P.F.Valerius suum daret consensum socio ipsum palàm eligenti, vt sic augeret numerum; neque debuit cedere iuri suo eligendi, cùm daretur alter modus particularis in propria Religione per quem electio canonica inter illos duos poterat fieri, nempe quòd si in tertio scrutinio sint suffragia æqualia pro duobus, electus remanet antiquior professione inter hos duos.

34 Nec contra dictos modos faciendi canonicam electionem, quando sunt tantùm duo componentes totum collegium (loquor secluso modo meæ Religionis) militat, quòd non seruetur forma, *cap. quia propter*, videlicet vt fiat per maiorem partem, respondetur enim, quòd lex non obligat, quando non potest seruari, *cap. erit autem lex. distinct. 4. & l. fin. ff. quæ sent. & l. ita autem, ff. de admi. tut.* Item

35 non repugnat secretum non seruatum ob necessitatem, si Religionis statutum aliquod non obstat; ita respondit interrogata S.Cong.super Concil. Trident. vt dicit in *Collect. declarat.* Gallemart. Si ergo in nostro casu, nedum ageretur de absentia vnius, sed de absentia omnium exceptis duobus, qui essent Syrus, & eius Superior, potuissent componere totum Collegium, non obstante notitia mentis illius Prioris, qui Syrum instituerat suum Procuratorem cum epistola expressiua, imò & præceptiua eorum, quos volebat eligi; nam hos eligere non tenebatur Procurator, sed neque ideo cessabat ab officio, vt clarè constabit ex dicendis infra *à num. 58. vsque ad num. 65. inclusiuè.*

36 Notandum est tamen, quòd in electione per scrutinium, si totum collegium reduceretur in vnum hic non posset eligere se ipsum, vt habetur in iure *cap. per tuas, de iur. patr.* & Rodericus sic aduertit *mox loc. cit. ad medium.* In

37 electione verò per compromissionem, poterit tota facultas eligendi deuolui ad vnum, qui vice omnium compromissorum præsentium, & consentientium eligat, & poterit seipsum eligere, si ei à compromissis fuerit data commissio nominandi seipsum, secus non habita commissione. Ita Rodericus *quæstionum regular. tom. 2. quæst. 54. art. 12. post medium.*

38 Neque spes, quòd elector impeditus sit in breui liberandus ab impedimento, facit obligationem in coelectoribus, vt electionem differant; nam tempore statuto electio celebranda est, ex *cap. vbi periculum 3. de elect. in 6.* & pro-

39 pterea non est expectandus excommunicatus, vt absoluatur, ad effectum, vt electioni valeat

40 interesse; & idem est de quouis alio cum impedimento, ad intentum vt ab impedimento exeat. Glossa *v. constitutus Clement. II. de ætate.* Lauor. aliis citatis, *tit 4. de elect. cap. 15. num. 35.* vndè quia absens non fuit expectatus cum dilatione electionum, prorogando tempus statutum ad eas faciendas, non potuit cassare electiones factas.

41 Et iura concedunt electori absenti, & impedito ad interessendum electionibus, vt procuratorem mittat, quæ duo, nempe absentia, & impedimentum iustum subsistens, essentialiter requiruntur ad procuratorem instituendum per

42 *cap. quia propter 42. de elect.* vndè si quis esset carceratus in Conuentu vbi fiunt electiones, & ipse esset vnus ex electoribus, non posset procuratorem mittere, tum quia sic prohibetur per *cap. Accedens 10. de procur.* ratione defe-

43 ctus libertatis: tum quia est præsens, non enim dicitur absens, qui est in Conuentu, sicut neque qui est in Ciuitate, in hortis, vel in claustro. Ita Innocentius *in d. cap. quia propter*, cum aliis allegatis. Sigismundus, Capucin. *dub. 9. de elect.*

44 *num. 2.* Nec fauet carcerato, quòd lite pendente suæ causæ, non sit priuatus voce, ac iure interueniendi electionibus, iuxta Hostiensem, Ioannem Andream, & Felinum *in cap. meminimus, de accusat.* quos citat, & sequitur Lauorius, *tit. 4. cap. 15. de elect. num. 73.* vnde

45 carceribus traditi non sunt priuati, sed tantùm dicuntur priuandi per *cap. cum Vinton. de elect.*

46 *& ibi* Panormitanus *num. 13.* Nihilominus coelectores non tenentur illos vocare, carcere impediente, vt fusè probat Bordonus multis allegatis textibus, *resolut. moral. part. 2. resol. 61. num. 3.* Sed nihil de his ad similitudinem carcerati, currit pro casu nostri Prioris electoris, pro quo plenè verificabantur absentia, & impedimentum; ergo potuit procuratorem mittere, nec apparet ex dictis, per quæ sint nullæ electiones factæ.

47 Quòd autem absens, & legitimè impeditus possit procuratorem mittere ad vices absentis gerendum in electionibus faciendis, manifestè

48 probatur per *cap. si quis, 46. de elect. in 6.* dummodò non obstet Collegium, aut Religionis statutum, sicut probatur per dicta *cap. si quis,*

49 *& quia propter.* neque consuetudo non mittendi aduersatur, quia per non vsum, siuè ex actu negatiuo, siuè ex actu priuato, quis non perdit priuilegium, in hoc enim non apparet abusus, neque culpa, & consequenter ex nullo capite probatur illius priuilegii amissio. Glossa, *donec. cap. Abbate, de verb. signif.* Bordonus *resol.*

52. *de priuilegijs*, *num.* 110. & 119. Portellus *v. elect. in addit.* 2. Bonac. *part.* 7. *de priuileg.* §. 5. *num.* 5. & quia neque Collegium, neque Religionis statutum obstiterunt, ne procurator in nostro casu & mitteretur, & suffragaretur; per consequens non est in dictis dabile motiuum, aut causa irritas prætendendi sequutas electiones.

50 Si petatur quale priuilegium sit istud, vt elector absens, & iustè impeditus mittat procuratorem; respondeo cum Portello *vbi supra* esse priuilegium iuris communis, & propterea non perditur per non vsum, sed solùm per legem contrariam, vel per contrarium vsum, & hic in casu nostro non potest cadere, sicut neque in casu simili, quo quis vellet mittere procuratorem.

51 Si petatur secundò, an sit liberum instituto-ri procuratoris eligere quem maluerit, respondeo negatiuè, sed debet constituere aliquem Collegij, in quo sunt faciendæ electiones, ita habetur *cap. quia propter* 42. *de elect.* attamen
52 in *d. cap. si quis*, conceditur absenti, vt possit constituere extraneum, qui non sit de collegio, sed de consensu collegij; quòd si nullus de collegio voluerit acceptare officium procuratoris, neque admittere extraneum, tunc
53 absens per litteras non potest suum votum supplere, sed erit à collegio exclusus, non quidem per contemptum, quia sic posset reclamare, sed
54 quia *in dicto cap. si quis* non reprobatur exclusio extranei, & insuper nemo inuitus tenetur acceptare procuratoris officium, vndè in exclusione vtitur quisquè iure suo. *l. Inuitus, Cod. de procurator. Clement.* 2. *de procurat.* & sic nulli fit iniuria, ac per consequens nec contemptus. Si verò in tali casu interueniret fraus, aut malitia, tunc absens posset agere ad irritandas electiones; sed quia procurator in præsenti fuit pro absente admissus à Collegio, ideò non patet aditus hucusquè ad inualidandum electiones factas, prout intendunt nonnulli fundati in rationibus allatis cum expositione facti, seu Historiæ, quam examinamus, quæ rationes sunt positæ *sub num.* 1.

55 Nec infirmatio electionum sequutarum in casu nostro potest prætendi per hoc, quòd duo vota mitteret in calices ipse Procurator; certum est enim id ab ipso fuisse licitè factum, cùm duo vota habeat procurator in electionibus faciendis pro absente, si talis procurator non sit extraneus, sed de corpore collegij. Sic traditur *d. cap. quia propter*, per Glossam, *v. Venire*, sed clariùs, & expresiùs constat ex *cap. si quis*, 46. *de electione in* 6. vbi exprimitur procuratorem de collegio habere vnum votum nomine suo, & aliud nomine Domini.

56 Verùm hæc duo vota; quæ habet Procurator, non semper tenetur illa dare eidem personæ, sed poterit vnum dirigere in quam ipse vo-
57 let, & aliud in aliam iuxta dicenda *num.* 62. imò & teneri nomine absentis dare votum iuxta habitum mandatum, ita vt aliter non posit nomine alterius votare, videtur affirmari in *cap. d. si quis.* quod fauorabile posset censeri pro aduersariis prætendentibus nullas electiones factas, tum quia Procurator coram multis dixit, se non fuisse datum suffragia iuxta mandatum domini sui; tum quia si mandatum adimpleuit, electiones non fuerunt secretæ, sed notæ ipsi Procuratori, & huius Superiori, qui & ipse erat elector, & viderat dictum mandatum scriptum, in quo absens designabat Procuratori personas, in quas volebat, vt suum votum dirigeret, cum addito, quòd sub tali conditione illum constituebat Procuratorem, propterea conditionem non implebat, suffragando ad libitum proprium, & sic potestas ei demanda-
58 ta corruebat. Sed hæc nō probant, nam licèt *dicto cap. si quis*, 46. *de elect. in* 6. dicatur affirmatiuè, quod procurator possit dirigere votum domini in personam ei deputatam, & proprium votum in personam, quam ipse maluerit, tamen *dictum capitulum*, §. *Porrò*, narrat factum,
59 sed illud nec reprobat, nec approbat, per hoc quòd dicat id, quòd potest accidere. Quamuis ergo absens mandet suo procuratori, vt det votum huic, vel illi, & non illi, hoc non est verum mandatum, etsi mandatum denominetur, sed est expressio per litteras, in quibus absens exponit suum votum, quæ tamen ante scruti-
60 onium non sunt facienda; & ideò Sacra Congregatio, prout testatur Nicolaus Graz. 5. *de benefic. c.* 4. *num.* 200. *apud Sigismundum, dub.* 14. *num.* 9. Lauori. *tit.* 4. *de elect. cap.* 17. *num.* 57. Barbosa *ad cap.* 6. *sess* 25. *num.* 13. vt refert Bordonus *resol. part.* 2. *resol* 61. *num.* 14. sanciuit non valere mandatum speciale factum procuratori de eligenda certa persona; sed neque valet mandatum generale dirigendi vota ad diuersas personas; vt *loco citato*, dicit idem
61 Bordonus. Ex quibus sequitur, quòd Procurator non tenetur votum dare iuxta domini sui scripturam, & sic non releuat, quòd talis scriptura fuerit nota etiam omnibus electoribus, nam in facto Procurator suffragabatur secretè, nec aliquis poterat scire an staret scripturæ, necne, cùm ei stare non esset obligatus: ergo

go electiones fuerunt omninò secretæ.

62 Et probatur, quòd fuerint secretæ, nam nemo sciebat an duo vota procuratoris dirigerentur in eamdem personam, ac in duas, quia licèt *cap. sicut non suo, dist. 46. & reg. 67.* dicatur, *Quod alicui suo non licet nomine, nec alieno licebit*, & sic votum, quod procurator dabat nomine proprio illi, qui ei dignior videbatur in conscientia, trahebat secum etiam votum absentis nomine dandum; poterat tamen dari, vt duæ personæ æqualis meriti proponerentur ipsi procuratori, qui in tali casu potuisset in vnam dirigere suum votum, & in aliam personam votum absentis, cùm sufficiat quòd conscientia non sit diuersa diuersitate meritorum in obiectis.

63 Confirmatur etiam tale secretum, nam fortasse absens prohibuit procuratori, ne det votum certæ personæ, in quam ipse procurator inclinat, qui non priuatur iure suo dandi votum cui voluerit nomine proprio, & denegando eidem votum absentis prohibentis, nam de prohibitione non fuit loquuta Sacra Congregatio, & sic si absens habeat mandatum non eligendi certam personam, poterit istam priuare suffragio electoris absentis, cùm teneat tale mandatum, sed procurator non perdit propriũ ius inclinandi in eamdem personam exclusam ab absente, & sic ad diuersas personas dirigit suffragia. Ecce igitur qualiter sint secretæ electiones factæ in casu præsentis Decisionis.

64 Hinc sequitur, destructum secundum caput omninò remanere, ex quo prætendebatur probare inualidas electiones factas, non seruata forma secreti volita à Tridentino, ostensum, & probatum est enim, eas fuisse verè secretas.

65 Tertium caput consequenter nullum apparet, quamuis Procurator dicat, se non stetisse conditioni adiectæ suo officio, & de hoc loquatur coram omnibus, qui dictum Procuratoris testari possint ad effectum probandi, eum perdidisse Procuratoris facultatem, non adimpleta conditione, cum qua fuerat constitutus Procurator, vndè inualidè sit suffragatus. Respondetur enim vt iam dictum est, quòd illud mandatum non valebat, tamen officium subsistebat: nec conditio obstat, quia erat conditio turpis, & illicita, & sic reijciebatur, & habebatur pro non apposita, & hoc probatur ex pluribus Iuribus, ac per communem Doctorum opinionem, docentium quòd etiam in ipsis legatis conditiones turpes, quales sunt maximè reprobatæ à Iure, non vitiant, sed vitiantur, & tolluntur. Sic *l. 1. l. si qui, ita constitutus. l. quæ sub conditione, l. conditiones, quæ. & l. conditiones contra. ff. de conditionibus institu.* Riminaldus *instit. per quas personas, à num. 104. vsque ad 108.* Imola *l. si alienum, 49. in princ.*

66 *num. 3. ff. de hæredit. instit.* & alij. Sic & in matrimonij contractu reijcitur, & pro non adiecta habetur conditio turpis, vt latè probat Sanchez *de matrim. lib. 5. disput. 15. per totam.* Igitur nullius efficaciæ est hoc fundamentum ad probandum irritas electiones, sicut prædixi fuisse à Sacra Congregatione Concilij infirmatum mandatum ad certam, vel certas personas eligendum, &c. recole *num. 60.* & alia dicam *num. 80. 81.*

67 Primum caput, est etiam primum, quod destructum remanet, quia omnimoda impotentia accedendi ad Capitulum, est impedimentum iustum, ratione cuius potest ipse impotens vti priuilegio mittendi procuratorem. Nam aliud non est esse impotentem ad eundum, quàm esse iustè impeditum; vndè cùm iura concedant iustè impedito, & absenti vt procuratorem mittat, non est cur circa hoc possit rationabiliter difficultari, sicut meliùs constabit ex responsionibus ad adducta argumenta, quas statim affero.

## §. IV.

*Soluuntur argumenta allegata §. 1. & 2. pugnantia contra nostram sententiam scriptam in Paragrapho tertio.*

68 PRo nostra sententia magis firmanda facient solutiones argumentorum, quæ contra illam videntur militare.

Ad argumentum *num. 2.* adductum respondeo negando suppositum, videlicet aliud esse habere in casu nostro impedimentum, & aliud esse impotentem, imò sunt idem, vt dixi numero præcedenti. Nec obstat paritas cum impedimento & impotentia nubentium, nam impotentia nubentis, est quid intrinsecum mutãs debitam materiã matrimonij, & sic persona impotens non est persona, seu materia capax pro matrimonij Sacramento, quod requirit personam potentem coire, & ideò persona cum solo impedimento impediente, est materia capax, & si contrahat, valet. Sic in casu nostro, si impotentia electoris esset quid intrinsecum mutans eum, quatenus debet esse capax eligendi, vt esset si fieret amens, tunc esset verè impotens ad eligendum, & consequenter nec

ei

ei integrum erit procuratorem mandare. Si verò impotentia sit quid extrinsecum ab electore secundùm quod debet esse capax eligendi, tunc quantacumquè sit talis impotentia, hæc erit purum impedimentum iustum, ratione cuius non valens adire collegium, mandare poterit procuratorem. In casu autem nostro, Prior absens erat aptissimus ad ferendum suffragia, licèt inhabilis ad itinera, ac grauiter ægrotus,& sic impotentia ipsius, erat extrinseca à ratione electoris,quare verè impeditus ab extrinseco, potuit suum votum per procuratorem supplere.

69 Et dicta responsio roboratur cum alia præsenti ad confirmationem adductam *num.3.* nam ideò non valet institutio Procuratoris facta ab impotenti nubere, quia est incapax ab intrinseco ad nubendum per se, vndè nec potest per alium; at quando est capax contrahere per se, potest etiam contrahere per procuratorem. Ita dicendum est de electore, qui est aptus per se vota dare, nam iste & poterit per alium, nihil referens, quòd sit infirmus. ac impotens pergere ad locum Collegij, & ideò potest mittere procuratorem, quem mittere non posset, si esset ab intrinseco incapax ad eligendum, vel ratione amentiæ, vel ex alia simili causa, & sic fateor cum Euerand. apud Bordonum *resolut. 61. num. 5.* tenere argumentum à matrimonio carnali ad spirituale electionis.

70 Argumenta, quæ adducuntur *à num.4. vsque ad 9.* nihil probant, stante capacitate eligendi, quæ est in absente impedito ab extrinseco; probarent tamen, si esset incapax ab intrinseco quatenus elector, quia sic esset inutilis Collegio velut Episcopus inutilis Ecclesiæ, ac velut filius inutilis patri, ac velut maritus inutilis vxori, vndè collegium diceretur non habere illum, qui propterea non posset mittere procuratorem.

71 Ad argumentum *sub num 10.* positum patet responsio per dicta *d.num. 58. vsque ad 64.* Insuper addo fuisse seruatam formam secretam
72 à Tridentino volitam, quia sufficit, si in actu scrutinij secretè suffragetur, & hoc intendit in illis verbis: *Sancta Synodus districtè præcipit omnes supradictos eligi debere per vota secreta*: quæ verba perfectè adimplentur iuxta eorum significationem, si secretè feratur suffragium in ipso actu, nam ex dicto electoris non est certum, an verè fuerit suffragatus, vel suffragaturus prout narrat; vnum enim potest dicere, & aliud facere. Ita etiam tenet Pasqualigus *decis. 262. num. 2.* & sic in casu nostro sunt validæ, & secretæ electiones.

73 Ad argumentum *sub num. 11.* ex mente Sacræ Congregationis adductum, respondet idem Pasqualigus *loco citato num. 3.* non constare authenticè de prætensa declaratione, quæ data quòd sit vera, debet intelligi de publicatione, quæ reddat certum, cuinam votum detur aut sit datum, vt fieret si ostenderentur schedulæ; sed hoc non currit in facto nostro, & per consequens nihil est contra illud.

74 Ad argumentum *sub num. 12. & 13.* formatum, dico, non facere ad rem præsentem, quia ostensio epistolæ electoris absentis, in qua nominabat, quos eligi volebat, non est ostensio schedulæ ipsius personaliter suffragantis, & sic nullam infert publicationem, neque certitudinem. Sed dato, quòd schedula ostenderetur vni ex electoribus, vt videat cui sit suffragaturus, dicendum est non esse per hoc irritam electionem. Ita Nauarrus *consilior. lib. 1. tit. de elect. cons. 9. in secunda edit. & in 1 consil. 4. num. 1. 2. & seqq.* Miranda *tom. 2. manualis*
75 *Prælat. quæst. 23. art. 19.* Ratio est quia Tridentinum non prohibet nisi quòd electio non fiat modo publico, & hoc vt vnusquisquè cum plena libertate suffragium ferat; at per ostensionem schedulæ factam vni soli electio est se-
76 creta, & sic Tridentini saluatur intentum; quapropter si elector ostendat modo dicto schedulam suam, non reddit irritas electiones, nec peccat, sicuti nec peccat dicendo ante cui sit suffragaturus, vel post cui sit suffragatus, quia potest esse vt simulet; peccaret tamen si id diceret modo faciente certitudinem, sed electio esset semper valida, & sic intelligenda est Sacra Congregatio, de cuius mente dixi supra *sub num. 73.*

77 Ad argumentum *num 14.* allatum, iam constat non fuisse ostensam schedulam facientem electionem certam, sed solùm fuisse lectam epistolam, quæ nullam ingerebat certitudinem. Et quamuis citati Doctores dicant irritam esse electionem, si Collegio permittente vnus ex electoribus ostendat alteri suam schedulam, nihilominus contraria opinio est verior, præterquam in casu, quo per talem ostensionem sequeretur electio, quæ aliàs non fuisset sequuta. Sic Miranda *tom. 1. Manual. Præ-*
78 *lat. quæst. 23 art. 19.* Et sic suadetur cum verbis Concilij Tridentini *cap. 6. de Regular. sess. 25.* vbi iniurgens secretum in electionibus seruandum, dicit: *vt singulorum eligentium nomina numquam publicentur*. Non ergo vetat publicationem vnius, neque electionem irritat

per

per talem vnius manifestationem; ergo nec nos irritare debemus, quia odiosa sunt restringenda, sicut communiter dicitur; & traditur *cap. odia, de regulis iuris, in 6.*

79 Ad confirmationem *sub num.* 15. contentam, satis patet responsio ex mox dictis, nam secretum seruatur, nec Tridentini præceptum violatur, & ideò nec aliquod peccatum committitur, cùm finis legis non violetur, qui est vt libertas omnium saluetur in suffragando, ideò forma secreta, visa est necessaria, & constat, nullum sequi inconueniens ex tali secreta ostensione facta vni.

80 Ad rationes *num.* 16. adductas, iam satis respondi *num.* 65. nec aliud est necessarium addere. Solùm aduerto, quòd quamuis ius conditionale non acquiratur, nisi adimpleta conditione per *l. vnica, Cod. de caduc. tol.* vndè in casu nostro nullū ius videtur acquisitum à Procuratore instituto tali ab electore absente, sed sub conditione, vt vota dirigeret in eos ab eo nominatos, si verè conditionem non ponebat: tamen requiritur vt conditio exigita potuerit exigi, aliàs habetur pro non exigita, iuxta illa, quæ dixi *dicto num.* 65. Cùm igitur Sacra Congregatio decretum fecerit contra similes conditiones, sequitur has non posse exigi, & si exigantur, non habebuntur pro adiectis, & consequenter ius Procuratoris fuit acquisitum, & benè adimpletum, etiamsi non ad intentum
81 mandantis Domini sui, vota dederit: tenebatur tamen votum non dare ijs personis, quas fortasse in mandato ei prohibuerat mandans, nam de hac prohibitione non est lex, quæ illam irritet, vt notaui supra *sub num.* 63.

82 Et in casu, quo quis daret alteri suam schedulam plicatam, vt eam ponat in calicem, adhuc electio est secreta, quia committitur fidei illius, vt secretum, quod secretum acceptatur eò ipso, quòd schedula plicata recipitur. Si
83 verò iste esset infidelis, & aperiret, ac videret, dummodò non publicet, adhuc electio erit se-
84 cretè facta: Si verò publicet multis, certè non stabit secretum seruandum in forma electio-
85 nis, secus si vni tantùm. Nec iste curiosus per talem inspectionem, ac infidelitatem peccabit mortaliter, si inspiciat sinè animo manifestandi, quia tunc nulli infert præiudicium graue, & fidelitas leuiter violatur: peccat er-
86 go venialiter. At reus nullius peccati est ipse tribuens dictam schedulam, quia nec secreto, nec alteri facit iniuriam, & bona fide committit hoc negotium amico secreto.

Ergo ex præadductis conclusionem habemus, quòd Elector absens, legitimè potuit abesse in nostro casu; & similiter legitimè potuit Procuratorem mandare, non tamen ei dare mandatum dirigendi vota in certas personas, benè verò non dirigendi; per quæ, & per alia dicta, validæ, & firmæ remanent electiones factæ, nec ad illas inualidandas est ratio, nam & secretum, & cætera requisita, fuerunt plenè seruata.

## §. V.

*Solutio vrgentis obiectionis etiam ex vi propositionis damnata.*

87 QVia in Paragrapho antecedenti dictum fuit potuisse Electorem iubere suo Procuratori ne vota dirigeret in certas personas, hinc vrgens obiectio affertur; nam contingere potest, quòd Elector inter personas exclusas nominet digniores, vel saltem dignas iudicio Procuratoris, itaut si excludat iuxta Electoris iussionem, cogatur votum dare indignis. Sed votum dare indignis est peccatum mortale, vbi agitur de electionibus ad Prælaturas, & ad officia curam animarum annexam habentia (quidquid sit de alijs) prout communiter docent Doctores, ergo peccaret mortaliter Procurator Electoris obediendo ei in suffragando fauore indigni, ne peccet, & electionem vitiatam faciat, si suffragium ferat pro digniori, vel pro digno, sed excluso ab Electore, pro quo votum dat. Maior est certa, quia fortasse in Procuratoris opinione nullus censetur dignus, imò omnes iudicantur indigni, exceptis exclu-
88 sis. Minorem omnes admittunt; imò inter Doctores aliqui volunt esse semper eligendos digniores, & ità tenent Peyr. *tom.* 1. *de Religioso subdito, quæst.* 1. *cap.* 31. §. 4. *ver. ex quo sequitur.* Villalob. *in summ. tom.* 2. *tract.* 8. *difficul.* 3. *num.* 6. Sanch. *in opusc. tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 11. *dub.* 2. *num.* 28. Sotus *de iust. lib.* 3. *quæst.* 6. *art.* 2. Vasq. *in opusc. de benefic. cap.* 2. §. 3. *dub.* 2. *num.* 72. Salon. 2. 2. *quæst.* 63. *art.* 2. *controuers.* 7. Rebell. *de obligationib. iust. part.* 1. *lib.* 3. *quæst.* 4. *concl.* 5. Portel. *in dub. Regular. verb. electio, num.* 6. Turrian. *tom.* 2. *in* 2. 2. *disp.* 22. *dub.* 4.
89 *num.* 1. & alij. Aliqui tamen asserunt posse eligi dignum, vt cum limitatione mox dicenda, tenent Castr. Pala. *tom.* 2. *tract.* 13. *disp.* 2. *punct.* 11. §. 2. *num.* 14. Valerus *in differentijs vtriusque fori, ver. electio, different.* 1. *num.* 1. &
90 Caietan. *verb. Electio Prælati.* Limita, dummodò Prælatus, qui eligitur inter Regulares

 di-

digniores, non habeat ex electione beneficium, sed tantùm onus, & officium, vt est
91 Primatus aliquarum Religionum. Vlterius est limitandum, nisi in aliqua Religione statuatur, quòd digniores coram Deo iudicatos tales eligantur, relictis tantummodò dignis. Igitur indigni nullo modo possunt licitè eligi; & consequẽter Procurator Electoris nequit obligari à mandante, ne votum dirigat in certas personas, quia has fortasse iudicat digniores, vel ad minùs dignas, alias verò iudicat indignas, quibus teneretur votum dare, siuè ex malitia, siuè ex opinione diuersa, quæ in Electore mittente reperitur, quare Procurator peccabit dirigendo votum in indignos, itemque peccabit dirigendo in dignos, vel in digniores, in quos ab Electore prohibetur votum dirigere, quæ omnia cùm sint absurda, dicendum erit esse falsam statutam opinionem.

92 Confirmatur falsam esse dictam opinionem, quia videtur approbatiua propositionis reprobatæ, & damnatæ ab Innocentio XI. quæ propositio est 47. in numero damnatarum ab ipso, & dicit: *Cùm dixit Concilium Tridentinum eos alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, qui nisi quos digniores, & Ecclesiæ magis vtiles ipsi iudicauerint ad Ecclesiam promouent, Concilium vel primò videtur per hoc digniores non aliud significare velle, nisi dignitatem eligendorum sumpto comparatiuo pro positiuo; vel secundò locutione minùs propria ponit digniores, vt excludat indignos; non verò dignos, vel tandem loquitur tertiò quando fit concursus*. Et vt appareat qualiter opinio prædicta faueat huic doctrinæ meritò damnatæ, sciendum est Prælaturas Regularium communiter à Doctoribus doceri esse beneficia Ecclesiastica, vt notat Diana *in summa, verb. Electio, nu.2*. Et quamuis possit id negari de Prælaturis inferioribus, prout numer. antecedent. diximus negari à Valero, & Caietano; tamen id non potest negari de Prælaturis maioribus, vt sunt Generalatus, ac Definitoriatus, sicuti apertè docent idem Valerus, & Caietanus dum dicunt satis esse eligere dignum inter alios Regulares digniores, nisi ex electione habeatur beneficium; vnde Diana *part. 2. tract. 15.* computatis tractatibus primæ partis, *miscellan. 1. resol. 61.* quærit an Generales teneantur eligere digniores ad Prælaturas regulares, & sic referens opinionem dicentium satis esse si eligant dignum, si non habeat beneficium, sed tantùm onus, & officium: ergo dantur Prælaturæ, quæ habent beneficium. Igitur si Procurator Electoris teneretur non dirigere votum in Petrum dum agitur de electione v.g. Generalis, quia sic ei prohibitum fuit ab ipso, cuius est Procurator, licèt iste iudicet Petrum esse digniorem, sequeretur quòd iuxta propositionem damnatam Procurator putaret se non peccare mortaliter promouendo Paulum dignum, cùm tenendum sit esse mortale in simili electione omittere digniorem, alioqui affirmaretur, & ad praxim deduceretur illa propositio damnata. En quomodo doceatur doctrina damnata per hoc, quòd dicatur posse Electorem obligare Procuratorem suum, ne votum dirigat in certam, aut in certas personas.

93 Huic obiectioni, eiusque confirmationi respondetur, quòd per illas nullatenus eneruatur sententia à nobis stabilita. Hinc obiectionem sano modo intellectam concedere possum: Admitto enim posse contingere, quòd elector mandet Procuratori suo ne votum ferat pro Petro, quem ipse Procurator iudicat digniorem, vel saltem dignum, itaut si alijs det votum eligat indignos. Admitto etiam minorem, nempè esse mortale eligere indignum ad Prælaturam suppositam, & indè admitto consequentiam, scilicet peccare mortaliter Procuratorem si eligat indignum. Cæterum, in isto argumento fit transitus de vna persona ad aliam, quæ dat votum, & sic in consequentià accipitur persona Procuratoris quà persona eligens est, non verò quà persona est Electoris mittentis, prout illam repræsentat, siuè pro qua, aut vice cuius nomine suo fert suffragium. Quatenus ergo Procurator nomine proprio eligit, peccabit mortaliter, si Petrum non eligat, eo ipso quòd illum digniorem, vel dignum iudicat, attenta qualitate Prælaturæ, ad quam sufficiat dignum eligere iuxta opinionem probabilem modo dicto *num. 89.* & hoc totum benè probatur in allata obiectione. Idem Procurator nomine alieno ferens vota non peccabit omittendo Petrum, & eligendo Paulum, quia Elector, cuius personam agit, Petrum exclusit, dummodò ad mentem Electoris censeat eum esse digniorem, vel dignum, licèt indignus non minùs ac omnes alij iudicio ipsius Procuratoris videatur. Peccaret etiam, si arbitrium habens eligendi quemcunquè, excepto Petro iudicato non digno ab ipso mandante; Procurator missus non eligeret digniorem, vel dignum iuxta dicta eodem *numero 89.* inter omnes, quos ipse iudicat indignos. Sic si Paulus, & Ioannes, & alij sint quidem indigni adiudicati à Procuratore, sed aliquid eluceet

v. g.

v. g. in Paulo, vndè præ cæteris sit dignus, teneretur Procurator Paulum eligere, quia talis est intentio Electoris, cuius vices gerit.

94 Quòd si Procuratori constaret fuisse Petrum exclusum ab Electore cum digniorem, vel dignum cognoscente, sed propter odium excludente, tunc Procurator non potest mandatum acceptare, alioquin cooperatur peccato alterius, vt ex se patet. Si verò post acceptationem veniat in cognitionem peccati Electoris, & tempus non vacet ad renunciandum mandatum, tunc Procurator tenetur votum dare Petro, vtpote digniori, licèt nolito ab Electore; & ratio est, quia Procurator non potuit obligari ad peccandum. Imò si Procurator peccando acceptauit, quando ab initio nouit malam commissionem, tenetur pœnitere, atque ideò semper poterit renunciare; aut si tempus ad renunciandum non habet, poterit non obedire mandanti, imò tenebitur non obedire etiamsi Procurator fuerit institutus cum tali conditione, quæ quia turpis est, habetur pro non adiecta, & reijcitur prout dictum fuit suprà, *num.* 65. Quòd autem possit Procurator dare votum indigno iuxta proprium iudicium, sed digno iuxta iudicium illius, qui mandat suadetur primò, quia si quis dat schedulam Caio, vt illam ponat in calicibus, & dicat, in hac schedula do votum Paulo, in tali casu Caius poterit licitè ponere talem schedulam in calicibus, quamuis in iudicio Cai Paulus sit indignus, & ideò id licet Caio, quia se remittit, & operatur conformiter ad iudicium illius, qui schedulam dedit: ergo idem est dicendum de Procuratore non dante votum Petro, quem Elector exclusit quia non dignum illum iudicauit, sic enim Procurator præsumere debet, si aliud non constet. Suadetur secundò, quia facere per se videtur, qui per alium facit, *l. si per alium, ff. ne quis eum*; & *cap. qui per alium 72. de regul. iuris, in 6.* & alibi sæpè in Iure, & est communis opinio inter Iurisperitos. Sic Roman. *conf. 94. Visis ijs, num. 3. vers. ea enim.* Angel. Aretin. *conf. 61.* & alij penes Barbosam *Axiom. iuris vsufrequen. axiom. 92. nu. 1.* vbi etiam notat, quòd qui non potest per se, non potest per alium, ex quo probantur quæ diximus de Procuratore, quando Elector mittens excludit dignum, aut digniorem, quem nouit esse talem, sed ex ira, vel odio, &c. iussit Procuratori ne in eum dirigat votum. Non ergo adducta obiectio infirmat nostram sententiam.

95 Confirmationi vt respondeam, noto quòd Concilium Tridentinum *sess. 24. cap. 1. de reformat.* agens de promouendis ad Ecclesias habet hæc verba: *eos que alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, nisi, quos digniores, & Ecclesiæ magis vtiles ipsi iudicauerint, &c.* Super quæ verba facta fuit interpretatio nūc damnata ab Innocentio XI. in præallegata propositione, quia tria falsa dicebat: primum est, quòd *Concilium vel primò videtur per hoc digniores non aliud significare velle, nisi dignitatem eligendorum sumpto comparatiuo pro positiuo.* Sed hoc scandalosè dicitur, quia verè Concilium vult esse eligendum digniorem non solùm comparatiuè, sed positiuè talem; nam si digniorem solùm comparatiuè intelligere velimus, sequeretur esse licitum eligere minus dignum comparatiuè ad digniores, sed dignior comparatiuè ad minus dignos, & sic doctrina eiusmodi fuit meritò damnata tamquam contraria menti Tridentini, quod vult digniores positiuè esse promouendos. Secundum dictum falsum in propositione damnata, est, quòd Concilium *locutione minùs propria ponit digniores, vt excludat indignos*; & hoc coincidit cum primo dicto, ac proinde tenendum est Concilium exigere, vt positiuè digniores promoueantur, non autem digniores tantùm per comparationem ad indignos, alioquin posset promoueri indignus, qui respectiuè ad indigniores dignior posset dici: & sic apparet scandalosa eiusmodi doctrina. Tertium dictum falsum, consistit in verbis, *vel tandem loquitur tertiò, quando fit concursus*, nam siuè cum concursu, siuè sine concursu, soli digniores sunt promouendi; quia Concilium non attendit soli iniuriæ, quæ concurrentibus inferretur eligendo non digniorem, sed premit Concilium, vt Ecclesiæ vtilitas maior fiat, promouendo digniorem, maior autem Ecclesiæ vtilitas excluditur, si dignior non promouetur etiam sine concursu: ergo scandalosè afferebatur hæc tertia interpretatio, sicuti & prima, & secunda, quare propositio fuit meritissimè damnata velut animarum saluti perniciosa, dum deobligat promouentes à promotione digniorum, qui animarum saluti magis cooperari valent.

96 Noto secundò, quòd doctrina, quam vidimus fuisse damnatam, tenet solùm de promotis ad officia suprema, qualia sunt Papatus, & Episcopatus, ac similia, & ita apertè constat ex verbis eiusdem Concilij *d. cap. 1.* quæ sunt: *Itaquè statuit, vt cùm primùm Ecclesia vacauerit, &c.* ergo loquitur de promouendis ad Ecclesias, & ideò Concilium *ibi* sic loquitur de promouendo immediatè post dicta verba: *suppli-*

*plicationes, ac preces publicè, priuatimque habeantur, atque à Capitulo per Ciuitatem, & Diœcesim indicantur; quibus Clerus, populusque bonum à Deo pastorem valeat impetrare*; non est ergo licitum affirmare doctrinam præfatæ propositionis, de qua neque licet disputa-
97 re prout accipitur de dictis officijs. De alijs verò beneficijs inferioribus etiam curam animarum habentibus, fas est disputare, & Doctoribus remittitur examinare an satis sit dignos eligere, vel promouere. Idem à fortiori est dicendum de Prælaturis Regularium, siuè non sint, siuè sint beneficia, citrà tamen statuta particularia Religionum. Ratio est, quia Concilium Tridentinum *sess. 7. cap. 3.* ait expresse: *Inferiora beneficia Ecclesiastica, præsertim curam animarum habentia, personis dignis, & habili-*
98 *bus conferantur*: ergo de istis non stat damnatio propositionis adductæ. Est tamen aduertendum, à Concilio requiri, vt beneficia conferantur dignis; non vt collatio sit sinè peccato, sed vt valeat, neque irritari debeat in foro externo. Probatur hoc ex verbis eiusdem Concilij in *d. cap. 3.* positis post allatum verbum, *conferantur*, & sic prosequitur, *aliter autem facta collatio, siuè prouisio, omninò irritetur*. In hoc sensu sunt intelligendi Doctores Theologi, seu Canonistæ dum docent satis esse si promoueatur *idoneus*; scilicet ad hæc beneficia inferiora. Sic Petr. Tolosan. *in partit. Iur. can. lib. 1. tit. 29. c. 1. num. 1.* Lessi. *de iust. lib. 2. cap. 34. dubit. 14. num. 69.* & alij.

99 Data cognitione propositionis damnatæ, qua vtebatur Confirmatio obiectionis, *nu. 92.* ad euertendam nostram sententiam, nunc patet responsio; si enim Concilium Tridentinum loquitur de promouendis ad beneficia maiora, scilicet ad Episcopatum, Archiepiscopatum, &c. non autem de promouendis ad beneficia inferiora, vt diximus in notandis, sequitur quòd illa confirmatio nihil probat, quia falsò innititur fundamento, æquando promouendos ad Prælaturas regulares, ipsis promouendis ad beneficia suprema, de quibus fit mentio in illo capitulo primo, sessione vigesima quarta Tridentini, cuius capituli verba interpretata in damnata propositione, quam diximus esse quadragesimam septimam inter prohibitas, & damnatas ab Innocentio XI. consequenter sunt intelligenda interpretata pro illis promouendis ad Ecclesias in beneficijs maioribus, seu supremis, vndè & damnatio complectitur tantummodò ista beneficia, & prohibet, ac damnat doctrinam circa promouendos ad illa, quam doctrinam esse scandalosè traditam clarè vidimus, & quantùm necesse fuit, vt obiectioni responderemus, nostramque sententiam confirmaremus, prædicta attulimus.

Hic expedit notare, quòd opinio absolutè docens in omni electione sufficere si eligatur dignus, relicto digniore, est omninò reijcienda, quia complectitur in sua generalitate præfatam propositionem damnatam, vt ex se constat; si enim numquam vrget obligatio eligendi digniores, certè approbatur, & necessariò infertur veram esse doctrinam condemnatam, nam *dignior* sumeretur licitè vel comparatiuè ad minùs dignum, vel impropria significatione, vt indignus excludatur, vel ad summum illicitè non eligeretur dignior, si electio fiat per concursum.

100 Ad id, quod in eadē confirmatione dicebatur de Generalatu, ac Definitoriatu, nimirùm esse beneficia, seu officia suprema, & aliquo modo æqualia Episcopatui respectu subditorum, vndè etiam de illis censendum est fuisse loquutum Tridentinum, dum dixit digniores esse promouendos ad Ecclesias, itaut oppositum affirmare cadat sub damnatione, ac propterea dicendum est non posse Electorem imponere suo Procuratori, ne suffragium dirigat in Petrum, quia forsalse Procurator iudicat Petrum esse digniorem, atque ideò si Electoris prohibitio tenet, teneretur Procurator non eligere digniorem, quod est peccaminosum, & damnatum; respondetur dupliciter: Primò iuxta dicta *num. 93. & 94.* Secundò, concedendo esse peccatum non promouere ad Generalatum, vel ad simile officium digniorem propter similitudinem rationis cum non eligente digniorem ad Episcopatum; nihilominus si disputatio institueretur de dictis officijs regularibus, & affirmaretur doctrina propositionis 47. ab Innocentio XI. damnatæ, videlicet eam applicando solis Prælatis regularibus, nihil fieret, per quod prohibitio violetur, quia de solis sæcularibus beneficijs, maioribus tamen, vt diximus, fit mentio per illa verba Tridentini explicata per damnatam propositionem prædictam; & hæc omnia probantur, quia lex ex similitudine rationis extendi non debet ad casum in lege non comprehensum, prout ex Palao refert Diana *part. 5. tract. 14. resol. 11.* & latè arguitur ità esse dicendum ex Barbosa *in axiomat. verb. lex.* Cur verò sit peccatum non eligere digniorem etiam ad Prælaturam regularem est, quia non seruaretur iustitia distributiua, quæ exigit vt elector digniorem eligat.

Item

Item ratione qualitatis Prælaturæ, quæ est magni momenti, & Prælaturæ regulari vnitur cura animarum Religiosorum: Imò DD. communiter ita docent. Quare in præsentis historiæ casu censui, & censeo iuxta hactenus dicta.

# DECISIO LXXXII.

*An inciderit in pœnas violantium clausuram Monialis pergens per longum subterraneum vsquè ad muri fracturam, in qua partim intrà, partim extra super stramentum cum amasio cubabat.*

## Casus, seu Historia LXXXII.

### SVMMARIVM.

1 *Casus proponitur.*
2 *Violatio clausuræ modica, quæ sit.*
3. 4 *Tectus exterius est clausura, & locus immunis, sicut & sepulchrum.*
5 *Ecclesia violatur ratione sepulchri.*
6. 7. 8. 9 *Quid liceat quoad fabricam.*
10. 11 *Nouitia non tenetur ad clausuram.*
12. 13 *Quid si exeat, vel amasium admittat.*
14. vsquè ad 43 *Plura de obligatis ad Clausuram, de eius origine, de violantibus illam, etiamsi sint Nouitiæ.*
44. 45 *Qui situs sit clausura.*
46. 47. 48. 49 *Thesaurus, & quæ nullius sunt, ad quem spectent.*
50 *Locus apertus, non est clausura.*
51 *Derelicta quænam sint.*
52 *Ignorantia inuincibilis excusat.*
53. vsquè ad 59 *De paruitate violationis clausuræ.*
60. 61. 62 *De pœnis violantium clausuram; & soluuntur argumenta.*

1 IN Ciuitate N. erat quidam diues, qui licèt vxoratus cum filijs, & familia multa, impudicè viuebat cum famula, quæ secundo nuptiarum anno orbata marito, Vidua remanserat, priusquam vigesimum primum ætatis suæ annum compleret. Locus in quo cum famula Dominus adulterè congrediebatur, erat quædam crypta, seu cauerna, in qua dum secretè morabantur, audiebant à longè voces personarum colloquentium, quarum vocum strepitus ad eorum aures perueniebat, transiens per muri foramen circiter vnius palmi magnitudinis. Et ne ipsi peccantes etiam in tenebris detegerentur, videre, & scire voluerunt, quinam pòst illum parietem colloquerentur, ideò sinè mallei, ac alterius ferramenti rumore dilatauerunt foramen illud, quod in portam redactum, in illam intrauerunt, seque in subterraneam viam esse viderunt, & per hanc viam cum lumine lanternæ ambulantes peruenerunt ad terminum, vbi per quosdam parietis cancellos aereæ lucis penetrabant radij, simulque cognouerunt personas illas colloquentes esse Moniales Monasterij N. quæ ligna mouebant, & pannos lauabant. Igitur detecta veritate reuersi sunt & Dominus, & ancilla, quæ postmodum in eodem Monasterio Monialis conuersa effecta est. Nondum ista professionem emiserat, quòd in Monasterij lauatorio recognouit muri cancellos, per quos lux Solis in subterraneam viam intrabat, quæ via ad Domini sui cryptam conducebat; quapropter in eiusdem muri loco propè solum, foramen aperuit, per quod super pauimentum extensa intrare posset, tegens in die cum lignis dictum foramen, ne ab alijs Monialibus videretur, quæ omnia potuit Nouitia commodè facere, nam lauatorij cura cum claui fuerat ei demandata. His peractis rogauit Nouitia Magistram suam, vt notificare vellet confidenter Domino suo, quòd in illo subterraneo ipsi noto ipsa celauerat quosdam aureos, quos ipse inuenisset, si hora decimasexta ibi iuisset, & obseruasset in quam partem Solis radius attingebat, nam in tali loco suum thesaurum inuenisset, sed necessariò hora dicta quærere debebat. Sperabat simplex Magistra non paucas Monasterio acquirere pecunias, propterea supplicationem Nouitiæ detulit Domino, qui data sibi hora iuit ad cryptam, vbi & reperit Nouitiam, quæ thesauri sui nomine semper à Domino vocabatur. Hic vterquè ad vomitum redire decreuerunt, ideo datis horis simul conueniebant; sed ne Clausura violaretur, iudicauerunt subterraneum illud spectare ad Monasterium, quia ad murum lauatorij apparebat fuisse antiquitus ianuam in dictum subterraneum intrantem; & ex parte cryptæ Domini, nullius portæ vestigium conspiciebatur. Cum hoc iudicio prætendentes Clausuram non violare, Nouitia veniebat ad fracturam muri eiusdem cryptæ, in qua fractura tamquam in ianua extendebant stramentum partim intrà, partim extra, super quod cubabant; didicerat enim à Monialibus Nouitia, quòd Clausura non violatur ab existente in ianua, quamuis partim extra, partim intrà teneat corpus.

In

In prænarrato casu dubitauit Confessarius Domini illius Nouitiæ, an reuerà non fuerit ab eo violata Clausura, cùm diuersum quid sit, stare cum corpore, & cubare cum corpore extenso super stramentum in ianua Monasterij Monialium; vndè casus ipsius spectaret ad Papam pro absolutione, si Clausuram violauit ad malum finem.

Aliud dubium est, an subterraneum illud, esset locus Clausuræ, quapropter Moniales possent, vel non possent in illud intrare, nam si non erat Clausura, hæc non fuit violata à Domino sæculari, sed solùm à Moniali in dictum subterraneum ingressa.

Aliud dubium est, an liberum fuerit Nouitiæ egredi à Clausura, & iterum in Clausuram intrare, absquè eò quòd Clausuram violauerit tum per egressum, tum per ingressum, vel saltem per illam extensionem super dictum stramentum; & casu quo clausuram violauerit, an sit excommunicata, ac in aliam pœnam inciderit, maximè admittens amasium.

§. I.

*Altercatio super præsentem historiam.*

2 Casus iste fuit à quibusdam acriter disputatus, sed post longam altercationem, omittebant disputare, nulla data resolutione ad proposita dubia. Ad primum enim videbatur idem esse dicendum de stante in ianua clausuræ, ac de extenso in ea, & sic quemadmodum non violabatur à stante partim intrà, partim extra, ita nequè à similiter extenso partim intrà, partim extra, quia eadem currit ratio pro vtroquè casu, cùm seu quis erectus stet in ostio Monasterij, seu extensus in eo iaceat, non verificetur perfectus egressus, nec perfectus ingressus; & quando hæc non sunt completa, & consumata, sed semiplena, vt de facto est, dum pars vna corporis est intrà, pars altera est extra, clausura censetur in modico violata. Ita Sanchez *in decalog. tom. 2. lib. 6 cap. 16. num. 70.*

3 Ad secundum dubium videbatur pariter esse excusandam Monialem, quæ in subterraneo intraret, quamuis per muri fracturam, seu aperitionem, quam ipsa Monialis sibi aperuerat, dummodo sub situ horti, aut Monasterij subterraneum illud contineretur, prout in nostro casu mihi dicitur, quòd continebatur, nam in hoc non videtur violata Clausura, sicuti non violatur à Moniali ascendente supra tecti tegulas, si eat in eas partes, quæ perpendiculariter sunt superpositæ monasterio, vt tradunt Sanchez *summa, tom. 2. lib. 6. cap. 15. num. 7.* & Texeda *tom. 1. lib. 2. controuers. 14. dub. 8.*

4 *num 9.* cuius ratio est, quia docent Doctores reum inuentum super tegulas Ecclesiæ, gaudere immunitate, eò quòd dicatur esse intra Ecclesiam; ergo & idem erit dicendum de Moniali existente super tectum, ac consequenter etiam si eat sub monasterij situ, quemadmodum & gaudet immunitate existens in sepulchro sub pauimento Ecclesiæ, in quo sepul-

5 chro esset item sacrilegium copula, aut seminis, vel sanguinis effusio, tamquam si hæc fierent in Ecclesia, vndè Ecclesia remaneret violata, vt habet Fagundez *in præcept. Ecclesiæ, præcept. 2. lib. 4. cap. 4. num. 33.* ac consequenter & intrà Monasterij septa reputabitur Monialis, quæ in subterraneo sub situ Monasterij concauo reperiatur, quæ consequentia videtur benè illata ex dictis.

6 Et confirmari hoc idem posse videtur ex doctrina Iuristarum docentium, de iure communi, & regulariter licere cuiquè domum suam altiùs, & vsquè ad cœlum tollere, licèt indè vicinis damnum sequatur, & lux vicinis domibus tollatur, atquè secretiora earum propalentur. *l. altiùs. Cod. de seruitut. & aqua.* si

7 tamen, id fiat ob propriam vtilitatem, non ad vicinorum æmulationem, prout expressè traditur à Baldo *d. l. altiùs.* Sozino *regula 101.* Alexandro *consil. 174. volum. 2. & cons. 9. num. 3. in 6. volum.* & alij plures hoc idem docent,

8 addentes licitum similiter esse domino fundi, vel soli in domo sua, vel in pariete suo de nouo facere, & aperire fenestram eo prorsus modo, quo & in altum domum extollere. Ita Baldus, Paulus de Castro, & Salicetus *dicta l. altiùs.* Ratio esse potest, quia situs correspondens per continentiam in circuitu alicuius domus, seu cœlum versùs, seu versùs centrum spectat ad eumdem dominum domus, quia eiusdem domus censetur situs: ergo monialis intrans subterraneum intrà circuitum Monasterij contentum, non exibit à Monasterio, vndè nec Clausuram dicetur violare, videtur enim adhuc esse intrà septa Monasterij, dum in tali subterraneo habet intrare.

9 Notandum est circa ea, quæ dixi de fabricis extollendis, aut de fenestris aperiendis, quòd cum nonnullis limitationibus veritatem habent; sed quia has limitationes non sunt pro præsenti casu, ideò illas reticeo, & vt eas in Doctoribus, maximè Iuristis videat lector, hunc ad illos remitto; quas limitationes si quis compen-

pendiosè vult legere, adeat Sanchez *opusc. moral. part. 1. lib. 1. capit. 5. dub. 9. per totum.*

10 Ad tertium dubium videbatur sinè difficultate esse respondendum, integrum fuisse illi moniali, de qua agimus à Clausura totaliter exire, erat enim Nouitia, & Nouitiæ cuiuscumquè religionis approbatæ non tenentur ad clausuram, quia omnes textus clausuram præcipientes loquuntur de solis monialibus tacitè, aut expresè professis. Sic Azor. *tom. 1. institut. moral. lib. 13. cap. 8. quæst. 1. vers. item quærebatur.* Nauar. *comment. 4. num. 47. vers. circa quod regularibus.* Galarza *opusc. de clausura monialium, in 1. edit.* & alij.

11 Quòd autem ista Nouitia vadens per illud subterraneum violaret, vel non violaret clausuram, non videtur considerandum in præsenti casu, quia si Nouitia non tenetur ad clausuram, nec violat, nec non violat clausuram exiens à clausura, nam qui non tenetur ad aliquod præceptum determinatum, numquam dicetur violare, vel non violare tale præceptum.

12 Difficultas circa exitum Nouitiæ à clausura potest solùm in hoc releuari, quòd iterum clausuram ingrediatur; nam quamuis liceat ipsi egredi, non tamen liberum est ipsi ingredi. Id manifestè constat ex communi vsu, non enim Nouitiæ egrediuntur, iterumque pro libito ingrediuntur Monasteria, sed si semel volunt clausuram relinquere, ampliùs intrà illam non admittuntur; ergo videtur resoluendum in nostro casu, quòd Nouitia non peccet egrediens à clausura, peccet tamen occultè ingrediens post egressum etiam occultum.

13 Neque eodem modo agendum est cum Nouitia admittente amasium, & cum isto impudicè versante, ac cum Professa; licèt enim nec Nouitia possit in castitate delinquere, nec intrà clausuram sæcularem admittere, nihilominus si admitteret in nullam censuram incideret, sed si delictum esset publicè perpetratum, deberet Nouitia præter expulsionem à Monasterio, etiam puniri ab Episcopo, vel ab Abbatissa iuxta delicti qualitatem, & circumstantias; imò & sæcularis delinquens cum moniali, aut clausuram violans, debet & ipse à Iudice puniri. Dixi Nouitiam admittentem amasium intrà clausuram non incidere in aliquam censuram, nam non incidunt nec ipsæ moniales professæ; ergo à fortiori neque Nouitiæ, siuè loquamur de excommunicatione Gregorij Decimitertij, seu de excommunicatione lata in Concilio Tridentino *sessione 25. de regul. cap. 5.* vt infrà dicam *num. 61.*

## §. II.

*Quædam spectantia ad essentiam clausuræ, & quænam personæ teneantur ad illam.*

14 Pro discussione dubiorum in fine *num. 1.* propositorum non plenè satisfaciunt prædicta, ideò vt ea omninò decidantur expedit priùs adducere nonnulla spectantia ad essentiam Clausuræ, ex quorum intelligentia inferemus optatam responsionem ad casum, quem in terminis apud neminem vidi. Certum est igitur, quòd Moniales tenentur perpetuam seruare clausuram, quæ ortum habuit ex
15 Regula Monialium Sanctæ Claræ, & tunc temporis erat in præcepto solùm ijsdem moniali-
16 bus Sanctæ Claræ, vt vult Bordonus *resolution. moral. part. 2. res. 92. §. 17 num. 22.* postmodum verò iure communi fuit inducta à Bonifacio
17 Octauo *cap. Vnico incip. Periculoso, de stat. regul. in 6.* deinde confirmata in Tridentino Concilio *sess. 25. de regularibus, cap. 5.* vbi rigidissimis verbis inuiolabiter esse seruanda præcipit, & *in eadem sessione, cap. 22.* exprimit seruari debere omnia contenta in dicta sessione, non obstantibus quibuscumquè statutis, & priuilegijs quacumquè firmitate munitis, & quibuscumquè præscriptionibus, & consuetudinibus, etiam immemorabilibus, & vnum ex contentis in hac sessione *cap. 5.* est ipsa clausura.
18 Vlteriùs accessit quidam motus proprius Pij V. incipiens. *Circa Pastoralis officij*; qui emanauit quarto Kalendas Iulij anni 1566. innouans, ac districtè præcipiens obseruari Bonifacij Octaui consuetudinem, & decretum Tridentini; iterumquè anno 1569 Kalendis Februarij edidit idem Pius V. alium motum proprium, qui incipit *Decori, & honestati.* per quem eam dem clausuram strictiùs, ac rigidiùs
19 præcipit. Sed & Gregorius Decimus tertius tertio Kalendas Iannuarij, anno 1572. in motu proprio, cui initium est: *Deo sacris virginibus*, eamdem clausuram confirmauit.

20 Non est tamen de Iure naturali, ac diuino obseruanda ipsa clausura, prout aliquibus visum fuit, quos suppresso nomine insinuat Azorius; sed solius iuris humani ipsam esse, tenendum est cum eodem Azorio *institut. moral. tom. 1. lib. 13. cap 8. quæst. 2.* Nauarr. *comment. 4. num. 39. vers. 14. & num. 42. vers. quibus tamen, de regularibus.* Roderico *quæstionum regular.*

*lar. tom. 1. quæst. 44. art. 1. in princip.* Vega *tom. 2. summæ, cap. 86. casu 19.* & alij idem tenent.

21 Nec meritò possunt ab obligatione clausuræ se liberas reputare, talesq; ab aliquo iudicari Moniales alicuius certi instituti, seu professionis, cùm certissimum sit ad clausuram teneri quorumcumque ordinum, etiam militarium ipsæ sint. Ita Pius V. *d. mot. prop. circa Pastoralis*, ibi: *cuiuscumquè ordinis, vel militarium, etiamsi Hyerosolimitanæ sint*. Ita Doctores citati.

22 Et cum Azorio, & Roderico tenet Galarza *in opuscul. de clausura Monialium, in prima editione*, comprehendi in obligatione seruandi clausuram etiam illorum Monasteriorum Moniales, quæ ante Tridentinum clausuram non obseruauerant, & sic colligitur ex verbis Tridentini *dicto cap. 5.* & *ex d. mot.* Pij V. *circa &c.*

23 Imò & Conuersæ moniales, & Tertiariæ, ac tandem omnes cuiuslibet ordinis, seu congregationis, si veræ sint professæ, tenentur clausuram seruare. Sic habetur *loco citato* ex Pij V. motu, & docet Nauarrus *eod. tom.* Roder. *ibid.* & Passarellus *in compend. priuileg. Minim. c. 23. ad finem*. Dixi *si sint veræ professæ*, quia si

24 tantùm in congregatione aliqua velint mulieres nonnullæ viuere cum certis votis simplicibus, hæ ad clausuram nullatenus astrictæ intelliguntur. Videatur Graffius *1. part. decisionum. lib. 4. cap. 23. num. 17.* Nauarrus *consil. lib. 3. titulo de Regularibus, cons. 81. & 82. num. 1. in prima editione, & in secunda editione, tit. de Statu Monachorum, cons. 6. & 7. num. 1.*

25 Item eximuntur ab obligatione seruandi clausuram Moniales Nouitiæ, quia istæ non sunt professæ, nec in decretis clausuram inducentibus, seu confirmantibus comprehenduntur, cùm in eis solæ professæ nominentur, & ita docent authores citati supra *num. 10.* quibus addo Thomam Zerolam *in praxi Episcopali, part. 1. verbo Moniales, ad 16. quæsitum,*

26 *dub. 4. in secunda editione*. Hæc tamen sunt intelligenda, nisi ex vi statuti alicuius ordinis, aut congregationis Monialium, præcipiatur sub aliqua pœna, aut etiam sinè pœna, vt Nouitiæ clausuram seruent. At in tali casu obligarentur per spontaneam electionem status, non per generalem obligationem afficientem omnes professas Moniales.

27 Hinc sequitur peccare mortaliter contra præceptum Ecclesiasticum Monialem professam in Monasterio, seu Ordine, seu Congregatione, vbi nullum extat statutum regulæ, neque votum de clausura seruanda, quia si per statutum regulæ, vel si per votum, vel per aliud præceptum obligetur monialis clausuram non violare, peccabit violando eam tum peccato contra Ecclesiasticum præceptum, tum peccato contra propriam obligationem regulæ, aut

28 voti, aut alterius præcepti; & respectu Nouitiarum licèt non extet præceptum Ecclesiasticum ipsas obligans ad clausuram, fieri tamen potest, vt ad eam sint obligatæ per aliud particulare præceptum, aut per votum, quod fortasse ab eis iuxta regulam exigitur, vel ex alio capite, propter quod non possint clausuram violare, nisi verbi gratia, petant licentiam ab Episcopo, vel à Vicario, vel ab Abbatissa, vel à Confessario, quæ licentia non possit eis denegari, cùm egredi à Religione sit in earum arbitrio, verùm ratione boni regiminis exigit regula, vt licentiam egrediendi se obligent petere, qua etiam non obtenta, integrum erit eis egredi à clausura, dimisso Monialium habitu.

29 Præter peccatum mortale incurritur excommunicatio reseruata Papæ ab illa moniali, quæ temerariè clausuram egreditur. Quòd peccet mortaliter, probatur ab annexa excommunicationis pœna, quæ ob solum peccatum graue infligitur, vt docent communiter. Item suadetur, quia sic apertè colligitur à Bull. Pij V. incipiente *Circa Pastoralis*. Item quia egressus talis affert secum graue periculum, & summoperè dedecet statui suo. Item, quia strictè præcipitur, vt clausura seruetur. Ita tradit Bordonus *resolut. moral. part. 2. resol. 76. num. 64. & num. 65.* probat, quòd incurrat excom-

30 municationem, & insuper dicit, quòd moniales temerè egredientes à clausura priuantur à Papa dignitatibus, officijs, & administrationibus per eas obtentis, & inhabilitat eas ad ob-

31 tenta, & alia obtinenda in posterum. Et notat Sanchez *summæ lib. 6. cap. 15. num. 64. & 65.* quòd quamuis ab huiusmodi monialibus pœna excommunicationis nemine dubitante ipso facto incurratur, & ante iudicis sententiã, tamen

32 exigitur iudicis sententia declarantis crimen, vt incurratur priuatio, & inhabilitas circa dignitates, administrationes, & officia obtenta, & obtinenda.

33 Vt autem Monialis incurrat pœnas impositas egredientibus à clausura, requiritur vt per egressum peccet mortaliter, & ideò si leuis esset eius egressus, peccaret venialiter, nec pœnam aliquam incurreret, cùm aliàs pœnæ excederent culpæ qualitatem, excommunicatio enim, ac cæteræ assignatæ pœnæ sunt graues,

&

& consequenter grauem supponunt culpam, & non leuem, quæ est dabilis in violatione clausuræ, vt dicam infra *num.* 53. & 54. & *sequentibus*.

34 Igitur ex dictis deducitur pro casu nostro quid sit dicendum de Moniali siue Professa, siue Nouitia, quæ violationem clausuræ committeret per egressum, qui egressus esset temerarius, idest sinè causa, ac sinè licentia. Nam si professa sic egreditur temerè, peccat contra præceptum Ecclesiasticum, & etiam contra aliam, si quam habet, obligationem à regula, vel ratione voti, ac vlteriùs incidit in allatas 35 pœnas. Si Monialis egrediens sit Nouitia, & nullam habeat obligationem non egrediendi vel ob votum, vel ob regulam Nouitias afficientem, nullum committit peccatum, si egreditur etiam clàm, animo non ampliùs reuertendi. Excommunicationem verò, ac alias pœnas non incurreret Nouitia per talem egressum, vndè si iterum admitteretur, non esset in-36 habilis. Et quod dicitur de Moniali professa, extenditur etiam ad Conuersas, quatenus & istæ possunt esse capaces contrahendi pœnas, quia de ipsis verificatur posse excommunicari, non autem priuari officijs, dignitatibus, & 37 administrationibus, cùm sub nomine administrationum, dignitatum, ac officiorum veniant solùm ea, quæ coniunctam habent quamdam superioritatem: ita Sanchez *loc. cit. num.* 66. & Conuersæ in superiores non eliguntur, & Conuersa erat Nouitia in casu nostro.

38 Dixi supra *num.* 35. non peccare Nouitiam egredientem à clausura clàm, si *animo non ampliùs reuertendi* egrediatur; nam in hoc diuersificatur Nouitia à Professis, quòd si aliqua ex istis egrediatur à clausura sinè licentia, tenetur ad clausuram reuerti, quia illam in perpetuum debet seruare. Nouitia verò, cùm possit ad domum paternam redire, ideò non tenetur clausuram iterum ingredi, à qua egressa est; tamen si egressa est animo iterum intrandi, dico eam violasse clausuram per egressionem, non tamen per ingressum. Ratio est, quia Nouitiæ tenentur seruare id, quod est de iure communi, ac sancitum Pontificijs constitutionibus; *cap. vn. de stat. regul.* sed clausura est de iure communi afficiens omnes viuentes sub regulari statu, siuè sint professi, siuè non; ergo clausuram violat Nouitia egrediens, non vt iure suo 39 vtatur, reuertens ad sæculum, sed vt de nouo clausuram intret. Hinc est, quòd etiam Nouitij violantes clausuram de nocte peccant mortaliter, sicut alij professi, quia licèt Nouitij non teneantur seruare obseruantias particulares Religionis, tenentur tamen seruare id, quod est de iure communi, vt est clausura. Ita expressè de Nouitijs viris docet Bordonus *resolut. moralium part.* 2. *resol.* 76 *num.* 15. vbi etiam dicit casum istum esse reseruatum, si sic secundum indultum Clementis VIII. Superiores reseruauerint nocturnam, ac furtiuam egressionem à Conuentu: ergo multò magis erit interdictum Nouitiæ, vt de nocte exeat à Monasterio, volens iterum in Monasterium intrare, nam ratio probans de Nouitijs masculis, fortius 40 conuincit de Nouitijs fœminis. Quod autem non violetur clausura per ingressum nouum, & occultum Nouitiæ egressæ animo reuertendi, ducor ad sic iudicandum, quia supposito animo reuertendi, retinet ius habitandi intrà Clausuram, eique durat licentia debita, quam habet, vt in eo Monasterio degat donec vel à Monialibus excludatur, vel ipsa excludat Moniales, nolens in clausura, & Religione perseuerare; quapropter est semper verum, quòd cum iuridica facultate clausuram intrat, a qua egrediendo malè fecerat.

41 Et confirmare possum hoc idem, nam Nouitius furtiuè egrediens de nocte, si reuertatur ad Conuentum non peccat, imò laudabilis est, quòd Religionem non repudiauerit, nequè ipse à Religione est repudiatus: ergo & Nouitia peccans clàm egrediens à clausura, non per hoc est à Religione repudiata, imò est laudabilis eius regressus, & sic non apparet ratio, ob quam dici debeat ipsam violare clausuram per ingressum occultum, post occultum egressum animo 42 reuertendi. Item quia per illicitum egressum à clausura, non cessat Nouitia à statu Nouitiæ; ergo licitè iterùm intrat clausuram; & hoc 43 præcipuè quia Nouitia, venit sub nomine Monialium in fauorabilibus, deo ius habet intrandi vbi sunt, & degunt Moniales, certum est enim, quòd solùm in odiosis non veniunt Nouitij sub nomine Monachorum, Fratrum, ac Religiosorum, *arg. c.* 21. *de sentent. Excommun. in* 6. Roder. *tom.* 1. *quæst.* 21. *art.* 1. Igitur in casu Nouitiæ, de qua est præsens decisio, dicendum est eam verè violasse clausuram æquè, ac si fuisset professa, si subterraneum in quod intrauit non spectabat ad Monasterium, quapropter id est examinandum.

§. III.

*An subterraneum sit clausura; & an Excommunicationem incurrat Monialis admittens amasium.*

44 PRo examine ergo veritatis, an subterraneum sit comprehensum in clausura, sciendum est clausuram esse illud spatium, quod intrà ianuam semper clausam continetur, extra quod Moniales egredi non possunt, & intra quod nulli licet intrare, cuiusmodi sunt claustrum domus, & officinæ interiores *cap. cxiij, §. denique, de verbor. signif.* Sed Concilium Tridentinum, *sess. 25. cap. 5.* amplissimè loquitur de clausura, vocans illam totum spatium, quod septum, seu circumdatum, & clausum est, vndè paucis verbis ego dicerem Clausuram intelligi spatium illud, per quod liberè sinuntur ire Moniales, & ad quod extraneis non patet aditus. Ita colligitur ex Bulla Gregorij XIII. incipiente *Vbi gratiæ*; & ita docent Lezana *tom. 1. cap. 25. num. 18.* Roder. *tom. 1. quæst. 46. art. 1.* Barbosa *ad dictum cap. 5. sess. 25. num. 52.* Coriol. *casu 3. num. 7. & 18.* Lupus, Bonacina, & alij.

45 Quibus positis, censeo ad rationem spectare clausuræ, amplitudinem situs tum aerei, tum subterranei personaliter correspondentis situi, intrà quem, seu intrà cuius septa liberum est Monialibus ambulare, ac ire; & ad quem extraneis non patet aditus. Hinc sequitur, quòd si intrà dictum situm fodiatur terra, & detegatur cauerna; ista suapte natura fit nouum cubiculum, seu noua cella vinaria intrà clausuram contenta, in quam intrare licebit Monialibus non minùs, ac in alijs officinis. Ratio est, quia dicta cauerna est intrà septa Monasterij, sicut intrà ambitum domus alicuius continetur situs correspondens circuitui eiusdem domus tum subtus terram, & ideo potest fodi; tum versus cœlum, & ideo possunt propriæ do-

46 mus extolli, vt dicebatur supra *num. 6. & 7.* imò & ideò thesaurus de industria quæsitus sine licentia domini in istius fundo, totus est ipsius domini, vt docet Lessius *de iustit. & iur. lib. 2. cap. 5. dubitat. 15. num. 59.* ergo non est contra clausuræ obseruationem, si Moniales intrent cauernam detectam subtus pauimentum intrà septa Monasterij inclusum.

47 Sed hæc vltima consequentia est intelligenda cum limitatione, scilicet nisi illa cauerna sit alterius domini, qui illam possideat, vel quia prior illam ipse fortuitò inuenit, & occupauit, vel quia alio iusto titulo ad eum peruenit. Ratio est, nam ea quæ nullius sunt, fiunt primò

48 occupantis de iure naturali, & gentium, dummodò ius commune aliud non disponat, sicuti disposuit de thesauris, vt constat ex *§. thesauros, Institut. de rerum diuisione*, & *l. vnica, Cod. de thesau.* Et casu quo cauerna reperta sub situ clausuræ nullius sit domini, atquè in longum sit taliter protracta, vt exeat clausuræ ambitum, non releuat quin cedat in dominium Monialium, quæ illa poterunt vti ad ligna, vel dolia reponenda, vel ad aliud quodcumquè eis libuerit seruitium, supposito tamen, quòd sæcularibus, vel alijs extraneis nullus pateat aditus ad eamdem cauernam penetrandam, nam si in domo extraneorum daretur ianua, seu ingressus ad eamdem cauernam, hæc spectaret ad extraneos, essetque subterraneum attinens ad alienos, non ad ipsas Moniales, quæ deberent iterum parietem construere ad claudendum aditum apertum; imò & à Prælato superiore deberent petere, vt locum detectum visitet, si Moniales videant non esse angustam cauernam absquè dubio omnibus extraneis obturatam, aliàs si talis non appareat, fieri posset vt Moniales in eam intrantes exeant à clausura, & propterea in eam non possent intrare, quousquè à Superiore res declaretur. Igitur subterraneum repertum in situ clausuræ, potest ad clausuram spectare, & non spectare iuxta prædicta.

49 Hinc infero, quòd subterraneum per quod ibat Nouitia, de qua extat nostra dubitatio, procul dubio erat extra clausuram, si de illo nulla extabat memoria, nam erat illius domini sæcularis, qui primò illud inuenit. Nec valet dicere, quòd in muro lauatorij Monialium apparebat ianua, ex qua poterat argui locum illum attinere ad iura Monasterij; respondeo enim quòd quamuis possit sciri à quorum maioribus sit conditus thesaurus, nihilominus eò ipso quòd de eo non extat memoria, vt iam dominum non habeat, desijt esse in dominio cuiusquam id, quod tanto temporis spatio desijt possideri, & ideò fit primò occupantis de iure naturali; ita docet Lessius *loc. cit. num. 57.* similiter etiam dicendum venit de via subterranea, quæ desijt possideri adinstar dicti thesauri, licèt per portæ vestigium possit sciri à quorum maioribus fuerit condita, ac possessa.

50 Item suadetur fuisse extra clausuram dictum subterraneum, quia Conuersa Nouitia per vim fecit muri fracturam ad intrandum in illud, in quod sciebat esse apertum aditum perso-

sonæ sæculari: sed ex dictis sub *num.* 44. situs clausuræ est ille, ad quem extraneis non patet aditus; ergo subterraneum illud est extra septa clausuræ, & sic hanc violauit Nouitia toties, quoties exiuit, non tamen etiam quoties intrauit iuxta ea, quæ dixi à *num.* 38. *vsquè ad* 43. inclusiuè. Confessarius ergo Domini istius nunc factæ Nouitiæ, potest absolutionem ei dare, non enim violauit clausuram, nec in casum incidit reseruatum Papæ.

51 Quòd si quæratur quid dicendum sit, si extet memoria recens de dicto subterraneo, ita vt spectet ad Moniales? Respondeo adhuc illud spectare ad dominum sæcularem ex duplici capite: primum est, quia respectu Monialium habetur pro derelicto, & hoc declaratur per exclusionem illius à situ clausuræ, dum extra ianuam data opera muratam fuit relictum, & in iure habetur pro derelicto id, quod dominus ea mente abiecit, vt in numero rerum suarum non computetur, ita §. *penult. Instit. de rerum diuis.* post quam proiectionem res fit primò occupantis. Secundum caput est, quia saltem quoad ius intrandi in illud tamquam locus non clausuræ spectat ad illum, qui solus habet aditum apertum ad talem locum omninò sinè aditu pro Monialium ingressu, ac proinde sola Nouitia, & nõ Dominus eius clausurã violabat.

52 Quia verò taliter se gubernabant Nouitia, & dominus sæcularis, vt cauerent ne clausuram violarent, iam totaliter liber à scrupulo violationis clausuræ est iudicandus à Confessario iste dominus, qui nec re, nec conscientia errante clausuram fregit, Nouitia autem, quia re clausuram violauit, fortasse coram Deo non peccauit, si per ignorantiam inuincibilem putauit se non delinquere in clausuræ obseruatione. Ignorantia namque excusat à culpa, quando est verè inuincibilis. Ita communiter DD.

53 Nunc demus, quòd verè Nouitia cum Amasio cubarent in muri fractura, tamquam in ianua Monasterij, vt in casu nostro fuisset factum, si Amasius perrexisset ad muri aperitionem, à qua Nouitia exibat, vel si ad aliquam ianuam extenso stramento, super illud peccassent, essent ne ambo violatores clausuræ, nempe Amasius per ingressum, & Nouitia per egressum? Respondeo supponendo certum esse, dari materiam leuem in violatione clausuræ, tum ex parte extranei ingredientis, tum ex parte Monialis egredientis, & dum clausura violatur leuiter non committitur culpa lethalis, ne-

54 què contrahuntur censuræ in transgressores latæ: sic Graff. 1. *part. decis. lib.* 4. *cap.* 23. *num.* 25. & hoc est verissimum, dicit Sanchez *summ.*

55 *lib.* 6. *cap.* 16. *num.* 70. Quando autem leuiter transgrediatur clausura diuersimodè sentiunt Authores, nam aliqui dicunt esse leuem transgressionem, si per duos pedes Monialis exiret è clausura. Ita Naldus *sum. verb. clausura, num.* 1. & Graff. *cit.* sed hoc non approbat Homobo-

56 nus *tom.* 1. *part.* 4. *resp.* 61. nec Sanchez *vbi supra*, quia putant reperiri perfectam transgressionem in tali exitu, per quam culpam, & pœ-

57 nam volunt incurri. Alij ab opposito nimis strictè loquentes, dicunt violari à consistente in ostio: sic Lelius Zecchius *de casibus reseruatis, casu* 10. *num.* 1. & hoc probant, quia stans in ostio censetur in domo, & incidit in pœnas ingredientis domum prout volunt Alexander *cons.* 137. *num.* 14. *vol.* 2. Bartolus *l.* 1. §. *hoc interdictum, num.* 1. *ff. de cloacis*. Baldus *rubr. vers. hic adde. ff. solut. matr.* Iason *l. cætera*. §. *hoc Senatus consultum. num.* 11. *ff de legatis.* 1. & *l. plerique, num.* 20. *limit.* 4. *ff. de in ius vocando.* & colligitur ex *l. aquaductum, C. de contr. empt* vbi traditur, quòd appellatione ostij veniat domus. Iuxta hanc opinionem non excusarentur Nouitia, nec Amasius à culpa lethali, & à contractione censurarum contra violantes clausuram, vt de se patet.

58 Cæterùm quia Sanchez in medio viæ pergens, docet esse leuem clausuræ transgressionem, quando ingressus, seu egressus non est perfectus, sed semiplenus, ideò nec grauiter peccari putat, nec censuras contrahi ab existentibus in ostio, itaut corpus non sit totum extra, nec totum intra, parùm, & nihil referens quòd maior pars corporis sit intrà, aut extra, dummodò nec totum intrà, nec totum extra esse verificetur, sicut verificatur de stantibus in ostio, quia ostium est partim intrà, partim extra clausuram, vt tradit Glossa *cap. cùm sanctam*, cum Baldo, Alexand. & Iasone, quos refert, & sequitur ipse Sanchez *vbi supra*. Cum hac opinione Sanchez est decidendum dubium, an clausura violetur à Moniali cubante cum Amasio super stramentum extensum partim intrà, partim extra ostium, seu muri fracturam ad modum ostij clausuræ; & puto non violari, nam corpora eorum nec ex toto sunt intrà clausuram, nec in toto sunt extra; ergo egressus, & ingressus non sunt completi, sed semipleni; & consequenter transgreditur leuiter clausura, quæ resolutio manifestè sequitur ex modo, quo Sanchez explicat modicam transgressionem clausuræ.

59 Nec obstat si dicatur debere Sanchez intelligi de stantibus in ostio, non de iacentibus, nimiùm enim videtur laxum, si iacentes in stramento super ostium clausuræ velimus à culpa graui, & à censuris excusare. Respondeo enim, quòd quamuis quid nimium prima fronte appareat, tamen re benè perspecta eadem est ratio de stantibus, & de iacentibus, quia de omnibus verificatur nec esse omnino intra, nec omnino extra; nec stare in ostio impedit posse peccare in ipso ostio, vndè non est cur clausura grauiter violetur à iacentibus in ostio, sicuti non violatur à stantibus in eo. Igitur etiam ex hoc capite non incidit in violationem clausuræ dominus cubās cum Nouitia olim famula sua, quapropter confessarius dicti Domini potest illum absoluere, cùm casus iste non sit reseruatus Papæ: Verùm non posset Confessarius illum absoluere, si ab Episcopo huiusmodi cōgressus cum Moniali etiam Nouitia reseruaretur, nisi habeat facultatem absoluendi à reseruatis.

60 Nequè dictus Dominus incidit in aliquam censuram, receptans Nouitiam egressam à clausura, cuius egressus ipse Dominus est causa; nam pœnæ latæ contra receptantes, ac comitantes Moniales à clausura egressas, sunt tantùm in casibus Monialium professarum, non Nouitiarum, cùm de solis professis loquatur motus proprius. Ita Nauarr. *comment. 4. num. 47. vers. circa quod &c.* Thomas Zerola, *verb. Monialis ad 16. quæsitum, dub. 4.*

61 Circa Moniales admittentes ad malum finem intra septa Monasterij aliquem Amasium, dicendum est eas non incurrere aliquam excommunicationem, tum ex vi Bullæ Gregor. XIII. tum ex vi Tridentini *sess. 25. de regular. cap. 5.* quia Concilium excommunicat ingredientes, nulla facta mentione de admittentibus, & excommunicatio non extenditur de casu ad casum, licet eadem sit ratio. Ita Diana *part. 2. tract. 16. resol. 34.* Bulla verò loquitur de Abbatissa, & Abbatibus Conuentualibus &c. at de Monialibus non efficitur mentio. Idem *loc. cit. res. 33.* ex quibus sequitur esse multò magis exclusas Nouitias, si Amasios admittant.

62 Contra dicta à *num. 14.* vsquè nunc, si aliquid in oppositum in anterioribus numeris argumenti gratia fuit allatum, patet responsio ex adductis pro decisione præsentis facti, quód de subterraneo in palàm perduxi, cuius subterranei ingressum in crypta domini sæcularis egomet vidi.

# DECISIO LXXXIII.

*An liceat Marco ludere ius suum petendi Mariam in vxorem, quod ius acquisitum à collusore, si iste præmoriatur; an transeat in hæredes, itaut possint compensationem exigere à Marco, si duxerit Mariam; vbi varia de ludo.*

## Casus, seu Historia LXXXIII.

### SVMMARIVM.

1 *Casus proponitur.*
2 *Plura sunt dubia in illo.*
3. *vsquè ad 29 Quid sit ludus; quæ possint ludi; qui possint ludere; & de fraude in ludo.*
30 *Ius, & actio dicuntur res.*
31 *Ius temporale potest vendi.*
32. 33 *Quinam possit compromittere.*
34 *Quid sit Ius.*
35 *Vexatio an redimatur pecunia.*
36. *vsquè ad 44 Hæres in quæ succedat, & quinam sit.*
45 *Intentio attenditur in contractu.*
46. 47. 48 *Causa an cesset cessante effectu.*
49 *vsquè ad 54 De amissis in ludo vetito.*
55. 56 *Amici sunt vnum.*
57 *Idem est ius vbi est eadem ratio.*
58 *Ponitur corollarium.*
59. 60 *Quod votum obstet matrimonio.*
61 *Ludere in Ecclesiam an liceat.*
62. 63. 64 *De domo exposita ad ludum.*
65. 66. 67. 68 *De ludo taxillorum, & alearum, an liceat.*

1 STricto amicitiæ vinculo inter se coniuncti viuebant Marcus, & Siluester, qui ne amici esse desinerent ratione æmulationis in prætensione Mariæ ab vnoquoquè illorum optatæ in vxorem, ideò conuenerunt, ad lites omnes inter se eliminandas, ius proprium petendi Mariam exponere in ludo; vt qui victus remaneret, expoliatus fieret tali iure, quod totum ad victorem spectaret, ita vt iste solus pace seruata cum amico, dictam Mariam sibi posset in sponsam petere. Victor fuit Siluester, qui morte præuentus, nec iure adepto vsus, ideò ipsius hæredes in eam venerunt prætensionem, vt nollent Marcum posse ducere Mariam sinè placito illorum; & tale placitum dare nolebant, quia vnus ex ipsis nuptias easdem exoptabat. Negare non poterat Marcus amissionem prædicti

iuris

iuris factam in ludo cum collusore Siluestro, extabant enim de hoc contractu tum testes, tum scriptura, quapropter ab hæredibus Siluestri computabatur hoc ius adeptum à defuncto, inter cætera defuncti iura ad hæredes deuoluta. Tamen Marcus non obstantibus præallegatis duxit Mariam, qua de causa damnificatum se credens ille, qui à cohæredibus facultatem obtinuerat, vt cum dicta Maria nuberet, clam multa titulo compensationis surripuerat ex bonis Marci, paratus & alia sibi accipere, donec ad damni integritatem peruenisset, quia censebat iniustè Marcum duxisse Mariam, quæ ad ipsum hæredem attinebat cum dote, & facultatibus, quas habebat. Quæritur nunc quid iuris pro vtroque foro in dicto casu tam respectu Marci, quàm respectu hæredum.

2 Dubia in præsenti examinanda hæc sunt. Primò, an ius non petendi aliquam certam fœminam in vxorem, possit esse materia ludi. Secundò, an dato posse tale ius esse materiam ludi, si amittatur cum collusore, qui præmoritur, transeat in hæredes, itaut sine horum consensu non possit victus fœminam illam sibi copulare. Tertiò, an si victus dictam fœminam ducat, peccet, aut matrimonium sit validum, vel vitiatum, vel illicitum.

## §. I.

### *Quid sit ludus; qui possint ludere, & quæ possint ludi.*

3 Circa primum respondeo, quòd quia *ludus est contractus quidam inter duos, aut plures dandi rem propositam victori*, sicut commu-
4 niter definitur; propterea res, quæ proponitur debet esse in libera dispositione proponentis, non enim potest res alienas, vel quas alienare non potest periculo exponere: ita Lessius *de*
5 *iust. & iur. lib. 2. cap. 26. dub. 2. num. 7.* Ideò filius familias non potest ludere, nisi quantitatem ei à patre liberè concessam, si non habeat peculium castrense, vel quasi castrense, de his enim est dominus proprietatis, & vsusfructus, seque habet vt pater familias. *C. de inoff. testam. l. fin. & ff. ad Macedon. l. 1. §. vltimò.* at de alijs bonis est dominus pater, tum quoad
6 proprietatem, tum quoad vsumfructum, si sint bona profectitia, *Instit. per quas person. nobis acquir. §. 1.* si verò sint aduentitia, vsusfructus est patris, dum viuit, ratione patriæ potestatis. *l. non solùm, & l. cùm oportet. C. de bonis, quæ*
7 *liber.* Sic seruus, vel mancipium, quia regulariter caret bonis, ideo sine domini consensu non potest in ludo alienare; & ita colligitur ex *l. acquiritur, §. igitur, ff. de acquirend. rer. do-*
8 *min.* & *l. id vestimentum, ff. de pecul.* posset tamen cum domini tacito, vel expresso consensu: item si aliquid ei detur ea conditione, vt domino nihil acquiratur: item si aliquid obtineat per seruitium præstitum ab ipso, seu per turpem corporis vsum, seu per iniuriæ compensationem; seu si aliquid habeat sibi subtractum ex concessis à domino, vel ex obtentis in ludo tum licito, tum illicito, de quibus seruus potest disponere, quia habet dominium absolutum: videatur Diana *part. 7. tract. 7. resol. res. 29. 30. 32. & 33.* ergo in ludo non potest exponi nisi res propria.

9 Proindè vxor non potest aliquid ludere, nisi vltra dotem habeat paraphernalia, quorum ipsa dominium, & administrationem gerat; vel nisi à marito pecunias acceperit, vt eas pro libito expendat; vel nisi habita pecunia ad se ornandam, ipsa restrictius viuens aliquid reponat ad ludendum; vel nisi maritus in vxoris ludum consentiat; vel nisi ipsa bonorum domus sit administratrix; vel nisi more cæterarum suæ qualitatis ludat; vel nisi ex industria acquirat, peracta curæ domesticæ administratione: videatur Villalobos *in summa tom. 2. tract. 28. diffic. 5. nu. 3.* ergo nihil non proprium, aut non concessum ad disponendum pro arbitrio, potest à
10 quouis ludi. Et quia Religiosi per Paupertatis votum nihil possident, propterea nec ipsis licitum est aliquid in ludo ponere, nisi à Superiore præhabita fuerit ludendi facultas; & tunc cum
11 moderamine, scilicet in modica quantitate possunt ludere, aliàs peccarent mortaliter: ità
12 Bordonus *res. moral. part. 1. res. 32. num. 1.* & talis quantitas esset notabilis, si esset vnius aurei in eodem ludo eodem die: Panormitanus *in cap. Clerici*, & ex eo Graffius *part. 2. lib. 3. cap. 9. num. 8.* Sed Religio in qua sic ludere licet,
13 debet esse ex non reformatis, nam in reformatis esset semper graue peccatum pecuniam ludere; sic expressè Bord. *loc. cit. num. 5.* Et lu-
14 dens non plus potest acquirere, quàm possit perdere. Naldus *ver. ludus. num. 3.* Megala *de contract. lib 2. c. 19. num. 16. §. respectu.* Bonacina *disput. 2. de restit. quæst. 3. punct. 2. nu. 15.* & alij. Nisi cum multis ludat, quia tunc
15 posset plus acquirere, quàm perdere cùm respectu singulorum collusorum possit totam pecuniam perdere, vndè æquum est vt possit etiam à singulis totidem acquirere. Naldus *loc. cit.*

*cit.* Nauar. *cap.* 20. *num.* 19. Sanchez cum alijs
16 multis à se citatis *in summa lib.* 7. *cap.* 19. *num.* 83. *&* 84. Commendatarij verò militares, quibus matrimonium non interdicitur, imò & quibus interdicitur, vt sunt Equites D. Ioannis possunt ludere non minùs ac si essent sæculares, quia primi sunt domini bonorum suorum, & secundi de istis possunt disponere. Ita Sanchez *lib. cit. cap.* 8. *num.* 32. *&* 36. ergo materia ludi
17 debet esse in dominio, vel dispositione illam exponentis. Hinc sequitur licere Clericis ludere de bonis, quorum habent dominium, vt sunt patrimonialia, & prouenientia ex officij stipendio; ita maior *in* 4. *dist.* 24. *quæst.* 27. imò etiam distributiones quotidianæ, Missarum eleemosynæ, sicut & fructus beneficij Capellaniæ, & Anniuersariorum, vel officiorum pro defunctis, possunt à Clericis ludi, quia sunt illorum domini etiam post congruam sustentationem, & propterea lucrantes non tenentur restituere, quamuis fortasse ipsi Clerici ludentes, mortali-
18 ter peccauerint: sic communiter DD. Tandem meritò Sà *verbo Ludus num.* 6. & iterum *verbo Minor, num.* 5. docet minorem validè facere ludi contractum, ac propterea teneri amissa soluere, quia de proprijs exposuit; igitur
19 quando in ludo exponitur non proprium, aut res, de qua non potest ipse ludens disponere, lucrans tenebitur restituere, propterea Armilla cum alijs volunt lucrantem à Minore, debe-
20 re restituere, quia minor non disposuit, sed quia oppositum est probabile, vt dixi numero præcedenti, ideo confessarius poterit non obligare minorem ad soluendum amissa, nec lucrantem ad restituendum lucrata; Si ergo in casu nostro collusores poterant disponere de re, quam ludebant, licitus fuit eorum ludus.
21 Non potest autem quis ludere ius ducendi Mariam, quando cum illa iam fecisset sponsalia, quia tunc per contractum in re graui, tenetur sub culpa lethali non recedere, vnde non est ampliùs in suo dominio disponere de iure non petendi Mariam in vxorem, quod ius habebat ante sponsalium contractionem, post quam, iniuriam grauem infert sponsæ, quæ effecta est domina iuris sponsi, per quod ius ante sponsalia poterat ipsam nolle ducere, & taleius ipsa acquisiuit dando vice versa ius proprium; quapropter & ipsa grauem iniuriam inferret sponso, si de alteri dato iure haberent contra contractum disponere. Id suadetur ex *cap. At bo. cap. de sponsatas; cap. de coniugali.* 27. *q.* 2. *&* *cap. ex litteris* 2. *&* *cap. requisiuit, de spons.* & si aliqualiter obstabat *l.* 1. *Cod. de sponsal.* fuit correptum ius ciuile per canonicum quod est fortius. Ideò teneri sponsos non priuare alium iure suo frangendo sponsalia, docent D. Antonin. 3. *part. tit.* 1. *c.* 18. *fine, &* §. 1. D. Thomas 4. *distin.* 27. *quæst.* 2. *art.* 1. *ad* 2. Caietanus *summa, verb. sponsalia.* Angelus *ibi, num.* 21. Syluester *eodem verbo, quæst.* 4. *dict.* 1. *&* *quæst.* 10. *dicto* 3. Tabiena *ibi, q.* 6. *num.* 7. Armilla *ibi, num.* 7. Felin. *cap.* 1. *de pactis, declaratione* 6. Abbas *cap. ex literis* 2. *de sponsal. num.* 3. Turrecremata *cap. vbi non est*, 30. *quæst.* 2.
22 *art.* 6. *num.* 7. & alij innumeri. Imò retrocedens, si monitus non desistat, cogendus est à Iudice cum censuris, siuè sponsalia sint iurata, siuè non, nam *d. cap. ex literis*, dicitur else cogendus. Igitur sponsus si ludat ius ducendi sponsam, ludit rem de qua illicitè disponit, & quæ est non sua, propterea victus non tenetur cessare à ducenda sponsa, & victor nihil poterat lucrari de tali iure.

23 Et quia in colludentibus ius petendi Mariam in vxorem, si vnus ex illis iam cum illa fecerit sponsalia, non potest non nisi lucrari ius alterius, quod est liberum ad procurandum ipsam in sponsam, verbi gratia operando, vt procuret ipsa de consensu sponsi sponsalia soluere ad intentum nubendi cum alio; ideò in tali ludo non poterat neque vincere ille, qui non poterat perdere. Quòd autem sponsalia ex mutuo consensu possint dissolui tradunt Hostiensis *cap.* 2. *de sponsal. fin.* Innocentius *cap. sicut, eodem titulo, num. vnico.* Felin. *d. cap.* 2 *num.* 16. & *cap.* 1. *de iureiurand. num.* 2 D. Antonin. *vbi supra.*
24 D. Thomas *loco citato, art.* 3. & alij multi. Et suadetur ratione ex *cap.* 1. *de regul. iuris*. vbi dicitur omnes res per qualcumquè causas nascuntur, per easdem dissolui; ergo cùm sponsalia nascantur ex mutuo consensu, cum isto & dissoluuntur.

25 Et quòd non possit vincere ius alterius ille, qui proprium æquale non potest perdere, probatur quia in ludo requiritur æqualitas iuxta
26 tacta *sub num.* 13. *huius Decisionis*. Et ob causam inæqualitatis est restituendum lucrum factum à collusore occultante manifestum excessum suum in scientia ludendi. Syluester *verbo Ludus, quæst.* 11. Ledesma 2. 4. *quæst.* 15. *art.* 5. *fol.* 123. *pag.* 4. Philiarcus *de offic. Sacerd. tom.* 2. *part.* 2. *lib.* 5. *cap.* 2. *num.* 8 & alij com-
27 muniter; nisi collusor nouerit talem excessum æmuli, vel de eo fuit admonitus, & nihilominus velit ludere, nam in tali casu non est facienda restitutio illi, cui vt volenti, & consentienti non fuit facta iniuria. Emanuel Rodriquez

in

*in bulla compositionis, §. vnico, num.* 28. Nauarra *summa latina, cap.* 20. *num.* 17. & alij. Simili-
28 ter est facienda restitutio à lucrante per fraudem, tale enim lucrum fit contra domini voluntatem, quia dominus non intendit perdere cum ista inæqualitate ludendi, & cum dece-
29 ptionibus. Ita communiter Doctores, dummodò fraus non sit ex permissis inter ludentes, qui solent aliquando fingere animi suspensionem, & similia præstantes non verè decipiunt. Sanchez *opusc. moral. lib.* 1. *cap* 8, *dub.* 12. *per totum.* Ergo in nostro casu, si colludentes ius nubendi cum Maria non sint æquales in eodem iure, vt si vnus iam fecerit cum ea sponsalia, vel habuerit impedimentum ducendi eam, vel quid simile, tunc iste nihil potest perdere, cùm verè careat iure, vel si aliquando ius habuit, nunc non est ampliùs cum tali iure, factis sponsalibus, vndè nec ab alio poterit vincere ius, quod verè est in eo; quæ omnia si in nostro casu Marci sic se habuerunt, non est dubium quin benè fecerit nubendo cum Maria, quod matrimonium hæredes collusoris cum Marco non possunt impedire, sicut non potuisset nec ipse collusor viuens.

Dato igitur, quòd ius ducendi Mariam, quod erat in Marco fuerit victum à Syluestro, antequam Marcus sponsalia contraheret cum dictà Maria, examinandum est, an ius tale potuerit cadere sub ludo; & insuper an victor si verè vincere potuit tale ius, hoc transmittat in hæredes, si moriatur; atquè an validum, nec illicitum fieret matrimonium ab ipso victo, si ducat Mariam nulla habita remissione à victore collusore.

30 Et quòd ius existens æqualiter in pluribus de petenda certa fœmina in vxorem possit ludi, id certum censeo, quia quidquid est proprium alicuius, est res apta exponi periculo perditionis per ludum, si tamen non sit cum alterius præiudicio, nam tunc non est integrum habenti rem istam exponere; & sub nomine *rei* venit etiam ipsum *ius*, quod possidetur, & *actio* quæ habetur. *l. rei appellatione* 23. *l. bonorum* 49. *ff. de verbor. significat.* Rebuff. *ad l. rei appellatione, verb. latior, vers. tertiò.* Surdus *cons.* 470 *num.* 4. Tuschus *tom.* 8. *lit. V. conclus.* 104. *num.* 3. Alexander *cons.* 185. Cald. Pereira *in l. si curatorem, verb. res. num.* 1. Marian. *de censibus, cap.* 8. *num.* 208. Giurba *decis.* 17. *num.* 7. & alij. Ergo & in ludo poterit exponi, sicuti & potest data pecunia ab alio obtineri, dummodò non sit ius spirituale, ne Simonia incurratur: Et sic ius temporale potest emi, & vendi, sicut & po-
31 test à seipso alienari, vndè appellatione emptionis, & venditionis continetur quælibet species alienationis *l. statu liberi, ad fin. ff. de statu liber. l. sicut. § venditionis, ff. quibus modis pignus, vel hypoth.* Tiraquellus *de retractu lign. gloss.* 2. *a num.* 1. Rebuff. *ad rubr. ff. de verbor. significat. col.* 1. *vers. in secunda parte, pag* 3.

32 Sic & compromissum, per quod partes dant alteri suum ius, est vera alienatio, vndè non valens alienare, nec potest compromittere. Socin. iunior *cons.* 77. *num.* 77. *lib.* 1. Iason *in l. final. num.* 119. *Cod. de iure emphyt.* Tiraquellus *de iure maritis, gloss* 5. *num.* 202. Crauet. *cons.* 976. Capic. *decis.* 93. *num.* 3. Rolland. à Valle *cons.* 22. *num.* 10. *lib.* 4. Blanc. *de compromiss. p* 4. *num.* 28. Molina *de iust. tract.* 2. *disput.* 557.
33 *num* 1. Sed limitata in compromisso necessario, vt per text. *in cap. cum tempore, de arbitr.* resoluunt Pinel. *in l.* 1. *p.* 3. *num.* 44. *Cod. de bon. mater.* Stephanus Gratianus *disceptat. cap.* 379. *num.* 10. Ioseph Sesse *Arragonia decis.* 121. *num.* 12. & alij.

34 Nec aliter definitur ius alicuius, nisi *facultas moralis, quam quis habet ad vtendum re aliqua, vel ad illam obtinendam*, vt dicit Rebuffus *de obligat. iust. part.* 1. *lib.* 1. *quæst.* 1. *sect* 1. *num.* 8. vbi & alias huius definitionis adducit particulas, sed dictæ pro nobis sufficiunt, vt intelligatur tale esse ius Marci pro obtinenda Maria in vxorem; ergo poterit tale ius emi ab alio, vel lucrari in ludo, quemadmodum potest dari pecunia ad redimendã vexationem, scilicet ad priuandum aliquem iure suo, quo nocere poterat ei, qui pecuniam dedit; cauendo semper quòd pro re spirituali, aut spirituali annexa,
35 non detur pecunia. Propterea potest quis licitè dare pecuniam ad redimendam vexationem, quæ iustè, & nullo modo fiebat contra ipsum, per quam vexationem poterat impediri ne eligeretur, & vexans non est elector, nec ad eum pertinet de electione; ratio est, quia tunc obtinetur à vexante, vt cesset ab eo, quod nocet eligendo, vt docet Pasqualigus *decis.* 237. *per totam.* & idem in pluribus alijs casibus fit, vt passim videntur in scribentibus; igitur & poterit inter duos iure idem valentes prætendere in temporalibus, vel dari pecunia, vel sortes dari, quinam alium non debeat vexatione afficere; & sic in casu nostro fuit ritè, & rectè in ludo expositum ius duorum in ordine ad petendam in vxorem Mariam, vt victus à collusore cessaret à prætensione, per quam poterat victorem impedire, vel saltem molestare, ne liberè ad nuptias optatas perueniret.

§. II.

§. II.

*Resoluitur secundum, & tertium dubium excitatum numero secundo.*

36 NVnc mortuo Marci collusore, qui victor fuerat, ac Marcum expoliauerat in ludo iure petendi Mariam in vxorem, quia hæredes prætendunt eodem iure semper priuatum Marcum, nisi ab eis illud restituatur, propterea dubitatur, an verè hæredes victoris succedant in ius, quod defunctus vicerat. Et videtur dicendum affirmatiuè, nam hæredes post aditionem hæreditatis repræsentant ipsum defunctum pro tota hæreditate, si est vnus solus hæres vel pro parte, si sunt plures hæredes. Negozan. *de pignorib. par.* 5. *memb.* 2. *num.* 24. & *part.* 8. *membr.* 1. *num.* 26. Duen. *reg.* 277. Menochius *conf.* 200. *num.* 51. Burg. de Paz *conf.* 4. *num.* 4. Surdus *decis.* 90 *num.* 2. quæ repræsen-
37 tatio est, & fit per successionem in iura, in obligationes, in contractus, ac vno verbo in ea om-
38 nia, quæ erant testatoris, vndè hæreditas dicitur successio in vniuersum ius, quod defunctus habuit, *ff. de regulis iuris*, vt notat Hostiensis *summa lib.* 3. *tit. de testament. num.* 22. ergo & hæredes defuncti Syluestri reputantur iustè successores iuris adepti licèt per ludum à testatore, ne Marcus peteret sibi in vxorem Mariam.

39 Nec aliquis ex scribentibus in iure, contradicit, aut negat, quin testatoris obligationes, & contractus actiuè, & passiuè ad hæredes transeant. Cyn. Bartol. Salicet. Bald. Castr. Angel. Fulgos. Cuiac. Sichard. Sebast. Næui. & alij apud Barbosam *collect. DD. in Cod. l. cùm stipulationes, C. vt actiones ab hæredibus, &c.* ergo sicuti hæredes Syluestri possent à Marco passiuè adiri, si contra defunctum ius aliquod Marcus obtinuisset, ita è contra poterunt actiuè conuenire Marcum ipsi hæredes, pro iure, quod ab ipso fuerat adeptus testator defunctus.

40 Et quia quando ex contractu alterius mihi acquiritur ius, actio, vel obligatio, non potest me inuito nihil auferri, vt loquitur, & docet Barbosa *vbi supra, l. de contractu. Cod. de rescindenda venditione*, sequitur idem dicendum de meo hærede, in quem ius, actio, & obligatio mihi acquisita transitum fecit, & consequenter non minùs remanet obligatus Marcus in nostro casu post collusoris obitum, sed in hæredibus viuens, ac si viueret in seipso.

41 Sed verè non est integrum hæredibus Syluestri ire contra Marcum, prætendendo ipsum expoliatum iure petendi Mariam in vxorem, quia ius tale in ludo perdiderat cum testatore; nam hìc agitur de iure nuptiarum, quod ius est personale immanens, vndè non transit ad hæredes, sed est de ijs iuribus, quæ morte extinguũtur, nec hæres repræsentat personam defuncti, nisi in his, quæ eius morte non extinguuntur. Videatur Cald. Pereira *quæst. forens. lib.* 1 *quæst.* 15. *num.* 6.

42 Vndè numquam insurrexit dubitatio, an defuncto sponso, qui ius habebat ad ducendam sponsatam sibi, possit hæres eamdem prætendere in sponsam ratione iuris in ipsum transacti per successionem in iuribus defuncti, sed huiusmodi ius omninò extinctum ab omnibus tenetur per mortem illius, in cuius sola persona subsistere poterat. Non ergo quæcumque iu-
43 ra defuncti fiunt hæredis; & hoc currit in casu præsenti, iura enim quæ exigunt personam, seu personæ seruitium, quod ab alia persona non est præstandum, non faciunt transitum de persona ad personam, sed cessant, & finiunt morte personæ, apud quam vigebant; & sic semper verificatur quandocumque facta personæ cohærent, cùm eius opus requiritur. *l. inter arti-*
44 *fices, ff. de solut.* ideò non per hoc, quòd aliqui habeant hæreditariam successionem, intelliguntur obtinere iura quælibet prædecessorum, sed attendendum est an iura sint transitoria, & si sint talia respectu quorumcumque hæredum, tunc etiam extranei hæredes cadunt sub nomine successorum. Rot. apud Paulum de Rubeis *decis.* 72. *num.* 2 *tom.* 3. *diuersarum*, aliàs *p.* 7. *recent.* & contrarium fit, vbi iura non sunt transitoria, itaut non solùm extranei, sed & hæredes directi in ea non succedent, & transitorium non est ius nubendi, ac certam fœminam ducendi, vt de se liquet.

45 Nec fauet hæredibus, si dicant ipsos non prætendere ius nubendi, quod erat in defuncto, hoc enim esset ridiculum velle; sed solùm prætendere, vt Marcus remaneat priuus iure ducendi Mariam, cùm defunctus tale ius ab eo abstulerit, nec Marcus dictam ducere potuerit sinè remissione defuncti si viueret, & nunc hæredum, qui sunt loco defuncti. Respondeo enim, quòd obligatio consurgens ex contractu, tanta est, quanta erat in intentione contrahentium. *l. non omnis, ff. si certum petatur. l. in agris, ff. de acquir. rer. domin. l.* 2. *ff. de his, quæ in testam. delent. l. legata inutiliter, ff. de legat.* 1. *l. cum tale, §. vlt. ff. de condit. & demonstr. l. age cum Geminiano, C. de transact.* ideò contractus non debet operari vltra intentionem agentium; ergo in nostro casu cùm ludentium intentio fuerit,

rit, vt inter ipsos duos ludus decideret, quinam ex ipsis desistere debebat à petendo Mariam in vxorem, vt alteri liberum fieret ipsam petere salua amicitia cum victo collusore, apertè infertur ex hoc ludi contractu fuisse ludentium intentionem sibi solis acquirere ius amici colludentis, & id ad finem impediendi rixas, ac iur-
46 gia, quæ inter ipsos oriri possent. Igitur per mortem amici quia cessauit causa finalis illius contractus lusorij, ideò cessat & obligatio indè nata tamquam effectus, sicuti dicitur cessante causa finali, cessare effectum negotij, cui adijcitur. Petrus de Ancharan. *cons* 47. *num*. 4. Cardinal. Tuschus *tom*. 1. *lit*. *C*. *concl*. 137. *num*. 14. Euerard. *in topicis legalibus*, *loco* 85. & idem verificatur in foro animæ, vt docet Tiraquellus *tract*. *cessante causa*, *p*. 1. *num*. 18. & etiam in spiritualibus Clar. §. *final*. *quæst*. 76. *in fine*. apud
47 Tusch. *lit*. *C*. *conclus*. 202. *num*. 41. Non ergo Marcus caret priori iure suo post mortem collusoris, per quam in toto cessauit causa finalis, ob quam ius illud suspensum, seu impeditum tenebat, ac proinde ad hæredes nihil transijt de Marci iure, circa quod nihil spectat ad dictos hæredes, cùm sit inassignabilis iusta causa, quæ eis concedet ius aliquod ad prætendendum, vt nequeat Marcus quærere nuptias cum Maria.
48 Fauet insuper Marco *cap*. 1. *de regul*. *iuris*. quòd per causas per quas res nascitur, per easdem dissoluitur; si ergo periculum rixarum fuit causa, cur Marcus haberet obligationem non petendi Mariam: talis obligatio dissoluetur per cessationem talis periculi, prout cessauit sequuta morte illius, simul cum quo tali periculo voluerant obuiare cum mutua obligatione: ergo ista obligatio non est ampliùs subsistens in Marco respectu alicuius.

49 Adde, quòd cùm inter Marcum, & Syluestrum intercesserit ludus oppignorata fide, absquè eò quòd aliquid materiale tribueretur victori à victo, cùm ius sit facultas moralis, vt dixi *num*. 34. cum Rebello, fieri potest non esse in conscientia soluendum amissum, si ludus fuerit prohibitus, nam amissa in tali ludo non sunt soluenda, leges namquè dant actionem ad repetenda soluta; ergo à fortiori competit victo exceptio ad non soluendum, superfluum siquidem est, quòd quis teneatur soluere, si postmodum potest repetere id, quod paulò antè fuerat solutum. Ita Tannerus *in* 2. 2. *Diui Thomæ*, *disp*. 4. *quæst*. 6. *dub*. 11. *num*. 308. & decem & octo alij Doctores, quos citat ipsis subscribens Salas *tract*. *de contract*. *dub*. 20. *num*. 2.
50 quæ opinio probabilis est contra Azorium *tom*. 3. *institut*. *moral lib*. 2. *cap*. 24. *quæst*. 7. Valentiam *tom* 3. *disput*. 5. *q*. 6. *punct* 5. §. 2. Syluium *in* 2. 2 *quæst*. 168. *art*. 3. *concl* 3. & alios docentes teneri ex iure naturæ perdentem in ludo stare promissis.

51 Vtriusquè opinionis prædictæ Doctores conueniunt in hoc, quòd detur actio ad repetendum, licèt victor in conscientia non teneatur restituere, donec à Iudice compellatur, quia sic sunt leges intelligendæ, quæ repetitionem
52 concedunt. Sic Salas *loco citato*, *num*. 6. vbi plures refert Doctores volentes esse restitutionem faciendam in conscientia, & isti sunt Sotus, Castrus, Aldrete, & alij. Cùm ergo Marcus in casu nostro nihil realiter tradiderit victori, sed in fide data stet ludus, si hic est vetitus, non tenetur ad solutionem aliquam, imò nec tenetur si ludus non sit vetitus ratione consuetudinis, quæ legem non abrogauit, prout generaliter docet, prædictas Doctorum opiniones referens Diana *part*. 3. *tract*. 5. *resol*. 94. vndè & ex isto fundamento integrum est Marco nostro vti suo iure circa nuptias cum Maria, taliter quòd à nemine valeat molestari, ac impediri.

53 Notetur tamen, quòd victus si soluit amissa, non potest vti occulta compensatione, etiam in casu, quo ratione dedecoris non auderet repetere in iudicio. Sic Lessius cum alijs à se adductis *de iust*. *lib*. 2. *cap*. 26. *dub*. 3. *num*. 22.
54 Hinc sequitur posse victorem in conscientia non restituere, quousquè accedat Iudicis sententia ipsum condemnans; ita sentiunt passim Canonistæ *in cap*. *penult*. *de vit & honestate Clericorum*, prout notat Couarruuia. Videatur Lessius *vbi supra*, *num*. 17. imò & ipse victor securus est, quòd victus occultam non faciet compensationem, cùm hanc facere non possit, sed solùm per Iudicem potest quærere suum, quod iam soluit, iuxta dicta numero antecedenti.

55 Vlteriùs conuincitur nihil ad hæredes attinere de iure Marci adepto à testatore vt præfertur, nam ille contractus inter Marcum, & testatorem fuit apertè fundatus in amicitia, erant enim ad inuicem amici, & amicus dicitur alter ego, vndè intantùm ius suum quisquè in isto casu ludebat, inquantùm quòd nihil amittebat, quia id quòd in amicum transibat, tamen remanebat, licèt in amico, qui est alter ego. Io. de Amicis *cons*. 85. *num*. 13. quem sequitur Tuschus *tom*. 1. *practicar*. *conclus*. *lit*. *A conclus*. 326. *num*. 3. Didacus de Narbona *de ætate ad omnes humanos actus requisit*. *anno* 14. *quæst*. 43. *num*.

*num.6.* ergo ius Marci in facto nostro numquam fuit à Marco ablatum, quamuis illud obtinuerit ex vi ludi collusor Marci amicus, ac proinde alter ipse Marcus, vndè ad hæredes
56 non valuit deuolui. Et id confirmari potest ex eò, quòd inter amicos est vnum velle, & nolle. Alexand. *cons.93. num.10. vers. sed vltrà, lib.6.* Tuschus *vbi supra, num.4.* & Narbona *loco citato*: ergo facta inter eos motiuo amicitiæ, sunt facta secundùm vnum velle, & nolle; ergo non sunt facta transitoria ad alios, penès quos eadem ratio non subsistit, ibi enim solummodò perseuerat idem ius, vbi eadem est ratio. *l. illud, ff. ad legem Aquiliam. l. si postulauerit, §. 2. ff. ad leg. Iul. de adulter. l. quidam nummularius. ff. de edendo, l. nautæ. caupon. l. a Titio, ff de furtis. l. illud, Cod. de Sacros. Eccles. §. si igitur. Instit. quod cum eo, gloss. verb. Italia. in cap. 1. de tempor. ordin. lib.6.* Dec. *cons.15. num.2. & cons.301. num. 6. &* 8. Abbas *in cap. nihil, num. 5. de elect.* Calderinus *cons.147. in princip. aliàs, cons. vnic. vt lite pend. & cons.337. vers. sed posito, aliàs cons.8. de testament.* Baldus *cons.* 324. *omissis, in fine, lib 9.*

57 Et vbi eadem est ratio, adest & idem ius, non extensiuè, sed comprehensiuè, *l. his solis, vers. satis etiam cautè putamus, Cod. de reuocand. donat. d. l. illud, Cod. de Sacros. Eccles. l. item veniunt, §. ait Senatus, ff. de petit. hæred.* Tiraquellus *in l. si vnquam, verb. Libertis, num.45. 46.* Surdus *decis.276, num.8.* Rebuff. *ad l. in lege censoria 203. vers. itemque de seruis, vers. colligitur. ff. de verb. signific.* ergo in casu nostro, cùm respectu hæredum Syluestri non sit eadem ratio, quæ erat in ipso testatore circa ius, quod in ludo vicerat à Marco, vt supra ostensum est; concluditur non comprehendi hæredes, itaut isti habeant idem ius contra Marcum, si ibi solùm est idem ius comprehensiuè, vbi est eadem ratio.

58 Quibus positis dico, nullatenus licere hæredibus, vel hæredi Syluestri aliquam sibi facere compensationem ex bonis Marci, tamquam causa damni in eo hærede, qui non nupsit cum diuite Maria, quam duxit Marcus, nam Marcus in tali matrimonio vsus est iure suo, proinde nemini fecit iniuriam, iuxta prædicta, sic nec alicui tenetur restituere. Dico secundò, fuisse validum, & licitum Marci matrimonium, nam dato quòd duxisset Mariam adhuc viuente victore collusore, validum fuisset matrimonium, non obstante quòd in ludo amisisset ius illud
59 tractandi; nam sicut validè contrahit matrimonium ille, qui per votum simplex cessit Deo ius suum nubendi cum qualibet, promissa Deo castitate; à fortiori non obstabit cessio iuris ducendi Mariam, quæ iuris cessio fuit homi-
60 ni præstita. Sic de dicto voto simplici docent communiter Doctores ad distinctionem voti solemnis, quia istud irritat matrimonium. Dico tertiò, esse materiam ludi ius petendi in vxorem certam fœminam, si aliud non obstet, prout supra dixi *à num. 21. vsque ad 24.* quod tamen ius non est transibile ad hæredes collusoris, si ludatur eo modo, quo factum fuit in casu nostro; & non obstante dicti iuris amissione, si victus contraheret cum dicta fœmina, matrimonium esset validum: num etiam esset licitum? responderi potest cum distinctione; affirmando, si contrahatur post obitum victoris collusoris; negando, si contrahatur viuente eodem collusore, si sequamur Azorij opinionem citatam supra *sub num. 50.* affirmando, si sententiam contrariorum Azorio amplectamur iuxta dicta *num.49. & 52.*

*COROLLARIVM.*

61 PRo pleniori solutione præsentis historiæ, expedit sequentia addere. Notetur ergo non esse à Confessario damnandum Marcum de aliqua culpa in prædictis, supposito quòd ita sint in conscientia, prout externo huius Decisionis examini fuerunt exposita. Nec item culpa fuit, quòd ludus fuerit in Ecclesia, quem locum elegerunt vt Deus faueret eis in materia Sacramenti matrimonij, quia sic adfuit rationabile motiuum, & ludere in Ecclesia ludis specialiter in ea non prohibitis, non est peccatum, si adsit causa, quæ si non adsit, est veniale. Sanchez *opuscul. moral. part.1. lib.1 cap.8. dub.24. num.17.*

62 Notetur deinde esse semper mortale, si aperiatur, vel exponatur domus ludo. Ita cum multis tenet Diana *part.2. tract.15. resol.65. §.*
63 *His ita constitutis.* Insuper tenentur isti exponentes domum ad ludum restituere, quando principales lusores tenentur ad restitutionem, & non restituunt: idem *ibid. §. ex quibus.*
64 Sic & peccant grauiter Principes concedentes facultatem, aut permittentes, vt huiusmodi domus aperiantur: idem *ibid. §. secundò infer-*
65 *tur.* & *§ suppono contra.* dicit ludum alearum, & taxillorum non esse prohibitum de iure naturæ.
66 Quare leges prohibentes dictos ludos, fuerunt per consuetudinem abrogatæ: idem *ibid.*
67 *§. suppono secundò*: vndè seclusis alijs circumstan-

ſtantijs non peccant nec venialiter ludentes
68 contra præfatas leges : idem *ibi*. Si petas quænam ſint dictæ circumſtantiæ : reſpondeo eſſe plures. 1. ne perſona ludens ſit ex Religione, in qua viget obſeruantia. 2. ne notabilem quantitatem ludant Religioſi, quibus à Religione, & Superioribus id permittitur. 3. ne ſimiliter excedant moderatam quantitatem, ſi ſint Clerici, attenta perſonæ qualitate. 4. ne blaſphemiæ dicantur, nec fraudes fiant, nec bona propria, familiæ, aut vxoris dilapidentur, ſi ſint ſæculares, quibus licitum ſit aliquid ludere vel proprium, vel ipſis conceſſum; ac tandem aliæ ſimiles iudicio prudentum. Si autem plura peroptantur *de ludo, & ſponſionibus*, adeantur 37. dubia, quæ de hac materia tractat Sanchez *conſilio. moral. part. 1. lib. 2. cap. 8. per totum d. caput*. Sed ad rem noſtram ſufficiant huculque dicta.

# DECISIO LXXXIV.

*De obligatione carceribus traditi, maximè Religioſi, quoad adimpletionem, vel non adimpletionem pœnæ per ſententiam impoſitæ; vel quoad euitationem imponendæ.*

## Caſus, ſeu Hiſtoria LXXXIV.

### SVMMARIVM.

1 *Caſus proponitur.*
2. 3. 4 *Lex quando aliquid non dicat.*
5. 6. *Vna lex ſupplet aliam.*
7. 8. 9 *Lex generalis quomodo ſumatur.*
10. 11 *Culpa, & pœna commenſurantur.*
12. 13 *De pœnarum interpretatione.*
14. *vſquè ad 24 Quid ſit carcer, & à quo inuentus, & de carceratis.*
25. *vſque ad 59 De obligatione Religioſi, ac Laici non fugiendi à carcere; & quando id liceat, aut ex obligatione ſit fugiendum.*
60. 61. 62. 63 *De damnato ad mortem famis.*
64. 65 *De damnato ad exilium.*
66. 67. 68 *An reus teneatur ſubire pœnam.*
69. 70. 71. 72 *De carcerato fugiente, & de cooperantibus ei.*
73. *vſquè ad 77 Sententia iuſta, iniuſta, definitiua, & interlocutoria quanam ſit.*
78. 79 *Religioſus in quibus eſt æqualis ſæculari.*
80. *vſquè ad 99 Impugnatur decima octaua propoſitio damnata ab Alexandro VII.*

1. IN Religione N. fuit traditus carceribus quidam Religioſus titulo cuſtodiæ, ne fugam arriperet, & interim fabricatus fuit contra ipſum de mandato Prælati Proceſſus, qui viſus, & examinatus à competentibus Iudicibus, fuit iudicatum quòd carceratus deliquiſſet in voto Paupertatis, vnde & proprietarij pœnas ſubire debebat, tum aſſignatas à Tridentino, tum preſcriptas à proprijs Conſtitutionibus, quæ iubent, vt Profeſſus conuictus de proprietatis delicto puniatur cum vocis actiuæ, & paſſiuæ priuatione per duos annos iuxta Tridentinum, & inſuper includatur in carcere per tempus longum, vel breue prout iudicabitur attenta quantitate, & qualitate commiſſi. Vlteriùs decernunt dictæ Religionis Conſtitutiones, vt quandocunquè aliquis eſt damnatus ad carcerem ieiunet ſemel in hebdomada in pane, & aqua, donec hebdomadæ carcerationis finiant. Et quia præfatæ Conſtitutiones ad nullum peccatum, ſed ſolummodò ad pœnam obligant tranſgredientes, ideo dubitatum fuit, an ſimiliter nullum eſſet peccatum, ſi ipſe carceratus ieiunia ſecretè non faceret, aut à carcere fugeret, non obſtante data contra ipſum, & ab ipſo acceptata iuridica ſententia, quæ an obliget in conſcientia tum Religioſos, tum ſæculares.

### §. I.

*An lex obligans ad pœnam, obliget poſtea ad culpam per ſententiam Iudicis.*

2 QVantum ad obligationem ſeruandi ieiunia, poterat alicui videri non eſſe adeo ſtrictam, ac rigoroſam, vt eius tranſgreſſio inducat culpam nec venialem. Ratio eſt, quia in dicta Religione datur generalis declaratio, quòd Conſtitutiones non ad culpam, ſed ad pœnam obligent; ſed ieiunia carceratis præſcripta, ſunt tantùm ex vi Conſtitutionum; ergo tranſgreſſor non videtur reus peccati, ſi enim lex peccatum voluiſſet, id expreſſiſſet. *l. vnic. §. ſin autem ad deficientis, C. de caduc. tollen. l. ſi ſeruus, §. Prætor ait, verſ. non dixit, ff. de acquir. hæredit. cap. ad audientiam 2. de decim. cap. 2. de tranſact. Præt.* Surdus *deciſ.* 88. *num. 4. & deciſ. 322. num. 22. & conſ.* 245. *nu.* 45. Menochius *conſ. 1. num.* 178. *& conſ.* 140. *num.* 4. Tiraquellus *in l. vnquam, verb. libertis num. 3. C. de reuocand. donat.* Gonzal. *ad regul.* 8. *Cancell. gloſſ. 9. §. 1. num. 33. & gloſſ. 42. nu.* 11. Gutier. *pract. lib. 3. quæſt. 22. nu. 7.* Cardoſ. *in praxi iudicum, & Aduocat. ver. lex, nu.*

28. Cardinalis Tuschus *practicar. conclus. tom.* 8. *lit. V. conclus.* 89. *num.* 5. Nam vbi lex facilè
3 potuisset exprimere, & non expressit, præsumitur noluisse. Armendar. *in proœm. addit. ad re-*
4 *copil. legum Nauarra, num.* 150. Menoch. *cons.* 30. *nu.* 8 quod enim lex non dicit, non est ab homine præsumendum, *l. dissentientis, C. de repud. cap. illa, ne sede vacan.* Surdus *cons.* 219. *nu.* 21. ergo non est astruendum peccatum, vbi lex illud non expressit, cùm de facili exprimere potuisset.

5 Et id multò magis probatur, quia licèt Constitutiones Religionis indistinctè loquantur, tamen per aliam legem dicentem eas obligare ad solam pœnam, non ad culpam, distinguuntur, & limitantur; siquidem lex vna indistinctè loquens, distinguitur, & limitatur per aliam. *l. sciendum. ff. qui satisd. cog. l. quamuis, ff. de in ius voc. auth. offeratur, C. de litis contest. l. filius fam. ff. de action. & obligation. l. 1. ad Macedon l. iuris gentium, §. si paciscar, ff. de pactis,*
6 *iuncta l. transigere,* & ibi gloss. *magna in fine, C. de transactionib.* & sic lex vna supplet aliam, *l. non est nouum, cum legib. sequentib. ff. de legib.* Menochius, *cons.* 150. *nu.* 44. igitur non est cur, de culpa sit damnandus carceratus, si ieiunia per Religionis Constitutiones assignata Religiosis carceratis non adimpleat, cùm extet lex expressa, & seruata in dicta Religione, vt quæ Constitutiones iubent, sub pœna sinè culpa debeant obseruari.

7 Adde quòd huiusmodi lex explicans, & limitans vt Constitutiones obligent ad solam pœnam, non distinguit, ac limitat, dummodò per sententiam iuridicam pœna aliqua inflicta reo non sit; ergo nec nos distinguere, ac limitare debemus, vbi lex non distinguit, *l. non distinguemus, ff. de recept. arbitr. l. Præses, ff. de officio Præsid. l. 2. §. conuenire, ff. de iudic. l. quos prohibet, ff. de postulando. l. vnic. C. qui pro sua iurisd.* & alibi cum Iason. *in l. non dubium, nu.* 38. *Cod. de legib* Bertazol. *in repet. l. si quis ma-*
8 *ior, num.* 354. *C. de transact.* & est communis: imò lex generaliter est intelligenda. *l. de pretio, ff. de publ. in rem act. l. in fraudem, §. vlt. ff. de testam mil. l. 1. §. generaliter. ff. de legat. præst. l. 1. §. quod autem, ff. de aleat.* Aloys. Ricc. *in praxi rerum fori Ecclesiastici, decis.* 419. *num.* 1. *& decis.* 605. *nu.* 2. *in* 2. *edit.* & *in* 2. *resol.* 529. *nu.* 2. Surdus *cons.* 271. *nu.* 28. Velasc. *cons.* 113. *nu.* 21. Bertazol. *vbi supra, num.* 213. Fusar. *de*
9 *subst. q.* 394. *n.* 56. *&* 57. vbi ampliat ad casus, in quibus est maior ratio, quàm in alijs; & consequenter in casu nostro, quãuis sit maior ratio, vt ad culpã obliget Constitutio, vbi agit de pęna iuridicè danda, quàm vbi non est infligenda cum iuris solemnitatibus, non ideò illa plus obligabit in pœnis iuridicis, ac in cæteris datis sinè processu, vndè sicut istæ non sunt sub culpa, ita nec illæ.

10 Et licèt Constitutiones non loquantur nisi de transgressiua actione, dicentes hanc non esse culpam, si fiat contra præscriptum in iisdem constitutionibus, nec aliud exprimant, an pęna data à Prælatis obliget, & sit adimplenda sub culpa; nihilominus dicendum est, quòd sicut transgressio illatiua pęnæ non est culpabilis in foro interno, ita nec pęna spectabit ad forum, ad quem non spectat culpa, quia pęna commensuratur, & respondet culpę, & delicto, *l. sancimus* 22. *C. de pœnis. cap. felicis, §. illud autem, de pœnis, lib.* 6. Crauet. *cons.* 46. *num.* 15.
11 notum est enim pęnam, & culpam esse correlatiua per similitudinem in omnibus possibilibus assimilari inter se, ideo si delictum est paruum, pęna debet esse modica, & è contra. Menochius *de arbitr. iudic. lib.* 1. *q.* 90. *num.* 38. Farinaccius *in praxi crimin. p.* 1. *q.* 4. *num.* 10. *& q.* 17. *num.* 9. Sigismun. Scacc. *de iudic. lib.* 1. *q.* 58 *num.* 12. Surdus *cons.* 250. *num.* 10. *& cons.* 321. *num.* 53. Bertazol. *d. l. si quis maior. de transact. num.* 68.

12 Sed quamuis in casu nostro sit lata sententia pro pęna facienda ab ipso delinquente in Paupertatis voto, quod delictum spectat ad forum internum, tamen non videtur & pœnam cadere sub eodem foro, quia pęna data fuit iuxta præscriptum à Constitutionibus, quæ quidquid ordinant, non obligat ad culpam, sed ad pęnam, ergo si quis non adimpleat pœnam à Constitutionibus talibus impositam, poterit ad summum puniri à Prælato, vndè omissio adimpletionis talis pœnæ non debet reputari ad culpam, nec quòd tanta sit ipsa pœna, vt etiam afficiat animam, in pęnis enim benignior fit interpretatio *l. pæn. ff. de pœnis. cap. in pœnis* 49. *de regulis iuris in* 6. *cap. ex litteris de constitut.* Tiraquell. *in l. si vnquam, verb. reuertatur, num.* 146. *C. de reuocat. donat.* Aloys. Ricci. *in praxi rerum fori Ecclesiast. resol.* 303. *num.* 2. *in* 2. *edit.* Vgolin. *de officio, & potest. Episcopi, cap.* 6. *§.* 1. *num.* 3. & benignior interpretatio non potest fieri circa aliquam pęnam, si pro vtroque foro iudicetur esse rigorosè seruandam contra mentem legis, quæ talem pęnam sicut & cætera statuit seclusa culpa esse seruanda, videlicèt nolens esse culpam si transgrediantur; igitur pęna ieiunij per dictas Constitutiones ad culpam

pam non obligantes assignata Religioso carcerato etiam pro graui delicto, videtur non esse interpretanda, vt obliget in conscientia, quia
13 interpretatio debet fieri secundùm subiectam materiam, Natt. *cons.* 476. *nu.* 3. Roland. *cons.* 38. *à num.* 9. *vol.* 4. Socin. *cons.* 1. *nu.* 120. *vol.* 1. Alexand. *cons.* 26. *nu.* 6. *vol.* 5. & in isto casu agitur de pęna præscripta à Constitutionibus expresse non obligantibus ad culpam.

## §. I I.

*Varia de carcere, & de obligatione condemnati circa sententiam adimplendam.*

14 VErùm vt plenam tradam resolutionem in materia proposita, noto quòd Carcer
15 duobus solis verbis definitur *Mala mansio*, & adeo mala, vt morti æquipararetur secundùm
16 Baldum *in c.* 1. *§. deniquè, in tit. qua fit* 1. *caus. benef. amitten.* & fuit inuentus ad custodiam, &
17 non ad pęnam, *l. incredibile, C. de pœnis*. Primus autem inuentor huius malæ mansionis fuit
18 Rex Tarquinus superbus, vt ait Alexander ab Alexandris *genialium dier. cap.* 1. *part.* 2. & deinde Eugenius Papa secundus carcerem, & vincula contra Clericos primus inuenit: Duarenas *de sacris Eccles. ministr. lib.* 5. *cap.* 4. *in*
19 *princip.* Sed & ab exordio mundi carcerem extitisse in vsu, apparet ex 4. Geneseos, vbi Io-
20 sephi carcerationem legimus; & ante hanc historiam, Deus Optimus Maximus carcerem deputauit Lucifero, & Angelis eius, iuxta Isaiam 14. & in 9. capite Zachariæ legitur: *Tu quoquè in sanguine testamenti eduxisti remotos de lacu, in quo non erat aqua*.

21 Item noto licitum esse Prælatis Clericos, & Religiosos subditos conijcere in carcerem, at
22 huiusmodi carcerationem exequi debent maturo consilio, nam per ipsam fit carceratorum
23 honoris iactura; propterea non est facienda sinè cognitione causæ, vt vult Ioann. Andreas *in cap. si clericus de sent. Exc. lib.* 6. vndè non leui informatione sunt capiendi, quia per relaxationem à carcere nequit Iudex restituere relaxatum ad integritatem famę; & vt obseruat cum
24 Iasone, & Suarez, Emanuel Rodericus *quæstionum regular. tom.* 2. *quæst.* 23. *art.* 2. ipsa captura, est iniuria irreparabilis, quæ iniuria, sicut & infamia per capturam contracta, numquam deletur in totum, etiam si absolutoria sententia à carceribus, & à pęna delicti captus liberetur; ideò sic Prælatos admonet idem Rodericus *ibi*. *Caueant igitur, ne seueritatis gloriam affectantes, ad reorum capturam illico prorumpant*, & eodem loco plura alia dicit, per quæ Prælatos admonet de cautelis adhibendis in captura Monachorum.

25 Ex dictis infertur posse Religiosos in carcerem trudi, à quo iustè capti, vel ad custodiam suorum Prælatorum detenti, fugere non possunt, nec exire à talibus locis sibi præfixis. Ratio est, quia per vota Religiosi priuarunt se naturali libertate, quam habebant fugiendi, & se obligarunt in castris ad voluntatem suorum Prælatorum manere; Sic Armilia, *verbo accusatio, num.* 11. Caietanus 2. 2. *quæst.* 96. *art.* 4. *ad* 2. *dubitat. fine*. Salzedo *pract. criminal. cap.* 137. *lit. B.* Nauar. *cap. statuimus, nu.* 63. Item
26 probatur, nam *cap. quorundam, cap. si religiosus, de elect. in* 6. tenentur Religiosi manere in ea parte Monasterij, in qua iustè Prælatus præcipit eos manere; ergo debent manere etiam in carcere, cùm & carcer sit vera pars Monasterij. Item probatur, quia subditus non potest
27 exire iustè à clausura sinè licentia iusta; ergo non potest fugere à carcere etiam antequam condemnetur, & à fortiori post condemnationem legitimam ad carcerem etiam perpetuum, sed in foro conscientiæ tenetur istam pęnam subire. Ita cum D. Thoma 2. 2. *quæst.* 62. *art.* 3. & Caietano *ibi*. tenet Roderic. *quæstion. regu-*
28 *lar. tom.* 2. *quæst.* 23. *art.* 6. propterea si Religiosus fugit à carcere perpetuo, tenetur ad eum redire, nisi qui habent potestatem, vt esset Papa, & Generalis, ei aliter haberent succurrere. Idem *ibid.*

29 Tamen non teneretur in conscientia talem pęnam tolerare, si sententia condemnatoria fuerit iniusta, quia pęna iniustè illata, non est in foro conscientiæ subeunda: sic Innocen. *in cap. quia plerique, de immunit. Ecclesiast.* & cum Innocentio sentiunt communiter DD.

30 Si verò iusta sententia exequatur modo iniusto, ac Charitati Christianæ non conformi, dico posse in tali casu Religiosum carceratum fugere, siuè in perpetuum, siuè ad tempus sit damnatus ad dictum carcerem: Tunc autem modo iniusto sententia iusta exequutioni mandaretur, quando carceris custos spontè, vel alio stimulante, ac suadente, non subministraret carcerato ea, quæ ad vitæ sustentationem sunt necessaria, vt subtrahendo victum, vestitum in hyeme, ignem, vel dando locum nimium humidum, & similia, ex quibus mors probabiliter
31 creditur sequutura. In quibus casibus mandantes, consulentes, & exequentes peccant mortaliter, & si mors sequatur incidunt in irregu-

gularitatem, vt cum Panormit. tenent omnes.

32 Quòd si petas, an Religiosus fugiens à carcere, in quo proprio habitu per sententiam expoliatus, tunicam sæcularem, vel clericalem gestabat, sit excommunicatus, si sinè proprio habitu eat per plateas? Respondeo minimè, imò dico eum teneri sic incedere cum illa tunica, quam per sententiam, & in penam deferre debet; proinde peccaret si aliter indueretur, ac iussus est indui. Ita expressè Rodericus *dicto art. 6. post medium*.

33 Sed quia Rodericus non se declarat, an Religiosus teneatur stare perpetuæ suæ carcerationi sub graui obligatione, vel sub leui, fortasse iste author id censuit superfluum, cùm ex grauitate materiæ res per se sit clara. Erit igitur absque dubio obligatio sub mortali.

34 Rationes probantes Religiosum teneri non fugere à perpetuo carcere, non probant idem respectu laicorum, ac Clericorum sæcularium, ideò istis est integrum fugere à carcere, nulla facta violentia custodibus, etiamsi per accidens euenturum sit damnum aliquod custodi-
35 bus ex eorum fuga. Et hoc verum quoquè est antequam ipsis carceratis per iudicis sententiam intimetur condemnatio. Caietanus *2.2. quæst. 69. art. 4. ad 1.* quem citat, & sequi-
36 tur Roder. *vbi supra.* Ampliat suam opinionem Caietanus, itaut liceat rumpere vincula,
37 limare, & carcerem effringere; & ad ista præstanda possunt adiuuari à subministrantibus instrumenta ad id necessaria, modò non sint custodes, & publicæ iustitiæ officiales, nam isti ex officio tenentur potiùs ad oppositum, inuigilando ne fugiant, aliàs grauiter delinquerent: adi *num. 69. & 99.*

38 Nec miretur aliquis, quòd de carcere perpetuo sim loquutus, nam ad ipsum possunt optimè Prælati condemnare subditum, quando delictum id exigat, licèt longè leuiùs censeatur punitum delictum laici morte naturali, quàm
39 delictum Ecclesiastici perpetuo carcere; ait enim Cardinalis *in cap. cùm non ab homi. de iudi.*
40 & meritò: *longè minor pœna est statim mori, quàm diu affligi sinè salutis spe.* Verùm hæc plusquàm mors in claustris regulariter non datur, vel quia non incurritur culpa tam ingens, vt huiusmodi pœna promereri censeatur; vel quia carceres non sunt adeò inhabitabiles, vt in eis humanitas non reperiatur, sicut & humanitate pro Christiana, & Religiosa Charitate
41 abundant Custodes. Nihilominus non est infligenda de Iure Canonico pœna perpetui carceris nisi in casibus expressis, quamuis de Iure Ciuili imponatur pena mortis. Sic Decius *in cap. cùm non ab homine, de iud. col. 6.* Aretinus *in cap. clerici, de excus. Prælat.*

42 Igitur Religiosus damnatus ad carcerem perpetuum, vel temporaneum, tenetur obedire, & non fugere, quia non est sui iuris, sicuti sunt sæculares, vel clerici, ideò isti possunt fugere, si ministris non inferant vim, nisi hæc esset leuis. Ita Syluius *in 2.2. quæst. 69. art. 4. quæ-*
43 *ritur 2.* Paris à Puteo *de Syndicatu, cap. qualiter autem, fol. 31.* Et hoc licet etiam damnato iustè ad mortem, qui vt fugiat poterit carcerem effringere. Sic de la Cruz *in direct. par. 1. pr. 8. art. 3. dub. 12. conclus. 4.* Villalobos *in summa*
44 *tom. 2. tract. 16. diffi. 11. num. 14.* Idem est de damnato ad triremes. Videantur Bonacina *de legib. disput. 10. punct. 2. nu. 14.* vbi ait probabiliter posse reum fugere à carcere temporali, præcipuè si sit atrox, & valdè grauis, vt tradit Tannerus *in 2.2. disput. 4. quæst. 4. dub. 5. num. 102.* ergo circa fugam Religiosi non sunt
45 sicut alij. Sanchez *in consilijs moralib. part. 2. lib. 6. cap. 4. dub. 12.* vult damnatum ad carcerem perpetuum, vel temporalem nullatenus posse fugere, sed esse obligatum obedire, & exequi sententiam iustam, quæ non requirit alterius exequutionem, vt est stare in carcere, & in exilio, & pro hac sua opinione citat Couarru. Dried. Salzed. Nauar. Armil. Sotum,
46 Caietan. Vasq. Manuel. & Sayrum. Limitat tamén, nisi carcer sit perpetuus, & strictus, quia dura est seruitus. Nihilominus opposita opinio allata *num. 42. 43. 44.* est amplectenda, & tuta.

47 Circa damnatum ad mortem excitat dubium Sanchez *vbi supra, dub. 13.* an si à carcere possit fugere teneatur fugere, vel an possit in carcere liberè perseuerare; & respondet cum duplici sententia. Vna docet peccare non fugiendo data opportunitate, quia quisquè tenetur vitam propriam conseruare, eamquè nequit periculo sinè iusta, & grauissima causa exponere; & ita colligitur ex D. Thoma *2. 2. q. 69. art. 4. ad 2.* Victoria *relect. de homicid. nu. 29.* & expressè Castrus *lib. 2. de lege penali, cap. 3. coroll. 3.* nisi tam graue scandalum, vel alia tam grauis necessitas offeretur, vt pro ea vitanda teneretur, vel saltem licitè posset mortem
48 subire. Sed certa sententia est, non teneri fugere, licèt possit; sed posse ex bono fine manere in carcere, vt pro delicto penas soluat, & Reipublicæ satisfaciat. Ita Syluester, *verbo, fugere, num. 2.* Angelus *eod. verb. num. 1.* Tabiena *verbo, accusatio, nu. 10.* & alij; & ratio est, quia

non

non fugere, ex sui natura non tendit ad mortem. Et hæc de iustè damnato ad mortem.

49 At iniustè damnatum ad mortem, docent teneri fugere, si possit. Couarruuia *lib. 1. variar. cap. 2. num. 7.* & Maior 4. *dist.* 15. *q.* 22. nam nemo iniustè potest se propria vita priuare.

50 Quòd si vita iniustè damnati ad mortem necessaria non sit Reipublicæ, & ad Christi exemplum velit damnatus innocenter mori, dicit Sotus *lib. 5. de iust. quæst. 6. art. 4. vers. igitur vt ad ipsam*, sub dubio se nescire, an possit ille manere in carcere, dum posset fugere. Sed

51 posse mortem expectare, & non fugere ratione alicuius causæ rationi consonæ, vt exercendæ Charitatis, vel Fidei professionis, aut exempli fortitudinis, & patientiæ, dummodò finis sit notabilis vtilitatis, & probabiliter æstimatur futurus, docent quidam, quos tacito nomine refert Sanchez *d. dub.* 13. *num.* 4. vbi ait in hanc partem inclinare Sotum *vbi supra*, nec contrarium videri Couarru. *eod. cap. 2. num. 10. corol.* 7. Ratio est, quia opus non est de se illicitum etiam iniustè damnato, vt patet in Christo, &

52 Martyribus; ergo ex bono fine erit licitum. Item quia causa indirecta non imputatur ad culpam, nisi quando quis potest, & tenetur vi-

53 tare: sed homo non semper tenetur vitare mortem iniustam, nam est licitum vitam exponere pro quacumque virtute, & similiter pro amicis, vt tradit Sotus *de iust. lib. 5. quæst. 1. art. 6.*

54 Item ipse iniustè damnatus non tenetur sententiam exequi, imò potest Iudicis, & ministris iustitiæ resistentiam facere, secluso tamen grauissimo scandalo. Ratio est, quia tunc agit bellum iustum, & ab iniustis inuasoribus in causa notabili se defendit. Sic docet D. Thomas 2. 2. *quæst. 69. art.* 4. D. Antonin. 2. *p. tit. 1. cap.* 16. §. 6. Syluester, *verbo accusatio, quæst.* 16. Armilla *eod. ver. num.* 18. Tabiena *eod. ver. num.* 10. Couarruuia *lib. 1. var. cap. 1. num.* 13. Viguer. *lib. instit. cap.* 5. §. 2. *vers.* 6. Sotus *lib.* 5. *de iust. q. 6. art. 4. post initium*. Sed adhuc videatur infrà *num.* 98. *&* 99.

55 Limitanda est prædicta sententia, nisi Iudex damnaret iuxta allegata, & probata, nam in tali casu innocens non posset se tueri Custodem, vel Iudicem interficiendo, quia Iudex illum iustè tunc impugnat, quamuis erret; vndè cùm bellum nequeat ex vtraquè parte esse iu-

56 stum ideò impugnatus non potest se defendere. Quòd si iniquam mortis penam innocenter damnatus non possit aliter euadere, licitè poterit carceris custodes occidere, vt se tueatur; ita Lucas à Penna, Paris à Puteo, & Hippolytus

57 apud Couarruuiam. *d. num.* 13. Sed quamuis innocenter damnatus iuxta probata nequeat se defendere cum alterius occisione, poterit tamen citra percussionem alicuius, ac sinè scandalo alios conatus applicare, vt se liberet, verbi causa repellendo ministros; includendo se in loco munito, territando volentes eum capere,

58 & alia huius generis, quæ nocentes nullatenus præstare possunt. Nec ista esse contrà 18. propositionem damnatam ab Alexandro VII. videbimus infra à *num.* 80. vsquè ad 99.

59 Sententia iuridica verberationis potest etiam quis licitè effugere si potest, non minus ac à triremibus, & à morte. Ratio est, quia huiusmodi penæ dantur, vt patienter tolerentur, non vt à seipso quisquè damnatus eas sibi inferat; ergo poterit subterfugere, ne in illo exequantur: vnde Sotus *d q. 6. art. 4. in solutione ad 2. vers. superest*. docet damnatum ad carcerem peccare si fugiat, nisi immineat periculum mortis, aut corporalis supplicij, cuiusmodi cùm sit fustigatio, & ad triremes condemnatio, poterit sententia condemnatoria ad illa vitari fugiendo: ita de fuga à triremibus tradunt Lessius *de iust. lib. 2. cap. 31. dub. 5. num.* 39. Ludou. Lopez 2. *p. instruct. cap.* 3. Petrus Ledesma 2. *tom. summæ, tract.* 8. *c.* 24. Corduba *summa, quæst.* 185. *dub.* 1. & alij.

60 Si quis damnatus esset, vt in carcere moriatur fame, licitum erit omnibus, exceptis iustitiæ ministris, ei cibos offerre, non tamen ad hoc esset quisquè obligatus, quia ille non est absolutè in extrema necessitate, sed est in statu iustæ priuationis sui iuris, vt ei subueniatur. Sic Armilla *ver. accusatio, num.* 21. *&* *verbo carcer, num.* 4. D. Thomas 2. 2. *quæst.* 31. *art.* 2. *ad* 3. Sotus *d. art. 4. vers. in ead. solutione*. Caietanus 2. 2. *q. 69. art.* 4. *ad* 8. *dubium*, & conse-

61 quenter si alij licitè offerunt cibos, poterit eos damnatus edere. Ratio est, quia non est damnatus vt fame se interimat, id enim est illicitum, sed solùm ei sunt per sententiam subtracti cibi. Ita Sotus, & Armilla *vbi supra*. D. Thomas 2. 2. *quæst.* 69. *art.* 4 *ad* 2. & *ibi* Caietan. Tabiena *vers. accusatio, num.* 10. Angelus *verbo fugere, num.* 1. D. Anton. 2. *p. tit.* 1. *cap.* 19. §. 6. Castrus *lib. 2. de lege pænali, cap.* 3. *corol.* 3. Viguer. *lib. instit. cap.* 5. §. 2. *vers.* 6.

62 An autem iste damnatus ad mortem iustam famis, teneatur cibos edere, si quos possit habere respondent affirmatiuè Castrus, Armilla, & Caietanus *vbi supra*. Couarruuia *lib. 1. variar. cap. 2. num.* 10. *in princ.* Victoria *relect. de homicid. num.* 28. Nauar. *cap. statuimus*, 19. *q.*

3. *num.*

3. *nu.* 36. nam sic recusans cibum, directè tendit ad mortem, quod non licet, & sic videtur sentire D. Thom. 2. 2. *quæst.* 69. *art.* 4. *ad* 2.

63 Contrarium docent alij, dicentes non teneri edere, nam hoc est se solùm indirectè, ac reductiuè occidere, & non directè: nemo autem, nisi teneatur, peccat in causis indirectis, quas si dum tenetur vitare, & potest, non vitaret, tunc in culpam incideret: at iustè damnatus ad mortem, non tenetur illam vitare, iuxta prædicta *num.* 48. ergo non tenetur edere: Ita Tabiena, & Angel. *citati d. num.* 48. Maior, 4. *dist.* 15. *quæst.* 22. & hanc opinionem, vt probabilem sequitur Sotus *vbi supra*, & alij plures.

64 Sententiam exulandi an quis teneatur adimplere, itaut grauiter peccet, si occultè habitet intrà muros à quibus exulauit, respondeo cum distinctione. Aut enim delictum fuit graue, & similiter grauis est pęna imposita, si exilium non adimpleat; aut omnia sunt leuia. Deinde, aut latet intra muros per breue tempus, aut per longum, & tempus quo manet est ob necessitatem, vel non. Si delictum, & pęna sint grauia, erit mortale, si bona anni parte lateat intra muros, à quibus exulauit: secus si per paruum temporis spatium. Si verò ob grauem necessitatem coactus lateat, non peccabit grauiter. Grauis autem necessitas erit, si se, aut suam familiam aliter nequeat sustentare, quia tunc ius naturæ illi succurrit. Nec erit lethale si delictũ est leue, & leuis etiam est pęna imposita, si exilium transgrediatur. Ratio est, quia in sententia exilij datur præceptum, quod in materia leui non obligat ad grauem culpam, nec potest obligare, iuxta communem DD. opinionem.

65 Ita Sãchez *opusc. mor. part.* 2. *lib* 6. *cap.* 4. *dub.* 19. Quòd si aer loci pro exilio destinati, sit insalubris, non erit peccatum si sententia non obseruetur. Palaus *tom.* 1. *tract.* 3. *disput.* 2 *punct.* 4. *num.* 5.

66 Nec tenetur, imò non potest reus facere ea, quæ directè tendunt ad mortem, etiamsi per sententiam damnaretur. Sic non potest reus obedire bibendo venenum; se præcipitando in flumen; se iugulando; se mutilando, ac similia præstando; nam in tali casu præcepta sunt de se illicita, & per consequens iniusta. Sic Caietanus 2. 2. *quæst.* 69. *art.* 4. *ad* 2. Castrus *lib.* 2. *de lege pęnal. cap.* 3. *corol* 3. Driedus *lib.* 1. *de*

67 *libert. Christ fol.* 227. Sotus *lib.* 5. *de iustit. quæst.* 6. *art.* 4. Aliqui tamen volunt teneri bibere venenum, quia id non potest ab alio præstari, vt est iugulare, hoc enim non licet facere à semetipso. Victoria *relect. de homicid. num.* 30.

68 Corduba *lib.* 1. *quæstion. q.* 36. *ad* 3. & est opinio valde probabilis, ex qua sequitur teneri reum ascendere furcam, submittere collum, & cætera, quæ ab alio non possunt fieri, & est communis, & indubitabilis opinio, quia talia facere non sunt directè ad mortem ordinata. Sic Sotus, & Victoria *loc. cit.* & alij communiter.

69 Dixi *sub num.* 37. licitum esse adiuuare carceratum ad fugam, dummodò adiuuans non sit minister iustitiæ; at nunc subdo, quòd tale auxilium debet esse sinè violentia, & sinè ordine ad violentiam, & nisi sequatur scandalum, ac seclusa qualibet circumstantia mala, vel mali illatiua, aliàs non licebit fugam consulere, vel instrumenta ministrare ad carcerem effringendum, vel limas ad compedes rumpendum. Ita Syluester, *verbo fugere, num.* 1. Angelus *eod. verbo, num.* 1. Tabienà, *verbo accusatio, num.* 10. & alij. Secundò subdo, nemini licere per-

70 forare carcerem, aut vincula rumpere, præterquam ipsimet reo, quia hoc ius, est speciale ipsius rei. Sic Caietanus 2. 2. *q* 69 *art.* 4. *ad* 5. *dubitationem*. Nauar. *cap.* 25. *num.* 38. *& cap.* 17. *num.* 103. & alij. Cur autem liceat instrumenta ministrare est, quia id non est rumpere, quod alijs est illicitum, sed dantur media ei, cui

71 est licitum. Excipio tamen casum, quo carceratus non sit ob delictum, sed ob debita tentus; nam si debita non soluet ratione fugæ, tunc cooperans erit causa damni in creditore, & ad restitutionem tenebitur, si non restituat debitor. Sic Nauar. *loc. cit. num.* 101. Angelus *verbo restitut.* 1. *& verbo fugere*. Perez *lib.* 8.

72 *ordina. tit.* 17. *fol.* 345. Carceratus autem rumpens parietes, & vincula, non tenetur ad damnum; nec ex hoc peccat, quod alij, quos ipse non consuluit, fugiant; nec refert quòd custos aliquid patiatur, quia hæc omnia per accidens se habent ad eius fugam. Sic Reginaldus *in praxi tom.* 2. *lib.* 24 *cap.* 7. *sect.* 7. *num* 152. Syluius 2. 2. *quæst.* 69 *art.* 4. *quæritur* 2. *ad* 4. *argum.* Ioannes de la Cruz *in direct. part.* 1. *pr.* 8. *art.* 3. *dub.* 12. *concl.* 4. & alij. Vide *nu.* 99.

73 Et quia dictum est supra, quòd sententia iniusta non obligat ad eius obseruationem, noto illam dici, & esse sententiam iniustam, quæ aliquem defectum patitur, sicut ab opposito sententia iusta est, & dicitur illa, quæ datur à Iudice competenti ob causam sufficientem, seruato iuris ordine ad bonum, & iustum finem. Sed quia multiplices sunt defectus, qui possunt comitari sententiam, ideò nostrum non est hìc illa ponere: videantur apud Authores, inter

quos

quos enumerat fusè eosdem Sanchez, *opusc. moral. part. 2. lib. 6. cap. 3. dub. 10. per totum*.

74 Sed cùm duplex sit Iudicis sententia, nempe definitiua, & interloquutoria, seu vna quæ datur ad definiendam causam principalem, quæ sententia exigit debitas solemnitates; & alia, quæ sola loquutione potest dari à Iudice inter principium, & finem litis, vel causæ pendentis; *cap. significauit, de testib. cap. quod ad consultationem, de sentent. & re iud.* sicuti solet nuncupari sententia interloquutoria omne praeceptum ad causam pertinens, factum per Iudicem, vel per eius vicariũ; ideò potest difficultari, an quando dicitur reum non obligari ad obseruationem sententiæ, intelligatur etiam

75 de interloquutoria? Affirmatiuè respondet Barbosa *de appell. verb. iur. signif. appell.* 242. *num.* 7. dicens, sinè dubio appellatione sententiæ venire tam definitiuam, quàm interloquutoriam quamcumquè, vbi eadem, vel maior ratio est in interloquutoria, quæ est in definitiua, vel quando materia est indifferens, quæ ita conuenit interloquutoriæ, sicut definitiuæ. Sic tenet etiam Alexand. *cons.* 50. *Visis actis, num.* 12. *& seqq. vers. item respondeo, lib.* 2. *& cons.* 171. *Visis, num.* 6. *vers. quinimo, lib.* 7. vbi ex-

76 tendit etiam in materia stricta, Pute. *decis.* 266. *num.* 5. vbi ampliat etiam in materia exorbitan-

77 ti fauorabili, Cardinalis Tuschus *lit. S. conclus.* 106. *num.* 7. *& conclus.* 180. *num.* 6.

78 Iam ex prædictis liquet penes quos, & quanta sit obligatio adimplendi sententiam iuridicam, per quam reus damnatur ad carcerem temporalem, vel perpetuum, ad mortem, ad triremes, ad verberationem, ad exilium, ad subtractionem alimentorum, & ad quamlibet pœnam corporalis supplicij. Sed quia restat respondendum ad dubium in initio propositum, scilicet an Religiosus teneatur seruare in carcere ieiunia panis, & aquæ per singulas hebdomadas præscripta carceratis à Constitutionibus non obligantibus ad culpam, dico quòd Religiosus reus, & condemnatus tenetur seruare Iudicis Prælati sententiam eo prorsus modo, quo tenentur Clerici, & Sæculares, vbi aliud non obstat ratione status Religiosi. Hinc fit, quòd Religiosus non potest fugere, quia non est sui iuris, vt sunt sæculares, & Clerici laici, vndè Religiosus sinè causa fugiens est Apostata. Item Religiosus potest obligari ex vi voti Obedientiæ cum præcepto formali, nempè in virtute Spiritus Sancti, & sub pœna Excommunicationis, vt adimpleat prolata contra ipsum per sententiam, quam si acceptat, tenebitur adimplere. Cæterùm vbi status non obstat, non tenetur Religiosus ad intimata per sententiam, quemadmodum non tenentur alij

79 non Religiosi. Ratio est, quia exceptis ijs, de quibus Religiosus per Religionis professionem iuris sui cessionem fecit, non est minùs sui iuris, ac cæteri hominum; ergo in illis, in quibus cum alijs est æqualis, ius in alijs existens, extenditur etiam ad illum, vt apertè colligitur ex §. *illud. Instit. de societ. l. fin. Cod. de fruct. & lit. expens.* vndè ratione seruandæ æqualitatis fit extensio de vno ad alium. Honded. *cons.* 29. *num.* 98. *& cons.* 59. *num.* 64. *lib.* 1. Aym. *cons.* 133. *num.* 8. *vers. quinimò.* Cùm igitur liceat reo damnato ad triremes, vel ad verberationem fugere, quia illa sunt corporalia supplicia, vt dixi *num.* 59. & ieiunia, maximè panis, & aquæ sint pariter corporis supplicia, non erunt sub obligatione respectu Religiosi, nisi quatenus astringitur à Constitutionibus, quæ non obligant ad culpam, sed ad pœnam; & etiam quatenus tenetur obedire, sed non obligatur in hoc grauiter, nisi præceptum imponatur; & sic quemadmodum sæcularis non peccaret, si damnatus ad ieiunia in carcere seruanda, hæc corporis supplicia secretè omitteret, ita & Religiosus, licèt iste esset transgressor in obseruantia Constitutionum, nec perfectè obediret, tamen non peccaret, supposito quòd ad peccatum non obligent suæ Religionis Constitutiones, nequè Prælatorum iussiones factæ sinè præcepto formali.

## §. III.

*Quæ liceant carcerato, vt impediat pœnas inferendas, non obstante quadam propositione damnata.*

80 Visis dicendis quoad pœnas impositas Reis, restat vt examinemus quid Reus possit quoad impediendum ne pœnæ ei imponantur. Circa hoc facit propositio decimaoctaua ex damnatis ab Alexandro Septimo, quæ ait: *Licet interficere falsum Accusatorem, falsos Testes, ac etiam Iudicem, à quo iniqua certò imminet sententia, si alia via non potest innocens damnum euitare.* Mirum sanè est, quòd vera docere putet, qui talem scripsit propositionem. Falsa tam clarè apparet, vt illam audire prudentium aures meritò horreant. Non ergo eiusmodi propositio accipi licitè potest tamquam antecedens pro inferenda consequentia in casu nostro, & dicere: ergo Reus ad impe-

dicendum ne pœnæ saltem iniustè ei imponantur, poterit interficere falsum accusatorem, falsos testes, ac etiam Iudicem antequam iniquã ferat sententiam, si alia via non potest innocens damnum euitare. Scandalosa argumentatio est ista; attamen vt veram doctrinam secernamus à falsa pro solutione dubij historiæ nostræ, opus est vt nonnulla notemus præter ea, quæ diximus *num.56. 57. & 58.*

81 Notetur igitur, qualem doctrinam euidenter falsam exprimat dicta propositio. Primò, dum ait licere interficere falsum accusatorem, & falsos testes, docet id adeò generatim, vt sinè aliqua temporis distinctione id licitum esse affirmet, idest tum antè tum post accusationem, seu testificationem. Cæterùm, falsissimum est, quòd facta iam accusatione falsa, sicut & testificatione falsa, liceat accusatorem falsum, falsosque testes interficere; eiusmodi enim homicidium erit vera vindicta, cùm per illud nequeat impediri, quin accusatio, & testificationes sint factæ, vndè per talem interfectionem non potest innocens damnum euitare, quatenus ab accusatore, & testibus ei prouenit: Cùm igitur hìc interficiendo innocens non se defendat, consequenter illicitè occidet, & oppositum dicere est scandalosum.

82 Secundò, si attendatur propositionis sensus, videtur absolutè docere, quòd liceat interficere falsum accusatorem, & falsos testes, nam vltima verba videntur vniri tantùm cum illis immediatè antecedentibus, taliter quòd significent sic: *Licet interficere falsum accusatorem, falsos testes, ac etiam Iudicem, à quo iniqua certò imminet sententia, si alia via non potest innocens damnum euitare*, scilicet etiam Iudicem poterit innocens interficere, si damnum, quod per iniquam sententiam recipiet, nequeat alia via euitare, nisi Iudicem occidendo. Sic loquendo de falso accusatore, falsisque testibus, absolutè docet posse interfici. Verùm id esse licitum saltem adeò absolutè, nemo sanæ mentis asseret, nam luce clarius est, esse falsum, & animarum saluti perniciosum, cùm sit homicidium propria authoritate factum, quæ quia est authoritas priuata, propterea nullatenus licet, nisi velimus affirmare quòd homicidium non sit peccatum; at hoc affirmare esset quintum Decalogi præceptum, *Non occides*, tollere. Contra talem doctrinam strenuè pugnat Diuus Thomas 2. 2. *quæst.* 74. *art* 3.

83 Tertiò, si doctrina propositionis sumatur de interfectione falsi accusatoris, falsique testis antequam accusent, vel testificentur, illa est adeò ampla, vt sinè aliqua limitatione dicat licere eos interficere; & sic siuè in re graui, siuè in re leui cum damno tantùm leui ipsius innocentis accusent, & testificentur, eruditur innocens vt ad interfectionem illorum sinè scrupulo procedat. Sed hoc tam manifestè contrariatur veritati, vt nec impugnationem mereatur saltem pro casu leuis, ac leuissimi damni ipsius, contra quem falsa accusatio, falsæque testificationes fiunt. Eumdem sensum de acusatione, ac testificatione in re siuè magni, siuè exigui momenti cum damno siuè magno, siuè modico innocentis importat præfatæ propositionis doctrina etiam post factam accusationem, atquè testificationem, quare magis elucidata remanet eius falsitas, & scandalosa significatio, dum vitam hominis æquat cuicumquè damno alicuius, simulque modicum damnum docet esse causam sufficientem ad occidendum hominem leuiter damnificantem. A fortiori dicatur esse scandalosam illam propositionem, si legatur iuxta sensum numero præcedenti expositum. Videatur infrà *num.90.*

84 Quartò, ex qua parte dicit eadem propositio, quòd liceat interficere Iudicem, à quo certò imminet iniqua sententia, si alia via non possit innocens damnum euitare, plura continet falsa, & animarum saluti perniciosa: Nam concedit nullum esse peccatum Iudicem occidere, siuè culpabiliter, siuè innocenter iniquam dicturus sit sententiam; & tamen numquam licet interficere iustum inuasorem etiã vitæ, sicuti iustus inuasor est Iudex, quoties secundùm allegata, & probata putat iuxta delicti veritatem sententiam ferre. Imò contingere interdum potest, quòd innocens inuasor sit, etiamsi secundùm priuatam cognitionem sciat non esse verum, quod verum apparet ex allegatis, & probatis, secundùm quæ teneatur sententiare, cùm sit persona Ius publicum dicens, vndè iuris formam sequi tenetur secundùm aliquos; ergo Iudex erit innocens etiam iniquam in dictis casibus ferens sententiam, quia tantùm de materiali, seu quia tantùm extra formam iuris iniquitas reperitur in sententia iustissima secundùm ius, seù intrà iuridicam formam iudicandi. Igitur intolerabilis est doctrina affirmans esse licitum Iudicem interficere, à quo cum ineuitabili innocentis damno, certò imminet sententia iniqua sine aliqua distinctione tum qualitatis sententiæ iniquæ, scilicet intrà, vel extra iuris formam,

tum

tum malitiæ, atquè innocentiæ ipsius Iudicis putantis verissimam, iustissimamque ferre sententiam, eò quia ignoret Accusatorem, & Testes falsum deposuisse, vel quia iuxta priuatam scientiam inculpabiliter errat. Sed de his alia dicam *num. 91*.

85 Quintò, etiam ex parte Iudicis nimiùm dicit propositio, complectens quodcumque damnum siuè notabile, siuè exiguum, prout dicebamus supra de accusatore, & testibus.

86 Addi etiam debet, quòd quamuis accusator, & testes falsi sint, fortasè inuincibiliter allucinanrur, & censent veritatem in iudicio deponere; quare in isto casu non sunt aggressores iniusti, cùm sinè malitia se gerant, putantes formam iuris seruare. Non ergo benè docetur generaliter licere falsum accusatorem, & falsos testes interficere, cùm aliquando inter iustos inuasores ex parte intentionis sint computandi.

87 Addendum quoquè est, quòd non raro accusantur aliqui verè culpabiles, qui tamen reputant se iniustè, & secundùm falsitatem fuisse accusatos. Hinc si vera esset doctrina præsentis propositionis, liceret tales accusatores ab accusatis interfici, sicque verus accusator, ac verus testis occideretur, sed nemo id concedet esse licitum, maximè quia nemo est Iudex in propria causa. Quidem fieri potest, vt quis vera de se iudicet, sed & fieri potest vt in propria causa falsitatem quis iudicet; quapropter dato, quòd si verè falsò accusetur quis in causa v.g. capitali, & accusatus falsitatem rectè iudicet, possit tunc accusatorem malitiosum occidere, si aliam viam non habeat ad se tuendum, & idem est de malitiosis testibus, ac Iudice; nihilominus propositio fuit meritò damnata, quia loquitur nimis amplè, omnemque complectitur propriam causam iudicantem.

88 Addantur vlteriùs scandala, quæ sæpe orirentur ex occisione accusantium, testium, & Iudicum; nam non constaret id fieri propter iniquitatem accusationis, testificationis, ac sententiæ, ideoque non erat scribenda in ea generalitate, quam importat præfata propositio.

89 Nunc habita cognitione falsitatis scandalosæ damnatæ propositionis decimæ octauæ inter alias ab Alexandro VII. damnatas, concluditur nihil à nobis in superioribus adductũ fuisse conforme prohibitæ doctrinæ propositionis eiusdem; per hoc enim quòd inquiratur, *an liceat de iure naturæ citra scandalum interficere falsum accusatorem, falsos testes, ac Iudicem, à quo iniqua certò imminet sententia capitalis, vel notabilis damni, vti esset amissionis omnium bonorum, &c. si alia via non possit innocens tale damnum euitare contra iniustos inuasores*, non instituitur quæstio de propositione damnata, cùm hæc non loquatur adhibitis cautelis, quibus loquitur illa.

Quid autem sit resoluendum in nostræ propositionis quæstione, dictum fuit *à num. 54. vsquè ad num. 58.* & quamuis de sententia iam data stent ibi edocta, nihilominus liberum est Doctoribus disputare an liceat præuenire in casibus capitalibus, vel similibus notabilis momenti. Quid verò in tali disputatione sit resoluendum, vt respondeamus ad quæsitum in titulo præsentis Decisionis, sequentes pono conclusiones.

90 Conclusio prima: In re parui momenti numquam licet falsum accusatorem, falsos testes, & Iudicem interficere, etiamsi ab isto iniqua certò immineat sententia, nec alia via possit innocens damnum leue effugere; & oppositum docere, tueri, ac affirmare, est damnatum per damnationem dictæ propositionis 18. Ratio est, quia se defendere in re leui cum morte proximi etiam iniustè inuadentis, est defensio excessiua, & contra ius naturæ, & ita communiter tenent Doctores pro quocumquè casu se defendendi in re exigui momenti. Hinc sequitur multò minùs licere præuenire accusatorem, falsos testes, ac Iudicem, cùm eorum interfectione ad impediendum ne leues pœnæ imponantur. Pro hac conclusione stat apertè damnatio propositionis adductæ, quia attento illius sensu generali complectitur omnem casum euitandi damnum etiam leue, prout notaui supra *num.* 83. Fauent huic conclusioni Nauarr. *cap.* 15. *num.* 2. Salonius *in* 2. 2. *quæst.* 64. *art* 7. *controuers.* 1. *conclus.* 3. Sylui. 2. 2. *quæst.* 64. *art.* 7. *quæritur* 6. penes Dianam *part.* 5. *tract.* 4. *resol.* 5. quatenùs generaliter docent non licere præuenire aggressorem, istum occidendo antequam iniustè inuadat, & per consequens non licebit præuenire in re leui. Item hanc partem tradunt Petrus Nauarra *de restit. lib.* 2. *num.* 289. *&* 290. Bannes *in* 2. 2. *quæst.* 64 *art.* 7. *dub.* 4. *conclus.* 2. *& in respons. ad* 2. Sanchez *in summa tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 39. *num.* 7. & alij, quos refert Diana *part.* 3. *tract.* 5. *resol.* 97. vbi expresè de aggressoris interfectione quærit an liceat, si in re magni momenti inuadat. Facit etiam pro præsenti conclusione, quòd nullus agat, seu in dubium

ponat, an fas sit occidere iniustum inuasorem, si inuasus leue damnum tantummodò sentiet ex iniqua inuasione. Certissimum ergo est assertum nostrum, & ideò scandalosè docetur contrarium in præfata propositione meritò proinde damnata.

91 Conclusio secunda: Siuè Iudex condemnet aliquem innocentem, vel istum certò per sententiam condemnaturus sit, nocentem tamen secundùm allegata, & probata, non verò secundùm priuatam Iudicis scientiam, siuè è contra, numquam licitè potest interfici, quamuis innocens aliam viam non habeat ad euitandum damnum, siuè leue, siuè notabile etiam mortis illud sit. Ratio est, quia iustè inuadit tum sequendo allegata, & probata, iuxta quæ potest occidere nocentem, quem ex priuata scientia scit esse innocentem, vt docet D.Thomas *in 2.2.quæst.67. art. 2.* & *ibi*. Caietanus, Bannes, Salonius, & Aragon. Sotus *de iust.lib.5 quæst.4. art. 2.* Tanner. *tom. 3. disput. 4. quæst. 4. dub.2. num.51.* Sayr. *in claui regia, lib.12.cap. 8 num. 13.* Valent. *tom.2. disput.5. quæst.11. punct.2.* & alij, tum sequendo priuatam scientiam contra allegata, & probata, prout teneri facere Iudicem docet Syluius *in 2 2. D.Thomæ, q. 66. art.2. concl 2.* Malderus *2.2. tract.6.cap.1. dub 13.* Lessius *de iust. lib.2. cap.29.dub.10. num.78* Petrus Nauarra *de restit. lib. 2.cap.3. num. 161.* & alij. Cur teneatur sequi allegata, & probata est, quia est persona publica, & sic secundùm modum publicum debet se gerere in ferendo iudicio. Cur teneatur sequi propriam scientiam est, quia aliàs videtur violare non modò Charitatem, sed etiam iustitiam. Varias tamen debet adhibere diligentias in simili euentu, quas refert Diana *part 5 tract 4. resol. 22.* Ex his inferatur pro casu nostro non licere Iudicem interfici ab innocente, licèt immineat certò sententia iniqua ratione erroris, quem Iudex habet vel ex priuata scientia, vel ex allegatis, & probatis, dummodò error sit sinè culpa taliter, quòd sententia imminens sit iniqua materialiter tantùm, non ex malitia, & ideò *num.55.* limitauimus *numerum* 54. in hac Decisione. Si verò Iudex sit dicturus iniquam, idest malitiosam sententiam iniustam, tunc dicendum est iuxta sequentem conclusionem.

92 Conclusio tertia: Si innocens aliud effugium non habet ad euitandum notabile damnum, v.g. mortem, nisi occidendo falsum accusatorem, falsos testes, ac Iudicem, à quo iniquè certò imminet iniusta sententia, quamuis liberum sit disputare, an liceat secundùm iusnaturæ occidere, id tamen an sit prohibitum secundùm ius positiuum, maximè stante decreto Alexandri VII. in quo inter alias propositiones damnatas à se, posuit sub *num.18.* illam, quam *num.* 80. retuli, quamque meritò damnatam hactenus ostendi, quæ dicit: *Licet interficere falsum accusatorem, falsos testes, ac etiam Iudicem, à quo iniqua certò imminet sententia, si alia via non potest innocens damnum euitare*; dicemus infra *num 96. & sequentibus*. Circa huius propositionis doctrinam quoad falsos testes non posse in omni euentu ab innocente interfici, docent absolutè Sotus *lib. de iust. quæst. 1. art.8.* Corduba *lib.5. quæst.38. dub.1.* Sylui. *2.2.quæst.64.art.7. quæritur 5.* Salon. *2.2. quæst. 64.art. 7. controuers. 1 conclus. 3.* Tanner. *2.2. disp.27. dub. 2. num. 18.* Malder. *2. 2. tract.3. c.1. dub.7.* Ducuntur, quia supposito illos ire per viam iuris, non sunt iniusti inuasores: ergo illicitè occidentur.

93 Sed licere eos interficere, si eant ad falsum testificandum vbi agitur ad mortem, nec alia via potest damnum euitari ab innocente propterea interficiente, docent Bannes *de iust. & iur. quæst. 64. art.7. dub.4. conclus.2.* vbi ait: *si is, qui vadit ad iudicem, fuerit admonitus, & noluerit retrocedere, poterit is, qui iniuriam patitur occidere illum, defendendo se, vel sua, si aliter non potest*. Cum Bannes sentiunt Reginald. *tom.2. lib.21 cap 5.num.57.* Tanner. *tom. 2 disput.4.quæst.8 dub.4.num 83.* & alij, eamdemque sententiam, vt probabilem tuetur Petr. Nauar. *de restit. lib.2. cap.3. num.357. & 358.* Rationem affert Io: Franc. Suar. *in Enchir. cas. conscient. lib.7. verb. homicidium, §.13.* dicens: *Licet occidere testem euntem ad testificandum falsum contra me, vbi agitur ad mortem, nihil enim differt armis, vel alia iniusta via me inuadat, si certò scio gladio oris eius me fore occidendum*.

94 Idem de falso accusatore, qui falsis criminationibus, falsisque testibus in iudicio vitam innocentis imperet, nec alia via posset innocens se liberare, nisi occidendo, docent licere sic se defendere, Marchanti. *in summar. resol. Pastoral. ad decal. cap.5. quæst.2. cas.4.* Molina *de iust. tom 4. tract. 7. disput. 12. num.1.* & Bannes *loc. cit.* qui Bannes doctrinam istam extendit ad accusatorem, qui contra iustitiam legalem panderet crimen verum, sed occultum. Cum Bannes sentit Hurtado de Mendoza *in 2. 2. disp. 170. sect. 8. §. 62.* & idem Bannes vult verificari etiam quando accusa-

tor

tor impeteret bona temporalia, in notabili tamen quantitate.

95 Nihilominus dictam sententiam asserentem esse licitum interficere falsum accusatorem, & falsos testes in causis magni momenti, Lessius *de iust. lib. 2. cap. 9. dub. 8. num. 47.* & Rodriquez *in summ. tom. 1. cap. 220. num. 18* censent non esse in praxi admittendam, cùm ex ea varia incommoda sequi possint. At Bannes respondet, talia incommoda non prouenire ex ipsa doctrina, sed ex malitia litigantium, qui debitam prudentiam non adhibent in examinandis circumstantijs, in quibus licitum erit falsum accusatorem, & falsos testes interficere.

96 Ex præallegatis statuitur, quòd iuxta ius naturæ in litibus criminalibus, seu ciuilibus magni momenti, probabile est licere falsum accusatorem, & falsos testes interficere, quamuis contrarium sit etiam probabile, vt patet ex adductis opinionibus, nec in hoc sensu affirmatiuam, vel negatiuam partem approbare, erit contra damnationem propositionis præfatæ, prout supra notauimus. Sed his non obstantibus credo esse hodie prohibitum affirmare, quòd generatim liceat falsos testes, & falsum accusatorem interficere, etiam in casibus mortis, seu alijs magni momenti, & in isto sensu de hoc nec licebit disputare, stante iure positiuo, quod violaretur cum scandalis, & turbationibus Reipublicæ, ideò Alexander VII. damnauit propositionē præcitatam, quam diximus esse decimam octauam inter alias ab eodem Pontifice damnatas. Sic benè aduertit Diana *part. 3. tract. 5. resol. 97.* quòd licèt spectato solo iure naturæ sit fortasse probabile, posse falsum accusatorem, & falsos testes interfici ab innocente aliud effugium non habente in litibus magni momenti; tamen iure positiuo potest id prohiberi, atquè ideò de facto id esse prohibitum à lege homicidia prohibēte. Probatur hoc, quia vsu videtur receptum, vt in quauis Republica benè cōstituta puniatur morte talis occisor, cuius excusatio, per quam asserit se id fecisse in sui defensionem necessariam, non constat quòd alicubi admittatur, & quidem meritò, etenim si eiusmodi exceptio admitteretur, grauissimi inde sequerentur abusus; nam hoc inter litigantes solitum est, quòd sibi persuadeant, se habere certum ius, quare dum viderent periculum damni notabilis, facilè sibi persuaderent, se iniustè partis aduersæ machinationibus opprimi, propterea conarentur aduersātes interficere, sicque innumeris cędibus daretur occasio. Hinc meritò ius positiuum tales cędes prohibet, easque morte punit, quidquid sit quòd iure naturæ sint, vel non sint licitæ. Ità expresè tenet Coninch. *de actib. supernat. disp. 32. dub. 2. num. 2.* quam opinionem amplectitur Diana *par. 5. tract. 4. resol. 7.* Hodiè tamen est omninò tenenda eadem opinio, si absolutè Pontifex damnauit, quòd liceat interficere falsum accusatorem, & fallos testes, &c.

97 Nec obstat dicere, quòd contra ius naturæ Papa nequeat aliquid statuere, vel declarare illicitum, adeoque non est asserendum, quòd damnauerit doctrinam dicentem licere interficere falsum accusatorem, ac falsos testes, quando innocens alia via nequit damnum magni momenti euitare, quia in tali casu propria defensio est de iure naturæ. Respondetur enim cum doctrina communiter admissa à DD. quæ dicit, bonum particulare debere postponi bono communi: Cùm igitur sit conforme bono communi, quòd innocenter accusatus, innocenter mortem sustineat potius quam scandala, ac turbationes ponat in Republica interficiendo iniustè accusantes, ac sententiantes, propterea meritò Pontifex damnauit doctrinam allatæ propositionis, quia generaliter loquitur, & facit licitum præponere bonum particulare etiam iuris naturæ, bono communi, quod qualiter deperderetur, nisi illicitum esset innocenti interficere falsum accusatorem, falsos testes, ac Iudicem iniustum, patet ex dictis numero antecedenti.

98 Confirmatur hæc responsio ex verbis D. Tho. 2. 2. *quæst. 69. art. 4. in corpore*, vbi ait: *Condemnatur aliquis iniustè, & tale iudicium simile est violentiæ latronum, secundùm illud Ezech. el. 22. Principes eius in medio illius quasi lupi rapientes prædam ad effundendum sanguinem. Et ideo sicut licet resistere latronibus, ita licet resistere in tali casu malis principibus, nisi fortè propter scandalum vitandum, cùm ex hoc aliqua grauis turbatio timeretur.* En qualiter D. Thomas docet licere secundùm ius naturæ, sed postea dicit non licere, si futurum sit scandalum cum graui turbatione; & in hoc sensu debent intelligi D. Thomas cum alijs, quos citauimus *suprà num. 54. & seqq.* & similiter in hoc sensu debet intelligi, quòd Alexander VII. damnauerit dictam propositionem decimam octauam in serie cæterarum ab ipso condemnatarum. Ergo ex dictis concluditur pro responsione ad dubium propositum in fine tituli huius decisionis, quòd non liceat innocenti occidere falsum accusatorem, falsos testes, ac Iudicem, à quo iniqua certò

tò imminet sententia, quamuis aliter non possit innocens etiam mortem euitare, nam hoc esset turbare Rempublicam, & bonum particulare anteponere bono communi, & scandalosa grauia præbere; propterea vt falsa, & scandalosa fuit meritò damnata præaddućta propositio, quia sinè aliqua limitatione, sed nimiùm generaliter loquitur, ac proinde de scandalis, & turbationibus in Republica non curat eiusdem propositionis doćtrina.

99 Igitur pro solutione dubij decisionis præsentis, nihil erit contra damnationem propositionis decimæ oćtauæ inter damnatas ab Alexandro VII. si adhæreatur clarissimis verbis supracitatis D. Thomæ, & dicatur, quòd citra scandalum, & turbationem grauem, eadem defensio licita est contra accusatorem, testesque falsos, ac contra Iudicem iniustè, scilicet ex malitia contra iustitiam condemnantem, quæ licita erit contra latrones, & sic pro tuendis facultatibus magni momenti, necnon & pro tuenda vita fas erit in tali casu etiam Iudicem interficere, quæ doćtrina cùm sit de casu limitato, non venit sub damnatione.

Extant aliæ propositiones damnatæ circa alterius occisionẽ, quas vide in nostra decisione 29. à *num.* 46. & in decisione 86. *à num.* 80. Est tamen semper aduertendum, ne conditiones licitæ defensionis contra iniustum inuasorem, transgrediantur, quas conditiones breuiter affero. Prima est, quòd vis aćtu inferatur, non verò post, vel ante nisi quatenus interdum censetur illata, quando exigit præuenire iudicio pij, & prudentis viri. Secunda est, quòd fiat motiuo defensionis pro vita tuenda, vel pro tuendis facultatibus magni momenti. Tertia est, quòd alia via non suppetat ad dićtam defensionem; ac demum quòd fiat cum moderamine inculpatæ tutelæ, in quo continentur omnes conditiones requisitæ prout passim tradũt DD.

Nota quòd addućta *num.* 69. 70. 71. 72. non tenent in causis inquisitionis propter specialem prohibitionem Pij V. in sua Constit. incipi. *Si de protegendis*, ibi: *contra effringentes carcerem, vel custodiam publicam, vel priuatam, extrahentes, vel emittentes vinćtum, prohibentes capiendum, captumue eripientes, recipientes, occultantes, seu facultatem effugiendi dantes, &c.* de qua Constitutione extat mentio in Decreto Vrbani VIII. sub die 14. *Aprilis* 1633.

# DECISIO LXXXV.

*An sit dabilis casus, in quo quis teneatur baptizare aqua rosacea.*

## Casus, seu Historia LXXXV.

### SVMMARIVM.

1 *Casus proponitur.*

2. *vsquè ad* 16 *Præmittuntur aliqua necessaria pro resolutione, spećtantia ad obligationem administrandi Sacramenta iuxta sententiam tutiorem de eorum valore, sicuti oppositum damnauit Innocentius XI.*

17 *vsquè ad* 20 *Casus resoluitur, & agitur de casu necessitatis pro obstetricibus baptizantibus.*

1 IN Ciuitate N. accessit ad Confessarium quædam obstetrix graui correpta conscientiæ stimulo, num mortaliter peccauerit, quia morienti puero vix nato Sacramentum Baptismi non statim ministrauit cum aqua rosarum, quæ præstò erat, eò quòd firmiter iudicaret non vacare tempus ad aquã naturalem procurandã, sed de facto sinè Baptismo decessit infans. Respondit Cõfessarius obstetrici: Vndequaquè optimam partem elegisti, scilicet tum aquam naturalem quærendo, maximè quia iudicabas puerum tam cito non moriturum; tum rosaceam aquam non adhibendo, quamuis conspiceres puerum mori sinè Baptismate. Et ne existimes me tibi rem falsam dicere, scias te teneri numquam Baptizare, nisi aquam adhibeas naturalem. Ista te doceo ex quò Innocentius XI. damnauit antiquam opinionem, quæ affirmabat licere operari iuxta sententiam tantùm probabilem circa validam Sacramentorum collationem, quare cùm ad maximùm sit probabile aquam rosaceam, vel similem sufficere ad validè Baptizandum, illam nullatenus vobis obstetricibus licebit adhibere. Exijt sermo iste inter obstetrices, quæ casum proprijs Confessarijs proponentes, horum multi multa de illo dicebant, ac demum interrogatus quid pro veritate ego iudicabam, respondi vt sequitur.

2 Verissimum est Innocentium Papam XI. zelo salutis animarum damnasse, & prohibuisse plures propositiones, quarum prima spećtat ad historiam præsentis decisionis, estque tenoris sequentis. *Non est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relićta tutiori, nisi id vetet lex, conuentio, aut periculum grauis damni incurrendi:*

Hinc

*Hinc sententia probabili tantùm non est vtendum in collatione Baptismi, Ordinis Sacerdotalis, aut Episcopalis.*

3 Pro resolutione casus modò examinandi, prærequiritur plena cognitio doctrinæ in allata propositione contentæ. Ex triplici membro illa componitur. Primum loquitur generaliter: Secundum limitat primum generale; tertium est veluti consequentia ex duobus præmissis illata. Primum membrum consistit in verbis: *Non est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiori*; sed hoc limitatur à secundo, quod est: *Nisi id vetet lex, conuentio, aut periculum grauis damni incurrendi*, vndè quia in Sacramento Baptismi, & Ordinis verificatur exceptio denotata per dictionē *Nisi*, ideò in propositione subduntur verba: *Hinc sententia probabili tantùm non est vtendum in collatione Baptismi, Ordinis Sacerdotalis, aut Episcopalis.*

4 Circa primum membrum debet obseruari, quòd omnia Sacramanta comprehendit, adeoque de singulo affirmat non esse illicitum absolutè loquendo conferre Sacramentum quodcumquè iuxta aliquam sententiam probabilem,

5 relicta tutiori circa valorem Sacramenti; Item est obseruandum, quòd sententia tutior distinguitur à probabili, & à probabiliori, nam illa dicitur sententia tutior, quæ non attendit ad vim rationum, nec ad numerum Doctorum, sed solùm attendit ad minùs periculum peccandi. Vide *n.*20. Sententia probabilis, & probabilior sumunt suam probabilitatem intrinsecam ex rationibus efficacioribus, vel minùs efficacibus; probabilitatem verò extrinsecam minùs, ac magis probabilem sumunt ex maiori, vel minori numero, ac qualitate Doctorum illas edocentium. Hanc distinctionem tradunt DD. communiter, & nominatim Sanch. *in dec. tom.* 1. *lib.* 1. *cap.* 9. *nu* 5. & Azor. *instit. moral. part.* 1. *lib.* 2. *cap.* 16.

6 Ex his notatis, potest suaderi quòd scandalosa, seu animarum saluti perniciosa sit hæc prima pars huius damnatæ propositionis; nam velle sequi solam probabilitatem in his, quæ spectant ad essentiam, vel validitatem Sacramentorum, est ponere se in periculo faciendi nullum, & inualidum Sacramentum; quod enim est tantùm probabiliter validè factum, potest esse non validè factum, qùia talis est natura probabilitatis, vt excludat certitudinem: Sed exponere se periculo faciendi inualidum Sacramentum, est grauem iniuriam irrogare ipsi Sacramento: ergo est illicitum in Sacramentis conferendis sequi sententiam probabilem, relicta tutiori de eorum validitate: ergo scandalosè docetur in damnata propositione id non esse generatim illicitum etiam absolutè loquendo, seu exclusis legibus, conuentionibus, ac grauium damnorum periculis, quia semper est illicitum iniuriosè tractare Sacramentum quodcumque cessat tamen talis iniuriæ irrogatio, si quod tutius cognoscitur pro validitate Sacramenti, id operetur relicta sola probabilitate siuè maiori, siuè minori.

7 Confirmatur, quia Sacramenta fuerunt à Christo instituta in bonum, & salutem recipientium illa: Sed conferre Sacramenta iuxta solam probabilitatem, relicta tutiori sententia de illorum validitate, est amplecti periculum priuandi Sacramentis contra mentem ea instituentis, personas, quibus debent conferri prout Christus intendit: ergo est falsum, & scandalosè edoctum, quod non sit illicitum Sacramenta conferre iuxta sententiam probabilem, relicta tutiori de illorum validitate.

8 Confirmatur secundò; nam priuare aliquem Sacramentis, est graue damnum ei inferre; ergo periculo inferendi tale damnum se exponit, qui iuxta sententiam tantùm probabilem de validitate Sacramenti, relicta tutiori, vult Sacramentum conferre: Cùm igitur sit illicitum sequi sententiam probabilem, & relinquere tutiorem de valida Sacramentorum collatione, quoties id vetat periculū grauis damni, sicuti docetur in eadem propositione; consequenter erit semper illicitum, cùm semper currat dictum periculum, vnde sibi contradicit illa propositio, nisi velit dicere, non esse graue damnum priuare aliquem Sacramentis etiam solùm periculosè, vt contingit in probabili collatione; quare constat quàm falsa, & scandalosa sit talis doctrina, videmus enim Ecclesiam tunc grauiter punire, quando priuat Sacramentis.

Addendum est etiam dictæ confirmationi, quòd sicuti scandalosè affirmaretur non esse illicitum; idest nullum esse peccatum inferre damnum leue proximo, vel data opera exponere illum periculo talis damni leuis siuè pro corpore, siuè pro anima; sic scandalosè docetur in præsenti propositione non esse peccatum exponere aliquem periculo priuationis Sacramenti alicuius, quæ priuatio est semper cum damno illius, qui Sacramento, vel certè, vel periculosè priuatur, dum ei confertur iuxta probabilem sententiam, relicta tutiori de illius validitate; & hæc sunt vera, etiamsi daremus esse interdum damnum solummodò leue, quòd

quis

quis priuetur aliquo Sacramento ex minùs necessarijs ad salutem.

9 Scio fuisse communem Doctorum opinionem etiam antequam præsens propositio damnaretur, non licere Sacerdoti administrare Sacramenta iuxta sententiam probabilem relicta probabiliori de valore Sacramenti, sed id esse semper peccatum, non contra reuerentiam debitam Sacramento, sed contra Charitatem ob periculum grauissimi detrimenti inde sequuturi, vt notat Diana *part.2. tract. de opini. probabili, res.2.* Verùm siuè sit contra Sacramenti reuerentiam, & Charitatem, siuè sit contra alterum ex illis, tamen hoc certissimum est, quòd scandalosè docet allata propositio *non esse illicitum*, quia sic excludit generatim omnem culpam, si relicta tutiori sententia de Sacramenti valore, administretur iuxta probabilem. Igitur quantùm ad hanc doctrinam fuit meritò damnata propositio illa vt iacet, ac in sua generali significatione, & ita Pontifex se declarat in procemio decreti prohibitionis, & damnationis propositionum 65. quas prohibuit, & damnauit, *ibi*, vbi dicit: *vnamquamque ipsarum, sicut iacent, vt minimùm tamquam scandalosas, & in praxi perniciosas, esse damnandas, & prohibendas, sicuti eas damnat, & prohibet*; quæ verba sunt valde notanda propter illa, quæ infra dicemus, dictumque Decretum emanauit sub die *2. Martij*, 1679.

10 Circa secundum membrum eiusdem propositionis, consistens in verbis: *Nisi id vetet lex, conuentio, aut periculum grauis damni incurrendi*, dicendum est esse scandalosè edoctum vt iacet, quia videtur licere Ministro Sacramentorum pacisci, seu conuenire cum illo, cui Sacramenta sunt administranda, vt si velit sibi illa administrari iuxta sententiam tutiorem, præstet hoc, vel illud prout in legem, vel conuentionem deducetur. Facta postmodum tali lege, ac conuentione, illicitum erit Sacramentùm ministrare relicta sententia tutiori, idest quoad validitatem Sacramenti. Ità docent citata verba, quæ amplissima sunt, & sic fauent Simoniæ, ac proinde debuerunt prohiberi, & damnari.

11 Possent etiam illa verba rectam interpretationem importare, si accipiantur pro Parochis, seu pro proprijs Pastoribus respectu suarum ouium, tamquam quòd vigeat inter ipsos quædam veluti *lex, & conuentio*, vt in administratione Sacramentorum ex obligatione contracta ex vi Beneficij obtenti, omni meliori modo se gerant, operando scilicet iuxta tutiorem partem. Sed eamdem obligationem habere quemcumque alium Ministrum, ex suppositione quòd ad eum quis vadat pro suscipiendo Sacramento, satis conuincitur a pari de Medico, qui siuè sit proprius, siuè sit extraneus, siuè emolumentum sit consequuturus, siuè non, semper tenetur ex Charitate, & ex iustitia vti medicamento, quod est certò aptum; & ità nemine discrepante dicunt Doctores, non solùm illi, qui volunt non posse sinè peccato mortali Medicum vti medicamento minùs probabili, relicto probabiliori, vt sunt Portell. *in addit. ad dub. Regular. ver. opinio eligenda, num* 10. citans Sotum, & Suarez. Villalob. *in summ. tom.* 1. *tract.* 1. *disp.* 1. *num.* 6. Sanch. *in summ. tom.* 1. *lib.* 1. *cap.* 9. *num.* 41. Becan. & alij penes Dianam *suprà, res.* 7. Sed etiam alij tenentes non esse illicitum Medico vti remedio probabili, relicto probabiliori, limitant nisi medicamentum probabilius, habeat esse medicamentum certum. Ita Azor. *tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 17. *quæst.* 11. Salas *in* 1. 2. *quæst.* 21. *tract.* 8. *disp. vnica, sect.* 15. *num.* 158. Aragon. *in* 2. 2. *quæst.* 64. *art.* 4. *dub. penult.* Montesin. *in* 1. 2. *tom.* 1. *disp.* 29. *quæst.* 5. *num.* 214. & alij. Quare cùm Sacramenta sint in gratiam, & remedium creaturarum instituta, & vbi de illis habetur sentẽtia tutior quoad illorum validitatem, nihil aliud sit nisi habere remedium certum, per consequens dato quòd quis ab aliquo Sacerdote petat sibi Sacramentum ministrari, tenebitur talis Sacerdos illud administrare tutiori modo quoad illius validitatem non minùs ac teneatur proprius Parochus: ergo semper vetat Sacramentum aliquod conferre, & non tutiori modo pro valore illius quædam veluti lex, conuentio, aut periculum grauis damni incurrendi, cùm Sacramenta postulentur à suscipiente sibi ministrari in remedium salutis: ergo non est vera huius propositionis doctrina, quatenus traditur in hac generali propositione verè perniciosa, & dignè damnata.

12 Circa tertium membrum dictæ propositionis, concedirur quod in illo asseritur, nimirùm non esse vtendum sola probabili sententia in conferendo Baptismo, aut Ordine Sacerdotali, vel Episcopali; sed nimis strictè id concedit de solo Baptismo, & Ordine Sacerdotali, vel Episcopali, cùm & de cæteris Sacramentis debeat id concedere, vt conuincitur ex præallegatis.

13 Nec refert, quòd non omnia Sacramenta sint de necessitate salutis, vndè de istis non reneat damnatio, sed possit affirmari non esse illici-

licitum in illis conferendis relinquere sententiam tutiorem quoad illorum valorem: Respondetur enim iuxta supradicta vel esse irreuerentiam irrogare Sacramento, ministrare illud cum periculo nullitatis; vel esse priuare proximum saltem periculosè tanto bono, quod per Sacramentum quodcumquè recipitur cum augmento salutis per gratiam, qua fortasse priuatur à Ministro, adinstar Medici obligati applicare remedium certum, dum habetur, relicto probabili, ac probabiliori, quod remedium certum reputatur administrare Sacramenta iuxta sententiam tutiorem. Ex his patet, quòd licèt daremus non esse graue damnum periculosè inferre, nec graue peccatum, dum in conferendis Sacramentis ad salutem non necessarijs relinquitur sententia tutior de illorum valore, tamen non sinè aliquo peccato id fieret: ergo malè dicitur in relata propositione non esse illicitum taliter se gerere, quamuis de Sacramentis non necessarijs intelligeretur. Esse autem aliquam culpam satis conuincitur saltem per damnum cui proximus exponitur, vt prædictum est.

14 Sed quia propositio dicta vtitur verbis: *In Sacramentis conferendis*, contendet forsitan nonnullus esse intelligenda sola Sacramenta characterem imprimentia, de quibus quidem verificatur, quòd *conferantur*, sed alia dicuntur tantùm *ministrari*, quare & damnatio stabit pro solis Sacramentis dantibus characterem, quæ sunt tria, *Baptismus*, *Ordo*, & *Confirmatio*. Bonac. de Sacram. *in genere*, *disp.* 1. *quæst.* 5. *puncto* 2. *num.* 3. cum D. Thoma, & Bellarmino. Nihilominus negatur stare significationem solùm pro dictis dantibus characterem; & ratio est, quia *ministrare*, idem est ac *dare*, & *dare* idem est ac *conferre*. Probatur hoc in Beneficijs, quæ dicuntur *conferri*, & tamen characterem nō imprimunt, quæ Beneficia dicuntur *dari*, vndè de primò ad vltimum idem significant in Sacramentis dicere, quod *dentur*, *ministrentur*, *conferantur*, in quo sensu vlus est verbo *conferre* Plaut. men. *sc.* 2. *a.* 1. dum ait: *Cessatis mihi dona conferre gratulantes*.

15 Dices: Ex dictis numero præcedenti sequitur dicendum, damnationem stare tantùm pro Sacramentis Pœnitentiæ, Confirmationis, Extremæ Vnctionis, Ordinis, & Baptismi, quia hæc verè dantur suscipientibus; cæterum Eucharistia, & Matrimonium sunt Sacramenta, quæ sumuntur, seu suscipiuntur ab eorum Ministris, qui illa non dant, nec conferunt, nec Ministrant, quia nemo dat sibimet aliquid, nec aliquid sibi confert, aut ministrat: ergo Eucharistiæ, & Matrimonij Sacramentum non veniunt in damnata propositione loquente expressè de *Sacramentis conferendis*. At nihil probat ista obiectio, cui respondetur dupliciter. Primò, dicitur non versari nos nisi in moralibus, moraliter autem sibi propriè dat, ministrat, & confert Euchariſtiam, & Matrimonium, qui ista Sacramenta suscipit à se, tamquam minister, & simul susceptor Sacramenti. Secundò, respondetur notum esse Pontificem conferre sibi Indulgentias, non minùs ac Fidelibus eas conferat: Item, verè dicimus aliquem sibi dare vulnus, alapam, &c. ergo Eucharistia, & Matrimonium non excluduntur, vbi generatim agitur de *Sacramentis conferendis*.

16 Iam ex hactenus allegatis constat sensus, & meritum huius propositionis damnatæ sicut iacet, idest in sua ampla significatione, secundùm quam pro omni casu docet non esse illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem, relicta tutiori de eorum validitate, &c. cuius propositionis generalis doctrina est omninò reijcienda, nec de illa potest aliqua institui disputatio, nisi fortè impugnando, prout præcipit Sanctitas Sua. Non ergo damnatur, vel prohibetur Doctoribus disputare, & resoluere, an in aliquo casu liceat Sacramentum conferre sequendo sententiam tantùm probabilem de illius validitate.

17 Nunc casui nostro applicanda sunt prænotata. Dico primò: Confessarius ex parte benè consuluit, simulque obstetrix benè operata est. Probatur hoc ex parte obstetricis, nam iudicabat puerum non fore moriturum priusquam aqua naturalis afferatur ad illum baptizandum: ergo perinde est, quòd mortuus sit sinè baptismo respectu obstetricis illum non statim baptizantis aqua rosarum. Potuit tamen peccatum adesse in obstetrice, si aquam naturalem culpabiliter maturè non procurauerat præparari ratione periculi ne infans sinè baptismo decedat, tenentur enim ad illam præparandam obstetrices, vel aliæ personæ prout circumstantiæ exigent, vt pueri nascituri consulatur saluti æternæ. Dixi *culpabiliter*, quia aliquando culpa non erit, veluti in partu inopinato. Probatur deinde ex parte Confessarij, nam supposito quòd obstetrix dixerat ei non deficere tempus ad procurandam aquam naturalem, secundùm quòd iudicabat, optimè respondit quòd illicitè vsa fuisset aqua rosacea, quia sic ad maximùm fuisset sequuta sententiam probabilem in conferendo validè Sacramento, relicta

cta tutiori, quæ exigit aquam naturalem, & oppositum affirmare fuit damnatum ab Innocentio Papa XI. nec in hoc sensu potest difficultari inter Confessarios, seu inter obstetrices.

18 Difficultas solùm esse potest, an obstetrices (& idem est de qualibet alia persona) licitè baptizarent in casu necessitatis adhibendo aquam rosarum, vel aliam per distillationem, necnon lacrymas, ac sudorem, alioquin puer morietur sinè omni prorsus baptismate. Videtur respondendum, quòd id sit illicitum. Ratio est, quia Stephan. Bauni. *tract.* 2. *quæst.* 4. approbans opinionem Puteani docet non esse illicitum in casu necessitatis vti sub conditione prædictis liquoribus; nouissimè tamen oppositũ docuit Lanfrancus *tom.* 2. *opusc.* 1. *cap.* 4. *à nu.* 7. & sic est solùm sub probabilitate, quòd eiusmodi liquores sint materia apta pro baptismi Sacramento; Sed sequi sententiam tantùm probabilem de valore Sacramentorum Innocentius XI. damnauit affirmare non esse illicitum; ergo erit illicitum; ergo erit peccatum; ergo erit potiùs permittendum quòd puer sinè baptismo moriatur, quàm aliquod peccatum admittere.

19 Nihilominus est omninò tenendum, quòd in tali casu necessitatis liceat sequi sententiã probabilem de valore Sacramenti, addita cõditione, vt numero præcedenti docet Bauni cum Puteano, nec hoc erit contra prohibitionem, seu damnationem propositionis.

Quòd non sit contra prohibitionem probatur, nam Pontifex intantùm damnauit talem propositionem, inquantùm quòd est scandalosa, & in praxi perniciosa, vt patet ex verbis decreti positis in illius proœmio, quæ verba retuli *suprà sub num.* 9. ergo quoties nec scandalosum, nec animarum saluti perniciosum erit vti dicta sententia probabili, nihil erit contra damnationem, nec de tali casu fuit mens prohibentis, quia ex verbis proœmij colligitur mens disponentis; Sic Panormit. *in cap. aduersus, de Immunit. Eccles. num.* 2. Proœmilia enim inducunt causam finalem, *l. fin. ff. de hæred. instit.* & *ibi* Bart. *num.* 6. & Imo. *num.* 4. vndè certum est, quòd ex præfationibus statutorum probatur mens statuentium. Bart. *in l. ambitiosa, col. pen. de decret. ab ord.* sicuti ad proœmium semper recurrimus, vt disponentis voluntatem conijciamus, *l.* 1. *& in princ. & ibi* Bart. *ff. ad Senat. consult. Macedon.* siquidem ex proœmio legis clarè colligitur intentio legislatoris. Tiraquell. *tract. cessante causa, limit.* 1. *num.* 65. Curti. iun. *conf.* 185. *num.* 2. Gutier. *lib.* 3. *practica. q.* 17. *num.* 90. *&* 91. Si ergo mens Pontificis est consulere saluti animarum, certè meliùs erit aliquo modo dare baptismum, quàm nullo modo: ergo casus necessitatis non venit sub damnatione, maximè quia nulla fit iniuria Sacramento, quod tamquam institutum in gratiam animarum, cedit iuri suo in tali casu, & quia addita conditione tollitur periculum iniuriæ si aliàs adesset, sicque consulitur proximi saluti prout quisquè tenetur, vndè iuxta communem Doctorum opinionem resoluo teneri obstetrices, necnon quascumquè alias personas sequi in casu necessitatis opinionem probabilem de valore Sacramenti, cùm tunc talis opinio possit quodamomdo dici tutior ex suppositione quòd non sit in promptu alter modus saluandi, seu procurandi salutem extremè indigentis. Ità esse faciendum dicitur etiam à Bonaci. *de Sacrament. disp.* 2. *quæst.* 2. *punct.* 3. *num.* 9. *&* 10.

20 Sed circa quòd *sententia tutior respicit minus periculum peccandi*, vt dixi *n.* 5. est notandum non debere id scrupulosè accipi; quare obseruo sententiam tutiorem esse duplicem, vna enim est rationabiliter talis; alia verò est talis solùm pro tollẽdis scrupulis, quibus tamen non est attendendum, cùm scrupuli semper sint contemnendi. Exemplum sit in collatione Baptismi, dum quæritur an tutiori modo conferatur adhibendo pro forma verba ista: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, Amen*, ità vt si omittatur *Amen*, Sacramentum non conferatur iuxta tutiorem opinionem de illius valore, cùm tutius videatur addere etiam *Amen*. Certè tutius est addere, quàm omittere *Amen*, at est quoddam tutius in fauorem scrupulorum, non verò in fauorem veritatis, & minoris periculi peccandi rationabiliter inspecti. Et quidem ridiculum esset, quòd quis v. g. sciens se obligatum restituere rem alienam, propterea omnes facultates daret pauperibus, quia sic tutius erit, quòd nihil alienum habebit apud se, sed omnia restituerit. Similiter dicatur in similibus casibus, ideoque attendatur quid tutius sit rationabiliter, non scrupulosè, dum agitur de obligatione conferendi Sacramenta iuxta sententiam tutiorem de illorum validitate. Hinc cùm ad valorem Sacramenti secundùm omnes DD. ex Concil. Trident. *sess.* 11. *can.* 17. requiratur intentio; licèt actualis sit tutior, censeo esse tutiorem pro scrupulis sedandis, sed pro veritate non minus tutam iudico intentionem virtualem, alioquin væ ministris Sacramentorum, necnon Confessarijs; & ra-

ratione suadetur esse æquuè tutas illas duas intentiones rationabiliter loquendo, cùm vtraque sit vera intentio explicitè habita. Item, dolor est essentialis pro validitate Sacramenti, & quamuis tutius sit illum elicere ante confessionem, tamen si elicitur post confessionem, sed ante absolutionem, puto id esse æqualiter tutum, nec quid minùs tutum; quia verè fit confessio cum dolore debito; si rationabiliter, non scrupolosè loquamur. Eodem modo discurrendum est in talibus dubijs occurrentibus iudicio semper prudentis, & pij, ac docti viri; & propter hoc consului quemdam Confessarium, quòd quamuis pęnitens nolit confiteri circumstantias aggrauantes, quæ de obligatione sunt confitendæ in sententia eiusdem Confessarij sequentis in tali sententia Altisiodorensem, Alensem, Marsilium, Maiorem, Sotum, Victoriam, & alios, quos refert Diana *part. 1. tract. 7. resol. 1.* sed in pœnitentis sententia non sunt confitendæ, quam sententiam docent D. Thom. *in 4. dist. 16. q. 3. art. 2. quæs.* 5. D. Antonin. 3. *part. tit. 14. cap. 19.* §. 7. Syluester, Angelus, Tabiena, Armilla, Scotus, Paludanus, Almainus, & D. Bonauentura, cum alijs pluribus, quos refert, & sequitur Diana *loc. cit.* vbi hanc opinionem vocat æquuè tutam in praxi; nihilominus modo tutiori dicetur ministrare Sacramentum Pœnitentiæ si conformetur sententiæ pęnitentis, quia ad validitatem Sacramenti essentialiter requiruntur forma, intentio, dolor, & materia, idest peccatum confessum, sed quòd peccatum sit hoc, vel illud, siuè sit tali, vel tali modo exprimendum, remittitur disputationi Doctorum, & interim posita forma certa, materia certa, intentione vera, & dolore requisito, cùm nihil vltra exigatur ad conferendum Sacramentum tutiori modo, relicta sententia probabili de illius valore, verè conferetur sinè periculo inualiditatis, sicque tutiori modo confertur, exclusis scrupulis, & sola ratione attenta.

Circa prædicta de intentione, nota quòd intentio habitualis nullatenus sufficit, & actualis non est necessaria. Sic DD. communiter. De intentione virtuali aliqui nimis laxè sunt loquuti, adeoque inter intentiones virtuales erit eligenda tutior, illa scilicet, quæ elicitur dum homo ad Sacramentum faciendum se applicat, quæ intentio actu transit, sed virtute durat; non sic est dicendum de virtuali intentione habita in Ordinatione, in qua quis voluit fieri minister Sacramentorum, &c. Vide Dianam *part. 2. tract. 17. res. 32.*

# DECISIO LXXXVI.

***An, vel à quo sint dandi centum aurei Fuluiæ, si post probabilitatem innocentiæ Fuluij, Iudex fingat eidem Fuluiæ matri Curatrici dicti Fuluij, hunc esse damnandum, nisi soluat centum aureos ipsi Iudici, qui illos cedit Fuluiæ cum promissione declarandi Fuluium esse innocentem, dummodo copulam obtineat.***

## Casus, seu Historia LXXXVI.

### SVMMARIVM.

1 *Casus proponitur.*
2. 3. 4 *De obligatione detractoris.*
5. 6 *An liceat dicere vni crimen alterius.*
7. vsquè ad 16 *An sit exprimendum in confessione, quòd ego primus inuitaui ad peccatum.*
17. vsquè ad 27 *Iudici, testibus, ac ministris iustitiæ, an liceat dare aliquid.*
28. vsquè ad 43 *Quid sit dicendum de Iudice sciente veritatem contra allegata, & probata.*
44. vsquè ad 70 *Iudex quid possit circa mutationem sententiæ, & remissionem, vel augmentum pœnæ.*
71. vsquè ad 80 *Soluuntur plura pro casu nostro.*
81. vsquè ad 100 *Agitur de Iudicis obligatione in casu probabilium opinionum, stante vna propositione damnata ab Alexandro VII. & alia ab Innocentio XI.*

1 Mense vix elapso, ex quò mater Fuluij nomine Fuluia ex Iudicis deputatione Curatricis filij officium assumpserat, quòd accusatus apud Iudicem, hic illum in carcerem coniecit, sed facto examine probabiliter innocens comparuit. Supplex mater pro filij liberatione accedit ad Iudicem, qui respondit: Compatior tibi; Fuluius iam iudicatus est, & quidem dignus repertus, vt ad triremes illum damnem. Nihilominus si centum aureos soluas, illum liberum dimittam; sed potiùs expedit, vt tu mihi concedas tecum semel coire, & tibi dictam pecuniam dono, filiumque tuum innocentem declarabo. Annuit Iudici Fuluia, verùm quid pro vtroque foro sit resoluendum de tali facto, statim pronuncio.

## §. I.

*Quænam peccata admiserit Iudex in isto casu.*

2 CErtum est non solùm copulam, sed etiam
detractionem admisisse Iudicem, impo-
nendo falsum delictum Fuluio, stante quòd
probabiliter erat innocens; quare tenetur se
retractare. Sic D.Thomas 2. 2. *q.* 82. *art.* 2. *ad*
2. Scot. 4. *dist.* 15. Faber 4. *dist.* 15. *quæst.* 3. *disp.*
53. *cap.* 1. *num.* 32. Imò Sylui. 2. 2. *quæst.* 62. *art.*
2. *quæst.* 22. *tract.* 32. *cap.* 10. *num.* 245. *&* *q.* 10.
& Villalob. *tom.* 2. *tract.* 11. *difficult.* 37. *num.* 3.
3 dicunt detrahentem cum falso crimine, te-
4 neri affirmare se falsum dixisse, addendo etiam
testes, vt ei credatur, subdit Moli. *tom.* 5. *disp.*
41. Et quamuis Petr. Nauar. *de restit. lib.* 2. *cap.*
4. *num.* 334. Caietan. 2. 2. *q.* 62. *art.* 2. Io: à Cru-
5 ce *in direct. conscien. p.* 8. *q.* 2. *art.* 2. *dub.* 3. *concl.* 3.
cum Tannero *in* 2. 2. *disput.* 4. *quæst.* 8. *dub.* 7.
*num.* 138 dicant probabilem esse opinionem,
quòd non sit mortale si vni taciturno reueletur
crimen graue alterius, prout tenent Graffius *lib.*
2. *cap* 137. Reginald. *tom.* 2. *lib.* 2. *cap.* 4. *num.* 75.
6 & alij, hoc non currit si crimen sit falsum. Vi-
7 deatur Diana *p.* 2. *tract.* 17. *res.* 22. Vlteriùs pec-
cauit Iudex pronunciãdo iniustam sententiam,
simulque inducendo Fuluiam ad cooperatio-
nem iniustitiæ, & hoc tenetur in Confessione
8 exprimere. An autem vir inducens fœminam
ad copulam teneatur id confiteri expresè, dici
potest non teneri, quia à Confessarijs id satis in-
9 telligitur. Secus est de fœmina si prima inui-
tat, quia hoc non est solitum, & sic non intelli-
10 gitur à Confessarijs. De viris autem limita, ni-
si primi inducant aliqua violentia, etiam per ni-
mias preces morali violentiæ æquiualentes. Vi-
deatur Diana *part.* 5. *tract.* 13. *res.* 5. & *part.* 3.
11 *tract* 4. *res.* 114. Sed quia peccatum copulæ de
sui natura exigit duos, propterea non esse ex-
plicandum an fuerit inducens citrà violentiam
dictam, posset sustineri, & sic non dari pecca-
12 tum scandali in tali peccato docuit Vasquez
apud Meratium *tom.* 3. *in D.Thom. disp.* 27 *sect.*
4. *num.* 8.
13 Igitur Io: Sanci. *in select. d.* 1. *num.* 24. vult
esse explicandum peccatum scandali, si primus
inuitauit puellam. Vide etiam de Lugo *de pæ-
nit. disp.* 16 *sect.* 4. *num.* 242. Contrarium tenent
14 Sanch. *in decal. lib.* 1. *cap.* 6. *num.* 14. & Bonac.
*de Sacram. disp.* 5. *quæst.* 5. *puncto* 2. §. 2. *diffic.* 3.
*num.* 19. quos sequitur Tambur. *method. expe-
dit. confess. lib.* 1. *cap.* 7. §. 4. *num.* 24. quia eadem
15 est malitia, licèt non tam grauis, etiam dum
non inuitas, participas enim semper in eius pec-
16 catum. Idem est de colloquentibus turpiter,
vel tempore missæ, & de similibus.
17 Alia crimina admisit Iudex, quæ referam
infrà, vt in proprio loco. Nunc tantùm ob-
seruo Fuluiam non fuisse cooperatam iniustitię,
si verè credebat puniendum esse Filium, aut si
ad redimendam vexationem aliqua concesse-
rit Iudici, vel vsum corporis dederit, vndè ad
malam Iudicis voluntatem fuisset iniquè co-
operata. Vide sequentia.

## §. II.

*An Iudici, & Iustitiæ Ministris liceat dare, & accipere.*

18 SI timeatur iniustitiam probabiliter esse fa-
cturos Ministros, & Iudicem, licebit illis
aliquid dare ad redimendam vexationem. Ra-
tio est, quia lex positiua dare Iudici prohibens,
fundatur in præsumptione quòd detur ad eum
deprauandum, *l.* 2. *ff. de condict. ob turp. caus.*
ergo cessante præsumptione dicta, licitè dabi-
19 tur, nam ratio generalis circa legem, restringi-
tur ex mente eiusdem legis. Surd. *decis.* 9. *nu.*
13. Armendar. *in proœm. ad recopil. leg. Nauar-*
20 *ræ*, *num.* 131. & se liberare à vexantibus licet
ex vi iuris naturalis, seu naturalis rationis, quæ
vim, & robur legis habet *l. cùm ratio, ff. de bonis
damnat. l. scire oportet, §. sufficit, ff. de excusat. tu-*
21 *tor.* sicq; ratio naturalis allegari potest pro lege.
Surd. *de aliment. tit.* 1. *q.* 28. *num.* 7. ergo lice-
bit dare ad redimendam vexationem, nec op-
22 positum satis probatur, nisi faciamus legis cor-
rectionem, quæ correctio est vitanda. *l.* 1. *C. de
inoffic. dotib. l. præcipimus, C. de appell. cap. cùm
23 expediat, de elect. in* 6. & tenet Roman. *cons.* 322.
*In casu, num.* 2. sed omnia intellige, dummodò
quis non det Iudici, vt in sui fauorem arbitre-
tur.
24 Item licet dare munera testibus ad vexatio-
nem redimendam, quatenus sinè dono tacerent
veritatem, vel falsum dicerent. Probatur hoc
ex dictis, & ita tenent ferè innumeri, inter quos
D. Antonin. 2. *part. tit.* 2. *cap.* 5. §. 1. Syluest. *verb.
Iudex.* 1. *quæst.* 12. *dicto* 6. Armill. *ibi, num.* 13.
Angel. *ibi, num.* 19. Tabien. *ibi, num.* 17. Felin.
*cap. tua nos, num.* 5. *de simon.* Panorm. *cap. cum
ab omni, num.* 8. *de vita, & honest. cler.* Archid.
*cap. rectè, ad fin.* 11. *q.* 3. Palud. *dist.* 15. *q.* 3. *art.*
5. *num.* 37. Carbo. *de restit. quæst.* 50. *post* 14.
*concl. dub.* 1. & alij.
25 Non tamen licet dare, vel accipere pro vero,

te-

testimonio faciendo. *cap.fin.14. q.5.* & *l.1.ff.ad leg. Corn. de falsis*.

26 Quid autem sit dicendum de dantibus Iudici habenti hinc inde probabilitatem, vt in fauorem dantium sententiet, videbimus *infra*

27 *à num.81*. Si verò detur Iudici ex liberalitate, vel ad alliciendum eum ad iustitiam faciendam licitè datur, & accipitur. Sic Io: Fran. Suar. *Euch. lib.5. §.cui restituendum*. Sed quamuis in casu nostro Iudex solùm fingeret se daturum sententiam contrariam probatis, peccauit tamen conueniendo cum Fuluia de danda falsa

28 sententia. Item peccasset damnando innocentem secundùm allegata, & probata, quem ipse nouit nocentem. Ità Doctores communiter, quare pono sequentem Paragraphum.

§. III.

*Quid dicendum sit de Iudice sciente innocentiam conuicti nocentis, & rei per allegata, & probata.*

29 Dico primò: Iudex sciens innocentiam probati nocentis, tenetur eum absoluere, vel à iudicando discedere. Calder. *cap Pastoralis, de offic.deleg.* Panormit. *ibi*. Hugo *l. Praetor. ff. de iurisdic. omni. iudic.* Angelus *verb. iudicare*, & alij, siuè causa sit criminalis, siuè sit ci-

30 uilis. Aliqui, vt Innocentius, Hostiensis, & Felinus *in d.cap.Pastoralis*. Adrian. *in quodlibet. quaest.6.art.3.* Imol. *l. à D.Pio, ff. de re iud.* & *ibi* alij, dummodò causa sit ciuilis, non criminalis,

31 docent Iudicem posse stare probatis. Aliqui volunt talem Iudicem teneri inuenire medium iuridicum ad fauendum veritati, quod si non inueniet tenebitur dare sententiam iuxta allegata, & probata. Sic D.Thomas 2. 2. *quaest.67. art.2.* Caiet. *ibi*. D.Antonin. *3.part.tit.9. cap.2. §.6. & cap.5. §.2.* Sot. *lib.5. de iustit.quaest.4. art. 2.* Iul. Clar. *pract. crim. lib. 5. §. fin. quaest. 66. num.3.* Turrecrem. *cap. iudicet 3. quaest.7. num.1.* Tabien. *verb. iudicare, num.5.* Syluest. *verb. Iudex 2. q.5.* & *ibi*. Armill. *num.6.* Maior 3. *dist. 33. quaest.4.* Nauarr. *cap. si quis autem, de poenit. dist.7. num.128.* & *in summa, cap.25. num.9 & 10.* & alij non pauci. Nihilominus vt quid in hoc statuendum sit plenè resoluam, pono varia dicta.

32 Dico secundò: Quando Iudex agit extraiudicialiter, vt facit in officiorum distributione, non obligatur aliqua lege vt stet probatis, & sic debet stare veritati. Sic Syluest. *supra*, affirmans id esse certissimum apud omnes.

33 Dico tertiò: Quando Iudex talis est, vt possit legi derogare, & legem condere, poterit se gerere iuxta veritatem, relictis probatis.

34 Sic Bartolus, Albericus, Felinus, & Cynus, quos refert, & sequitur Couarru. *lib.1. variar. cap.1. num.7.* Tenetur tamen satisfacere populo, & scandalum tollere. Sic Caietanus *supra*.

35 Cord. *lib. 1. q. 37.* Sotus, & alij. Huiusmodi autem Iudex est solus Princeps superiorem non habens. Mart. *Clausul. 368. part.1. num.1.* Palat. *in collect. ad cap. petitionem 22. num.5. de accusat.* Steph. Grat. *Marchiae, decis. 62. num.12.*

36 *& sequentibus*; vbi contrarium videtur tenere.

37 Dico quartò: Quando Iudex inferior putat liberandum à morte nocentem per allegata, sed quem ipse noscit innocentem, si remittat ad superiorem, tenetur ex Charitate remittere. Syluest. *supra*. Panormit. *cap. Pastoralis, de offic. deleg.* cum Innocentio, & multis alijs.

38 Dico quintò: Quando Iudex inferior nouit innocentiam probati nocentis, tenetur applicare omnia possibilia, & commoda, vt eum pro viribus liberet. Ità Doctores citati *num. 31.*

39 Dico sextò: Si adhibitis medijs possibilibus, adhuc non valet liberare, non tenetur ex aliena malitia tantam iacturam accipere, vt renunciet officium. Sot. *supra*. Caiet. 2.2. *q.67. art.2.* Cord. *supra*. Imò tenetur stare probatis.

40 Sic Doctores allati *num. 31.* Ratio est, quia Iudex est persona publica, & sic secundùm publicum ius debet se gerere. D.Thomas 2.2 *q.68. art.2.*

41 Dico septimò: Iudex constitutus cum clausula: *Sola facti veritate inspecta*, poterit iudicare sicut Princeps. Bertaz. *in repet. l. si quis maior, C. de transact. num. 60.* Velasc. *de iure em-*

42 *phyt. q.6. num.12.* Addunt alij, quòd possit iudicare vt Deus. Honded. *cons.22. num.1. tom. 1.* Steph. Grat. *supra, num. 13.* & *decis.68. num. 1.* nam procedere potest manu regia. Idem

43 Grat. *d.decis. 68. num. 4.* & *discept. forens. cap. 322. n. 1.* Peregr. *cons. 2. nu. 23. vol.1.* Ex dictis iudicet quid sibi licitum fuerit, necne Iudex, de quo agimus.

§. IV.

*An Iudici liceat mutare sententiam, ac poenam remittere.*

44 Quoad poenam centum aureorum, quam remittebat Fuluio, talem summam dando Fuluiae pro obtinenda copula, potuit Iudex iniustè se gerere, quia non licet Iudici remitte-

re

re toto pœnam legis, quia sic facit iniuriam
parti læsæ, vel saltem Reipublicæ, quia sic da-
ret ansam perpetrandi delicta, vt docent D. An-
tonin. 3. p. tit. 9. cap. 2. §. 5. Tabien. verb. Dominus,
num. 10. Syluest. verb. Iudex 1. quæst. 11. Armil-
la ibi, num. 31. D. Thomas 2. 2. quæst. 67. art. 4.
Sot. de iust. lib 5. q. 4. art. 4. Turrecrem. cap. om-
45 nis, dist. 45. num. 4. &, hoc est verum quamuis
causa remittendi non sit iniqua. Imò neque
Iudici supremo id licet, nisi pars læsa remittat,
46 & Reipublicæ non sequatur damnum, nam ex
iusta causa potest Rex dispensare in lege. Fe-
lin. cap. qualiter, §. ad corrigendos, de accusat.
47 Nauarr. cap. 25. num. 14. & alij: Qui Nauarr.
loc. cit. dicit posse Iudicem supremum remitte-
re totam pœnam in aliquo casu rarò, quando
48 reus est nimis necessarius bono publico. Et
Caietanus summa, verb. Iudicis peccata, vult non
esse licitum supremo Iudici relaxare totam pœ-
nam homini sceleroso, vt insigno latroni publi-
co, &c. ergo à fortiori non licebit Iudici infe-
riori relaxare totam pœnam à lege taxatam, &
49 hoc est adeò verũ, vt neque possit ex iusta cau-
sa ipsam pœnam minuere, nisi delictum tale sit,
vt super illo liceat Iudici inferiori dispensare.
Sic gloss. cap. de pœnis, & ibi Innocen. Io: Andr.
Anchar. Felin. d. cap. qualiter, num. 33. Angel.
verb. pœna, num. 28. Syluester verb. Iudex 1.
quæst. 11.
50 Nihilominus posse ex iusta causa Iudicem
inferiorem mitigare pœnam à lege præscriptã,
probabilius est. Sic patet ex l. quid ergo, si pœ-
na grauior, ff. de his, qui notant. infam. l. & si
seuerior, & l. si Possidonium, C. ex quib. cons. ir-
rog. infam. & tenent Hostiens. quem refert, &
sequitur Turrecrem. d. cap. omnis, num. 6. cum
Couarruuia, Tabiena, & alijs.
51 Et iusta causa non est ad minuendam legis
pœnam, quando lex exprimit prohibitionem
mutationis, aut non impositionem alterius pœ-
næ. cap. super eo, de raptor.
52 Data autem iusta causa licebit Iudici infe-
riori augere legis pœnam. Armilla verb. Iu-
dex, num. 33. D. Antonin. Syluest. Nauarr. Tur-
recrem. vbi supra.
53 Si pœna stet in arbitrio Iudicis inferioris, li-
citè temperabit illam, etiam misericordiam ad-
hibendo. l. recipiendum, ff. de pœnis. & in arbi-
54 trio Iudicis est, quod in iure definitum non
est. l. 1. ff. de iure deliberandi, cap. de causis, §. 1.
de offic. delegat. Neuiz. in Sylua nupt. lib. 5. num.
74. Menoch. de arbitr. iudic. lib. 1. in proœm. num.
5. & q. 14. num. 3. cum sequent. & id locum ha-
55 bet etiam quoad pœnam, Monet. de distrib.
56 quotid. p. 3 q. 10. num. 4. sed in arbitrarijs debet
Iudex regulari à iure. Rota decis. 326. num. 6.
& decis. 669. num. 1. & decis. 698. num. 1. apud
57 Farinac. p. 2. recent. nam comissio data cum ar-
bitrio, intelligitur seruatis regulis iuris com-
munis, & secundùm arbitrium boni viri. Tusch.
lit. A. conclus. 470. num. 2. Alex. cons. 33. num. 3.
lib. 1. Socin. iun. cons. 49. num. 16. lib. 2. Meno-
ch. con. 69. num. 4. & 5. Crauet. cons. 612. num.
11. & cons. 657. num. 56. & arbitrium plenum,
58 plenam dat facultatem. Bart. extrau. ad repri-
mendam, in verb. videbitur, num. 3. vers. item
59 vbicumque. Menoch. de arbit. q. 6. lib. 1. Quan-
do pœna est arbitraria, vult Simanc. lib. instit.
tit. 46. non posse Iudicem damnare ad mor-
tem; sed id negat Perez lib. 8. ordinam. tit. 9.
60 l. 48. Ex his cogitet Iudex in quantis delique-
rit in nostro casu; & consequenter apparet
quid licitum, vel illicitum esse potuerit respe-
ctu Fuluiæ supplicantis pro remissione pœnæ in
fauorem filij sui.
61 Licet parti læsæ rogare Iudicem supremum,
vt ex Charitate, vel alio bono motiuo remit-
tat reo totam pœnam, non verò vt non punia-
tur. Sic multi cum Castro lib. 2. de lege pœn.
cap. 13. conclus. 1.
62 Data sententia, cùm Iudex functus sit officio
suo, ideò mutare, nec minuere potest pœnam
arbitrariam, vel à lege præscriptam, vndè nec
vt minuat, vel mutet rogari potest. Sic habe-
tur ex l. quod iussit, ff. de re iudic. & docet Bart.
63 l. 1. in princip. num. 14. ff. si quis ius dicenti. & ibi
Iason: tamen in crimine hæresis potest minui
pœna etiam post sententiam. cap. vt commissi, §.
vlt. de hæred. in 6. & ibi Castr. gloss. ver. mutandi.
Armilla verb. Iudex, num. 16. Item excipe casus
64 secundùm iura Regni. Et quòd Iudex inferior
non possit interpretari, nec mutare à se latam
sententiam interloquutoriam, constat ex cap.
qualiter 1. de accusat. & idem est de definitiua,
65 quia iam compleuit officium suum. l. Iudex, ff.
de re iudic. cap. in litteris, de offic. deleg. Panor.
cap. 1. de postulat. Syluest. verb. Iudex 2. q. 8.
66 etiamsi Iudex veniret in cognitionem claram,
quòd sua sententia fuit iniusta. Sic pluribus
citatis Couarru. lib. 1. variar. cap. 1. num. 4. &
67 idem est de Iudice arbitro. cap. cùm olim, de
arbitr. & ibi Panorm. Syluest. supra. Armilla
68 verb. Iudex. num. 16. Angel. ibi, num. 25. exci-
pe casus iuxta iura Regni, aut si pars inaudita
69 superueniret, vt patet ex Doctoribus. Quòd
si interpretatio sententiæ sit clara, & consona
iuri, potest fieri à Iudice inferiori: secus si sit
dubia. Sic de sententia definitiua Syluester
su-

70 *supra*. & apud ipsum multi tenent posse Iudicem superiorem suam sententiam declarare, non tamen corrigere, vel mutare.

His positis, videatur sequens Paragraphus.

## §. V.

*Resoluuntur varia dubia circa solutionem pecuniæ cessæ à Iudice.*

71 EX antecedentibus doctrinis generalibus traditis in præcedentibus Paragraphis, varia dubia resoluam pro casu nostro.

Dico primò: Si verè Filius Fuluiæ fuisset mulctandus vt soluat centum aureos, qui Principi, vel Communitati, aut tertiæ personæ debebantur, & Iudex eos remisit Fuluiæ pro copula, tenetur ille eos restituere cui erant debi-
72 ti. Item teneretur etiam Fuluia in solidum cum Iudice, nam cooperata fuit iniustitiæ cum directo damno alterius.

73 Dico secundò: Si dicti aurei debebantur Iudici, hic potuit illos dare Fuluiæ tum titulo donationis, tum vt pretium copulæ, sicque Fuluia posset eos retinere tamquam donum; an autem etiam vt copulæ pretium, dicam *num. 76. & seq.* Casu postea quo Fuluia possit eos acceptare, poterit illos sibi accipere de bonis filij, cuius est Curatrix, quia de talibus bonis erant extrahendi secundùm iustitiam, & dandi Iudici.

74 Dico tertiò: Si Fuluia non nouit Iudicis fictionem, dum simulauit esse nocentem Fuluium innocentem, non teneretur restituere acceptos aureos, nisi factum iuxta veritatem cognoscat, quia se haberet vt possessor bonæ fidei, qua cessante insurgit restitutionis obligatio.

75 Dico quartò: Si Fuluia sciebat Iudicem simulare, & nihilominus consentit in copulam, non est ei licitum quidquam accipere de bonis filij; imò neque potest à Iudice velle centum aureos, quos vt non proprios obtulit, & id mater sciebat, quare sibi imputet deceptionem adinstar fœminæ permittentis se cognosci cum matrimonij promissione ab eo, quem ipsa sciebat ligatum voto Religionis, talis enim fœmina seipsam decepit, nec promissio tenet. Sanchez *de matrim. tom. 1. lib. 1. disp. 44. num. 5.* & in simili casu idem probat *d. lib. disp. 10. num. 5.* sicut etiam non tenetur stare promissioni matrimonij, qui virginem, vel viduam honestam cognouit, sed vir notabiliter excedebat in nobilitate fœminam, cui hoc erat notum.

76 Dico quintò: Si Fuluia ignara fictionis Iudicis accepit centum aureos pro turpi vsu corporis, vel si Iudex dedit de proprijs siuè vt donum, siuè vt pretium, non tenetur restituere. Et quidem non tenetur si accepit titulo donationis, quia data à potente donare transeunt in dominium donatarij, vndè verbum *do*, aut *dono*, importat dominij translationem. *l. fin. ff. de condict. data causa*, & *l. vbi autem. §. fin. ff. de verbor. obligat.* & *in §. sic itaquè discretis, instit. de act.* & tradit Menoch. *de præsumpt. lib. 3. præsumpt. 34. num 32.* Surd. *decis. 116. num. 16.* & *de aliment. tit. 2. q. 1. num. 2.* Bertaz. *de clausul. instrum. clausul. 16. gloss. 1. num. 3.* Gratian. *discept. forens. cap. 82. num. 14.* Giurba *decis. 24. num. 19.* vndè fœminæ dona similia recipientes ab amasijs sperantibus copulam, si hanc non promittant, nec de hac paciscantur neque conditionaliter, licitè retinent donata, quamuis copulam negent, vt alibi tradidi.

77 Quòd si Fuluia conuenit cum Iudice de centum aureis pro copula, & nesciebat Iudicis simulationem, quam postea detexit acceptis iam centum aureis ex bonis filij, restitutionis obligatio erit penes Iudicem, quo non restituente tenebitur Fuluia, quæ à Iudice poterit centum aureos exigere, & Iudice non soluente, poterit occultè sibi compensare. Ratio est, quia inter Iudicem & Fuluiam intercessit verus contractus *do vt des*, scilicet *do* corporis vsum, *vt des* centum aureos, & fœmina honesta licitè appretiat pro suo libito proprij corporis vsum. Ità Doctores communiter.

78 Nec obstat, quòd opus sit peccaminosum, pro peccato autem non datur pretium; respondetur enim id esse verum sistendo in opere quà malo; at quà vtile, & delectabile, est pretio æstimabile, & quidem ad arbitrium venditoris, vtpote res ad solam voluptatem quæsita, & quæ non habet pretium, nec ad vitam est necessaria. Sic Lessius *de iust. lib. 2. cap. 14. dub. 8. num. 53.* cum Petro Nauarra, & alijs. Et
79 quòd non debeat restituere accipiens ob turpem causam, fundatur in iure naturali, vt colligitur ex D. Tho. Caiet. & Couarru. *ad reg.*
80 *peccatum, p. 2. §. 2.* Est etiam iuxta ius positiuum. Sic D. Antonin. *2. p. tit. 2. cap. 5.* Nauar. *cap. 17. num. 30. & 36.* Syluest. *verb. Restitutio 2.* & *verb. eleemosyna, q. 4.* Angel. *verb. Restitutio, §. turpe.*

§. VI.

§. VI.

*Ponuntur propositiones damnatæ circa materiam præsentis Decisionis.*

81 SVpra *sub num. 26.* promisi hìc agere de Iudice an possit accipere, vt in fauorem dantis proferat sententiam, quamuis habeat opinionem probabilem ad illam proferendam pro quacumquè parte voluerit; sed circa hoc sunt aduertenda nonnulla necessaria, quæ in præsenti Paragrapho referam.

82 Est ergò aduertendum posse dupliciter contingere, quòd Iudex habeat opinionem probabilem pro vtraquè parte; vel enim illæ opiniones sunt æquuè probabiles, vel vna est minùs probabilis alia. Rursus est etiam distinguenda materia, de qua extant probabilitates, nam vel illa est criminalis, vel est ciuilis. His positis statuuntur sequentia dicta.

83 Dictum primum: In casu æqualis probabilitatis opinionum, quamuis liberum esset Iudici arbitrari pro qua parte maluerit, prout docet Bannes posse citra scandalum; *2. 2. q. 63. art. 4. dub. 1.* tamen non potest licitè aliquid accipere, vt potiùs pro parte dante, quàm pro non dante sententiam proferat in fauorem. Probatur, nam Alexander Septimus damnauit doctrinam affirmantem id Iudici licere, vt patet ex 26. propositione inter cęteras ab eodem Pontifice damnatas, quæ dicit: *Quando litigantes habent pro se opiniones æquuè probabiles, potest Iudex pecuniam accipere pro ferenda sententia in fauorem vnius præ alio*: ergo verùm est hoc primum dictum, quod accipi debet tum de criminaliter, tum de ciuiliter litigantibus ex paritate rationis, & ex generali significatione propositionis, supra quam cadit prohibitio, & damnatio.

84 Dixi, *quamuis liberum esset Iudici arbitrari pro qua parte maluerit*, nam reuerà id Iudici liberum non est ex natura rei, vbi enim iura sunt æqualia, grauem iniuriam inferret Iudex parti, quæ suo iure priuatur, dum totum ius pro altera parte pronunciatur; si enim in partibus ius est æquale, non est in iudicis potestate maius ius facere vni, quàm alteri, vndè euidenter notabilem iniuriam irrogaret parti, quam suo iure spoliat, & illud alteri confert. Sic Gabriel à S. Vincent. *de remed. ignorant. disput. 12. dub. 26. num. 204.* & passim Doctores asserunt teneri Iudicem rem diuidere in æquales portiones, easque dare partibus ius æquale habentibus; & si res non sit diuisibilis debet partes componere. Videatur Diana *in summa, verb. Iudex, num. 4.*

85 Quòd verò pecuniam accipere non possit, etiamsi pro libito in æquali probabilitate quā partem maluerit posset excludere, & alteri fauere, suadetur per textum *cap. non sanè, 14. quæst. 5.* vbi decernitur non debere Iudicem, neque testes vendere rem suam, scilicet nec isti verum testimonium, nec ille iustum iudicium: Sed iustum iudicium venderet Iudex pecuniam accipiens pro ferenda sententia in fauorem vnius partis præ alia æqualis iuris: ergo non licet Iudici accipere, nec parti dare. Confirmatur, quia illicitum est Iudici pacisci cum altera parte ex litigantibus, vt aliquid offerat, si non vult litis dilationem, ex qua copiosiores expensas facere debebit, prout est communis Doctorum opinio, & tradit Farinac. *in praxi crimin. quæst. 112. num. 109. & 116.* Confirmatur secundò, quia testibus non licet dare pecuniam, vt potiùs pro vno, quàm pro alio testificentur, dum æquuè sciunt de vtraquè parte: ergo multò minùs licitum erit ipsi Iudici dare, vel accipere in casu æqualis probabilitatis, vt præfertur. Testibus autem ideò dare, ac recipere non licet, quia aliàs peruerteretur totus iustitiæ ordo; & à fortiori id verum est de persona Iudicis: ergo damnari debuit doctrina prædictæ propositionis.

86 Confirmatur tertiò ex verbis *d. cap. non sanè*, quæ sunt: *Cùm autem iudicia, & testimonia, quæ nec iusta, nec vera vendenda sunt, iniqua, & falsa venduntur; multò sceleratiùs vtiquè pecunia sumitur, quia scelerate etiam, quamuis à volentibus datur*: ergo non licet dare, nec accipere pecuniam, vt sententiam Iudex proferat etiam in casu æqualis probabilitatis, alioquin iudicium, iustitia, & sententia venderetur.

87 Nec iuuat dicere, quòd Iudex accipit datam pecuniam, non vt vnam partem suo iure priuet, sed pro arbitrio, quod parti danti quodāmodo vendit. Respondetur enim primò, Iudicem non habere tale arbitrium, quoties partes habent æqualem probabilitatem, vt notaui supra in hoc Paragrapho, vers. *Dixi quamuis*. Secundò, respondetur, quòd etiamsi in Iudice tale arbitrium daretur, illud vendi non potest, vt suadent inconuenientia manifesta, quæ inde sequerentur; sequeretur enim quòd Petrus habens arbitrium mutuādi v.g. centum, posset exigere à mutuatario dicta centum, & insuper aliquid pro arbitrio in eius fauorem adhibito. Idem dicatur sequi in omnibus contractibus v.g. emptionis, locationis, census, &c.

88 Iam

88 Iam constat de merito damnationis prællegatæ propositionis vigesimæ sextæ in serie cæterarum, quas Alexander Septimus damnauit. Sed circa illam est notandum, quod ad incurrendam excommunicationem defendentium eamdem, requiritur casus omnimodæ, æqualitatis probabilitatis habitæ à partibus litigantibus, aliàs quidem falsa doctrina fortasse defendetur vt vera, at nihil contra damnationem huius 26. propositionis fiet: Hinc si quis diceret licere dare pecuniam Iudici, qui eam licitè recipiet, vt sententiam proferat pro vna parte potiùs quàm pro alia habente æqualem probabilitatem iuris, sed non facti, vel ratione possessionis, aut ex alio motiuo, doctrinam damnatam non approbaret, etsi falsam sententiam teneret, in nullo enim casu fas est Iudici pecuniam accipere, vt pro parte dante sententiam fauorabilem dicat; & per consequens nec licet ei dare, exceptis casibus redimendi vexationem, vel alliciendi eum ad iustam sententiam, vel ex sola liberalitate. Ita cum communi docet Tanner. citatus *supra*, *num.26.* saltem iuxta ius positiuum, quidquid sit iuxta ius naturæ, sicuti diximus eodem numero 26. de casu, quando liberum est Iudici vtramlibet partem sequi. Quando autem liceat Iudici vtramlibet partem sequi, cautè est considerandum propter propositionem secundam inter damnatas ab Innocentio Vndecimo, quam propterea debeo necessariò hìc infra afferre.

89 Sed priùs rogabis, an sub damnatione propositionis adductæ veniat casus, in quo Iudex affirmaret sibi licere accipere pecuniam, vt sententiam proferat potiùs in fauorem, quàm contra reum, pro quo extat æqualis probabilitas tum vt liberetur, tum vt damnetur, sed cum nemine litigat. Non esse contra damnationem videtur dicendum, quia doctrina damnata loquitur expresè de æquali probabilitate vtriusquè partis litigantis: ergo non debet extendi ad casum, quando non dantur duæ partes litigantes. Sed esse contra damnationem videtur dicendum, quia semper saltem cum fisco, vel cum Republica quilibet reus litigat, & sic dicendum erit, quòd in casu æqualis probabilitatis tam pro reo, quàm pro Republica Iudex arbitretur inter litigantes, vnde talis casus est apertè ille, de quo loquitur damnata propositio; quare pro nostra historia sequitur concludendum non potuisse Iudicem aliquid à Fuluia exigere pro fauorabili sententia Fuluij filij dictæ Fuluiæ, licèt æquali probabilitate pro se esset munitus, ac Respublica. Dixi, *non potuisse Iudicem aliquid à Fuluia exigere*, quod intelligo tum ex natura rei, tum ex vi doctrinæ damnatæ, qui si sustineret id sibi licere, certè faceret contra mentem damnãtis, pœnamque incurreret excommunicationis, supposito quòd inter litigantes cum æquali probabilitate Iudex arbitretur pro parte pecuniam dante, & dicat id licere.

90 Nihilominus negandum est, quòd semper fiscus, vel Respublica habeant rationem partis litigantis cum reo, cùm interdum sit solum ipsum ius, quod quia est obscurum, relinquit Iudicem in æquali probabilitate pro reo damnando, vel non damnando. Est igitur adhibenda prudentia, vt rectè iudicetur, quando Respublica, vel fiscus habeant esse partes in litigando, quando non: esse autem litigantes sæpissimè contingit in ciuilibus, raròin criminalibus; quare si & fiscus, & Respublica sint litigantes, vel cum alia Republica, vel etiam cum subdito, absit affirmare quòd liceat Iudici pecuniam, vel *aliud* accipere vt pro parte dante arbitretur in æquali probabilitate. Dixi *aliud* propter mox dicenda *vers. seq.*

91 Et quia pro centum scutis Fuluia dedit Iudici vsum sui corporis, noto non minùs esse damnatam ab Alexandro Septimo hanc 26. propositionem pro casu solius pecuniæ, sed etiam pro quacumque satisfactione data Iudici, nam appellatione *pecunia* venit quælibet satisfactio facta creditori, vt tradit Cephal. *cons.* 14. *à num.* 27. & adhæret Barbosa *de appellat. verb. iuris signific. appell.* 196. *nu.* 3. Imò & nomine *pecunia* debet accipi omne bursale commodum, & sic omnia, quæ ad pecuniam reduci possunt. *l. nam quod, in fin. ff. ad Trebell. glos. fin. in l. pecunia* 222. *ff. de verb. signific.* Tiraquel. *de retract. li.* §. 1. *glos.* 14. *num.* 42. Sanch. *in decal. tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 20. *num.* 9. Mozz. *de contract. tract. de empt. tit. quæ veniant appellatione rei*, §. *deuenio*, *num.* 25. Gig. *in tract. de crimin. læsæ Maiest. lib.* 1. *quæst.* 34. *num.* 14. gloss: *verb. pecuniam, in Clement. nolentes, de hæreticis*; & alibi sæpè in Iure. Et hæc sunt valde notanda, ne quis putet limitatè sumere pecuniam, non verò rem quamlibet aliam, & taliter id est verum, vt hoc non sit odia ampliare contra communem doctrinam: *odia non sunt amplianda, sed restringenda*, vt habetur *cap. odia, de regul. iuris, lib.* 6. sed sic de plano est intelligendum, quia in isto casu non datur locus restrictioni, aliàs satis esset Iudici dare quidquid non est actualis pecunia, licèt esset aurum, vel ar-

gentum, quæ omnia nugaciter, & in fraudem decipientem fraudantes affirmarentur. Et quidem in nostra historia iudico Iudicem in excommunicationem incurrisse, si æqualem probabilitatem habuisset inter litigantes, quorum vnus est Fuluius filius Fuluiæ, si idem iudex, vel alia persona tueatur licuisse exigere copulam cum Fuluia, non receptis centum aureis; nam aliud non fuit velle copulam loco pecuniæ, nisi pecuniam petitam, & exhibitam, licèt nondum datam, remittere, vel potiùs vti propriam per acquisitionem iuris ad rem, soluere, vt vsum corporis Fuluiæ emeret.

92 Nequè obstat, quòd Iudex exigat pecuniã à tertia persona non ab ipsa parte litigante: Item non releuat, quòd pars litigans det pecuniam Iudici, vt in æquali probabilitate pronunciet contra ipsum dantem, & in fauorem partis aduersæ; nam semper verificatur Iudicem pecuniam accipere, vt inter litigantes habentes pro se opiniones æquè probabiles ferat sententiam fauorabilem vni præ alio, sicque semper currit casus propositionis falsæ, scandalosæ, & meritò à Sanctissimo Domino Papa Alexandro Septimo damnatæ, & numero vigesimo sexto in ordine aliarum ab ipso damnatarum, collocatæ. Nihil igitur refert, quòd Iudex recipiat à Fuluia matre Fuluij suppositi rei, maximè si ipsa sit curatrix, vel tutrix filij, quia sic est ipse litigans, qui pro se soluit, vt est communis opinio Iurisperitorum.

93 Dictum secundum: In casu inæqualis probabilitatis litigantium, seu opinionum, licèt nihil damnetur in præadducta propositione circa quòd Iudex possit pecuniam accipere pro ferenda sententia in fauorem vnius præ alio; tamen id esse illicitum est omninò tenendum, prout suadetur ijsdem rationibus allatis ad probandum non licere in casu æqualis probabilitatatis. Iudex ergo in præsenti historia, si à Fuluia petijt pecuniam pro ferenda sententia in fauorem Fuluij iuxta opinionem minùs probabilem, cùm haberet probabiliorem pro ipso damnando, illicitè petijt, vt constat ex dictis, siuè causa fuerit ciuilis, siuè fuerit criminalis. Idem dicatur si iuxta probabiliorem sententiam ob acceptam pecuniam velit liberare, vel damnare ad petitionem partis, cùm semper sententia, ac iustitia vendatur, vt dictum est.

94 Dictum tertium: Si aliud non obstet, non tenetur Iudex restituere acceptam pecuniam pro ferenda sententia in fauorem vnius præ alio, siuè sit iusta, siuè sit iniusta eadem sententia. Probatur à pari de meretrice, quæ licitè accipit, & retinet data pro turpi actu, dummodo nec fraude, nec dolo illa extorserit. Ita D. Thom. 2. 2. *quæst. 61. art. 5. ad 2.* Ratio est, quia opus illicitum nullius pretij ratione malitiæ, est nihilominus pretio æstimabile ratione periculi, commodi, laboris, &c. Idem expressè docet Gabr. à S. Vincen. *de remedijs ignorant. disp. 12. dub. 26. num.* 207. Io. Valer. *in different. vtriusq. fori, ver. opinio differ. 3. num* 1. alios citans.

95 Dictum quartum: si Iudex habebat maiorem probabilitatem pro damnando filio Fuluię, & minorem pro liberando, tenebatur liberare, si causa erat criminalis, è contra verò si erat ciuilis. Pro probando hoc dicto notandum est, debere vti distinctione Iudicem, vt sciat quando teneatur, vel non teneatur sententiam dicere iuxta maiorem probabilitatem opinionum, quas habet. In nostra decisione vigesima sexta *à num.* 20. aliqua breuissimè tetigimus de hac materia latiùs in præsenti tractanda. Distinguendæ ergo sunt causæ in duo membra, nam aliquæ sunt ciuiles; aliæ sunt criminales. Distinguendæ sunt etiam probabilitates, nam aliqua est maior circa ius, quàm sit probabilitas circa factum tum in ciuilibus, tum in criminalibus; alia contingit è contra, scilicet vt maior sit probabilitas circa factum, quàm circa ius.

96 His positis probatur hoc quartum dictum quoad illam partem de causa si erat criminalis, supponendo vt certam opinionem dicentem, integrum esse Iudici sequi, quam opinionem maluerit in causis criminalibus, etiamsi minùs probabilem sequatur, vt docent Salon. *in 2. 2. D. Thomæ, quæst. 63. art. 4. contr. 2. concl. 2.* Sayr. *in Claui Regia, lib. 1. cap* 11. *num.* 13. & Pharaoni. *de Sacram. pænit. tract* 1. *sess. 3. cap. 8.* Sed teneri omittere probabiliorem, & minùs probabilem sequi in fauorem rei cōtra fiscum, & accusatorem, pro quibus stat maior probabilitas, docent Merolla *in disp. theolog. tom. 1. disp 3. c. 4. corollar. 4. num.* 180. Castr. Pala. *tom. 1. disp 2. punct* 11. *num.* 4. Salas *in 1. 2. D. Thomæ, tract.* 8. *disp. vnica, sect* 12. *num.* 125. Alphons. de Leone *tract. de offic. & potest confess. par. 2. recoll. 2. num.* 188. & alij. Ducuntur, quia vbi agitur de condemnando ad certam pęnam, exigitur certa causa, non est autem certa causa, quæ est sub aliqua probabilitate. Confirmant, nam in criminalibus ad condemnandum reum, debent probationes esse clariores luce meridiana, prout habetur *in l. sciant cuncti, C. de probat.* non sunt autem probationes luce meridiana clariores, quousque fiscus, vel ac-

accusator probat tantùm probabilius: ergo stante aliqua ratione pro filio Fuluiæ iuxta probabilitatem licèt minorem in causa criminali, tenebatur Iudex liberare, nec centum scuta à Fuluia curatrice exigere, siuè illa probabilitas minor in fauorem rei sit circa factum, vt volunt Doctores allegati, siuè sit circa ius, vt tenent Emanu. de Moure *opusc. 1. de Ensal. & Incant. sect. 1. cap. 1. num.* 25. & Villalob. *in summa, tom. 1. tract. 1. difficult. 15. num. 3. &* 4. Ità censeo esse tenendum contra Bonacinam *tom. 2. de legib. disp. 2. quæst. 5. punct. 1. num.* 15. & Alphonsum de Leone; qui cum Bonacina sentit, quando opinionum diuersitas est circa ius.

97 Obijcies: Innocentius XI. inter damnatas ab ipso propositiones ponit *num.* 2. istam: *Probabiliter existimo, Iudicem posse iudicare iuxta opinionem etiam minùs probabilem*: ergo non solùm non est verum, quòd Iudex teneatur sequi sententiam minùs probabilem in criminalibus, si illa fauet reo, sed est damnatum id affirmare. Respondetur fuisse meritò prohibitam, & damnatam dictam propositionem, vt iacet, prout expresè scribitur in decreto damnationis, quia ista, sicut & aliæ propositiones damnatæ, sunt scandalosæ si sumantur vt iacent, ac in earum generalitate. Igitur dicta propositio, vt iacet, docet licere Iudici, tum in ciuilibus, tum in criminalibus iudicare iuxta opinionem etiam minùs probabilem; sed id nullatenus potest dici sinè manifesta Iudicis iniustitia facta parti, pro qua stat maior probabilitas in ciuilibus; & sic damnatio adductæ propositionis stat pro causis ciuilibus, in quibus absquè dubio tenetur Iudex sequi sententiam probabiliorem taliter quòd de hoc nullatenus liceat, nisi fortè impugnando, disputationem etiam priuatam facere sub pœna excommunicationis Papæ reseruatæ, excepto mortis articulo. Cæterùm in causis criminalibus relinquitur disputationi Doctorum resoluere quid sit tenendum, & ideò salua iustissima damnatione dictæ propositionis, resoluimus Iudicem teneri sequi sententiam fauorabilem reo, licet minùs probabilem in criminalibus causis propter allegatas rationes, quibus alia potest addi, quam dant Martinez *in p. 2. tom. 1. quæst. 19. art. 6. dub. 6. concl.* 3. & alij, dicentes, quòd in moralibus aliud est agere de vita, aliud de bonis temporalibus: ergo quamuis vbi agitur de vita, seu de pœna in causis criminalibus dicatur licere Iudici, imò istum teneri fauere reo amplectendo sententiam etiam minùs probabilem; tamen in ciuilibus non est eodem modo discurrendum, sicuti scandalosè indistinctè discurrit propositio proinde meritò damnata: ergo nihil contra nos probat allata obiectio.

98 Sed vt singula referamus, quæ Iudici filij Fuluiæ possent fauere, moneo illum vt attendat an sit Iudex absolutus, vel potiùs Iudex, seu Arbiter Compromissarius. Si absolutè est Iudex, idest si fungitur publica authoritate iudicandi, & cognoscendi, in qua authoritate *iudicis* ratio consistit, vt constat ex *tit. ff. de iurisdict. omni iudic.* iuncto *tit. C. de pedaneis iudic.* tunc tenetur in ciuilibus sequi probabiliorem partem, & id negare est damnatum, vt vidimus: in criminalibus verò poterit iuxta Doctorum opiniones ipsi benè visas se gerere. Ratio est, quia ipse est Iudex verus, & de numero illorum, pro quibus fuit damnata propositio prædicta. Si verò sit Iudex Compromissarius, debet considerare an sit de illis, qui data necessitate, & authoritate Iuris à partibus eliguntur, & dicuntur Arbitri Iuris, quasi à Iure constituti, & ordinati. Vel an sit de illis, qui non data tali necessitate, seu forma Iuris, sponte, & liberè compromittunt, & arbitri compromissarij appellantur. De primis tenendum est esse veros Iudices, & habentur plures textus, vt *in l. apertissimi, C. de iudic. & in cap. suspicionis, de offic. delegat.* & ideò sunt obligati iudicare iuxta prædicta: Secus est de secundis, quibus non attenta iuris forma remittitur prudentialis litium decisio, quia non veniunt appellatione *Iudicis*, non enim iurisdictionem habent, iuxta textum, vbi *Gloss.* 1. *in l. notorium 99. ff. de verbor. signif. & in l. ait prætor 5. in princip.* ibi *notionis nomine*, iuxta gloss. ibi, *verb. & habent, ff. de re iudic.* & sic isti partium ministri compromissarij ad aliquod dubium iuris dicendum, seu ad aliquod factum æstimandum ex mera earumdem partium conuentione iuxta textum *in l. 1. de sent. & re iudic. & in cap. 1. de arbitr.* poterunt iudicare etiam in re ciuili iuxta sententiam minùs probabilem, si ità expedire videbũt; iudicant enim sinè iurisdictione publica vt liquet ex reg. text. in *l. priuatorum, C. de iurisdict. omni. iudic.* etenim pro istis non stat doctrina damnata, sed pro solis Iudicibus, quorum arbitrio non se remittunt partes proprio iuri cedentes, vti faciunt cum Compromissario priuatim electo, & sic iste nemini faciet iniuriam, prout facit Iudex proprius, à quo partes attendunt, vt in ciuilibus sententiam dicant pro parte, pro qua stat ius maius, siuè opinio probabilior; & hæc sunt inspicienda à quo-

libet requisito iudicium dare in causis ciuilibus, ne doctrina damnata haud ignoranter habeatur vera, ac ad praxim deducatur.

99 Insuper sciant Iudices se teneri iuxta prædicta, non tantùm in ferenda sententia definitiua, sed etiam in pronunciatione sententiæ interloquutoriæ, illius nempè, quæ datur super quæstionibus, quæ mouentur inter principium, & finem litis, seu causæ. Ratio est, quia licèt non exigat scribi, sed sola loquutione fiat per *cap. significasti, de testibus*, & per *cap. quod ad consultationem, de sent. & re iudic.* tamen dicitur verum iudicium, ac vera sententia, vt tenuit gloss. *verb. sententias, in Clement. 1. de re iudic. & verb. noui iuris in l. 1. ff. quod quisque iuris, & verb. sententia in §. pen. Instit. quibus alienare, & in l. meminerim, C. vnde vi.* & tenent Abb. *in cap. causam matrimonij, num. 6. de offic. leg.* Syluest. *summ. verb. sententia, num. 3.* Ludouic. Gom. *in cap. 2. §. statuto, à num. 11. de constit. lib. 6.* Velasc. *cons. 47. à num. 1.* & alij communiter. Et probatur, quia diuisio sententiæ in definitiuam, & interloquutoriam, est generis in species proprias, cuius diuisionis meminit gloss. *verb. definitiua, in cap. ei, qui, §. definitiua 2. q. 6.* gloss. vltim. *in l. qui restituere, ff. de rei vind.* & *verb. definitiua, Clement. vnica, de sequester. possess.* cum alijs adductis per Marant. *de ord. iudic. 6. p. cap. de sententia, à num. 13.* ergo sententia interloquutoria est verum iudicium, quod Iudex proferre debet iuxta opinionem probabiliorem in ciuilibus, in criminalibus autem secundùm opinionem fauentem reo, alioquin dum dabit sententiam definitiuam, hæc non erit iuxta probabiliorem opinionem in ciuilibus, cùm per viam minoris probabilitatis processerit in iudicij efformatione, eò quia interloquutoria conducit ad definitiuam tamquam quid componens cum illa.

100 Rationes suadentes meritum damnationis latæ ab Innocentio XI. de dicta propositione vt iacet, quia etiam in ciuilibus dicit licere Iudici sequi opinionem minus probabilem, sunt multæ, sed hìc duas, tantùm refero: Prima est quia Iudex est *Ius dicens*; non dicit autem Ius, dum contra maius Ius, quod habet pars litigans propter probabilitatem maiorem obligat illam ad soluendum v. g. centum scuta alteri parti habenti minus ius ob minorem probabilitatem: ergo Iudex facit iniustitiam habenti maius ius, quæ iniustitia cessat fauendo reo in criminalibus relicta maiori probabilitate. Secunda est, quia Iudices habent potestatem à Deo, & sunt sicuti habentes in se modum iudicandi, quem habet Deus, vnde possunt dici Dij terræ, iuxta illud Psalmi 81. *vers. 1. In medio Deus dijudicat*; quare licèt Deus puniat peccatores citra condignum, tamen de ciuilibus causis præcipit esse dandum cuiquè, quod suum est: ergo habentes maius ius declaratum à probabilitate maiori, quam pro se habent, exigit vt iuxta iustitiam Iudex pro ipsis ferat sententiam, itaut contrarium docere sit falsum, scandalosum, & dignissimè damnatum in causis ciuilibus. Videantur pro hac veritate Salon. *controuers. de iust. & iur. in 2. 2. D. Thom. quæst. 63. art. 2. art. 4. controuers. 2. post initium.* Syluest. *verb. opinio, §. 2. fin.* Caiet. *eod. verb.* Sot. *lib. 3. de iust. quæst. 6. art. 5. ad 4.* Laym. *Theolog. moral. lib. 1. tract. 1. cap. 5. §. 3. num. 16.* Sanch. *in summ, tom. 1. lib. 1. cap. 10. nu. 7.* vbi alios refert. Villalob. *in sum. tom. 1. tract. 1. diffic. 15. num. 6.* Malder. *in 1. 2. D. Thom. quæst. 19. art. 5. disp. 86. circa fin.* Filliuci. *tom. 2. tract. 21. cap. 4. num. 144.* Becan. *in summ. tom. 2. tract. 11. cap. 4. quæst. 9. num. 13.* Tanner. *in 2. 2. D. Thom. disp. 4. quæst. 4. dub. 6. nu. 128.* Portell. *in addition. ad dub. Regular. vers. opinio eligenda, num. 12.*

---

# DECISIO LXXXVII.

*An licitum fuerit ad mortem vitandam fictam communionem dare Infideli.*

## Casus, seu Historia LXXXVII.

### SVMMARIVM.

1 *Casus proponitur.*

2. *vsquè ad 11 Stante quadam doctrina damnata, examinatur de singulis Sacramentis an liceat ob metum ea simulare in aliquo casu.*

1 CAptiuus detinebatur vnà cum pluribus Christianis in loco Infidelium quidam Parochus, qui licentiam habebant exercendi quidquid à Christianorum lege exerceri aut conceditur, aut iubetur. Contigit vt dum in Festo die Paschatis omnes Christiani missæ Parochi assistebant Sacram Synaxim recepturi, nonnulli superuenirent Infideles iuuenes armati, qui celebranti Parocho mortem comminati sunt, nisi etiam ipsis particulā dedisset, quemadmodum sciebant, se Christianis illis particulam vnam fore daturum. In talibus angustijs con-

constitutus Parochus adiudicauit expedire hostias non consecratas porrigere dictis Infidelibus, ne morte plecteretur: Elapso anno reuersus est ad suos liber dictus Parochus, qui factum narrauit Episcopo, & iste mihi, vt an licitè Parochus particulas non consecratas ministrauerit, resoluerem.

2 Breuissimè, & tamquam rem certam respondi Parochum in præsenti dupliciter deliquisse: primò, præbendo occasionem Idololatriæ materialis cæteris Christianis astantibus, à quibus formulę illę ab ipsis creditæ consecratę poterãt ignoranter adorari; dare autẽ occasionem Idololatriæ materialis, est mortale, vt latè probaui in *decis. 21. per totam*. Secundò, dando occasionem contemptus, ex cuius motiuo petebant illi Infideles, vt illis communio ministraretur, quidquid sit quòd talis communio fieret cum particulis non consecratis; quare tenebatur mortem sustinere potiùs quàm tam grauiter peccare, sicuti id esse graue peccatum constabit ex dicendis in *decis. 89*.

3 Ratio, qua ductus Parochus ille deuenit ad talem communionem fictam, dixit quòd fuit, tum quia omnes Christiani sciebant fictionem; tum quia in tali vitæ periculo censuit iniuriam nullam irrogare Sacramento vero. Nihilominus, quamuis nullam culpam admiserit ex parte occasionis ablatæ, ne quis committat Idololatriam materialem; tamen excusari non potest ex parte contemptus Sacramenti, vt patebit ex eadem decisione 89.

Imò si post damnationem propositionum, quas damnauit Innocentius XI. ità censuit idem Parochus, propositioni damnatæ innitebatur, dictus enim Pontifex damnauit propositionem istam, quæ est 29. inter alias: *Vrgens metus grauis est causa iusta Sacramentorum administrationem simulandi*. Et quidem meritò fuit damnata, sed vt iacet, ac in sua generalitate, secundùm quam loquitur nimis amplè, comprehendendo generatim omnia Sacramenta, omnemque grauem metum iustè, seu iniustè, vel Ministris Sacramentorum, vel suscipientibus Sacramenta, vel personæ tertiæ tum extraneæ, tum non extraneæ illatum, ac denique non distinguit de ministris legitimis, vel non legitimis Sacramentorum, nam illegitimi possent sibi licitum facere ex vi generalis significationis importatæ à dicta propositione, simulare se ministrare v. g. Sacramentum Pœnitentiæ, si crediti Sacerdotes, cùm non sint, cogantur cum mortis comminatione, vt tale Sacramentum administrent, & illi fingant administrare. Quare cùm certum sit esse potiùs centies moriendum, quàm semel peccandum, & peccatum sit Confessiones audire sinè Ordinis potestate, & sui Episcopi, vel Papæ facultate, consequenter deficit apertè in veritate illa propositio, quæ propterea fuit meritò damnata secundùm eius generalem significationem, seu vt iacet, cum etiam non distinguat an metus sit illatus ad extorquendum Sacramentum, necne.

4 Cœterùm, si quæstio fiat cum limitatione, videlicet an aliquando metus grauis iniustè incussus ad extorquendam Sacramenti administrationem sit causa iusta illam simulandi, licitũ erit de hoc DD. disputare, quia casus iste est omninò diuersus à doctrina generali propositionis damnatæ. Quare vt dubium nostræ historiæ resoluamus, breuiter videbimus de singulis Sacramentis, an interdum licitè administrari possint simulata administratione.

Sacramentum *Baptismi* numquam licitè administrari potest simulatè, etiam vrgente metu graui. Probatur, nam coactus ex metu graui, vt Baptismum administret, vel potest licitè, & validè baptizare, ità vt simul teneatur; vel non potest nec licitè, nec validè baptizare, licèt teneatur; vel non tenetur, possit, ac non possit licitè, & validè baptizare. Si dicatur primum, tunc metus grauis est iustè incussus ei, qui tenetur & potest tum licitè, tum validè baptizare: ergo illicitè, & cum iniuria Sacramento irrogata Baptismi administrationem simularet. Si dicatur secundum, tunc eò ipso quòd nec licitè, nec validè potest baptizare, si simulet ex vi metus illati, certè peccat saltem ex qua parte inualidè baptizat, nulla enim ex causa est licitum peccare. Si dicatur tertium, quamuis nõ teneatur administrare baptismum, quem potest administrare, sanè grauem iniuriam irrogaret Sacramento, istud fictè administrando, non obstante graui metu iniustè illato, vt illud administret: & à fortiori si iustè metus ille sit illatus. Quòd si validè nequiret Baptismum administrare, iam nec simulatam administrationem potest facere iuxta dicta in secundo casu: Si autem tantùm licitè non possit Baptismum administrare, tunc non peccat administrando, quia vrgente graui metu ad illum extorquendum, Ecclesia non obligat cum tanto incommodo, & sic diuersimodè est discurrendum de tantummodò malis, quia prohibitis, ac de malis intrinsecè. Ità colligitur ex Doctoribus citandis numero sequenti. Excipe casum dicendum, *num. 52*.

5 Sacramenta *Confirmationis*, *Ordinis*, *ac Exter-*

*tremæ vnctionis*, nullus metus grauis est causa iusta administrandi illa simulatè. Suadetur primò eodem prorsus modo, prout fuit probatum numero antecedenti de simulata administratione Baptismi. Suadetur secundò, nam si aliqua daretur ratio, ob quam talis simulatio liceret, esset vel ex parte ministrantis, vel ex parte suscipientis Sacramentum, vel ex parte vtriusque: non datur autem ex parte suscipientis, quia vel ipse incutit grauem metum iniustum, vel ipsi incutitur, vt Sacramentum suscipiat; si incutit, non ideò acquirit ius, vt iustè, ac sine culpa ei administretur siuè verè, siuè simulatè: si verò ei incutitur, non propterea fit licitum ministro simulare id, quod esset peccatum si verè fieret, cùm sic iniuriam grauem irrogaret Sacramento; & idem est si simularet Sacramentum ministrare, quod verè posset sinè peccato administrare. Neque ex parte administrantis datur ratio reddens licitam talem simulationem, sicuti patet ex adductis numero præcedenti: ergo ex neutra parte diuisiuè; nec ex illis copulatiuè licita erit illa simulatio. Sed limita iuxta dicenda, *num.* 52.

6 Si verò quis dicat eam licere ad scandalum euitandum, casu quo vel Minister, vel susceptor Sacramenti sit indispositus; respondetur, vel indispositio est ob defectum iuris positiui, vt v. g. quia est irregularis; vel est ob defectum iuris diuini, vt quia adest conscientia peccati mortalis: Si dicatur primum, nullatenus licebit Sacramentum simulare, quia interueniente metu graui iniustè incusso ad Sacramenti administrationem extorquendam, non obligat cum tanto incommodo lex humana siuè Canonica, siuè Ciuilis: Ità Sotus, Gabr. Maior, Almayn. Medin. Angel. Astens. Rosell. Syluest. Tabiena, & Armilla, quos refert, & sequitur Azorius *part.* 1. *instit. moral. lib.* 1. *cap.* 11. *quæst.* 1. Si dicatur secundum, tunc potest elici actus contritionis, qui in casu necessitatis, vt dum vrget metus grauis iniustè illatus ad extorquendum Sacramentum, & non potest suum peccatum Sacramentaliter confiteri, sufficiet ad ministrandum Sacramentum sinè peccato; ergo non datur ratio, ob quam ad scandalum vitandum liceat simulatè administrare Sacramentum; & idem est de suscipiente Sacramentum.

7 Sacramentum *Pænitentiæ* simulatè administrare potest interdum contingere, vt liceat ob iustam causam, siuè hæc sit metus grauis iniustè incussus, siuè sit alia. Patet hoc in casu, quo quis confiteatur coram alijs, & à Confessario non possit absolui, quia v. g. habet reseruata, vel est indispositus, &c. tunc enim ad vitandum scandalum, seu ad tegendum factum debet Confessarius simulare se pœnitenti absolutionem impertiri, si alij possint aduertere, quòd non absoluatur. Similiter eueniet, si v. g. puella ob grauem metum ei à matre incussum, nisi confiteatur ipsa vidente, poterit cum Confessario simulare se confiteri; nec in hoc apparet iniuria aliqua facta Sacramento, cùm ad locum confessionis non semper Sacramentum administretur, & sic nemo scire potest, quid ibi loquantur accedentes ad Confessarium; neque aliud sequitur inconueniens ex tali simulatione nota ipsi pœnitenti.

8 Hinc eodem modo discurrendum est de Sacramentis adductis, *num.* 48. *& seq.* limitando generalem doctrinam ibi traditam; quare si v. g. quis minatur mortem Petro, nisi baptizet Paulum adultum, qui non vult baptizari, & tamen compellitur cum graui metu, vt baptismum suscipiat, tunc poterit Sacramenti simulatio fieri, conscio facti ficti eodem Paulo, dummodò aliundè non reddatur illicita talis simulatio, vt v.g. si in contemptum Fidei, vel Sacramenti id exigatur, vel simuletur. Item est generaliter illicitum simulare Sacramenti administrationem factam non baptizato cognito ab alijs vt tali, nam id est intrinsecè malum, & grauem irrogat irreuerentiam Sacramentis, adeoque ex nullo metu simulatio illa cohonestari potest. Si autem nemo scit non esse baptizatum illum, cui Sacramenti minister simulat Sacramentum v. g. Ordinis conferre, quia idem minister nouit incapacitatem non baptizati, qui scit fictionem; tunc attendere oportet ad circumstantias, non obstante metus grauis, & iniusti incussione, sicque si nullum sequatur scandalum, aut sigilli Sacramentalis nulla fiat fractio, &c. licebit simulare. Ex his exemplis poterit deduci quid sit dicendum de similibus casibus occurrentibus, quia licèt scandalo, & veneno in perniciem salutis animarum sit plena propositio præallegata, & damnata vt iacet, ac in sua generalitate, tamen pro casibus particularibus fas erit viris doctis, & pijs examinare, an dicta simulatio liceat, inspectis prudenter omnibus circumstantijs. Noterur non esse Sacramenti simulationem, si det Confessarius pœnitenti schedulam, in qua fidem faciat se illum fuisse confessum, quamuis de facto non absoluerit propter aliquam iustam causam, sed etiam alia iusta causa vrget vt tale testimonium Confessarius scribat. Ratio est, quia per tale scriptum fingitur fuisse administratum Sacramen-

men-

mentum de præterito, non autem fingitur administrari de præsenti, nec in tali testimonio Confessarius mentitur, cùm reuerà confessus sit, prout fidem facit, vt suppono; mentiretur autem, si diceret se absoluisse, vel se confessum fuisse, cùm verè non sit confessus. Ità Coninch. *de Sacram. disp. 9. dub. 1. num.* 14. Fagund. *in praecept. Eccles. praecept. 2. lib. 6. cap. 4. num.* 40. & alij.

9 Sacramentum *Eucharistiæ*, an aliquando liceat simulatè administrari ex graui metu iniustè illato, dicendum est negatiuè. Ratio est, quia administrans hostiam non consecratam pro consecrata v. g. peccatori occulto ad vitandam infamiam, præbet occasionem idololatriæ saltem materialis tum ipsi peccatori, si factum nesciat, tum circumstantibus illam formulam non consecratam fortasse adorantibus. Nec valet si dicatur, quòd à tergo formulæ consecratæ possit poni alia non consecrata, quæ sola ministretur peccatori conscio facti; nam semper adest periculum materialis idololatriæ in circumstantibus, quibus liberum est distincto actu adorare quamcumquè hostiam, quæ communicantibus ministratur, & ideò est desistendum à tali administratione. Sic cum Palao, & alijs tenet Diana *part. 3. tract. 6. resol.* 83. contra Villalob. *in summa, tom. 1. tract. 7. diffic.* 38. *num* 7. Ludouic. de S. Iuan. *in summa, tom. 1. tract. de Eucharistia, quæst. 7. art. 8. dub.* 4. & alios. Videatur nostra decisio 21. *per totam*. Sed hæc verificantur vbi adest periculum dictæ idololatriæ, quare si tale periculum non aderit, & re prudenter considerata expediret simulatam communionem dare peccatori, cui, sicuti & ministro imminet v. g. mors iniustè comminata ab infideli, nisi communio fiat, tunc conscio susceptore fictæ communionis, censeo vrgentem metum grauem iniustè incussum habere rationem causæ iustæ ad illam simulationem faciendam. Ducor, quia nulla iniuria in tali casu irrogatur Sacramento, neque aliqua idololatriæ etiam materialis datur occasio, cùm Fideles assistentes sciant fictionem; Infideles autem non credunt, nec adorant, imò derident Sacramenta Christianorum, & huiusmodi derisio impeditur saltem circa Sacramentum præsens, supposita fictione. Idem dicatur de similibus casibus, si qui dentur. Hinc patet meritum damnationis propositionis præfatæ propter eius amplam significationem, quæ ad omnes casus extenditur, & non tantùm ad aliquos prudenter perpensos iuxta prædicta limitatè de metu iniusto, &c.

10 Sacramentum *Matrimonij* vrgente graui metu iniustè incusso, hic interdum erit iusta causa illud simulandi, dummodò ad matrimonium extorquendum talis metus incutiatur. Ratio id suadens est, quia aliquid speciale reperitur in Matrimonio, quod non est in alijs Sacramentis: Sic reperitur in Matrimonio ratio contractus perpetui, & indissolubilis, qui exigit celebrari cum plena libertate, cui aliquo modo obstat grauis metus iniustè illatus ad extorquendum matrimonium. Reperitur etiam in tali contractu ratio Sacramenti, cuius minister est vterquè contrahens, at nulla iniuria irrogatur Sacramento, quòd simul est contractus, si ob dictum metum simuletur, ne quis perpetuè contra plenè liberam voluntatem se liget in contractu indissolubili. Dixi, *cum plena libertate, cui aliquo modo obstat grauis metus iniustè illatus ad extorquendum matrimonium*, non quia doceam irritum esse tale matrimonium absolutè, & sinè fictione factum, de hoc enim inquirunt Doctores an sit irritum, vel irritandum, vt videre est apud Sanchez *de matrimon. tom. 1. lib. 4. disp.* 12. sed tantùm volui afferre ea, quæ fauent sano modo intellecta, vt liceat simulare matrimonij contractum, & Sacramentum vrgente graui metu supradicto. De matrimonio facto per grauem metum iustum, videatur Sanch. *disp.* 13. Hactenus allegata in hoc paragrapho sufficient pro solutione dubij propositi, vt constet quid sit sentiendum de simulata Sacramentorum administratione, tum quoad doctrinam damnatam, tum quoad non damnatam.

11 Et vt manifestè constet nihil mali interuenire, vbi ob grauem metum iniustè incussum ad extorquendum matrimonium, hoc simularetur, noto, quòd tale matrimonium sinè simulatione, sed absolutè celebratum, non tenet, sed est irritum in vtroquè foro, vt docent D. Thom. 4. *dist. 29. quæst. vnica, art. 3. quæstiuncula 1. in corpore*, & *ibi* D. Bonauent. *quæst. 1. num.* 5. Sotus *quæst. 1. art.* 3. D. Antonin. 3. *p. tit. 1. cap.* 7. Henriq. *lib. 1. de matrim. cap. 9. num.* 1. Philiarch. *de offic. Sacerd. tom. 1. part. 2. lib. 2. cap.* 7. Syluest. *verb. matrimonium* 8. *quæst. 11. dicto* 3. Tabiena *verb. impedimentum, impedimento 9. num.* 3. Nauarr. *summ. cap. 22. num. 51. ad fin.* & alij, quos latè refert, & sequitur Sanch. *d. disp. 12. num.* 18. ergo si vrgeat præfatus metus, & ratione illius simulatè contrahatur, nulla irrogabitur iniuria Sacramento, quod non adest, nec adesse potest. Quòd si dicta sententia alicui non arrideat, & propterea

rea putet non benè probari intentum, hoc iterum probabo afferendo duas alias opiniones circa matrimonij validitatem, si sit extortum per metum grauem iniustè illatum. Vna opinio, quam tenet Cardin. *cap. 2. de his, quæ vi, quæst. 1.* dicit, tale matrimonium non esse ipso iure irritum, sed rescindendum: si ergo est rescindendum, meliùs erit, ac sinè Sacramenti iniuria illud simulare. Alia opinio aliquorum tacito nomine adductorum à D. Thoma *loc. cit.* ait, quòd si verè adest consensus, licèt coactus, matrimonium factum ob talem metum est validum in foro conscientiæ, secus in foro externo: igitur data, sed non concessa huius sententiæ veritate, potiùs expediet vrgente dicto metu matrimonium non facere adhibita simulatione, quàm illud facere inualidè saltem quoad vnum forum: ergo licèt dignissimè Innocentius XI. prohibuerit, & damnauerit præallegatam propositionem vt iacet, ac secundùm eius amplum sensum; tamen interdum contingere possunt casus cum talibus circumstantijs, vt de illis fas sit disputare.

---

# DECISIO LXXXVIII.

*An semper sit in obligatione externè Fidem confiteri.*

## Casus, seu Historia LXXXVIII.

### SVMMARIVM.

1 *Casus proponitur.*
2. *vsquè ad* 18 *Referuntur fundamenta ad suadendum licere Fidem occultare, & resoluuntur, vtpote consistentia in doctrinis damnatis.*
19. *vsquè ad* 25 *Agitur de peccato Infidelitatis.*
26. *vsquè ad* 48 *Soluuntur argumenta fundata in doctrinis damnatis de Fidei præcepto, & confessione.*
49. *vsquè ad* 59 *Quid statuendum sit de ignorantibus mysteria Fidei.*

1 EX Indiarum regionibus venit Bononiam quidam Regularis Infidelium conuersioni deputatus, qui propterea ad tantum munus erat reuersurus. Ab illo accepi non raro euenire, vt nisi Religiosi & statum, & Fidem occultent, mortis periculum incurrant, adeo enim nonnulli Infideles in Monachos sæuiunt, vt & mortem inexorabiliter inferant, si tales cognoscunt. Insuper ab eodem Missionario intellexi dari non paucos, qui generatim negant licere Fidem occultare, sed nec deesse contrarium sentientes, qui pro propria tuenda opinione, fundamenta varia ex Doctoribus collegerunt, eaque sunt sequentia, quæ mihi pro veritatis examine fuerunt exhibita vnà cum supplicatione, vt quid de illis, ac de necessarijs in hac re iudico, scribam.

### §. I.

*Fit vnum examen circa Fidei occultationem.*

2 AD trutinam reuoco singula fundamenta, ex quibus prætendebatur inferre esse semper licitum Fidem Catholicam occultare.

Fundamentum primum est: *Ab infidelitate excusabitur Infidelis non credens ductus opinione minùs probabili*: ergo ad euitandam mortem licebit Fidem occultare, & aliam profiteri, pro qua datur aliqua probabilitas quamuis minor probabilitate fauente Fidei, quæ hìc, & nunc occultatur, habeatur, vel non habeatur intentio iterum amplectendi Fidem habentem probabilitatem maiorem transacto illo mortis periculo. Hæc consequentia suadetur, nam data veritate antecedentis, sequitur quòd iuxta opinionem probabilem operaretur; operari autem cum tali opinione non est peccatum, prout à multis docetur. Videatur infra *num. 9. &* §. 2. *&* 4.

3 Fundamentum secundum: *Fides non censetur cadere sub præcepto speciali, & secundùm se*: ergo liberum erit eam occultare absolutè, saltem vbi nullum sequitur scandalum: Probatur consequentia, nam si Fides secundùm se non cadit sub præcepto speciali, nullum præceptum violatur per illius occultationem absolutè loquendo, & sic nullum peccatum erit, si nullum sequatur scandalum, illam occultare. Videatur infra *num. 10. & seqq. &* §. 3.

4 Fundamentum tertium, vel potiùs confirmatio fundamenti secundi est, quòd *satis est, actum Fidei semel in vita elicere*: ergo postquam quis Fidem est amplexus, & Fidei actum semel fecit, non tenetur alium actum Fidei elicere, ac per consequens licebit ei Fidem occultare, præcipuè concurrente causa euitandi mortem, vt in casu nostro. Vide infra *num. 17.*

5 Confirmatur, quia loquendo de Fidei mysterijs *Sufficit illa mysteria semel credidisse*: ergo nulla noua adest obligatio fatendi illa, & sic poterit licitè Fides occultari, quando sic expedit,

dit, aut sic alicui placebit. Videatur infra *num.*16. *&* *num.*32. *&* 33.

6 Fundamentum quartum: *Si à potestate publica quis interrogetur, Fidem ingenuè confiteri, vt Deo, & Fidei gloriosum consulo tacere, vt peccaminosum, per se non damno*, scripsit quidam: ergo quemadmodum licet silentium consulere per se loquendo, idest secluso scandalo, quo silentio occultatur Fides, sic licebit cuiquè se solo Fidem occultare in casu mortis euitandæ, imò & absolutè, etiamsi à potestate publica Fidei confessio requiratur. Vide infra *num.* 18. *&* §. 4.

7 Fundamentum quintum est, quia non defuit, qui de Fide agens, & plura docens, demum intulit hanc propositionem: *Hinc potest quis prudenter repudiare assensum, quem habebat supernaturalem*; ergo multò magis licebit talem assensum, in quo Fides consistit, occultare, maximè vt ab imminenti morte se eripiat. Patet consequentia, si comparetur negatio talis assensus repudiati, cum illius simplici occultatione, est enim optima argumentatio de totali repudiatione licitè facta illius assensus, ad solam occultationem eiusdem. Sed adhuc videantur dicenda infra *num.*19. 42. *&* 43.

8 Sic ante annum 1679. à nonnullo argumentabatur in fauorem pretendentium licere Fidem occultare, prout vidimus in initio præsentis Decisionis. Nihilominus & antè dictum annum, & post illum fuerunt, & sunt, & erunt falsa, ac scandalo plena omnia fundamenta adducta, vnà cum confirmationibus, & propterea Innocentius Vndecimus damnauit omnes propositiones, quæ per modum antecedentis fuerunt adductæ ad inferendam consequentiam, in qua dicebatur licitum esse Fidem occultare. Neganda sunt omninò talia argumenta tum quoad eorum antecedentia, tum quoad eorum consequentias vt iacent, atquè prout traduntur, sicque ad casum propositum respondendum est, non semper, ac generatim licere Fidem occultare, & hoc probabitur ostendendo falsitatem præallegatorum fundamentorum.

9 Ad primum fundamentum *num.*2. allatum, respondetur quòd antecedens illius est propositio quarta inter damnatas ab Innocentio Vndecimo, ac proinde reijcitur tamquam falsum, & animarum saluti perniciosum, quia ex illius doctrina posset aliquis se infidelem non credere, etiamsi Fidem Romanæ Catholicæ Ecclesiæ non profiteretur, dummodò id faceret quia opinionem probabilem habet non credendi, quod credit dicta Ecclesia. Sed in hoc apparet manifestum scandalum, cùm ab infidelitate excusetur, qui verè esset infidelis, quamuis ductus aliqua probabilitate minimè credat, siquidem Fides non stat cum probabilitate minori, vel maiori. Ratio est, nam Fidei repugnat falsitas, quæ non repugnat probabilitati saltem minori, quæ supponit concursum probabilitatis maioris; & sic illa probabilitas minor potest in se falsitatem importare. Ita docent Doctores communiter, affirmantes quòd Fidei non potest subesse falsum, imò quidquid Fides dictat, est adeò certum, vt millies sit moriendum & quidem sub grauissimo infidelitatis peccato, potius quàm nec vnicum tantùm non credere articulum, non obstante quacumquè probabilitate, seu scientia, vel opinione, si quæ daretur pro non credendo. Est igitur contra Fidei essentiam, quòd opinioni innitatur, ideoque falsa, & scandalosa est propositio prædicta, quæ propterea digna est omni condemnatione, siuè loquatur de infideli Pagano, siuè de Iudæo, siuè de Hæretico, triplex est enim species infidelitatis, nempè Paganismus, Iudaismus, & Hæresis, ad quas species cæteræ infidelitates reducuntur, nam si agamus de his, qui numquam habuerunt veram Fidem, isti sunt *Pagani*; si verò agamus de illis, qui aliquando veram Fidem habuerunt, quæ nunc non est tenenda postquam Christus venit, isti sunt *Iudæi*; si autem agamus de illis, qui semel Christi Fidem professi sunt, sed postea ab ea recesserunt, isti sunt *Hæretici*. Ità Doctores communiter. Absit ergo, vt dicamus stare veritatem præadductæ propositionis admittentis probabilitatem in Fide, quæ definitur quòd *sit assensus firmus, in authoritate Dei obscurè reuelantis fundatus*, prout colligitur ex D. Thoma 2. 2. *quæst.* 2. *art.* 1. & recipitur communiter à Doctoribus talis definitio, vnde D. Augustinus *de spiritu, & littera, cap.*31. ait: *Quid est credere, nisi consentire verum esse, quod dicitur*. Hinc antecedens huius primi fundamenti cùm sit propositio damnata, vtpote vndequaquè falsa, ideò non conducit ad suadendam consequentiam ex eadem propositione illatam; tamen quid de Fidei occultatione dicendum sit, videbimus infra §. 2. *&* 4.

10 Ad secundum fundamentum *num.* 3. adductum, respondetur negando antecedens, quod est propositio 16. in ordine allatarum, quas Innocentius Vndecimus damnauit. Similiter negatur consequentia, eiusque probatio in ea generalitate, secundùm quam traduntur. Est ergo dicendum, quòd affirmare Fidem non censeri

cadere sub præcepto formali, ac speciali, & secundùm se, est affirmare doctrinam falsam, scandalosam, & meritò damnatam. Sed dari præceptum speciale Fidei, quod obligat secundùm se, scilicet non tantùm per accidens, prout infra dicemus, certissimum est, & de Fide, vt expressè 1. *Ioannis*. 3. vbi dicitur: *Hoc est mandatum eius, vt credamus in nomine filij eius*. Confirmatur, nam quoties in Sacra Scriptura proponitur aliquid sub comminatione damnationis æternæ, de illo extat præceptum grauiter obligans, nemo enim damnatur nisi propter peccatum, & peccatum non datur nisi sit contra præceptum. Sed Matthæus *cap. vltim.* dicit, *qui non crediderit condemnabitur*; & Paulus *ad Hebr. cap.* 10. scribit: *Iustus ex Fide viuit; quòd si subtraxerit se, non placebit animæ suæ*: & *cap.* 11. ait: *Sine Fide impossibile est placere Deo; & accedentibus ad Deum oportet credere, quia est, & inquirentibus se remunerator est*: ergo datur præceptum speciale, sub quo Fides secundùm se cadit, nam si impossibile est aliquem saluari sinè Fide, hoc enim significat, *impossibile est placere Deo*, Fides per quam credantur mysteria naturalem rationem excedentia, erit necessaria necessitate medij, & consequenter etiã præcepti, sub quo talis Fides cadet. Est ergo contra Sacram Scripturam, & contra veritatem, ideoque est scandalosa propositio allata pro antecedenti huius secundi fundamenti, vnde non inseruit pro inferenda consequentia prætensa. Videantur dicenda §. 3.

11 Et est valde notandum, quòd non vtcumquè Fides cadit sub præcepto speciali, & secundùm se, sed itaut sit necessariò credendum explicitè Deum vt Remuneratorem; quare Innocentius Vndecimus doctrinam contrariam condemnauit per damnationem propositionis 22. in serie cæterarum ab eo damnatarum, quæ dicebat: *Non nisi Fides vnius Dei necessaria videtur necessitate medij, non autem explicita Remuneratoris*. Videatur infra *num.* 46.

12 Item necessariò sunt credenda quædam particularia mysteria, quorum ignorantia reddit incapacem Sacramentalis absolutionis, & hoc est adeò certum, vt oppositum tenere sit prohibitum, imò & damnatum à prædicto Innocentio, qui *num.* 64. inter cæteras damnatas posuit istam: *Absolutionis capax est homo quantumuis laboret ignorantia Mysteriorum Fidei, & etiamsi per negligentiam etiam culpabilem, nesciat Mysterium Sanctissimæ Trinitatis, & Incarnationis Domini Nostri Iesu Christi*. Videatur tamen *num.* 47.

13 Item, vt vera Fides habeatur, debẽt firmiter credi cuncta, & singula credenda ex vi præfati præcepti, & ideò sinè probabilitate, ac sinè formidine debet esse assensus Fidei supernaturalis; vnde Innocentius Papa Vndecimus damnauit in ordine aliarum propositionum sub *nu.* 21. istam: *Assensus Fidei supernaturalis, & vtilis ad salutem stat cum notitia solùm probabili reuelationis, imò cum formidine, qua quis formidet, ne non sit locutus Deus*. Vide *num.* 44.

14 Item prædictus assensus Fidei est habendus cùm voluntatis consensu, taliter quòd non quærantur rationes, quæ ad talem assensum impellant, nam eiusmodi rationes non dantur, adeoque idem Pontifex meritò damnauit propositionem decimam nonam inter alias, quæ dicit: *Voluntas non potest efficere, vt assensus Fidei in seipso sit magis firmus, quàm mereatur pondus rationum ad assensum impellentium*. Adeantur *num.* 44. & 45.

15 Item, nullatenus sufficit Fides latè dicta ex testimonio, vel motiuo creaturam sicuti nequè affirmari potest, quòd talis Fides satis sit ad iustificationem cõferendam, & propterea fuit digna vt damnaretur ab eodem Innocentio Vndecimo propositio dicens: *Fides latè dicta ex testimonio creaturarum, similiuè motiuo ad iustificationem sufficit*, quæ propositio est 23. in numero earum à dicto Pontifice damnatarum. De his adhuc dicemus *num.* 48.

16 Item, non sufficit Fidem semel suscepisse, sed ratione præcepti per se obligantis ad Fidem, tenetur quisquè interdum elicere actum eiusdem Fidei, nam id negare est doctrina damnata per damnationem factam à Pontifice dicto propositionis 65. dicentis, prout *supra num.* 5. iam posuimus, nempè: *Sufficit illa mysteria semel credidisse*. Sed hæc latiùs considerabimus *nu.* 32. & 33.

En qualis esse debet Fides necessaria, ac per se cadens sub speciali præcepto, itaut oppositam tenere doctrinam nullatenus liceat, vtpòte damnatam. Verùm vt ad casum præsentis Decisionis integram demus solutionem, non grauabimur singulas propositiones prædictas infra proponere prætendentibus Fidem occultare, vt dicitur in hac historia, quatenus illos erudiamus ne doctrinam damnatam sequantur licèt inaduertenter. Ponam ergo distinctos Paragraphos, postquam breuiter resoluero alia fundamenta adducta.

17 Ad tertium fundamentum, simulque ad eius confirmationem *num.* 4. adductis, absolutè respondetur, cum plena negatione, quia non nisi do-

doctrinis damnatis innititur consequentia ex illis illata. Sic antecedens illud, *Satis est actum Fidei semel in vita elicere*, est propositio 17. inter prohibitas, & condemnatas ab Innocentio Vndecimo, & ideò non benè inferebatur: ergo facto semel actu Fidei, hæc poterit postea semper occultari. Idem dicendum est, vt patet, de antecedenti confirmationis; quia illud est 65. propositio damnata ab eodem Papa. Cætera dicenda de his duabus propositionibus, videbimus infra *num.* 32. & 33.

28 Ad 4. fundamentum allatũ *n.* 6. est eodem modo respondendum, quia ex doctrina damnata prætensam infert consequentiã: Nihil ergo per illud probatur, quia ex falsis principijs argumentatur, nam antecedens, quo vtitur, est propositio 18. inter damnatas ab Innocentio Vndecimo, quæ propositio est circa Fidei obligationem per accidens, vt videbimus Paragrapho 4. *per totum*.

19 Ad quintum fundamentum positum supra *sub num.* 7. cùm procedat innitendo vigesimæ propositioni ex damnatis ab Innocentio Vndecimo consequenter illius antecedens damnatum, non benè infert consequentiam sicut & alia fundamenta, propterea est aliter discurrendũ circa Fidei occultationem, atquè obligationẽ, vt quid in nostro casu dicendum sit innotescat contra doctrinas hodiè damnatas, quòd vt præstemus pro resoluendis dubijs præsentis historiæ, expedit claritatis gratia sequentes Paragraphos ponere. Vide omninò infra *num.* 42. & 43.

## §. I.

*Ampliantur ea, quæ diximus supra sub numero nono.*

20 IN præcedenti Paragrapho *nu.* 9. ostendimus quàm meritò fuit damnata illa propositio, *Ab infidelitate excusabitur infidelis non credens ductus opinione minùs probabili*, quia sic concedit esse fidelem etiam illum, qui propriam Fidem fundaret in probabilitatibus, maximè minoribus, quod tamen repugnat certitudini Fidei, prout numero prædicto ostensum est, & hunc sensum importat illa propositio vt iacet, ac secundùm eius generalem significationem, at contra dictum sensum est absolutè tenendum, quòd sit infidelis non excusandus ab infidelitate, quisquis putans inniti alicui opinioni etiam minùs probabili, non credit, & ita esse constabit ex mox dicendis, sicuti contrarium affirmare est damnatum.

21 Nunc ad tollendos errores, atquè ad plenam instructionem Sacerdotis, eiusque sociorum, ad quorum dubia resoluenda, debuimus allatam propositionem hic scribere, debemus etiã circa illam aduertere, quòd quamuis sit damnata vt iacet, & ratione eius amplæ significationis verè falsæ, & scandalosæ, tamen liberum est disputare, an interdum *ab infidelitate*, idest à peccato infidelitatis; *excusabitur infidelis*, idest qui caret *Fide*, quod est quærere, an in Infidelibus, v. g. Paganis carentia Fidei imputetur semper ad culpam infidelitatis, etiamsi veri Infideles sint dicendi. Hæc quæstio damnata & ipsa esset, si excitaretur assignando pro causa non credendi, quòd non credens sit ductus opinione minùs probabili, vbi enim agitur de Fide, hæc in nulla opinione potest fundari. Et vt ista pateant, necesse est dictam quæstionem resoluere, sed vt hoc præstem, debeo nonnulla prænotare. Primò obseruandum est, eiusmodi quæstionem habere locum tantummodò pro adultis, nam in paruulis certum est infidelitatem non esse specialem culpam, quorum infidelitas vocatur negatiua; & idem dicendum est de omnibus perpetuò amentibus. Secundò est obseruandum, quòd vt dicta quæstio meritò excitetur, debet supponi defectus voluntatis in infideli, aliter clarum est numquam posse ab infidelitate excusari. Quia verò tria sunt, quæ in adultis voluntarium impediunt scilicet metus, concupiscentia, & ignorantia, de duobus primis nulla est controuersia; cùm certum sit nullo modo posse propterea excusari adultum non credentem, quia si vsum rationis non impediunt, non possunt causare inuoluntarium simpliciter, sed tantùm secundùm quid, ideoque non excusant Infidelem non credentem ratione illorum, nam voluntas credendi est præferenda omni humano amori, & timori.

22 Quibus præmissis, tota difficultas est circa ignorantiam, quia ignorantia potest omninò tollere voluntatem, si & ipsa ignorantia sit inuoluntaria, & in Infidelibus sæpè contingit, vt neque auditus, neque cogitatio Fidei ad ipsos peruenerit, ex qua ignorantia videtur Fidei carentiam non cadere in ipsorum voluntatem, ac proindè excusari à culpa. In hoc ergo sensu fas est in quæstionem reuocare, an ab infidelitate, nempè an à culpa infidelitatis excusetur Infidelis non credens ob ignorantiam inuoluntariam. Talis autem ignorantia non compatitur simul cum opinione minùs probabili, maximè quia

adesse supponitur etiam opinio magis probabilis, respectu cuius alia est minùs probabilis; & sic falsum docet propositio prædicta, & hodie damnata, nam qui non credit ductus opinione minùs probabili (dato quòd detur ista opinio) certè ab infidelitate non excusabitur quoad culpam; cùm non ignoret credenda ei sufficienter proposita, prout in sequentibus videbimus.

23 Circa excitatam quæstionem extat vna sententia valde recepta; docens illos Infideles ratione ignorantiæ numquam excusari à culpa Infidelitatis. Hanc opinionem attribuunt aliqui D. Thomæ *quodlib.* 3. *art.* 10. & 3. *contra Gentes*, *cap.* 159. Item communiter tribuitur Hugoni à S. Vict. *lib.* 2. *de Sacram. p.* 2. *c.* 5. sed immeritò, nam si attentè legatur D. Thomas, & dictus Hugo locis citatis, manifestè constabit eos hanc sententiam non docere. Tenent tamen illam Altisiodorens. *in summa, lib.* 3. *tract.* 3. *cap.* 2. *q.* 3. *circa fin.* Gabri. Parisiens. *tract. de Fide, cap.* 2. & *tract. de legib. cap.* 21. Alex. Alens. 2. *p. q.* 112. aliàs 127. *membr.* 8. & *quæst.* 153. *membr.* 3. Bonauent. *in* 3. *dist.* 25. *art.* 1. *quæst.* 2. *ad vltim.* & *quæst.* 3. *ad penult.* Gabr. *in* 2. *dist.* 22. *quæst.* 2. *art.* 3. *dub.* 1. Adrian. *quodlib.* 2. *quæst.* 1. & *quodlib.* 4. *quæst.* 1. §. *ad secundum autem.* Syluest. *verb. ignorantia, nu.* 13. Cordub. *lib.* 2. *quæstion. quæst.* 4. *concl.* 2. & 3. Castro *lib.* 2. *de lege pœnali, cap.* 14. Sed isti Doctores inter se discrepant; aliqui enim volunt suam sententiam esse veram etiam per breue tempus; alij verò solùm ad longũ tempus totius vitæ, putantes posse per aliquod tempus breue durare infidelitatem negatiuam in huiusmodi homine. Innituntur hi Doctores illi axiomati: *Facienti quod in se est, Deus non denegat gratiam*, quod ab his Authoribus, & à multis alijs intelligitur de omni homine etiam infideli, qui nullam supernaturalem illuminationem, vel inspirationem recipit, sed per lumen naturæ, & bonum vsum libertatis facit, quod potest, & debet secundùm rectam rationem. Hinc formatur argumentum; Vel homo perueniens ad vsum rationis facit quod in se est, vel non facit; si facit, illuminabitur iuxta illud: *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem, &c.* vt habetur in Ioann. *cap.* 1. vtiquè si non ponat impedimentum; ergo vel non manebit infidelis, vel non sinè culpa infidelitatis. Si verò homo non facit quod in se est, iam ponit impedimentum diuinæ illuminationi, & inspirationi: ergo non excusabitur à culpa infidelitatis. Hæc consequentia probatur; nam ille homo tenetur credere, & potest quia si velit non ponere impedimentum, illuminabitur; quòd autem non illuminetur, est quia voluntarium impedimentum ponit: ergo carentia Fidei imputatur ipsi; nam qui tenetur, & potest facere, & non facit, eò ipso voluntariè omittit vel directè, vel indirectè.

24 Nihilominus sententia contraria vtrique sententiæ prædictæ ferè ab omnibus communiter hodiè est recepta. Hanc docent D. Thom. 2. 2. *quæst.* 10. *art.* 1. vbi Caietanus, Valentia, & alij moderni expositores; & *in* 1. 2. *quæst.* 76. *art.* 1. vbi Medina, Vasquez *disp.* 120. *cap.* 3. & alij. Durand. *in* 3. *dist.* 28. *q.* 1. *ad* 1. Petr. Sot. *tract. de ratione medendi peccata, lect.* 2. Cano *in relect. de Sacram. in genere, part.* 2. Alamain. *tract.* 1. *moralium, cap.* 4. Conrad. *de contractib. quæst.* 100. Armacan. *lib.* 8. *de quæst. Armenor. cap.* 39. Victoria *in relect. de Indis insulanis*, 1. *par. proposit.* 1. *à nu.* 32. Sot. *in* 4. *dist.* 1. *quæst.* 1. *art.* 2. Azor. *Instit. Moral. tom.* 1. *lib.* 1. *cap.* 13. *quæst.* 2. Vega *lib.* 6. *in Concil. Trident. cap.* 18.

Pro huius sententiæ probatione sunt distinguendi tres ordines Infidelium, quidam enim sunt, quibus Fides sufficienter annunciata, & proposita fuit, sed credere noluerunt, & de istis certum est nullam habere excusationem, vt ex se liquet. Alij sunt in diametrali statu, quia nihil prorsus de Fide audierunt, nec sufficienter, nec insufficienter, nec per rumorem, aut famam. Quod autem in controuersiam à nonnullis ex antiquis positum fuit, nimirum an Euangelium diuulgatum fuerit in toto orbe, licèt aliqui id affirment, alij contrarium tenent, & sanè experientia compertum est, plures fuisse Prouincias, pluraque Regna, ad quæ nec prædicatio, nec fama Euangelij peruenerat. Insuper aduertit D. Thomas *in epist. ad Rom. cap.* 10. *lect.* 4. quòd quamuis admitteretur fuisse Euangelium prædicatum in omnibus Prouincijs, & Regnis, nihilominus non debet, nec potest hoc intelligi etiam quoad singulas personas, nam etiam vbi Fides prædicatur possunt inueniri personæ singulares, quæ nihil de prædicata Fide audierint. De his Infidelibus non est dubium, quin ordinariè sint excusati à peccato Infidelitatis, quæ in ipsis reperitur tantùm vt est negatiua. Tertij ordinis Infideles sunt illi, qui mediant inter duos prædictos, nam de Christi fide aliquid audierunt, vel per famam, & rumorem, vel per aliqualem prædicationem, non tamen sufficienter; vt inter Turcas, & Saracenos, ac in Prouincijs Indiæ de facili potuit

in-

inueniri; quando in eis Euangelij prædicatio cœpit. De hoc tertio ordine Infidelium potiori iure difficultatur an sint excusandi à culpa Infidelitatis, nam de Infidelibus secundi ordinis iam dixi excusari *ordinariè*, quia quantùm est ex lege communi nobis constat sic regulariter esse excusandos. Ratio est, quia nihil prorsus potuerunt cogitare de Fide, eò ipso quòd de illa nihil omninò audiuerint; & per consequens totaliter inuoluntariè se habent circa huiusmodi carentiam Fidei.

25 Illi ergo Infideles, qui aliquid de Fide Catholica audierunt sinè sufficienti propositione, & durant in Infidelitate, aliquando possunt excusari, aliquando verò, & quidem sæpiùs excusari minimè poterunt. Ratio cur aliquando possint excusari est, quia diuina præcepta sunt rationabilia; vndè quando Fides insufficienter proposita est, non est iuxta prudentiam statim credere; nec rationabile videtur teneri ad statim credendum. Ratio postea cur sæpiùs excusari non possint est, quia illa Fidei insufficiens propositio, ad credendum quidem non sufficit, sed sufficere potest ad dubitandum; ergo sufficiet etiam ad obligandum, vt veritas inquiratur; sicque si talis inquisitio omittatur, eorum Infidelitas non erit negatiua, sed culpabilis, vtpote voluntaria per culpabilem negligentiam. Si autem diligentiam adhibeant, & quod in se est faciant, sed adhuc sufficienter Fidei propositionem habere non possint; eorum Infidelitas erit negatiua, & sinè culpa. Quæ verò sit diligentia adhibenda, docent aliqui fieri debere per actiones externas, necnon & internas; scilicet tum orando vt in veritate illuminentur, abstinendo à peccatis, pœnitendo de commissis, & se ad iustificationem præparando: tum quærendo Doctorem eruditum, & pium; audiendo, expendendo, & examinando, quæ dicuntur, atquè alia similia externè præstando: Ità sentiunt multi; inter quos Altisiodorensis, Adrianus, & Corduba supra citati. Multi alij volunt sufficere adhibere actiones exteriores; Sic Durand. *suprà*, cum alijs.

Ex dictis infertur apertè scandalosa doctrina propositionis quartæ inter cæteras ab Innocentio XI. damnatas; nam si verum esset, quòd *ab Infidelitate excusabitur Infidelis non credens ductus opinione minùs probabili*, sequeretur dictum Infidelem esse excusandum, etiamsi non credat postquam ei facta fuit sufficiens propositio Fidei, quia licèt in dicta sufficienti propositione Fidei dicatur consistere opinionem magis probabilem, nihilominus ex vi doctrinæ propositionis damnatæ, posset quis sibi licitum facere adhuc non credere, innitendo minùs probabili opinioni, si quæ datur, vel dari censetur. At est omninò dicendum, quòd iuxta Catholicas veritates, & citra omne dubium, omnemque probabilitatem, atquè iuxta DD. communiter, Infidelis nullatenus excusabitur ab Infidelitate, si facta ei sufficienti propositione credendorum, seu Fidei, non credat absolutè, ac sinè hæsitatione, & consequenter sinè somniata aliqua probabilitate pro non credendo, cùm eiusmodi probabilitas non possit realiter dari. En quàm meritò fuit prohibita, & damnata præadducta propositio, quatenus vt iacet, ac propter generalem eius sensum docet falsam doctrinam animarum saluti perniciosam, ac proinde roborata remanent, quæ diximus *num.* 9. respondentes ad argumentum positum sub *nu.* 2. Cæterùm de Fidei occultatione loquentes, concedo posse interdum occultari, non quidem propter rationem *d. num.* 2. allatam, nempe quia sit admittendum illud antecedens, quod est totum damnatum, sed ex alijs principijs, & circumstantijs à nobis afferendis *infra*, §. 7.

§. III.

*Satisfit plenè argumentis num. 3. 4. & 5. adductis.*

26 IN paragrapho primo præsentis decisionis sub *num.* 3. 4. & 5. adducebantur tria fundamenta ad suadendũ licere Fidem occultare, sed illa non esse subsistentia, imò doctrinis damnatis inniti diximus *num.* 10. 17. & 18. Et quia in istis numeris eadem fundamenta quoad eorum damnatas propositiones ex parte probauimus falsas consequentias inferre, propterea in præsenti ea latiùs impugnabimus.

27 Fundamentum allatum *num.* 3. habet decimam sextam ex propositionibus damnatis ab Innocentio XI. dicentem: *Fides non censetur cadere sub præcepto speciali, & secundùm se*. Nihilominus oppositum ostendimus ex Sacra Scriptura *suprà*, *num.* 10. & nunc vt idem probemus ad eliminandum scandalum adeò iniquæ propositionis, obseruandum est esse duplicem materiam Fidei: Vna est rerum pertinentium ad Deum; secunda verò est rerum pertinentium ad mores. Fides quoad eius materiam rerum pertinentium ad Deum, licèt sit medium ad Spem, & Charitatem, tamen non est purè medium, sed habet propriam honestatem, & perfectionem, propter quam per se intenditur,

tur, & præcipitur: ergo cadit sub speciali præcepto. Consequentia est clara, si verum est antecedens, quod suadetur ex verbis D. Pauli. *2. Corint. cap.* 10. dicentis, *in captiuitatem redigentes intellectum in obsequium Christi*: ergo Fides præcipitur, vt intellectus specialiter subijciatur Deo, adeoque Fides cadit sub speciali præcepto, & secundùm se.

28 Si autem quis diceret id spectare ad Religionem; respondetur quòd Religio versatur circà excellentiam Dei: Fides verò respicit Deum sub ratione primæ veritatis, cui intellectus est specialiter subijciendus.

29 Quoad aliam Fidei materiam, nempe circa mores, quamuis ista in praxi præcipiatur à singularibus virtutibus, tamen à Fide generatim, & speculatiuo modo respicitur obligatio exercendi materiam moralem, scilicet cognoscendo veritatem horum principiorum moralium; & hæc cognitio quia est specialiter necessaria per se ad perfectionem status Christiani, seu ad Christiane viuendum, propterea etiam hoc genus materiæ rerum moralium cadentium sub cognitione per Fidem specialiter præcipitur; nam ad prudentem Dei gubernationem pertinet, vt intendens hominum salutem, ea præcipiat, quæ ad illam sunt necessaria, quare cùm maximè necessaria sit Fides, manifestum est de illa extare speciale præceptum, non enim cætera præcepta homines adimplerent, nisi per Fidem crederent; quæ in actu humano, & libero posita est. Videatur D. Thomas 2. 2. *quæst.* 2. *art.* 3. & D. Gregorius *in lib. Regum, lib.* 1. *cap.* 16. & *lib.* 7. *epistolar. epist.* 47.

30 Nec obstat si dicatur debere esse supernaturale Fidei præceptum si datur, & sic vltra suas vires creatura obligaretur, quod est absurdum affirmare: ergo non est in actu humano, & libero posita ipsa Fides, quæ consequenter non cadet sub præcepto speciali, & per se. Id, inquam, non obstat, nam respondetur cum D. Thoma *d. art.* 3. *ad* 1. quòd natura hominis dependet à superiori natura, neque ad illius perfectionem sufficit cognitio naturalis, sed requiritur quædam supernaturalis, & sic in omnibus naturis duo sunt: vnum, quòd est secundùm motum naturalem: aliud, quod est secundùm motum superioris naturæ. Patet hoc in aqua, quæ ex sui natura mouetur ad centrum, sed ex motu Lunæ mouetur circa centrum per fluxum, & refluxum. Similiter orbes planetarum mouentur proprijs motibus ab occidente in orientem, motu autem primi orbis ab oriente in occidentem. Cùm ergo sola natura rationalis dicat ordinem ad supernaturalem beatitudinem, & non possit ad eam moueri nisi per modum addiscentis à Deo Doctore iuxta illud *Io. cap.* 6. *Omnis, qui audit à Patre, & didicit, venit ad me*, consequenter ad perueniendum ad perfectam beatitudinem, præexigitur vt credat Deo, tamquam discipulus Magistro, nam *oportet addiscentem credere* dixit Philosophus; & ex his constat esse necessarium ad salutem aliqua credere, quæ sunt supra rationem naturalem. Igitur adducta obiectio non probat intentum; imò ex data responsione conuincitur necessitas Fidei, eiusque obligatio per speciale præceptum secundùm se obligans, nam iuxta supradicta spectat ad Dei prouidentiam, vt ea præcipiat, quæ ad salutem sunt necessaria.

31 Demum suaderi potest dari præceptum speciale, sub quo Fides cadit secundùm se ex Concilio Tridentino *sess.* 6. vbi ait Fidem non amitti per omne peccatum, sed per infidelitatem illi contrariam, quæ infidelitas cùm sit peccatum speciale, debet supponere speciale præceptum, sub quo Fides secundùm se cadat: ergo præallegata propositio à Pontifice damnata meritò fuit, est enim contra S. Scripturam, contra Tridentinum, & contra communem sensum Doctorum, vnde Suar. *de Fide, disp.* 13. *sect.* 2. *num.* 3. expresè ait esse certum, & commune inter Theologos, dari eiusmodi præceptum. Videantur Sanch. *in decal. lib.* 2. *cap.* 1. *num.* 2. Azor. *instit. moral. part.* 1. *lib.* 8. *cap.* 27. *quæst.* 8. Valent. 2. 2. *disp.* 1. *quæst.* 2. *punct.* 5. & alij passim. Hinc non benè argumentabatur *eo nu.* 3. quoad propositionem antecedentis, licèt quoad consequentiam cum limitatione prolatam dicatur veritas, prout nos infrà dicemus, ex alijs tamen antecedentibus veritatem limitatæ consequentiæ inferentes.

32 Fundamentum datum *num.* 4. vtitur tamquam certa propositione pro antecedenti, scandalosa propositione damnata, quæ dicit: *Satis est actum Fidei semel in vita elicere*, quam propositionem *suprà, num.* 17. notaui esse 17. inter damnatas ab Innocentio XI. Si dictæ propositionis sensus attendatur, certè amplissimè loquitur complectendo quemlibet actum Fidei tum per se, tum per accidens, & sic si quis semel in vita actum vnum Fidei elicuit, iam ex doctrina allatæ propositionis numquam ampliùs erit obligatus alium actum Fidei elicere, nec propter præceptum per se obligans, neque propter præceptum obligans per accidens. Sed quia de præcepto Fidei obligante propter aliud, seu per accidens non potest determinatè

assi-

assignari quoties in vita obliget, cùm alios centies, alios millies possit obligare, dependet enim à varijs occasionibus eiusmodi obligatio per accidens, quæ occasiones inæqualiter vni, ac alijs contingunt, vt videbimus in sequenti paragrapho; consequenter falsa, & scandalo plena est illa propositio meritissimè vt iacet damnata propter istam significationem, quam importat. De Fidei præcepto per se obligãte liberum est Doctoribus disputare, quoties in vita obliget; sed an sit damnatum dicere, quòd obliget semel in vita, dicendum est affirmatiuè; & ita manifestè constat primò, quia eadem videtur ratio de præcepto affirmatiuo Charitatis erga Deum, ac de præcepto affirmatiuo Fidei; quare sicuti Innocentius XI. damnauit propositionem quintam inter cæteras, quas damnauit; necnon & sextam, quas retuli *in decis.* 35. *num.* 40. illa quia dicebat satis esse, & citra peccatum mortale, si actus dilectionis Dei semel tantùm in vita eliciatur: ista, quia vltra quinquennium, idest nec singulis rigorosè quinquennijs non teneri actum dilectionis Dei elicere, docebat; per consequens voluit damnare prædictam propositionem decimam septimam, etiã quia affirmat satis esse semel in vita actum Fidei elicere, nempè vt adimpleatur præceptum per se obligans. Secundò suadetur idem, nam damnauit idem Pontifex propositionem 65. in ordine aliarum, quia dicebat, *Sufficit illa mysteria semel credidisse*: ergo Fidei mysteria, de quibus propositio loquitur, sunt plus quàm semel credenda; scilicet non tantùm semel in vita est eliciendus actus Fidei, non quidem ad hoc vt quis non cesset esse Fidelis, quia in isto sensu satis est semel Fidem accepisse, seu semel credidisse, dummodò non retractetur Fides semel assumpta; sed ad hoc vt adimpleatur Fidei præceptum speciale, & secundùm se obligans, & sic apertè datur intelligi per verba propositionis, dum enim dicit, *sufficit illa mysteria semel credidisse*, & Pontifex damnat tale assertum, vult non sufficere illa mysteria semel credidisse, sed ea esse plus quàm semel credenda, eliciendo plus quàm vnum actum Fidei: Hæc intelligentia talium verborum est planissima, & clarè denotat obligationem præcepti Fidei, quod per se obligat, & cum solo actu interno adimpleri potest. Ex his infertur, quòd nihil determinatum fuit circa tempus, vel numerum actuum Fidei eliciendorum, præter hoc, quòd vnus actus semel in vita elicitus non sufficiat, vndè si quis affirmaret sufficere bis in vita actum Fidei elicere, vt satisfiat illius præcepto per se obliganti, doctrinam damnatam minimè diceret; an verò doctrinam veram sic assereret constabit ex dicendis: Nec minùs est damnata ista propositio 65. quatenus excludit obligationem plus quàm semel contingentem ex vi præcepti Fidei per accidens iuxta dicta.

33 Iam hactenus dicta satis ostendunt non subsistere fundamentum positum sub *num.* 4. si enim damnatum fuit affirmare, quòd vnus actus Fidei generatim sufficiat pro adimplendo Fidei præcepto per se, & per accidens obligante, consequenter non benè argumentatur in illo fundamento, neque in illius confirmatione adducta *num.* 5. inferendo fas esse Fidem occultare, nullam limitationem addendo, prout infrà dicam debere addi. Caueant igitur Sacerdos, & alij, de quibus agitur in præsenti historia, ne damnatis innitantur doctrinis. Roganti autem præfato Sacerdoti, quoties in vita obliget Fidei præceptum per se; respondeo sicuti iam dixi, *in decis.* 35. *num.* 40. nimirum secundùm vnam opinionem, semel singulo quoquè anno; at secundùm aliam, semel singulo quoquè mense, videatur *d. num.* 40. Intellige tamen de præcepto speciali, & per se Fidei supernaturalis, quatenus illud obligat ad credendum Fide supernaturali: Ità D. Thom. 2. 2. *quæst.* 16. *art.* 1. Nauarr. *in manual. cap.* 11. *num.* 170. & est sententia à Doctoribus communiter recepta. Ratio est, quia credere est actus humanus, quem (Dei ope adiuti) possumus elicere, & aliundè est medium necessarium ad salutem, ac de consequenti est præceptum, quod vtpotè affirmatiuum aliquando obligat, sicut & alia præcepta affirmatiua.

34 Fundamento adducto *num.* 5. nihil aliud breuitatis gratia addo, nam illius non subsistentia sufficienter patet ex præallegatis iuxta exigentiam pro decisione casus, quem examinamus, sed pro illius decisione restant dicenda necessariora, ideò progrediar ad sequentia.

## §. IV.

*Fit verum examen, & iudicium an liceat Fidem propriam occultare, & enodantur argumenta adducta num. 6. & 7.*

35 Quia examen factum Paragrapho primo circa hoc quæsitum regulabatur ex solis doctrinis damnatis, propterea vt veram resolutionem demus circa præsens factum, necesse est in isto Paragrapho aliud examen instituere, ex

ex quo verùm iudicium fiat quoad vtrumquè forum de volentibus Fidem occultare iuxta prænarrata *num.* 1. in expositione historiæ, in cuius Decisione versamur.

36 Illud sanè est omninò certissimum, quòd nullo modo affirmari potest, esse absolutè licitum Fidem propriam occultare, licèt interdum id licere minimè negemus. Non ergo licitè volebant nonnulli, vt Fides absolutè occultaretur, prout in casu præsentis Decisionis dicebatur ab initio fuisse aliquorum opinionem, quòd Fidei occultatio fieret. Nec illis fauebat argumentum allatum sub *num.* 6. quia dānatæ innitebatur propositioni, quam *num.* 18. dixi esse decimam octauam inter damnatas ab Innocentio Papa Vndecimo, illaque sic loquitur: *Si à potestate publica quis interrogetur, Fidem ingenuè confiteri, vt Deo, & Fidei gloriosum consulo tacere, vt peccaminosum per se non damno*. Meritò fuit damnata talis propositio, nam vt iacet non distinguit de potestate publica legitimè, aut illegitimè interrogante; quare licitum fecit cuicumquè, vt consilium det interrogato à publica potestate etiam legitimè interrogāte, ne respondeat, sicque propriam occultet Fidem. At eiusmodi consilium non licere, sed esse peccaminosum constat, quia interrogatus legitimè de propria Fide confitenda, tenetur eam confiteri, datur enim præceptum exteriùs Fidem confitendi, ideoque per se peccaminosum erit consilium dare, ne præceptum adimpleatur. Est ergo falsa, & scandalosa eiusmodi generalis propositio, quæ tunc esset admittenda vt vera, quando limitatè loqueretur de illegitimè interrogato, qui sicuti non teneretur respondere, (nisi aliundè obligetur) sic nec peccaminosum per se erit illi silentium consulere tum vt Deo, & Fidei gloriosum, tum ex eo præcisè, quia respondendi nulla adest obligatio. Cæterùm vbi vrget præceptum confitendi Fidem interroganti legitimè, temerè assumitur motiuum Deo, & Fidei gloriosum pro consulendo ne respondeat, numquam enim Deo, & Fidei gloriam afferre potest actio peccaminosa, qualis erit huiusmodi consilium. En meritum damnationis propositionis adductæ secundùm generalem doctrinam, quam tradit.

37 Et vt gradatim procedamus in iudicio ferendo de obligatione non semper occultandi propriam Fidem, varia puncta sunt examinanda.

Punctum primum. Certissimum est ex communi Doctorum sententia dari præceptum de Fide exteriùs profitenda, vt liquet ex verbis Apostoli *ad Romanos, cap.* 10. dicentis: *Corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem*. idest ad salutem æternam consequendam, nam talis confessio facienda ore, est necessaria necessitate præcepti. Probatur etiam ratione, quia illud cadit sub præcepto, quod est necessarium ad finem Charitatis Dei, & proximi, prout Paulus *ad Titum, cap.* 1. scribit: *Finis præcepti est Charitas de corde puro, & Fide non ficta*. Sed Fidei confessio interdum est necessaria ad Charitatem Dei, & proximi, vt ex se notum est: ergo de illa extat præceptum, ideoque immeritò affirmaretur generatim, & absolutè, quòd Fidem propriam occultare licitum sit. Videantur *puncta seqq.*

Punctum secundum: Præceptum de externa Fidei confessione est affirmatiuum, & sic obligat semper, sed non pro semper, sed tantùm aliquando, & in certis locis, scilicet quando, ac vbi per omissionem huius confessionis subtraheretur honor debitus Deo, ac vtilitas proximis impendenda. Exemplo possumus dicta declarare: Si aliquis interrogatus de eius Fide taceret, & ex eiusmodi silentio crederetur vel quòd Fidem non habeat, vel quòd illa non sit vera, vel alij indè auerterentur à Fide, in huiusmodi casibus certè periclitaretur Fides ipsa, honor Dei, atquè vtilitas proximi: ergo quisquè tenetur Fidem exteriùs confiteri in certis locis, certisque temporibus vel ad instructionem aliorum Fidelium, seu ad illorum confirmationem, vel ad reprimendam Infideliū insultationem; ergo signum est dari præceptum de tali confessione externa Fidei interdum ad salutem necessaria iuxta Pauli verba *d. cap.* 10. *ad Rom.*

Punctum tertium. Ex duobus punctis præmissis sequitur dicendum, quòd externa confessio Fidei sit actus proprius Fidei, ita docet D. Thomas 2.2. *quæst.* 3. *art.* 1.

Punctum quartum, & confirmatiuum primi versatur circa petitionem inquirentium, an dentur regulæ particulares ad cognoscendum quando vrgeat, vel non, præceptum externè Fidem confitendi. Ad quod respondetur duas regulas assignari. Prima est tunc solùm obligare quando talis confessio est necessaria ad Dei honorem, vel ad proximi salutem, vel confert ad propriam salutem. Attenta rei grauitate per omissionem dictæ confessionis erit mortale peccatum. Sic D. Thomas *loco citato, art.* 2. Suarez *de Fide conseru. lib.* 6. *cap.* 9. *num.* 3. & alij, quos refert Bonacina *circa primum præceptum*

*ptum Decalogi, disp.3. quæst. 2. punct.3. num.3.* & Layman *lib.2. tom.1. cap.11. num.21.* Secunda regula est, tunc non obligare, imò esse mortale, vel veniale externam Fidei confessionem exhibere, iuxta grauem, vel leuem perturbationem ex illa prouenturam, quando talis confessio exterior Fidei non est necessaria, nec vtilis, quin potiùs perturbationem gigneret. Ità Layman *loco citato*, & alij; ità tamen quòd si aliqua vtilitas Fidei speretur, aut si necessitas adsit, tunc contemnenda erit Infidelium turbatio, & Fides confiteri debebit. Ità expresse habetur *in director. inquisit. part. 1. quæst. 9. num. 4.*

38 Ex allegatis punctis iam formari potest iudicium an liceat interdum Fidem propriam occultare. Iudicium autem sic fit: Stante propositione, quam *num. 36.* dixi esse damnatam, illicitum est tacere, ac occultare propriam Fidem, vel vt taceatur consulere, quamuis tale consilium detur vt gloriosum Deo, & Fidei, dum publica potestas interrogat Fidem ingenuè confiteri, si legitimè interroget; & oppositum affirmare, docere, tueri, &c. est doctrina prohibita, & damnata. Ità concluditur ex allegatis, & probatis eodem numero trigesimo sexto.

39 Ex puncto primo allegato, & probato *supra, num. 37.* statuitur quemcumquè ligari præcepto confitendi Fidem externè, si sic postulet Dei Charitas, seu proximi: ergo non est absolutè licitum Fidem occultare.

Confirmatur mox data sententia per probata eidem numero trigesimo septimo, puncto secundo; omniaque roborantur ex allegatis puncto tertio.

40 Scripta, & probata puncto quarto, dant iudicium certum proferre, quòd quia dum publica potestas interrogat legitimè, vt Fides ingenuè confiteatur, si interrogatus taceat, Dei, & Fidei honor certè læditur, seu tollitur, propterea in tali casu adest obligatio grauis Fidem confitendi, vndè peccaminosum erit consilium datum interrogato, vt taceat; & hinc meritò Innocentius XI. damnauit Propositionem, quæ non esse consilium peccaminosum affirmabat, si tamen dabatur vt Deo, & Fidei gloriosum. Esse autem peccaminosum consilium constat, cùm sit contrarium graui obligationi ipsius interrogati. Adde, quòd interdum, & fortasse semper necessarium erit pro proximi salute, vt respondeatur: ergo tenetur: ergo non est licitum consulere silentium: ergo scandalosa est propositio illa damnata. Idem est iudicium, si interrogans sit priuata persona, sed iustè, aut cum dictis circumstantijs interrogat.

41 Quòd si potestas publica illegitimè interroget, & ex silentio interrogati Diuinus honor, seu Fidei, aut salus propria, vel proximi nullatenus læduntur, tunc fas erit non respondere, atquè de non respondendo consilium dare tum absolutè sinè aliquo motiuo, tum ex motiuo Dei gloriæ, & Fidei; & ità affirmare, vel practicare, nihil affert cadens sub doctrina damnata, non enim hunc sensum tangit damnatio. Sic est iudicandum ex adductis, & probatis *supra, num.36. & 37. punct. 4.* Idem dicatur de interrogato etiam à persona priuata.

42 Quòd si ex responsione ad interrogata circa Fidei confessionem sequantur perturbationes, nec aliqua habeatur præponderans necessitas, siuè vtilitas, in tali casu sententiatur in fauorem silentij, necnon & silentium consulentis, & ità patet esse iudicandum ex allegatis *punct. 4. in fine.*

Argumentum ergo, quod *num. 6.* positum fuit, nihil probat, imò scandalosè procedit cum doctrina damnata, supposito quòd fundatur in illa propositione antecedentis secundùm eius sensum amplum, & generalem, non autem cum debitis limitationibus à nobis relatis, quas Sacerdos, eiusque socij pro quibus præsentem Decisionem scribimus iuxta vtrumquè forum debent benè obseruare, ne aliquam incurrant culpam, vel pœnam.

Argumentum allatum sub *num.7.* est similiter reijciendum tamquam malè fundatum in prohibito, falso, & damnato antecedenti, de quo agemus numero sequenti, vt illud impugnemus.

## §. V.

*Fusiùs dilucidantur præallegata à numero vndecimo vsque ad decimumquintum.*

43 QVamuis diligenter studuerim integram solutionem omnium dubiorum in præsenti historia occurrentium hactenus dare; tamen adhuc necesse esse conspicio aliquos Paragraphos addere propter ea, quæ supra sub *num. 7.11.12.13.14. & 15.* attuli, sed cursim quantùm ibi satis erat, non autem quantùm pro plena, & necessaria eorum cognitione opus erat. Vt ergo munus istud adimpleam, obseruo quòd *num. 7.* afferebatur 20. ex propositionibus dãnatis ab Innocentio XI. quæ sic loquitur: *Hinc potest quis prudenter repudiare assensum, quem ba-*

*habebat supernaturalem*. Quòd in hac propositione fiat mentio de assensu Fidei, nulli est sub dubio, quare à doctrinis Catholicis fuit meritò per damnationem exclusa eiusdem propositionis doctrina, per quam docebatur licere Fidem repudiare postquam ipsa habebatur. At quàm perniciosè id affirmatur luce clariùs est. Malè igitur docebat Sacerdotem, eiusque socios vt in casu, qui in efformatione argumenti vtebatur antecedenti prohibito, & damnato, quòd ne aliquem inficiat quisquè sibi, & alijs caueat, vt zelantis Pontificis vestigia sequatur. Et vt latiùs eius venenum vitetur, oportet scire quid nomine *assensus* intelligatur. Igitur *Assẽsus* significat actum intellectus, qui per talem actũ determinatè tenet, & iudicat rem aliquam sic se habere, vel non sic se habere: Vno modo mediante discursu; alio modo sinè discursu, sed tantùm ex vi alicuius mouentis efficaciter ad dictum assensum. Exemplum primi modi est, vt v. g. si quis iudicans esse iniuriam irrogatam Petro ipsum vocare animal; sed postea intellectus hunc format discursum: *Omnis homò est animal: Sed Petrus est homo: Ergo Petrus est animal*, & ex isto discursu statim intellectus elicit actum assensus, idest tenet, & iudicat Petrũ esse animal, nec ei iniuriam irrogari ex hoc præcisè, quòd secundùm talem formalitatem naturalem omnibus hominibus tali vocabulo appellatur; & ad talem assensum ex vi dicti discursus demonstratiui intellectus necessitatur. Exemplum secundi modi est, quando Deus aliquid intellectui reuelat, nam tunc proposita sufficienter intellectui Dei reuelatione, statim intellectus potest, si voluntas non reluctet, præstare assensum, & tenere, ac iudicare ità esse prout Deus reuelat, & iste assensus dicitur assensus Fidei. Aliqui tamen assignant alium assensũ Fidei generatũ ex discursu vel formali, vel virtuali. Tunc generatur ex discursu formali, quãdo sequitur ex expressis præmissis, & consequentia, vt si quis diceret: *Quidquid Deus reuelat est credendum: Sed Deus reuelauit Incarnationem: Ergo Incarnatio est credenda*. Tunc generatur ex discursu virtuali, quando fit sinè explicita forma argumentandi, sed implicitè, seu virtualiter eadem forma sufficienter continetur in facto discursu, vt v. g. si quis diceret: *Incarnationem esse factam credendum est, quia Deus summè verax id reuelauit*. Et addunt aliqui non solùm posse Fidem discurrere discursu saltem virtuali, sed debere, quia assensus ad mysteria reuelata, non est assensus ad prima principia immediata, sed potiùs est assensus mediatus, & propter aliud, vndè necesse est prædictum discursum saltem virtualem facere. Ad cognoscendum autem an assensus sit Fidei, attendere oportet an pro obiecto formali habeat Primam Veritatem, Deum nempe, vt reuelantem, seu testificantem res credendas, vt docent D. Thomas 2. 2 *quæst*. 1. *art*. 1. & *ibi* Caietanus *dub*. 2. Sotus *in* 3. *dist*. 23. *quæst*. *vnica*, & *dist*. 25. *quæst*. 2. *in fin*. Bellarm. *lib*. 1. *de iustific*. *quæst*. 1. Vega *lib*. 9. *in Trident*. *cap*. 47. & est cõmunis inter Scholasticos tum antiquiores, tum recentiores, licèt inter se diuersimodè sentiant quoad discursum, nimirum an assensus Fidei excludat, vel non excludat omnem discursum etiam virtualem. Idem colligitur ex Sacra Scriptura, & ex Sanctis Patribus, vt videre est apud Suarez *de Fide*, *disp*. 3 *sect*. 2. *num*. 3. Ex dictis constat quid nomine *assensus* accipiatur in ista propositione, qui assensus ideò est supernaturalis, quia eius obiectum est supernaturale, vt est Dei veracitas, eiusque testimonium, & reuelatio; imò numquam datur Fides in nobis, nisi per actum, seu assensum supernaturalem: Sic patet ex Matth. *cap*. 11. dicente: *Patrem nemo nouit nisi Filius, & cui Filius voluerit reuelare*. Et Paulus *ad Ephes*. *cap*. 2. idem dictat scribens: *Gratia estis saluati per Fidem, & non ex vobis, ne quis glorietur, donum enim Dei est*. Item Ioannes *cap*. 6. ait: *Hoc est opus Dei, vt credatis*. Vlteriùs Concilium Arausican. 2. *cap*. 6. 8. 16. 25. & 27. definit per infusionem, & inspirationem Spiritus Sancti fieri in nobis diuinitùs, vt credamus, & aliter nos non posse credere, &c. Idem constat ex Concilio Mileuit. *can*. 4. ex Tridentino *sess*. 6 *can*. 3. & *cap*. 5. 6. & 12. ex Cælest. *epist*. 1. *ad Episcop*. *Galliæ*. Legantur ad rem præsentem *epist*. 92. & 93. D. Augustini. Idem tradunt Sancti Patres, quos, quorumque authoritates citat Valentia 2. *tom*. *disp*. *de gratia*, *quæst* 5. *puncto* 4. Verum tamen est, quòd à nonnullis censetur supernaturalis tantùm quoad modum ille actus Fidei; ab alijs verò etiam quoad entitatem. Sed an opinio dicens assensum Fidei generari ex aliquo discursu hodiè sit damnata, videatur *num*. 45.

Hucusque allegata de assensu Fidei pro illius cognitione iuxta Theologorum placita, de quibus iudicium scholasticè facere non spectat ad nostrum opus, censui necessarium afferre, vt concluderem quòd sicut præfata propositio damnata non loquitur nisi generatim de assensu supernaturali, sic damnatio stat de ipso quomodocumquè explicetur, ac sumatur secundùm

dùm diuersas opiniones Doctorum, quas adduxi. Similiter explicare debui in quo consistat ipse assensus supernaturalis, vt innotesceret in eo saluari, quòd quis habeat Fidem,& sit Fidelis taliter, quòd si talem assensum repudiet, Fidem ipsam repudiet, vndè concluditur esse veneno,& scandalo plenam illam propositionem dicentem, *hinc potest quis prudenter repudiare assensum, quem habebat supernaturalem*; etenim prudenter non potest pro rei veritate Fides repudiari: ergo meritissimè Pontifex illam damnauit.

44 De eodem assensu supernaturali. Fidei est omninò tenendum esse certissimum, ac sinè aliqua formidine, imò & sinè contraria probabilitate, propterea idem Innocentius Papa XI. damnauit aliam propositionem in serie cæterarum vigesimam primam hujusce tenoris: *Assensus Fidei supernaturalis, & vtilis ad salutem stat cum notitia solùm probabili reuelationis; imò cum formidine, qua quis formidet, ne non sit locutus Deus*. Auertat quisquè aures suas à tam falsa doctrina, quæ incertitudinem, & formidem in Fide audet admittere. Latissimè possemus hanc propositionem euidenter impugnare, at in præsenti contenti erimus contra illam pauca dicere. Est communissima sententia, quòd Fidei non potest subesse falsum: Ità D. Thom. 2. 2. *quæst.* 1. *art.* 3. & *ibi* Bannes, & Aragon. & *in* 3. *dist.* 23. & 24. & *ibi* D. Bonauent. *quæst.* 1. Palud. *quæst.* 2. Maior *quæst.* 2. & 10. & habetur idem in Concil. Trident. *sess.* 6. *cap.* 9. & ratio est, quia Fides supernaturalis semper est ex Dei reuelatione, & sic si ista esset tantùm probabiliter nota, aut si cum formidine haberetur notitia de illa, sanè Fides non importaret firmam certitudinem, siquidem certitudo assensus definitur à D. Thoma *in* 3. *dist.* 26. *quæst.* 2. *art.* 4. quòd sit *firma adhæsio intellectus circa aliquod obiectum verum*. Item alij, inter quos Suar. *de Fide disp.* 6. *sect.* 5. *num.* 6. dicunt, per certitudinem intelligi eam, quæ excludit omnem formidinem, seu dubitationem, aut periculum falsitatis. Item alij, inter quos Capreolus *disp.* 14. *dub.* 4. *num.* 44. & *seqq.* aiunt, certitudinem formalem, esse firmitatem assensus, qua intellectus alicui obiecto firmiter, & modo omnino in se infallibili adhæret. Item alij, inter quos Aragon. *de virtute Fidei, quæst.* 24. *art.* 8. asserunt, certitudinem assensus consistere in intellectu adhærente obiecto vero, siuè sinè dubitatione. Igitur si certitudo consistit in prædictis, quis non videt, quòd immeritò Fides, vel eius assensus dicitur stare cum notitia reuelationis tantùm probabili, aut vnita formidini, cùm probabilitas, & formido excludant omnimodam certitudinem propriam assensus Fidei supernaturalis? Nec valet cum formalitatibus discurrere, atquè vti distinctione inter assensum, & Dei locutionem, seu reuelationem, affirmando omnimodam certitudinem ex parte assensus, non obstante notitia solùm probabili reuelationis; nam quòd intellectus habeat firmissimā certitudinem, firmissimumque assensum de rebus Fidei, prouenit ex imperio voluntatis sic applicantis intellectum; ergo poterit simul stare in intellectu notitia solùm probabilis de reuelatione, imò & formido ne non sit locutus Deus. Et ità esse dicendum infertur ex damnatione propositionis decimæ nonæ inter alias, quas Innocentius XI. damnauit, dicentis: *Voluntas non potest efficere, vt assensus Fidei in seipso sit magis firmus, quàm mereatur pondus rationum ad assensum impellentium*; quare si à voluntate potest magis roborari assensus Fidei, quàm mereatur pondus rationum ad assensum impellentium, consequenter assensus Fidei poterit stare cum notitia solùm probabili, imò & cum formidine reuelationis. Hæc quidem non valent ad probandum intentum, nam quamuis ex imperio voluntatis eliciat intellectus actum assensus circa Fidei mysteria ei sufficienter proposita, tamen tota certitudo, & firmitas non prouenit à sola voluntate, sed ab obiecto, & à ratione formali sub qua tali obiecto assentitur intellectus, imperante voluntate; vnde quia tale obiectum est diuina veritas, & reuelatio sub qua Fides procedit, ideò si ratione obiecti, & reuelationis intellectus solùm probabiliter, & cum formidine reguletur, voluntas non poterit imperare intellectui assensum Fidei firmum, sed solùm probabilem, & formidolosum quemdam assensum, qui non potest esse Fidei supernaturalis, eò quia Fides est solùm de certis, nequè ei potest subesse falsum. Illa verò propositio decima nona, quæ afferebatur, malè applicatur ad confirmandum intentum, prout constabit ex dicendis numero sequenti. Est ergo falsa, & scandalosa adducta propositio docens posse stare Fidei assensum cum formidine reuelationis, atquè cum notitia illius solùm probabili, nam posset aliquis ex hac doctrina sibi licitum facere hunc actum: *Ego credo, v. g. vitam æternam, sed an de illa extet Dei reuelatio, ego formidinem, vel ad summum solam probabilitatem habeo*. At eiusmodi actus redderet infidelem, qui illum elicit, tum quia non credit Deum

certissimè reuelasse, v. g. vitam æternam, cùm de Fide sit Deum reuelasse omnia credenda, & sic hæsitaret in Fide; tum quia verè non credit vitam æternam, supposito quòd hæsitat de Dei reuelatione, licèt ore dicat, aut etiam sibi persuadeat corde credere vitam æternam, implicat enim vt firmiter credat, id de cuius reuelatione formidinem, vel solam probabilitatem habet. Demum impugnatur eadem propositio ex adductis *suprà, nu. 9. &* §. 2. *&* 4. vbi ostendimus non stare Fidem cum opinione magis, ac minùs probabili, prout docebatur à quadam propositione damnata *sub num.* 4. in ordine earum, quas damnauit Innocentius Papa XI.

Et vt pleniùs constet de damnationis meritò prædictarum propositionum 4. *&* 21. quia animarum saluti sunt perniciosæ, infirmantes Fidei firmitatem, ac certitudinem, prout quantùm in præsenti satis est breuiter ostendi, afferam Sacræ Scripturæ, Sanctorumque Patrum aliquas authoritates, quibus illæ propositiones contrariantur. Sic Petrus Apostolorum Princeps *in epist. 2. cap. 7.* scribit comparationem inter Prophetiam, & visionem oculorum, & ait: *Habemus firmiorem propheticum sermonem:* ergo si qui oculis videt, certus est de re visa, consequenter omnimodam certitudinem importat Fides, ac propterea nullam formidinem, seu probabilitatem admittet. Idem suadent verba Ioannis *in epist. 1. cap. 1.* loquentis: *Si testimonium hominum accipimus, testimonium Dei maius est*; & ideò ipse Christus *in cap. 21.* Lucæ protestatus est: *Cælum & terra transibunt, verba autem mea non transibunt.* Vrget hanc veritatem Paulus *ad Galat. cap. 1.* scribens: *Licèt nos, aut Angelus de cælo euangelizet vobis, præterquam quod Euangelizauimus vobis, anathema sit.*

Similiter D. Augustinus *7. confession. cap. 19.* dicit: *Faciliùs dubitarem viuere me, quàm esse veritatem, quam audiui in corde.* Et Basilius *concione in Psal. 115.* de Fide agens scribit: *Fides suprà rationales methodos animam ad assensum trahens*, quibus verbis Fidei certitudo extollitur suprà omnem demonstrationem causantem assensum certum, est namque certior Fidei assensus. Accedit Chrysostom. *hom. 12. in epist. ad Hebr.* vbi hæc habet: *Fides dici non potest, nisi cùm circa ea, quæ non videntur, ampliùs, quàm circa ea, quæ videntur certitudinem quis habuerit.* Deniquè Richardus de S. Victore *1. de Trinit. cap. 2.* inquit: *Quotquot veraciter fideles sumus, nihil certius tenemus, quàm quod Fide credimus.* Cæterùm huiusmodi certitudine priuatur Fides, si assensus de ea ponatur cum probabilitate, aut formidine, quemadmodum faciunt præallatæ propositiones damnatæ sanè falsæ, sanè scandalosæ.

45 Nunc restat vt respondeam instantiæ adductæ numero antecedenti, quæ fundatur in 19. ex propositionibus damnatis ab Innocentio XI. quæ sic ait: *Voluntas non potest efficere, vt assensus Fidei in seipso sit magis firmus, quàm mereatur pondus rationum ad assensum impellentium.* Ex hac propositione volebat nonnullus probare certitudinem firmissimam Fidei supernaturalis, non obstante formidine, ac probabilitate circa Dei reuelationem, seu locutionem, eò ipso quòd sola voluntas potest reddere magis firmum Fidei assensum, quàm mereatur efficacia rationum impellentium ad eumdem assensum. Qui ex tali propositione infert dictam consequentiam, recedit à germana intelligentia eiusdem propositionis, quia illa non loquitur de Dei locutione, seu reuelatione, sed tantùm de rationibus impellentibus ad assensum, & ait non plus posse voluntatem circa firmitatem assensus Fidei, quàm possint dictæ rationes. In hoc sensu loquitur dicta propositio decima nona, quæ vt iacet non distinguit de Fide humana, vel diuina, & sic si loquitur de humana benè dicit dari rationes impellentes ad assensum; si verò loquitur de Fide supernaturali, ac diuina, scandalosè asserit dari rationes impellẽtes ad assensum Fidei supernaturalis. Quidem dantur rationes impellentes ad assensum credibilitatis, at iste non est assensus Fidei. Igitur debuit iustissimè damnari ista propositio, quia illa sequitur doctrinã hæreticorum volentium non esse credendum, nisi quod rationi naturali innotescit, & ità sensisse Manichæos iudicatur à D. Augustino *lib. de vtilit. credendi, cap. 1.* vbi ait illos docuisse superstitiosum esse Fidem ante rationem imperare. Notat etiam D. Bernardus *in epist. 190. ad Innocen.* eumdem errorem habuisse Abailardum: sed contrarium tenet Fides Catholica, vnde D. Augustinus *serm. 1. de Trinit.* ait: *Fidelis sum, credo quod nescio.* Secus est de assensu credibilitatis, qui eò firmior erit, quò maius est pondus rationum ad illum impellentium iuxta illud Psalmi 92. *Testimonia tua credibilia facta sunt nimis.* At si loquamur de obiecto formali Fidei, seu de ratione formali sub qua Fides procedit, idest de prima Veritate, seu de Deo, vt reuelante, ac testificante, manifestè constat mereri assensum firmissimum, & sic voluntas potest efficere vt assensus Fidei sit in seipso ma-

magis firmus nunc, quàm antè esset, dummodò supponatur necessariò ratio formalis sub qua Fides procedit, nempe Dei reuelatio, ac locutio: igitur falsa est, & scandalosa dicta propositio damnata, ponens rationes, seu motiua, ad quorum ponderis, & efficaciæ meritum generetur Fidei supernaturalis assensus numquam magis firmus ex voluntatis imperio, quàm in seipso sit firmus ex merito earumdem rationum impellentium ad dictum assensum.

Cùm ergo nō dentur rationes impellentes intellectum ad eliciendū Fidei supernaturalis assensum, & has dari sit prohibitum, & damnatum affirmare, erit ne damnata opinio volentium, quòd ex discursu siuè formali, siuè virtuali Fides generatur? Ratio dubitandi de hoc est, quia discursus videtur esse idem, ac ratio aliqua impellens, seu suadens intellectum, vt aliquem assensum eliciat. Ad quod dubium censeo respondendum, quòd si discursus fiat fundatus in rebus lumini naturali notis, certè idem esset dicere Fidem, seu assensum supernaturalem, qualis est assensus Fidei generari ex rationibus impellentibus intellectum ad talem assensum, ac dicere Fidem generari ex discursu. Tamen non sunt sic intelligendi Doctores dicentes Fidem generari ex discursu saltem virtuali, sed tantùm scholasticè quærunt, an aliquis interueniat discursus, dum Fides generatur in nobis, seu dum intellectus ex præsupposita Dei reuelatione elicere debet assensum supernaturalem Fidei, & propterea eiusmodi quęstio in isto sensu non instituitur de doctrina dānata, vt ex se patet.

Et quòd scandalosè doceatur dari rationes impellentes ad assensum Fidei, conuincitur, nam de Fide tenendum est, non posse voluntatem velle credere, nisi ex speciali dono, & motione Spiritus Sancti, contra errorem Semipelagianorum docentium esse in arbitrio voluntatis ex proprijs viribus velle credere, vt refertur à Prospero, & Hilario *in Epist. ad Augustin.* & contra talem errorem stat definitio Concilij Arausicani *can.4. & in seqq. cap.* cui etiam adhærent Concil. Mileuit. *cap.4.* & Trident. *sess.3. can. 3. & 4.* pro qua veritate de Fide varios congerit Sacræ Scripturæ textus Suar. *de Fide, disp.6. sect.7. num.* 2. Si autem darentur rationes impellentes ad assensum Fidei, posset consequenter ex proprijs viribus velle credere ipsa potentia volitiua, quia eo modo potest velle assensum in intellectu, quo potest intellectus talem assensum elicere: Si ergo voluntas indiget auxilio speciali secundùm veritatem de Fide, sequitur esse contra veritatem Catholicam propositio docens dari rationes impellentes ad assensum Fidei, itaut voluntas nequeat firmiorem reddere in seipso talem assensum, quàm mereatur pondus, seu efficacia earum rationum. Meritò igitur damnauit Pontifex præfatam propositionem decimam nonam.

## §. VI.

*Referuntur alij errores damnati in materia Fidei.*

46 ET vt Sacerdos, eiusque Socij, de quibus agitur in præsenti Decisione sciant ad quid teneantur circa Fidem vltra præallegata, & iuxta doctrinas hodie sequendas contra nonnullas iam damnatas, tres eis debeo proponere propositiones, quas Innocentius Vndecimus prohibuit, & damnauit.

Prima, quæ est vigesima secunda inter alias est ista: *Non nisi Fides vnius Dei necessaria videtur necessitate medij, non autem explicita Remuneratoris.* Duo dicit, & ambo falsa, ac animabus perniciosa: Vnum est, quòd necessitate medij non est necesse aliud credere, nec implicitè, nec explicitè, nisi quòd Deus sit vnus; & hunc sensum important verba illa in sua generalitate scripta: *Non nisi Fides vnius Dei necessaria videtur necessitate medij:* & talis Fides vnius Dei satis erit si habeatur aliquo modò saltem implicito, si attendamus significationem amplam dictorum verborum vt iacent, eò ipso quòd nihil exprimant de explicito, vel implicito. Secundum quod dicitur in propositione est, non videri necessarium necessitate medij credere explicitè Deum vt Remuneratorem. De falsitate scandalosa primi dicti in prima parte huius propositionis constabit ex dicendis numero sequenti. De falsitate item scandalosa secundi dicti apertè constat, cùm sit contra Sacram Scripturam, nam Paulus *ad Hebr. cap.* 11. scribens ait: *Accedentem ad Deum oportet credere, quia est, & inquirentibus se remunerator sit.* Ex his verbis Apostoli Concilium Tridentinum *sess.6. cap. 6.* constituit eiusmodi Fidem inter dispositiones ad iustificationem necessarias: ergo contra Sacram Scripturam, & contra Tridentinum est illa secunda pars dictæ propositionis damnatæ. Hinc multi inter quos Bannes 2. 2. *quæst.* 2. *art.* 8. *dub.* 2. *vers. Sit secunda conclusio*, notat, quod Paulus in prædictis verbis non asserit minorem necessitatem credendi illa duo principia, videlicet *quia Deus est, & remunerator est*, quàm credendi

di absolutè, quare sicuti credendi absolutè necessitas est medij, & explicitæ Fidei, ità & talis, est necessitas credendi Deum esse, & remuneratorem esse, ac proindè immeritò docetur cōtrarium in eadem propositione meritò damnata. Eamdem veritatem probat Ledesma *in Theolog. tract. de Fide, cap. 2. in princip. vers. declaratur*, Item constat ex omnibus Symbolis, in quibus expresè dicitur: Credo *vitam æternam*; expecto *vitam venturi sæculi*, sic terminatur in Symbolo Missæ; & in illo Athanasij fatemur: *Qui bona egerunt ibunt in vitam æternam; qui verò mala in ignem æternum*. Occasione horum verborum D. Athanasij est valdè notandum, quòd quando dicitur esse credendum Deum vt remuneratorem, in hac voce *remuneratorem* comprehenditur quęcumquè Dei retributio, idest bonos præmiando, & malos puniendo, ideoque non haberet debitam Fidem Dei vt remuneratoris, qui explicitè crederet tantùm, quòd Deus bonis det præmia, non autem sic explicitè crederet, quòd malis det pœnas; vel è contra explicitè crederet Deum punire, non verò explicitè crederet Deum præmiare iuxta exigentiam meritorum. Scio Doctores inquirere quid per vocem *Remunerator* significetur, sed nostrum non est omnia hìc afferre. Videatur D. Thomas *lect. 2. in epist. ad Hæbr. cap. 11.* & Suar. *hic, disp. 12. sect. 3 num. 11.*

Si autem quis dicat, vocem *Remunerator* non comprehendere punitionem; respondetur negando assertum, nam supponendo eamdem significationem importari à verbo *Remuneror*, & *Retribuo*, vt constat ex pluribus locis Sacræ Scripturæ, inde facilè suadetur, quòd nomine *remuneratoris Dei*, veniat idem Deus vt puniens. Sic *Psalm. 34. vers. 12.* ait: *Retribuebant mihi mala*. Clariùs in *Psalmo 102. vers. 10.* legitur: *nequè secundùm iniquitates nostras retribuit nobis*, & *Psalm. 90. vers. 8.* habetur: *Retributionem peccatorum videbis*; & *Psalm. 93. vers. 2.* dicitur: *redde retributionem superbis*. Similiter *lib. 2 Machab. cap. 4. vers. 38.* refertur quædam Dei punitio his verbis: *Domino illi condignam retribuente pœnam*.

47 Prima pars propositionis numero antecedenti adductæ, & notatæ de damnatione, cuius damnationis meritum promisi ostendere in præsenti numero, impugnabitur per impugnationem alterius propositionis pariter damnatæ ab eodem Pontifice Innocentio XI. & positæ *num. 64.* in serie cæterarum, quæ propositio est tenoris sequentis: *Absolutionis capax est homo quantumuis laboret ignorantia Mysteriorum Fidei, & etiamsi per negligentiam, etiam culpabilem nesciat Mysterium Sanctissimæ Trinitatis, & Incarnationis Domini Nostri Iesu Christi.*

Secunda propositio ex tribus, quas numero præcedenti dixi me allaturum est ista, ex qua planè datur intelligi hominem teneri ad explicitam Fidem multorum mysteriorum, adeoque esse falsum, quòd *non nisi Fides vnius Dei videtur necessaria necessitate medij*, prout dicit prima pars propositionis damnatæ, & relatæ sub numero 46. impugnanda in præsenti. Quasi duas partes habet illa 64. propositio; in quarum prima docet Absolutionis capacem esse hominem, etiamsi Mysteria Fidei ignoret, nec explicat quali ignorantia, sed omnem ignorantiam admittit; imò hanc primam partem confirmat cum secunda, in qua ad tollendam omnem limitationem ab aliquo fortasse prætensam de Fidei mysterijs, dicit quòd Absolutionis capax est homo, etiamsi per negligentiam, etiam culpabilem nesciat Mysterium Sanctissimæ Trinitatis, & Incarnationis Domini Nostri Iesu Christi, quorum ignorantia etiam culpabilis si relinquit hominem esse capacem absolutionis, multò magis erit idem dicendum de ignorantia quacumque aliorum mysteriorum. Tam amplam doctrinam damnauit Papa Innocentius XI. quia reuera interdum incapax absolutionis est homo laborans ignorantia aliquorum mysteriorum Fidei. Licèt ergo sit damnata in sua generalitate, & vt iacet prædicta propositio sexagesima quarta, tamen relinquitur Doctoribus inquirere an in aliquo casu sit capax absolutionis homo, qui Fidei mysteria ignorat, & quænam ignorantia, ac quorum mysteriorum non reddat incapacem absolutionis; sed quid de eiusmodi quæsitis sit tenendum, dicam in sequenti paragrapho.

48 Tertia propositio ex tribus promissis in initio numeri 46. est 23. inter illas, quas damnauit Innocentius Papa XI. vt notaui supra *num. 15.* & dicit: *Fides latè dicta ex testimonio creaturarum, similiue motiuo ad iustificationem sufficit*. Quid pro *Fide latè dicta* debeat intelligi breuiter aperiam. Sciendum est Fidem diuidi in humanam, seu naturalis ordinis, & diuinam, seu ordinis supernaturalis. Fides ordinis naturalis, seu humana consistit in assensu, quem aliquis habet de obiecto ei proposito à creaturis, quæcunquè illæ sint, à quibus inducitur in assensum. Exemplum sit, si Petrus narrat mihi Ethiopes esse nigros quoad faciem, albos verò quoad dentes, & ego ità esse credo, dicor ha-

be-

bere Fidem humanam. Idem est si ex historijs non canonicis discam, & accipiam aliqua, vt v. g. fuisse Veios, quamuis nunc eorum Ciuitas coæquata solo fecerit Florum scripsisse: *Laborat annalium Fides, vt Veios fuisse credamus*. Verùm de ista Fide certissimum est non posse causare iustificationē, cùm hæc non sit ordinis supernaturalis, sed tantùm naturalis. Datur ergo Fides alia, quæ est ordinis supernaturalis, & diuina, eò quia innititur authoritati, & reuelationi diuinæ, & ista Fides dicitur stricta, idest propria, & vera Fides supernaturalis. Cæterùm non defuerunt quidam, qui aliam Fidem adinuenerunt, eamque vocauerunt Fidem latè talem, quam ad Fidem strictè dictam reductionem, & attributionem habere asserunt, & complectitur omnem cognitionem, seu illustrationem infusam, & supernaturalem, quamuis ex authoritate, & reuelatione diuina non moueatur, sed ex testimonio creaturarum, aut ex alio motiuo communi cogitationibus naturalibus honestis, quibus ex lege Dei continuò inseruntur supernaturales, & eas non solùm fidelibus, sed etiam infidelibus communes esse dicunt, vt facientes quod in se est ad actum honestum naturalem agendum, edant indiuiduo conatu supernaturalem, & naturalem, & ideò virtutum naturalium actus eliciti ante Fidem strictam, dicunt fieri ex Fide lata.

Hæc Fides lata, vt obseruat Card. de Lugo *de Fide, disp.* 12. *sect.* 1. *num.* 6. fuit excogitata à quibusdam Theologis recentioribus, eamque ponunt etiam in Philosophis Ethnicis, quatenus quando ex cognitione creaturarum deueniebant in cognitionem Creatoris, ac Vnici, & Summi Dei, Deus eorum mentes eleuabat ad habendam aliam supernaturalem cognitionem eiusdem Dei per creaturas, vt possent etiam per actum voluntatis supernaturalem colere Deum, eumque amare super omnia, ex vi cuius ad iustificationis gratiam vltimò, & proximè disponeretur. Imò hoc idem concedunt, quotiescumque circa aliam materiam moralem exercebant aliquem actum honestū, semper namque disponebant se ad salutem saltem remotè, non quidem per actus naturales, sed per supernaturales, quos vnà cum naturalibus actibus eliciebant. Igitur prædictam notitiam supernaturalem, quæ non rarò in illis erat euidens, sicuti sæpè est euidens notitia naturalis de Deo, & de honestate obiecti, concludunt prædicti recentiores appellari Fidem non strictam, sed latè dictam, de qua debet intelligi præsens propositio vigesima tertia inter damnatas ab Innocentio Vndecimo. Circa quam propositionem pro nunc satis est dicere, eam fuisse meritò damnatam, quia scandalosè affirmat talem Fidem sufficere ad iustificationem, posset enim aliquis putare se iustificatum per eiusmodi Fidem latā, nam Concilium Tridentinum *sess.* 6. *cap.* 8. ait: *Fides est humanæ salutis initium, fundamentum, & radix omnis iustificationis*; & *eadem sess. cap.* 7. dicitur: *sine qua nulli vnquam contigit iustificatio*. Et loqui Concilium de Fide stricta, constat ex *can.* 33. agitur enim ibi contra Pelagianos, qui tribuunt Fidem viribus naturæ, vt fit per Fidem latè dictam, & sic contra istam stat Concilium Tridentinum, propterea propositio adducta meruit vt damnaretur.

## §. VII.

*Quid statuendum sit de ignorantibus Mysteria Fidei.*

49 Supra sub *num.* 47. attuli propositionem sexagesimam quartam inter damnatas ab Innocentio Vndecimo, circa quam restat vt examinemus, quænam ignorantia mysteriorum Fidei reddat incapacem absolutionis contra damnatæ propositionis doctrinam, & quænam non reddat incapacem, quandoquidem damnatio afficit propositionem vt iacet, & quia generaliter complectitur omnem ignorantiam cuiusuis mysterij Fidei, vnde fas est inquirere an interdum non reddat incapacem, licèt non fas sit disputare, vel affirmare, quòd numquam reddat incapacem.

Supponendum est primò, esse in triplici differentia ea, quæ quilibet Fidelis tenetur scire: quædam enim spectant ad doctrinam Fidei, alia spectant ad præcepta legis diuinæ, & ad communem statum hominis Christiani: alia spectant ad statum proprium vniuscuiusquè. Hinc triplex potest esse ignorantia, prima circa articulos Fidei: secunda circa præcepta Decalogi: tertia circa pertinentia ad proprium statum cuiusquè.

Supponendum est secundò, aliam esse ignorantiam Iuris; aliam facti. Illa est, quando lex ignoratur: ista est quando lex non ignoratur, sed ignoratur factum, vt v. g. si quis ignoret hodie esse vigiliam, & sic non ieiunat, cùm tamen sciat esse ieiunandum in vigilijs. His suppositis:

50 Dico primò: Ignorantia eorum, quæ spectant ad doctrinam Fidei, & ad Sacramenta ne-

necessaria, si procedat ex negligentia est peccatum mortale. Dixi, *si procedat ex negligentia*, quia fieri potest, vt eiusmodi ignorantia sit inuincibilis, vt cōtingit in Pagano, ad cuius aures Euangelium non peruenit. Ita DD. communiter, & ratio est, quia Fideles tenentur scire, & credere articulos Fidei, & alia ad Fidem pertinentia: ergo illa ignorantes ex negligentia peccant mortaliter.

51 Dico secundò: Ignorantia præceptorum communium legis naturæ cuiusmodi sunt præcepta Decalogi, de se est peccatum mortale, nam quilibet sub mortali tenetur illa scire; vt tradunt communiter Doctores, & ideò in Sacris Litteris, vt in Isa. *cap.* 5. & in Hieremi. *cap.* 4. talis ignorantia grauiter vituperatur, quæ supponitur vincibilis.

52 Dico tertiò: Absolutè loquendo potest dari ignorantia inuincibilis circa articulos Fidei, & Sacramenta Ecclesiæ, quæ ignorantia non sit peccatum. Sic D. Thomas 1. 2. *quæst.* 76. *art.* 2. & D. Thomam sequuntur eius discipuli, & ferè omnes Doctores contra Adrianum, & alios nonnullos. Ratio est, nam Infideles, qui de Christo, ac de Euangelio nihil prorsus audierunt, non possunt de illis aliquid credere, nisi hæc illis annuntientur, teste Paulo *ad Roman. cap.* 10. ergo ignorantia, qua laborant superari non potest, sicque est inuincibilis, & per consequens est inculpabilis. Hæc dixi, supponendo notam diuisionem ignorantiæ in vincibilem, ac superabilem; & in inuincibilem, ac insuperabilem. Sed petes, quænam diligentia, & studium requiritur, vt adhuc illis adhibitis, ignorantia remaneat inuincibilis? Respondetur sufficere, etiam in absolutè necessarijs ad salutem, si adhibeatur diligentia humana, consulendo Doctores. Et quamuis Adrian. *quodlibet.* 4. *q.* 1. Altisiod. *in 3. p. sum. in quæst. vtrum Fidei possit subesse falsum.* Alens. 2. *p. quæst.* 129. *m.* 4. Syluest. *verb. Ignorantia*, & Gabr. *in 2. dist.* 22. *q.* 1. *dist.* 1. doceant opus esse, vt faciat quod in se est, & seipsum disponat ad receptionem gratiæ, tamen non sunt audiendi, cùm hoc non sit medium ordinarium.

53 Dico quartò: Circa mysteria, præcipuosque articulos Fidei, quæ mysteria communiter celebrantur, & publicè proponuntur, vix in Fidelibus potest admitti ignorantia inuincibilis. Idem est de Sacramentis, quorum vsus in Ecclesia est frequens, vt Baptismus, Pœnitentia, & Eucharistia. Ita Thomistæ communiter *in* 1. 2. *quæst.* 76. *art.* 2. & *in* 2. 2. *quæst.* 2. *art.* 8. In aliquo casu admitti potest talis ignorantia, veluti si aliquis natus, & educatus inter Christianos, Ecclesiam cum alijs frequentet, sed nec à Parocho, nec à parentibus instrueretur. Faciliùs erit admittere ignorantiam inuincibilem circa articulos rarò in Ecclesia explicatos, v.g. circa sessionem Christi ad dexteram Patris, &c.

54 Dico quintò: Circa præcepta Decalogi potest admitti ignorantia inuincibilis per aliquod breue tempus. Ità Doctores communiter; nam talia præcepta cùm non sint principia moralia euidentia per se, necessariò requiritur ad illa aliquis discursus.

55 Dico sextò: Elapso breui temporis spatio, non est admittenda ignorantia inuincibilis circa præcepta Decalogi, quia illa ex communibus principijs facilimè deducuntur. Hinc sequitur non esse admittendam ignorantiam inuincibilem circa principia moralia vniuersalissima, vt *malum esse fugiendum*, & *bonum esse amplectendum*. Ità omnes Doctores, quia talia principia sunt per se notissima, & ex illis facilè deducuntur præcepta Decalogi.

56 Dico septimò: Circa præcepta naturæ, quæ ex Decalogo moraliter quidem per euidentem consequentiam, sed cum maiori difficultate, & longiori discursu colliguntur, potest admitti ignorantia inuincibilis etiam per longum tempus. Ità omnes Thomistæ, qui limitant hoc assertum, itaut nō stet pro Christianis, à quibus in Concionibus, & alibi auditur quæ sint peccata, necne: Non sic de nato, & enutrito inter barbaros putantes licere aliquid de facto illicitum, vt v.g. pluralitatem vxorum, ac homines occidere in victimam Deorum; talis enim postquam peruenit ad vsum rationis, posset aliquandiu huiusmodi reputare licita per inuincibilem ignorantiam.

57 Dico octauò: Si Confessarij inueniant pœnitentes ignorantes articulos Fidei, tenentur eos instruere, vel non audire in confessione, aut absolutionem differre, donec illos didicerint. Ratio est, quia tales sunt in mortali propter culpabilem ignorantiam. Et licèt dentur aliqui adeò rudes, & ignari, vt Fidei mysteria difficilimè percipiant, non sunt absoluendi donec illa sciuerint; si enim sunt satis prudentes in alijs negotijs temporalibus, poterunt etiam diligentiam adhibere vt discant necessaria ad salutem.

58 Petes: Quid erit agendum si talis ignarus confiteatur in articulo mortis? Respondeo, Confessarium debere omnem diligentiam adhibere, vt talem ignarum doceat, quæ tenetur sci-

scire, & sic edoctum, atque dispositum poterit absoluere; sed potissimùm debet illum instruere de Fidei mysterijs, quæ ad salutem necessaria sunt necessitate medij; & tunc dictis mysterijs perceptis, poterit illum absoluere etiamsi ignoret vincibiliter alia, quæ ex præcepto tenetur scire, dummodò doleat de peccatis, & emendationem promittat, adhibendo etiam omnem diligentiam in cæteris ediscendis, si conualescat. Ità Petrus de Ledesma *in Theol. moral. tract. de Fide, cap. 3. post med.* Idem colligitur ex doctrina Thomistarum *in 1. 2. quæst. 76. art. 2.* quatenus docent, quòd ignorantia vincibilis per pænitentiam, contritionem, vel attritionem fit inuincibilis.

59 Ex dictis patet quàm meritò Innocentius Papa Vndecimus damnauerit dictam propositionem sexagesimam quartam, prout iacet, ac in sua generalitate. Item patet responsio ad argumenta, quæ quis afferret.

---

# DECISIO LXXXIX.

*An ob metum mortis, vel grauis damni in se, vel in alijs etiam Turcis, liceat Sacerdoti existenti in mortali celebrare sinè confessione, sinè vestibus, & sinè lumine, ac in fermentato.*

## Casus, seu Historia LXXXIX.

### SVMMARIVM.

1 *Casus proponitur.*

2 *vsque ad 21 Metus quando reddat licitum aliquid contrarium legi humanæ.*

22 *vsque ad 25 De personis, quibus metus debet incuti, vt deobliget.*

26 *vsque ad 34 Potest interdum Sacerdos celebrare sinè azymo, &c. ob metum mortis; & quinam possint communicare cum excommunicato, & agitur de celebrante ob necessitatem sinè confessione peccati mortalis, stante præcepto Tridentini iuxta doctrinas damnatas.*

35 *vsque ad 39 Agere contra legem humanam, iuris naturæ, ac diuini scripti ob metum illatum extraneis, an liceat.*

40 *vsque ad 45 Christiani an possint damnum facere Turcis.*

1 Contigit vt tempore ingruentis belli in regionibus N. damna, & scandala non leuia causarent hostes, quia non omnes Christianorum Fidem profitebantur, adeoque cum Fidelibus Infideles non pauci admixti ad præliandum descenderant. A nonnullis ex Infidelibus illis delictum istud fuit patratum. Armati percurrebant, & semel Villam quamdam intrauerunt, cuius Ecclesiam violenter expoliauerunt, surrepto in nocte quidquid in illa potuerunt inuenire. Facto manè accedunt ad illius loci Parochum simulantes se itinerantes, & velle Missam audire, erat enim dies festus Sanctorum Apostolorum Philippi, & Iacobi. Distabat Parochi domus ab Ecclesia, quare cum hospitibus pergit ad Ecclesiam, furtumque agnoscens, ignorans tamen quinam illud fecerint, rogat peregrinos, vt per mediam horam velint expectare, quoadusquè aliam ibi proximam adeat Ecclesiam vt necessaria accipiat pro Missa celebranda. Descenderant cum Parocho omnes de eius domo, imò & alij alterius domus, quare & Parochi consanguinei, & alij extranei aderant ad spectaculum. Hic vocem eleuauerunt hospites illi, Ecclesiæque ianuam claudentes, panem fermentatum, vinum, poculum osseum cum Missali mortuorum Parocho dederunt mortem comminantes ipsis astantibus, necnòn & eidem Parocho, nisi statim Missam celebret mortuorum sinè sacris vestibus, sinè lumine, atque cum illo pane. Instabat Sacerdos, vt permitteretur requisita procurare; cogebant hospites tamquam tempus expectandi non haberent ratione vrgentissimi negotij, ad quod pro bono publico iter illud faciebant, sed in tali die Missam audire citò volebant, non curando de vestibus, nec de lumine, imò nec de Altari, si supra scamnum Missam diceret. Annuit voluntati peregrinorum meticulosus Parochus, peractoque illo Sacrificio dilacerauerunt vestes, & Missalia cum contemptu, solosque calices, & pixidem (cum Sanctissimo, vel sinè, id Parochus iurabat se nescire) secum portantes, fugam arripuerunt, sed insequuti non potuerunt captiuari, nam equitando euolauerunt. Factum retulit cum testibus idem Parochus Episcopo, Inquisitori, atquè foro sæculari, illudque mihi ab Episcopo narratū fuit, vt quid de illo sentirem sincerè resoluerem, sicuti tunc resolui, & in præsenti placuit de illo sequentia scribere in quibus videbimus quid sit dicendum, si Sacerdos ille erat in mortali.



§. I.

## §. I.

*Quæ liceant, vel non liceant extante metu in se, vel in alijs.*

2 SI mors Sacerdoti comminetur, nisi celebret vt in casu allato, licitè celebrabit, dummo-
3 dò in contemptum ad id non cogatur; nam metus mortis excusat à peccato, si aliquid fiat
4 contra legem humanam, quia hæc non obligat cum tanto incommodo. Sic Doctores communiter tum Theologi, vt Sotus *lib. 1. de iust. q. 6. art 4. dist. 22. quæst. 1. art. 4.* Gab. *4. dist. 18. q. 3. art. 3 dub. 4.* tum Summistæ, Armill. *verb. excom. 59.* Syluest. *eod. verb. 5. quæst. 14.* Tabiena *ibi 8. num 9 & 10.* Rosell. *ibi 6. initio.* Angel. *ibi 8 num. 18* & expressè Azor. *institut. moral. p. 1. lib. 1. cap. 11. quæst. 1. fin.* & certum est esse de lege humana, quòd lumen, vestes, &c. adhibeantur à Sacerdote pro sacrificando.

5 Hinc sequitur, quòd cum mortis periculo imminente nemo tenetur ieiunare, festa seruare, cum excommunicato non communicare, nec alia Iuris etiam ciuilis adimplere. Ita D. Thomas *quodlib. 11. art. 9. ad 3. & in addit. q. 23. art. 3. ad 1.* Suar. *de cens. lib. 6 sect. 3. num. 10.* & alij communiter idem docent non solùm
6 pro casu, in quo quis angitur metu mortis, verùm etiam quando vrgeret metus grauissimi damni, quod quale sit, remittitur iudicio prudentis, & pij viri iudicare. Suppono tamen quòd metus iniustè sit incussus, quia si iustè incutiatur cessat doctrina, quam hactenus tradidi. Item suppono, quòd iniusta metus incussio fiat ad extorquendum aliquid, quod sit contra legem humanam tum Canonicam, tum Ciuilem.

Amplio datam doctrinam ad casum, in quo sic exigatur aliquid contra prohibitionem iuris naturæ, nam & hæc prohibitio non obligat
7 in vitæ discrimine. Videatur Diana *3. part. tract. 6. resolut. 48. §. at contrariam*, vbi docet cum multis, ideò licere vesci carnibus humanis, aut haurire sanguinem humanum à vena adolescentis extractum, si ad vitam conseruandam necessarium erit aut dictas carnes comedere, aut sanguinem modo dicto ebibere, saluo tamen homicidio, quod est intrinsecè malum,
8 & quæ sunt intrinsecè mala numquam possunt licitè fieri, etiamsi mors debeat subsequi.

9 Nec obstat, si ad probandum non licere præstare ob metum grauem neque illa, quæ sunt de lege humana, adducatur exemplum Sancti Hermenegildi Regis Visigothorũ Leouigildi Ariani filius, qui recusauit superueniente Paschalis Festiuitatis die recipere communionem de manu Episcopi Ariani, quem Pater ad eum miserat communicandum, vt sic ad Patris gratiam mereretur redire; & tamen noluit Sanctus cum excommunicato Episcopo communicare, non obstante morte, quæ ei imminebat, si Episcopum ad communicandum non admittebat. Respondeo enim, & dico debuisse Sanctum Hermenegildum illam communionem reijcere, quia in contemptum Fidei volebat Pater, vt cum hæretico filius communicaret, & ideò tenebatur potiùs mori, quàm contra suam obligationem operari; & hoc est, quòd supra dicebam *num. 3.*

10 Item nec contra pugnat id, quod dicitur in *cap. Sacris, de ijs, quæ vi, metusue gratia fiunt*, nempe non excusari, si quis cum excommunicato cõmercium habeat, etiam inductus quocumquè metu, nam pro quouis metu non est committendum peccatum mortale, & sic non excusabitur à culpa si quis operetur contra legem ciuilem, ac canonicam ob mortis metum, vt volunt Adrianus *in 4. q. 3 de clauib. in 8. exceptione.* Caietan. *1. 2. q 96. art. 4.* Ioann. Andr. Panormit. Hosti. Ancharan. Felin. & alij *in d. cap. sacris.* Respondeo enim totum verum esse, quando fieret in contemptum Ecclesiasticæ censuræ, in quo sensu est intelligendum dictum *cap. sacris.* & sic non probat contra meam opinionem, quam in fauorem Sacerdotis prout in casu adduxi.

Sed instabis contra datam responsionem, nam etiamsi sine contemptu quis non adimpleat præceptum seruandi festa, peccat mortaliter, & præceptum sic obligans ad mortale etiam secluso contemptu, transgreditur; ergo similiter erit mortale, si sine contemptu Ecclesiasticæ censuræ quis operetur contra præceptum v. g. non communicandi cum excommunicato. Antecedens patet ex damnatione propositionis 52. inter alias, quas Innocentius XI. damnauit, quæ docebat, quòd *Præceptum seruandi festa non obligat sub mortali, seposito scandalo, si absit contemptus.* Consequentia eui deter sequitur, cùm ideò in responsione data intendatur non esse peccatum in transgressione præcepti non communicandi cum excommunicato, quia abest contemptus. Huic replicæ respondetur negando paritatem, alius enim est casus non adimpletionis præcepti Ecclesiastici ob mortem imminentem euitandam, secluso contemptu; & alius est casus non adimpletionis præcepti extra casum mortis, licèt sine contem-

temptu. In primo casu præceptum obligans absolutè, non obligat ex suppositione periculi imminentis perdendi vitam, dummodò aliundè quis non peccet, vt esset si cum contemptu præcepti, vel Ecclesiasticæ censuræ præceptum violaretur, seu non adimpleretur; quia pia mater Ecclesia non intendit obligare cum tanto periculo, vt dicunt DD. communiter: At in secundo casu præceptum semper obligat, quamuis sinè illius contemptu omitteret quis id, quod per præceptum iubetur. Ergo meritissimè fuit damnata propositio adducta, ex qua grauissimum scandalum sequeretur, dato enim quòd illa esset vera, verum quoquè esset, si diceretur præcepta alia positiua, vt ieiunandi, audiēdi Missam, &c. non obligare sub mortali, secluso scandalo, & contemptu; eadem enim prorsus currit ratio de præcepto seruandi festa, ac de alijs ciuilibus, & canonicis præceptis; quare vndequaquè falsa, & scandalosa est dicta propositio 52. Addo, quòd obseruatio alicuius diei festi, est ex præcepto diuino in Decalogo: *Sabbata sanctifices*: cùm ergo allata propositio generatim loquatur, nec distinguat de præcepto seruandi festa à Deo, vel ab homine instituta, indè infertur, & alia præcepta diuina non obligare sub mortali, seposito scandalo, si absit contemptus. Id manifestè conuincitur eò quia non est assignabilis ratio particularis, ob quam doctrina dictæ propositionis sit vera quoad festa seruanda; non verò quoad alia præcepta siuè diuina, siuè positiua, ac humana; & propterea nimiùm scandalosa est talis propositio deobligans à graui culpa transgressores præceptorum, si sinè scandalo, ac contemptu illa non adimpleant.

Deinde per eamdem propositionem illatiuè docetur nullum præceptum per se obligare ad mortale, sed tantùm per accidens, scilicet ratione scandali, vel contemptus: si enim tale est præceptum seruandi festa, cur non & alia præcepta non obligabunt sub mortali, seposito scandalo, & si absit contemptus? Igitur non pugnat contra nostram responsionem instantia in contrarium adducta, sumpto antecedenti ex propositione 52. ab Innocentio Vndecimo damnata, licèt & ego illam meritissimè damnatam affirmem, sicut omninò affirmari debet. Imò illius damnatio trahit alterius propositionis damnationem, sicuti de facto idem Pontifex prohibuit, & damnauit istam, quæ est 53. in serie cæterarum, & dicit: *Satisfacit præcepto Ecclesiæ de audiendo Sacro, qui duas eius partes, imò quatuor simul à diuersis Celebrantibus audit.* Ex huius propositionis damnatione debent tria notari: Primum est, quòd sicuti adest præceptum obligans sub mortali ad seruanda Festa contra doctrinam damnatam præcedentis propositionis, itaut defectus scandali, & contemptus non obstent, quin ad festa seruanda vrgeat obligatio sub mortali; sic est sub mortali audienda Missa in diebus festis, tamquam præceptum speciale, etiamsi sinè scandalo, & sinè contemptu eius auditio omitteretur. Secundum est, tale præceptum non obligare cum mortis periculo, vel cum notabili damno in facultatibus; vel vbi maius præceptum concurret, vt si infirmo periclitanti ministrandum esset; sicque roboratur nostra responsio, contra quam instabatur. Ità passim tenent Doctores, & nos infra in ista Decisione *à num.* 26. Tertium est, quòd quamuis Doctorum disputationi remittatur resoluere, an præcepto de audiendo Sacro satisfaciat, qui audit nunc partem vnam ab vno Celebrante, & postea aliam partem ab alio, & multi concedant satisfieri, quia integra Missa cum debita successione recitationis auditur, licèt non ab eodem Sacerdote; tamen non satisfit audiendo simul, ac eodem tempore plures partes à diuersis simul, & semel recitatis; itaut ab vno celebrante audiatur v. g. ab initio vsquè ad Euangelium; eodemque tempore ab alio Sacerdote ab Euangelio vsquè ad eleuationem Hostiæ; & simul à duobus alijs, quorum vnus recitat ab eleuatione Hostiæ vsquè ad communionem: alter verò à communione vsquè ad finem, vnde nullo modo potest verificari, quòd Missam integram audierit, quia Missa non coalescit nisi ex partibus successiuè existentibus, non autem simul, & confusè vnitis, & ideò fuit dignissimè damnata ista propositio 53. Circa quam pro certo tenendum est, quòd dato, & nullo modo concesso, fuisse probabilem talem doctrinam antequam damnaretur, tamen hodiè est scandalosa, saltem quia Papa non vult talem modum audiendi Sacrum, vt satisfiat præcepto de illius auditione, quæ per legem Ecclesiasticam præcipitur. Hæc sufficiāt ad obiectionem.

11 Nec vrgere potest, si dicatur adhuc contra, quòd leges humanæ possunt obligare cum vitæ periculo, vt constat in Militaribus præceptis, quæ cogunt milites ad non discedendum à loco ipsis assignato, etiamsi præuideant se morituros: Nam respondeo ità in hoc euenire, quia attenditur ad bonum commune, & hoc præualet priuato bono vitæ illius militis; & sic

 non

non est dicendum vbi de solo bono particulari, non interueniente communi agitur, vt est in nostro facto. Propterea iuxta intentum argumēti allati, benè conuincitur posse Episcopum iubere Sacerdoti ne discedat à ciuitate
12 tempore pestis, vt inseruiat indigentibus in Spiritualibus, licèt mortis adsit periculum. Idem
13 sequitur in Principe obligante Medicum, qui tenebitur remanere, & obedire etiam cum mortis timore, nam in istis casibus est preferēdum bonum commune. Vbi autem transgressio humanæ legis est necessaria ad vitam propiam tuendam, nec inde aliud sequitur incōueniens, licebit sinè peccato, ob metum mortis, legem illam non adimplere, quia in tali casu lex illa non obligat.

14 Illud tamen cauendum est, vt metus illatus, sit iniustè incussus ad extorquendum id, quod ponitur, aliàs si iustè inferatur non licebit contra legem operari. Ideò Sacerdos non potuisset sinè vestibus celebrare, sinè altari, sinè azymo &c. si nemo inferebat metum iniustum, ad effectum obtinendi similem consecrationem. Ita docent Syluest. *ver. Metus, quæst. 6.* Angel. *eod. ver. num. 8. & 10.* Sotus *lib. 7. quæst. 2. art 1. ad 1.* & alij, requirentes tamem metum grauem, qui vocatur cadens
15 in virum constantem, quia est alicuius mali, quod viro constanti est formidabile, itaut propter illud rationabiliter commoueatur. Inter huiusmodi mala principatū tenet metus Mor-
16 tis; secūdò loco sequitur metus mutilationis: deinde per ordinem metus atrocis cruciatus *l. si per vim, & l. si donationis, C. de ijs, quæ vi, metusue gratia fiunt, & l. interpositas, C. de transactionibus.* Deinde metus amittendi libertatem propter captiuitatem, vel seruitutem, *l. isti quidem, ff. de eo, quod metus causa gestum est.* Deinde metus verberum, carceris, diuturni, Stupri in viro, ac in fæmina, *l. Qui carcerem, ff. quod metus causa gestum est.* & *1. decretal. eod. tit.* Deinde metus amissionis omnium bonorum temporalium: ita Bartol. *in l. si ob turpem, ff. de con. ob turpem causam.* Baldus *in l. 1. in fine, C. de eo, quod metus causa.* Deinde metus amissionis maioris partis bonorum temporalium, vt colligitur ex *l. propter litem, ff. de excusationibus tutorum &c.* Deinde metus infamiæ iuris, & etiam facti, quæ difficulter possit abstergi, & sit notabilis, nam fama præfertur opibus; sic contra aliquos tenet Lessius *de iust. lib. 2. cap. 17. dub. 6. num. 35 circa initium.* Deinde metus Excommunicationis iniustæ, quę aliter commodè euitari non potest: sic contra Sotum *in 4. dist. 29. quæst. 1. art. 2. ad 2.* tenent Ioann. Andr. Panorm. Felin. & alij canonistæ *in cap. cùm dilectus. de ijs, quæ vi, metusue gratia, fiunt.* Deinde metus grauis item censetur diuturnum exilium, vt constat per *d. 1. decreta.*

17 Dantur & alij metus, qui rationem grauis habent, quique sub genere, aut specie metus reuerentialis continentur, vt est metus, quo filius timet offensionem parentum, pupillus tutorum, subditus Principis, vxor viri, Monachus
18 Abbatis, Clericus Episcopi. Datur metus, qui dicitur potentiæ, qui oritur ex solo imperio,
19 vel precibus superioris potestatis; at iste metus, sicut & reuerentiæ non reputantur graues, nisi interueniant minæ, vel verbera, & ille qui minas adhibet debet esse solitus sæuire in eos, in quos minas direxerat. Ita Bartol. Innocent. Panormit. *cap. Abbas, de ijs, quæ vi, metusue causa fiunt.* Sanchez *de matrim. lib. 4 disp. 5. 6 7.* Iam ex allatis metibus, poterit quisquè in facti contingentia secernere vera à falsis, vt sciat quando verè metus grauis incutiatur iniustè ad aliquid extorquendum, quod si fiat non erit peccatum, quamuis extet lex humana id prohibens.

20 Sed quia non eodem modo infortunia superant viri generosi, & viri meticulosi, senes, ac fœminæ, ideò iudicio prudentis committitur determinare, an metus quo mouetur fœmina, puer, meticulosus, ac senes sit grauis reputandus respectu similium personarum, licèt grauis pro certo non iudicaretur respectu viri animosi, ac constantis. Ita meritò Less. *loc. cit. in fine §. respectiuè grauis.* Quando igitur istæ personæ meticulosæ mouentur ad operandum ex vi metus grauis respectu ipsarum, tunc & ipsæ non peccabunt, sicuti nec peccarent viri cōstantes ex graui metu iniustè incusso facientes id, quod non est intrinsecè malum, vtpote sola lege ciuili, seu humana prohibitum; nam prohibitum non est pro illo casu.

21 Difficultas maior est, quando metus non incutitur illi, qui facit contra legem, sed incutitur alteri, vel alijs, an liceat sinè culpa legem non obseruare. Explico statum difficultatis: Est hic sacerdos cum fratre suo sęculari: superuenit Tyrannus, qui comminatur mortem fratri ipsius Sacerdotis, nisi ipse Sacerdos celebret in fermentato, sine calice sacro, ac sine altari, & sinè vestibus sacerdotalibus, &c. poterit ne iste Sacerdos sine peccato celebrare, vt à morte fratrem suum eripiat? Et quod dicitur de

mor-

morte comminata, idem intelligo de alio quouis metu graui, iuxta prædicta. Item quod quæro de fratre Sacerdotis, potest etiam quæri de persona extranea respectu eiusdem Sacerdotis, vt si Tyrannus comminetur occidere proprium filium, aut vnum Turcam, nisi Sacerdos celebret modo descripto deficientibus necessarijs. Respondeo primò numquam licere Sacerdoti sic celebrare, si decenter nequeat id facere, quia tantum mysterium exigit debitam reuerentiam, quæ in nullo casu potest licitè prætermitti; & ideò si non habeat poculũ mundum, locum decentem, & similia, erit potiùs moriendum, quàm missam indecenter facere, nam hoc est intrinsecè peccatum.

22 Circa personas, quibus metus iniustè incutitur nisi sacerdos celebret modo indebito, est distinguendum, nam aliæ sunt coniunctæ, aliæ sunt totaliter extraneæ. Quoad personas coniunctas tradit Lessius expressè *vbi supra*, *ad medium*, quòd metus eis incussus reputatur incussus eidem ipsi coniuncto, à quo opus extorquetur. Sic metus grauis intelligitur incussus parentibus, si incutiatur filijs ipsorum, quia *pro affectu parentes magis in liberis terrentur*, vt habetur *l. isti quidem* 8. *in fine*, *ff. quod metus causa*. Idem est dicendum, si malum immineat parenti, vxori, fratri, sorori, vel amico arctissimo amicitiæ vinculo nobis coniuncto; nam horum mala reputantur propria. Ex his concluditur, quòd Sacerdos possit celebrare sinè altari, sinè vestibus sacris, sinè calice sacro, & non in azymo, si grauis metus incutiatur fratri suo, nisi ipse Sacerdos sic celebret. Ratio est iam adducta, scilicet quia proprius censetur metus incussus parentibus, ac strictis amicis. Similiter est discurrendum in similibus casibus.

23 Sed pro personis non coniunctis, an liceat aliquid contra legem humanam facere, vt liberentur à malo illis comminato per iniustum metum, non vidi Doctores hoc dubium tractantes; verùm quia Lessius nominauit personas coniunctas, & amicas, vt dicebam numero præcedenti, quibus metus si incutiatur, censetur nobis incussus, itaut possimus sinè peccato præstare id, quod per metum extorquetur, tamquam si nobis metus ille incuteretur, videtur consequenter esse Lessij opinionem, non licere pro extraneis, nam metus istis illatus, non reputatur illatus nobis. Igitur id non licere pro non coniunctis, nec strictis amicis, pro quibus apud scribentes nihil expressum in hoc dubio reperi, videtur tacitè tradi à Lessio *loc. cit.* vbi coniunctos, & strictos amicos, expressè includit, & inclusio vnius, est exclusio alterius, *l. cùm Prætor*, *ff. de iudic. l. cùm maritus*, *C. de Procuratoribus*, *cap. nonnè*, *de præsu.* & docet Angel. Aretin. *cons.* 29. & maximè id

24 suadetur, quia licèt inclusio vnius non sit exclusio alterius, quando eadem ratio militat in excluso, quæ in incluso, iuxta Menochium *cons.* 197. *num.* 83. *vers. non obstat primò*, in casu nostro certè non est eadem ratio de coniunctis, & strictis amicis, ac de non talibus; ergo videntur isti exclusi à Lessio per inclusionem illorum. Et confirmatur, nam inclusio vnius non est exclusio alterius, quando exclusum & inclusum sunt connexa, quia eadem ratione regulantur,

25 vt tradit Dec. *cons.* 11. *num.* 17. *& cons.* 99. Tuschus *lit. I. concl.* 71. *num.* 80. & hæc inter coniunctos, & non coniunctos, sicut & inter amicos, & non amicos non verificari, nec rationis eiusdem connexionem dari clarè patet; vnde mentem Lessij infero esse, non licere pro extraneorum liberatione à morte iniustè illis comminata, facere contra legem humanam, tum ciuilem, tum canonicam; & sic videtur stare Lessium pro hac opinione.

## §. II.

*Ponitur responsio Authoris; & quid dicendum sit de celebrante in mortali ob necessitatem.*

26 Nihilominus vt dubitationi meam adijciam sententiam, illam deducam ex generalibus principijs ad rem nostram in morali Theologia inseruientibus. Videtur ergo licitum esse v. g. Sacerdoti Missam dicere in fermentato, sinè sacro calice, sinè libro canonis, sinè lumine, & sinè vestibus sacris, ac sinè altari, si Tyrannus id ab ipso postulet, aliàs protestatur se mortem illaturum proprio filio, vel vni Turcæ. Ducor primò, nam concurrentibus pluribus præceptis incompatibilibus, debet adimpleri maius, & omitti minus; ideò potest omitti auditio Missæ in die festo, vt iuxta Charitatis præceptum assistere quis possit moribundo, vt docent Doctores communiter; sed præceptum liberandi à morte proximum dum possumus, superat præceptum celebrandi Missam cum vestibus sacris, & in azymo, &c. ergo hoc præceptum potest licitè non adimpleri, quatenus necessaria est illius omissio, vt à morte personã cuiuscumq; conditionis liberemus, & sic poterit licitè Sacerdos celebrare, vt vult Tyrannus, ne occidat filium suum, vel Turcam, vel alium.

27 Du-

27 Ducor secundò, quia si excommunicatus vitandus incidat vltimæ vitæ periculum, & fame moriatur, licitum est ei succurrere, ac panem subministrare, omissa obseruatione legis prohibentis, ne cum talibus excommunicatis communicemus, vt docent Authores allegati *sub num.* 4. & tamen dicti excommunicati non sunt nisi nobis extranei, nam de coniunctis vix meritò adest dubitatio; & sic vxor potest coha-
28 bitare cum marito denunciato, petendo, & reddendo debitum, & in omnibus alijs ad matrimonium spectantibus, ac si non esset excommunicatus: *cap. quoniam multos* 11. *q.* 3. licèt simul non consumauerint, sed solas nuptias fe-
29 cerint per ratum matrimonium, quia nuptias non cõcubitus sed consensus facit: *l. nuptias, ff.*
30 *de reg. iur.* Similiter filius potest communicare cum patre excommunicato, etiamsi sit iam emancipatus, vt vult Mercerus *q.* 2. *dub.* 17. *num.* 6. & idem est de illegitimis, & adoptiuis secundùm probabilem Hurtadi opinionem:
31 Imò nepotes, & pronepotes, cum auo, & abauo, quia veniunt nomine filiorum: item nurus, gener, priuignus, & priuigna: item pupillus cum tutore excommunicato: item seruus cum domino; imò & aliqua communicatio licita est inter illos, quos gradus affinitatis, & vinculum naturale ad illam morali modo impellit, sicque vxor, filius, seruus, & supradictæ personæ subiectæ possunt cum suis superioribus excommunicatis communicare etiam in Diuinis, vt esset comitari ad sacrum euntem patrem, maritum, ac dominum excommunicatum; ità Coninchus *de Sacrament. disp.* 14. *dub.* 12. *nu.* 130. ergo dum Doctores adducti *num.* 4. dicunt licere dare panem excommunicato fame pereunti, sunt intelligendi de excommunicato non consanguineo, nec affini, sed æquè de istis, ac de non coniuncto, nec amico, non obstante quòd seruanda non sit lex Canonica non communicandi cum talibus; vnde cùm eadem sit ratio quando Sacerdos potest extraneum à morte liberare, si celebret non seruatis requisitis à lege Canonica, videtur non obligari ad illam in tali casu adimplendam.

32 Ducor tertiò, nam si grauis vrgeat necessitas celebrandi, potest Sacerdos vti ministro denunciato, prout docet Turrianus *de excommun. lib.* 2. *disp.* 11. *dub.* 1. ergo à fortiori vrgente mortis necessitate in ipso excommunicato, seu in aliquo extraneo, licebit Sacerdoti non adimplere humanam legem, vt prouideat præsenti necessitati proximi sui; rationabiliùs enim videtur quòd Ecclesia non sit inuita si sua lex non seruetur in casu liberandi aliquem à morte, quàm in casu vtendi in diuinis, ob necessitatem celebrandi ministro excommunicato.

33 Ducor quartò, quia non obstante lege prohibente excommunicato denunciato ne Sacramenta ministret; sicut nec obstante lege prohibente fidelibus, ne à tali denunciato Sacramenta recipiant; si tamen necessitas vrgeat, isti possunt ab eo petere, & recipere Sacramenta, & ille potest ea ministrare, vt fieret si in mortis articulo Baptismum, Pænitentiam, & Eucharistiam excommunicatus ministraret, in quibus omnibus nullum committeretur peccatum nec à ministrante, nec à recipiente: ità Mercerus *in* 3. *p. q.* 21. *dub.* 5. ergo pariter licitum erit non seruare humanam legem, vbi proximi vrgens necessitas ità requiret; ac consequenter licitum erit Sacerdoti Missam celebrare sinè vestibus sacris, sinè azymo, sinè altari, & sinè lumine, si Tyrannus id exigat, ne mortem vni inferat, siuè hic sit coniunctus ipsi Sacerdoti, siuè non sit coniunctus, vt esset si Turcam vellet Tyrannus occidere.

34 Ex dictis concludo primò potuisse licitè celebrare, prout exponitur in casu, Sacerdotem illum ob metum mortis iniustè incussum, vel sibi, vel fratri suo, vel alteri consanguineo, ac stricto amico, iuxta prædicta *num.* 22. Et idem assero, si non mors, sed bonorum priuatio comminetur, vel alter metus incutiatur, iuxta dicta *sub numero* 16. *vsque ad* 21. Ratio est, quia metus grauis iniustè incussus tollit voluntarium, & Ecclesia pia mater non obligat cum tanto incommodo dum præcipit aliquid.

Maior difficultas est, an poterit consecrare in mortali, putans se excusari à confessione sacramentali ob metum mortis, aut ob notabile damnum imminens ipsi, vel eius fratri. Circa hoc aduerto, quòd præceptum confessionis licèt sit diuinum, tamen non est negatiuum, & sic non obligat pro semper, prout notat Gabr. à S. Vincen. *de remed. ignorant. disp.* 13. *dub.* 11. *num.* 79. vbi etiam notat, quòd præceptum conseruandæ famæ strictiùs obligat, cùm sit naturale, adeoque actu celebranti, vel sæculari iam ad linteum pro communione genuflexo, si recordetur alicuius peccati mortalis, licebit pro scandalo tollendo, & bona fama tuenda elicere actum contritionis, & consecrare, vel communionem recipere; & antè, ac post Gabrielem docent hoc idem DD. communiter. Idem licere etiam ante Missæ inchoationem, vel antequam accedat quis ad communionem

nem, si ad celebrandum, vel communicandum vrgeatur à periculo mortis comminatæ,& probabiliter sequuturæ; aut ex saltem probabili iactura notabili in bonis temporalibus, si copia Confessarij non habeatur, admittitur ab omnibus,sed satis erit in tali casu cōtritionis actū elicere. Hoc idem approbatur à Conc.Tridentino *sess.* 13.*cap.* 7. sed ibi præcipit Sacerdoti sinè confessione celebranti, vt postea quàmprimum confiteatur, vt clarè constat ex illius verbis: *Quòd si necessitate vrgente Sacerdos absque prauia confessione celebrauerit, quàmprimum confiteatur.* Dixi *præcipit*, quia hodie damnata est opinio, quæ dicebat hoc consuli, non præcipi à Concilio, & Alexander VII. fuit ille, qui talem sententiam condemnauit per damnationem propositionis 38. in serie cæterarum ab ipso damnatarum; propositio autem est ista: *Mandatum Tridentini factum Sacerdoti sacrificanti ex necessitate cum peccato mortali, confitendi quàm primum, est consilium, non præceptum.* Ex duplici capite cognoscitur scandalum contineri in tali propositione: Vnum est, quia dicit: *sacrificanti ex necessitate cum peccato mortali*, nec aliud addit, sicuti vult Tridentinum, nempè quòd fiat actus contritionis, de qua quia nulla fit mentio in dicta propositione, propterea posset aliquis minùs doctus illam ad litteram intelligere, sicque prætermissa contritione, & confessione ex necessitate celebrare. Aliud caput est, quia docens esse solummodò consilium, posset quis non confiteri quamprimum, eò quòd non teneatur ex præcepto.

Hæc aduertat Sacerdos, & sciat casus necessitatis ad duo capita à nonnullis optimè reduci, prout refert Eminen.de Lugo *de Sacram. tom.* 1. *tract. de Euchar. disp.* 14. *sect.* 5. *num.* 197. Primum est instantis mortis; secundum est infamiæ, aut detrimenti grauis,quod incurrit, qui communicare omittit. Nihilominus videatur infra, *vers. Casus.*

Sciat etiam requiri, vt non habeatur copia confessarij, idest si deficiat approbatus, aut si rationabiliter timeatur quòd approbatus publicet peccatum. Ita Petr. de Ledesma *in summ. tract. de Euchar. cap.* 11. *vers. quarto.* Henriq. *in summ. lib.*8. *cap.* 47. Reginald. *in praxi fori pœnitent. lib.* 29. *num.* 107. *&* 108. *ad fin.* Azor. *instit. moral. par.* 1. *lib.* 10. *cap.* 30. *quæst.*8. & alij. Quòd si adesset non approbatus, adhuc non haberetur copia confessarij, nisi priuilegium haberet eligendi sibi confessorem, nam tunc non curritnecessitas celebrandi sinè Confessione: esset tamen in tali necessitate, si ad approbatum nequeat accedere ratione difficultatis itineris, vel breuitatis temporis, vel ob vrgentia negotia, vel ob periculum scandali, seu infamiæ. Ita Nugnus, Reginald. Suar. & alij, quos cum Bonacina refert Barbosa *collectan. Doctor. in Concil. Trident. sess.* 13. *cap.* 7. *num.*7. & *nu.* 8. cum multis docet id esse intelligendum de solis Sacerdotibus, non autem de laicis, & ità tenent communiter DD. contra Nauarrum, apud Syluium *in* 3. *part. quæst.* 80. *art.* 2. *dub.* 2. Item non loquitur Concilium de Sacerdote communicante more laicorum: secus tamen est de communicante in semisacrificio Parasceues, & de assumpto ad complendum sacrificium, quod alius inchoauerat. Sic cum alijs Diana 1. *part. tract.* 14. *res.* 60. Ità est sentiendum de hac propositione damnata, vt sciatur quos casus comprehendat, quos non, sicuti nec comprehendit affirmare, vel negare esse de iure diuino mortalium confessio ante Eucharistiam. Similiter non comprehendit Sacerdotem ex malitia celebrantem in mortali; neque illum, qui actu celebrans mortaliter peccaret ante Communionem, vt docet Nugnus *in* 3. *part. tom.* 1. *quæst.* 88. *art.* 4. *difficult.* 4. contrarium tamen tenet Syluius *in* 3. *part. quæst.* 80. *art.* 4. *dub.* 2. veriorem nihilominus censeo Nugni opinionem, inhærendo verbis Concilij. E contra verò puto probabiliorem sententiam Reginaldi *in praxi fori pœnit. tom* 1. *lib.* 29. *cap.* 7. sententiæ Sayri *de Sacram. lib.* 2. *cap.* 7. *art.* 2. vbi ait in hoc decreto non comprehendi Sacerdotem, qui bona fide cœpit Missam, deinde recordatur peccati mortalis, sed ad infamiam euitandam non confitetur licèt habeat copiam confessarij: verùm Reginaldus meritò dicit comprehendi. Quòd si Sacerdos ante Missam confessus sit, sed oblitus est alicuius peccati mortalis, iste tenetur quamprimum confiteri, vti habet Præpositus *in* 3. *part. quæst.* 80 *art.* 5. *dub.* 4 *num.* 21. Card. de Lugo *de sacram. disp.* 14. *sect.* 7. *num.* 152. addens etiam casum, quo quis ex necessitate confessus sit inferiori non reseruata, non habens superiorem apud quem confiteretur reseruata, iste enim si celebrauit, est postea obligatus quamprimum confiteri.

Casus, in quibus licebit Sacerdoti conscio peccati mortalis in seipso celebrare præmisso actu contritionis eò quòd non habeat copiam confessarij, si quinam sint petat Sacerdos, de quo in hac decisione agimus, dico solere septem enumerari à Doctoribus.

Pri-

Primus est, si Parochus celebrare debet, vt eius Parochiani satisfaciant præcepto audiendi Missam. Idem est, si solùm pro se deberet celebrare Sacerdos, vt præceptum adimpleat de audienda Missa; aut si opus esset consecrare pro communicando moribundo. Ità cum alijs ab ipso citatis tenet Barbosa *in Trident. sess. 13. cap. 7. num.* 8.

Secundus est, si solum per interpretem posset confiteri, nam in isto casu censetur non habere copiam confessarij. Sic Gabr. *loco infra citand. sed num.* 82.

Tertius est, si moriente celebrante post consecrationem vnius speciei, alius debeat sacrificium complere, qui sit in mortali, nec copiam habet confessarij; huius ratio est, quia magis vrget præceptum perficiendi sacrificium. Barbosa *vbi suprà*.

Quartus est, si necessitas vrgeat celebrandi pro benedicendis nuptijs; vel ad satisfaciendum obligationi Capellaniæ; vel pro canenda Missa ratione faciendi officium sepulturæ; vel quia Sacerdos non habet ad sustentandam vitam, nisi accipiat eleemosynam pro celebrando Sacro. Hos casus reducimus ad vnum, aliàs longum numerum texeremus, cùm possint dari alij plures iudicio prudentis, & pij viri. Nominatos tamen ponit Henriqu. *de Euchar. lib.* 8. *cap.* 46. *num.* 6.

Quintus est, quem suprà allegauimus, scilicet periculum vitæ, seu notabilis iacturæ facultatum, quæ sanguis & vita hominis dicuntur. Ita DD. communiter.

Sextus est, quem etiam suprà innuimus, nempè ad scandalum euitandum, vt si Sacerdos non potuerit obtinere à Superiore, vt à reseruato absoluatur, & celebrare debet, alioquin scandalum præbet. Sed an teneatur confiteri inferiori omnia, vel saltem non reseruata, ego teneo cum dicentibus teneri ad confessionem omnium, quia sic indirectè absoluitur, & facit integram confessionem quantùm potest de præsenti, quidquid in contrarium doceat Diana *part. 9. tract. 3. resol.* 11. & 16.

Septimus est, quem Richardus admittit *in 4. dist. 17. art. 3. quæst. 6.* & de eodem dubitat Sylueſter *verb. Eucharistia 3. quæst.* 14. videlicet si non habeatur proprius Confessarius, apud quem possit quis deuotiùs, & vtiliùs sua peccata confiteri. Verùm pro veritate hic casus nullo modo est admittendus, cùm maior deuotio, aut vtilitas non sit præponderans reuerentiæ debitæ Eucharistiæ. Similiter est reijciendus casus positus à Rosella *verb. Communio*, nempè si Sacerdos Regularis carens Confessario propriæ Religionis nolit apud extraneum confiteri, quamuis præstò sit, ad hoc vt vitet suæ Religionis infamiam. Cæterùm omni probabilitate caret casus iste, eò quòd aut nulla, aut modica Religioni sequatur infamia ex sacramentali illa confessione.

Circa sextum casum obseruetur, quòd si habens reseruatum sit Regularis, & mediante pio Confessario non potuit à Superiore licentiam obtinere, vt absoluatur, poterit celebrare, præcipuè si adsit periculum scandali, seu infamiæ: imò posse pro prima vice absolui ex vi decreti Clementis VIII. docet Gabr. à S. Vincent. *de remed. ignorant. disp. 13. dub. 11. num.* 85. & Diana *part. 9. tract. 3. resol.* 15. ait posse pro vna vice dictum Regularem absolui ex tacita concessione Prælati; maximè si celebrandi necessitas vrgeat.

Hinc si dicti, aut similes casus ab aliquo Sacerdote ad praxim deducantur, contrahitur obligatio ab eodem celebrante, per quam finito Sacrificio tenetur quàm primum confiteri, prout in superioribus diximus, & vidimus esse damnatum oppositum affirmare. Nunc oritur dubitatio, quid intelligatur per particulam *quamprimùm*; circa quam ad ipsius germanam significationem percipiendam, sequentia pono notanda.

Notandum primum est, quòd Alexander VII. in numero propositionum, quas damnauit, posuit numero 39. istam: *Illa particula* quàm primum, *intelligitur, cum Sacerdos suo tempore confitebitur*; quæ propositio loquitur de verbis Tridentini allegatis suprà à nobis sub hoc numero 34. Nec aliud significatur, dum dicitur *suo tempore*, nisi antè aliam celebrationem.

Notandum secundum est, quòd si intentio Concilij fuisset præcipere Sacerdoti, qui vrgente necessitate celebrauit cum conscientia peccati mortalis, facto solo contritionis actu, ob defectum copiæ confessoris, vt ante aliam celebrationem confiteatur, superfluè eiusmodi præceptum imposuisset, cùm certum sit dictum Sacerdotem teneri ad confessionem peccatorum mortalium antequam celebret. A fortiori superfluè Concilium dedisset consilium de hoc, cùm notum sit extare præceptum, per quod quisquè obligatur sub mortali ad confessionem mortalium, antequam Sacram Communionem accipiat, vt patet ex eodem Tridentino citante verba Apostoli: *Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, &c.* vt videre est in dicti Concilij *sess. 13. cap. 7.* prout

etiam

etiam omnes DD. affirmant, licèt aliqui velint esse Apostolicum, alij diuinum. Hinc statuitur non benè doceri à nonnullis, particulam *quàm primum*, denotare *ante aliam celebrationem*, nec aliud Tridentinum voluisse; ac proinde scandalosa est hæc 39. propositio ab Alexandro VII. damnata. Quare infertur Concilium statuisse aliquod nouum præceptum, quod negabatur in propositione 38. ex damnatis ab eodem Pontifice, vt diximus, & vlteriùs determinasse tempus faciendi confessionem, non verò voluisse vt fiat ante aliam celebrationem, quia iam erat ex obligatione, quòd Sacerdos confiteretur antequam rursus celebret.

Quibus prænotatis dicendum est cum Cardinali de Lugo *de Sacram. tom. 1. de Vener. Euchar. Sacram. disp. 4. sect. 7. num. 161.* fuisse Tridentini intentionem per illam particulam *quamprimùm confiteatur*, consulere puritati, & conscientiæ Sacerdotum, idcirco voluisse, vt dato casu necessitatis celebrandi cum sola contritione, maneret obligatio confessionem faciendi quamprimùm, quatenus sic tolleretur periculum iterum, atquè iterum celebrandi absque confessione; quare infert idem de Lugo, posse euenire, vt sub mortali obliget dictum præceptum ad confitendum eadem die, si Confessarium hodie habet, & non est certus an cras illum habebit, cùm tamen cras debeat necessariò celebrare; & sic quamuis tertio die habiturus sit certò Confessarium, debet confiteri hodie, nam illa dilatio licèt sit parua quoad tempus, est magna in qualitate, cùm sit causa nouæ celebrationis antequam confiteatur, & eamdem sententiam docet Io. Sanc. *in selectis, disp. 32. num. 14. vers. cùm autem Concilium*, dicens Sacerdotem celebrantem non præmissa Confessione ob inopiam Confessarij teneri *quamprimùm possit* confiteri, si aliud graue, non obstet. Ità & ego iudico esse intelligendum Tridentinum, ac proindè licèt non sit damnatum, tamen non placet quod Diana *part. 1. tract. de celebrat. Missar. resol. 60.* dicit, nimirum illud *quamprimùm* significare *intrà triduum*. Faciliùs potest approbari dictum Zerolæ *in praxi pænit. cap. 10. quæst. 32.* & Barthol. à S. Fausto *tom. 3. tract. de pænit. lib. 4. quæst. 20.* docentes talem particulam *quamprimùm* significare *in sequenti mane*.

Et vt ad compendium reducamus quid damnatum sit ab Alexandro VII. in præallegatis propositionibus 38. & 39. dico fuisse meritò ambas damnatas, quia Tridentini mens fuit præcipere Sacerdoti ob necessitatem sacrificanti cum sola contritione, eò quòd in mortale peccatum inciderat, vt *quamprimùm confiteatur*. Et id esse præceptum manifestè colligitur ex verbis Concilij *in d. sess. 13. cap. 7.* vbi vtitur voce *decreuit*, quæ vox non solùm ad præcedentia, sed & ad subsequentia verba refertur. Nec obstat, quòd postquam Concilium vsus est verbo *decreuit*, postea tamquam in distincta periodo post punctum posita, dicat *quamprimùm confiteatur*. Respondetur enim omnes periodos esse scriptas veluti vnum decretum componentes, & propterea immeritò interpretari verba Concilij in *d. cap.* itaut partim decretum, partim consilium sonent; cùm enim numquam legatur in illo capite vox *consilium*, consequenter non datur locus ad interpretandum voluisse Concilium tantummodo consulere, vnde cùm legatur ibi verbum *decreuit*, omninò voluit præcipere, seu aliquid de nouo inducere, hoc enim suapte natura habet significare tale verbum, vt constat ex gloss. *in cap. eos, de senten. excommun. lib. 6.* & *ex Clement. 1. de caus. possess. & proprie.* & *ex Clement. 2.* vbi gloss. *verb. decernimus, de reb. Eccl. s. non aliena nd.* & tenent Flamin. *de resignat. lib. 13. quæst. 2. num. 3.* & hoc nouum, quod inducit, arguitur esse præceptum, quatenus verbum *decernimus* dicunt importare necessitatem Gratian. *dist. 4. in fin.* Archid. *cap. 1. num. 2. dist. 76.* vbi Dominic. & Turrecrem. *in fin.* Anton. *cap. nam concupiscentiam, num. 4. de constit.* Felin. *num. 8. limit. 4.* Imol. *num. 9.* Decius *in 2. lectur. in nou. edit. num. 25.* & præterquamquod declarauit Alexander VII. Concilium induxisse præceptum in suis verbis iuxta prædicta, ità tenuerunt etiam ante dicti Pontificis tempora Coninch. *de Sacram. quæst. 80. art. 4. in fine*. Reginald. *in praxi fori pænit. lib. 29. num. 10.* Hurtado *de Euchar. disp. 9. diffic. 7. in fin.* Suar. *de Sacram. disp. 66. sect. 7.* Bonaci. *de Sacram. disp. 4. quæst. 6. punc. 2.* Io. Sanci. *in selectis, disp. 32. num. 12.* Io. de Lugo *tract. de Euchar. disp. 14 sect. 7. num. 135.* Bartholo. à S. Fausto *d. lib. 4. quæst. 20. fin.*

Sed an sit præceptum obligans ad mortale, vel tantùm ad veniale, nihil habetur determinatum, itaut contra damnationem sit negare esse mortale; nam Papa damnauit solummodò affirmare, quòd non sit præceptum, nec aliquid dixit de grauitate, vel leuitate talis præcepti. Et quia ex vi verbi *decreuit*, quo Tridentinum vsus est, nos probationem deduximus fuisse Concilij mentem præcipere, vt Sacerdos *quamprimùm confiteatur*, si ex necessitate celebrauit

 sinè

sinè confessione, sed sola contritione, eò quòd esset in mortali, propterea duo possent inferri ab aliquibus.

Primum est, quòd non nisi sub veniali tale præceptum obliget, quia dum legislator vtitur verbo *decernimus*, censetur velle obligare ad solam culpam venialem. Ita Armilla, *verb. Lex, num.* 4. Tabiena *eod. verb. num.* 28. *quæst.* 29. & *ibi* Eman. Sà *num.* 6. Idem docetur ab Azorio *instit. moral. lib.* 5. *cap.* 6. *q.* 5. *tom.* 1. dicente, quòd verba communia, inter quæ præcitati Doctores numerant verbum *decernimus*, dum adhibentur à Legislatoribus, non continent grauem obligationem; & expressè id tenent Abb. *rubr. de obseruat. ieiun. in fine*, & Nauar. *in summ. Hispan. cap.* 23. *num.* 48. *Latin. num.* 49. Philiar. *de offic. Sacerdot. tom.* 1. *part.* 2. *lib.* 3. *cap.* 2. *dict.* 1.

Secundum est, quòd cùm tale verbum sit commune, ac proinde nec præcepti, nec præcepto æquipollens, prout dicunt Abb. *cap. nam concupiscentiam*, *num.* 4. *de constit.* Angel. *verb. lex*, *num.* 3. Armilla *eod. verb. num.* 4. Syluest. *verb. præceptum*, *quæst.* 2. Gabr. 4. *dist.* 16. *num.* 3. *art.* 1. *ad fin.* Gutier. *quæstionum canon. lib.* 1. *c.* 7. *num.* 25. Vasq. 1. 2. *quæst.* 96. *art.* 4. *disp.* 158. *cap.* 3. *nu.* 23. Azor. *suprà*. Tabien. *verb. præceptum*, *num.* 7. ideò Sanch. *in decal. lib.* 6. *cap.* 4. *num.* 42. cum alijs putat veriùs esse tunc legem ad nullam culpam obligare, quia in verbis communibus obligatio nequit contineri, vnde rigidioribus, & expressioribus verbis solet vti Legislator, quando ad culpam intendit obligare: Igitur non benè fuit suprà probatum voluisse Concilium Tridentinum imponere præceptum Sacerdoti vt quamprimùm confiteatur, si ob necessitatem celebrauit in mortali sinè præuia confessione, licèt per contritionem peccatum suum procurauerit delere, per hoc quòd vtatur verbo *decreuit*.

Nihilominus respondetur fuisse optimè probatum, quòd ex verbo *decreuit* adhibito à Tridentino in præsenti, intelligitur Concilium imposuisse præceptum obligans ad mortale. Licèt enim concedamus verbum *decreuit* esse commune, si solitariè scribatur, nec per alia verba limitetur, negamus tamen quòd hoc modo legatur scriptum in isto decreto, de quo loquimur. Et vt id clarè ostendamus, scienda est doctrina generalis Iurisperitorum, nimirum quòd verba præcedentia declarant sequentia, & è conuerso, *l. virum*, *ff. de petit. hered. l. qui filiabus*, *in princ.* & *l. si seruum*, §. *fin. ff. de legat.* 1. Castrens. *cons.* 347. *num.* 2. *vers. ad quartum*, *lib.* 2. Surd. *decis.* 288. *num.* 30. *& seqq.* Farinac. *in praxi crimin. part.* 4. *cons.* 30. *num.* 115. & *cons.* 65. *num.* 110. Mari. Antonin. *variar. resol. lib.* 3. *resol.* 1. *num.* 60. Card. Tusch. *litt. V. concl.* 144. *num.* 21. Imo verba præcedentia magis declarant sequentia, quàm è contra, prout docuit Cephal. *cons.* 156. *num.* 10. *& seq.* & *cons.* 351. *num.* 38. Paris. *cons.* 23. *num.* 118. *lib.* 1.

Vlteriùs est receptissima doctrina, quòd verba quantumuis generalia debent restringi ad rationem, & causam, propter quam fuerunt prolata, & intelligenda sunt secundùm ea, quæ præcedunt, *l. non est nouum*, *ff. de legib. l. hæres meus*, §. 1. *ff. de legat.* 1. *l. si ex pluribus*, *ff. de solutionibus*, & tenent Card. Tusch. *lit. V. conclus.* 122. *num.* 44. Surd. *cons.* 431. *num.* 12. Menoch. *cons.* 496. *num.* 54. Abb. 114. *Attingendo*, *num.* 4. *lib.* 2.

Quibus præmissis liquet manifestè, quòd verbum *decreuit*, quatenus insertum in longa ordinatione Tridentini pro casu nostro nunc examinato, declaratur à verbis præcedentibus, quæ sunt de graui, & de necessaria obligatione non communicandi in mortali, atquè ideò volenti communicare, opus est vt in memoriam reuocet præceptum illud, *Probet autem seipsum homo*, & hoc *Sancta Synodus perpetuò seruandum esse decreuit*, *modò non desit illi* (scilicet Sacerdoti debenti ex necessitate celebrare) *copia Confessoris*. Ità loquitur Concilium in *d. sess.* 13. *cap.* 7. Deindè subdit immediatè, adeoque prosequens in *decernendo*, seù in *præcipiendo* sub eadem necessitate, & obligatione graui, *quòd si necessitate vrgente Sacerdos absquè præuia confessione celebrauerit, quamprimum confiteatur*. Et ità esse dicendum conuincitur omninò ex adductis doctrinis, si est verũ, prout verissimũ est, quòd in aliquo statuto verba præcedentia declarent sequentia, quæ sunt intelligenda secundùm ea, quæ præcedunt: ergo euidenter probauimus in nostra ratione præallegata, quòd ex Concilij textu præceptum imponitur, vt quamprimum Sacerdos, confiteatur iuxta prædicta, ac proindè duæ suprapositæ propositiones ab Alexandro VII. damnatæ, plenæ sunt scandalo, & temerè edoctæ. Non igitur releuat, quòd Legislator vtens verbo *decernimus*, vtatur verbo communi, per quod nullam intendat imponere obligationem culpam inducentem, vel ad maximum solam venialem, prout supra à pluribus Doctoribus notaui, nam data veritate harum opinionum, quoties verbum generale *decernimus* nullam debet

pati

pati restrictionem, seu declarationem propter præcedentia, vel subsequentia verba; deficit postea talis veritas, vbi ex antecedentibus, vel subsequentibus verbum illud *decernimus*, declaratur; & ad hanc veram, & communem doctrinam fortassè non attendentes aliqui, propterea duas illas propositiones docuerunt cum pernicie salutis animarum.

Et vt nostra asserta confirmemus, notetur quòd verba communia, idest generalia restringuntur secundùm subiectam materiam, vt habetur ex *l.3.§.si quis hæredi, ff. de statu liber.* & tenent Geminian. *cons. 29. num. 3. in fine.* Io. de Imol. *cons.* 141. Card. Tusch. *lit. V. concl.* 132. Rot. *decis.* 541. *num.* 4. *apud Farin. p.1. recent.* & in nostro facto materia est grauis, & obligans; ergo verbum ex se commune, cessat esse tale, sicque *decreuit*, denotat Concilium præcepisse sub graui obligatione, licèt vnicum peccatum committat Sacerdos tale præceptum transgrediens: ità Gabriel à S. Vincentio *de rem. ign. di.* 13. *d.*11.

Confirmatur secundò, nam verba generalia restringuntur, ne actus pereat, vt docent Fulgos. *cons.* 28. *in fine*, & Card. Tusch. *d. litt. V. concl.* 134. ergo vox *decreuit* à Tridentino in casu præsenti adhibita debet restringi ad significandum graue *præceptum* adimplendum *quàm plurimùm* iuxta dicta à nobis, non verò iuxta sensum propositionis damnatæ ab Alexandro Septimo, aliàs periret, & superfluum esset, seu vanum illud Tridentini decretum, si dicatur consilium importare, vt antè aliam celebrationem Sacerdos confiteatur, non verò statim ac potest, prout constat ex dictis *supra*, *vers. notandum secundum*, vnde simul patet meritum damnationis propositionum 38. & 39. damnatarum à dicto Pontifice. Obligare autem sub mortali, tenet de Lugo *de Euch. disp.* 14. *num.* 135. Nugn. *de Eucharist. diff.* 3. & alij communiter.

35 Concludo secundò, licere non agere iuxta præcepta tum ciuilia, tum canonica, quando metus mortis incutitur alicui extraneo ad extorquendam actionem prohibitam per dicta præcepta, quamuis talis actio exigatur fieri per tertiam personam, & non per eam cui metus incutitur; vt sit si quis dicat Petro Sacerdoti, nisi tu consecres panem fermentatum in tua missa, vel nisi non ieiunies, ego occidam hunc Turcam. Ratio est ex concursu duorum præceptorum, quorum minus cedit maiori, & cùm præceptorum Princeps sit Charitas, quæ obligat ad succurrendum proximo extremè laboranti in mortis periculo siue intrinseco, siuè extrinseco, ideò non ratione metus proximo iniustè incussi, sed ratione adimplendi Charitatis præceptum, licet in tali casu ipsi Petro postponere præcepta consecrandi in azymo, ac ieiunandi.

36 Amplio dictam doctrinam etiam in casibus non obseruandi legem iuris naturalis, vel diuini scripti, nam currit eadem ratio ac de lege Canonica, & ciuili. Azor. *p.* 1. *Instit. moral.*

37 *lib.*1. *cap.*11. *quæst.* 3. Limito tamen, nisi in Fidei, aut Religionis contemptum aliquid extor-

38 queatur per metum sibi, aut alijs incussum. Limito adhuc, nisi bonum commune, aut offensio aliorum obligent ad potiùs moriendum, quàm legem diuinam ex quouis metu non seruare.

39 Amplio, quòd liceat non facere iuxta legem v. g. non audiendi missam ob metum grauem illatum alicui non coniuncto, nec stricto amico, sed omninò extraneo, vt si esset Turca, quoties non solùm mors comminatur, sed & aliud malum, quod præcepto Charitatis tenemur impedire, posthabitis alijs præceptis infe-

40 rioribus. Declaro me *Turcam* adduxisse supra, vt tantummodò exprimerem in eo rationem proximi, nec coniuncti nobis, nec amici, quatenus sic clariùs constaret responsio ad difficultatem, & status ipsius, quæ agebat de metu incusso iniustè alicui extraneo nobis, vt à nobis extorqueatur aliquid contra humanam, na-

41 turalem, & diuinam scriptam legem. Quam declarationem facio, quia tantùm abest, quòd Christianus non teneatur aliquando ex Charitate erga Turcam, vt potiùs possit aliquando ipsi damnum inferre; & hoc verificatur quando ipse fidelis extaret in terris, quæ erant Christianorum, at fuerunt ab infidelibus vsurpatæ, nam ex iure belli, & ex præsumpta voluntate Principum fidelium, cum quibus ipsi infideles habent bellum iniustum, licitum erit in tali casu quibuscumquè Christianis ibi commorantibus, siuè per illas terras transeuntibus, aut ibi iniustè, vel iustè detineantur quæcumquè bona, à quocumquè ex dictis infidelibus surripere, cessante scandalo. Sic Molina *tom.*1. *de iu-*

42 *stitia, disp.* 37. Item Christianus ab infidelibus iniustè detentus, potest licitè furari ab eis solummodò, qui ipsum detinent, vel in captiuitatem redegerunt, tantum, quantum sui redemptio, & famulatus, & iniuria, & damna inde secuta merentur, quia ipsi sunt causa damni, non verò alij infideles. Ità Sanchez *opusculorum moralium, part.*1. *lib.*1. *cap.*5. *dub.*11. *num.*4.

43 Cæterùm nemo Fidelis per terras infidelium transiens, potest priuata authoritate bona illorum accipere, vel deprædari, vel damnum facere, nec decipere in contractibus, aliàs & esset peccatum, & restitutionis obligationem haberet; nam quamuis iniustè occupentur dictæ terræ ab infidelibus, tamen lucra ex eorum industria cumulata sunt ipsorum. Item suadetur, nam tempore treguæ debet hostibus seruari fides: *cap. noli 23. q. 1.* ergo non licitum est illis damnum inferre. Ità docent D. Antonin. *2. part. tit. 1. cap. 15. §. 1. fine.* & communiter Summistæ. Tabiena *verb furtum, num.* 8. Syluester *eadem verb. q.* 8. Angelus *ibi, num.* 39. Armilla *num.* 12. Rosella *num.* 24. & etiam So-
44 tus *lib. 5. de iust. quæst. 3. art. 5.* Ex quo sequitur oppositum dicendum esse pro tempore belli, quia Principum Christianorum authoritas tunc adest, & sic eorum bona prædari fas est, sicut & ipsosmet infideles licet captiuos facere. Sic D. Antonin. & citati Summistæ Tabien. Syluest.
45 Armill. Rosella. Casu autem quo aliquis Christianus teneretur infidelibus restituere accepta ab eis contra iustitiam, satisfaciet restituendo Principi Christiano, cuius est illa terra, in qua furtum fecerat. Ratio est, quia ille Princeps Christianus habet ius ad illa bona, & alia plura auferendum, ac etiam bellum indicere, eosque infideles in seruitutem potest redigere. Ità Sotus *vbi supra*, & alij.

# DECISIO XC

*An iudicanda sit apostata Monialis fugitiua, si iuret se non esse professam.*

## Casus, seu Historia XC.

### SVMMARIVM.

1 *Casus proponitur.*

2 *Continet quatuor capita.*

3 *vsque ad 23 Plura de Religiosis personis vtriusque sexus quoad fugam à carcere, ac à Monasterio.*

24 *vsque ad 54 Traduntur omnia circa dimissionem habitus Religionis.*

55 *vsque ad 68 Fit examen de afferente se non voluisse profiteri, licèt extrinsecè professionem legerit.*

69 *Agitur de iuramento facto sinè animo iurandi.*

1 Instante fine anni Nouitiatus Sororis N. in Monasterio N. fuit ab Episcopo examinata in ordine ad professionis emissionem, & illam adiudicauit vndequaquè dispositam, vt ad professionem admitteretur. Aduenit professionis dies, in quo professionem emisit, sinè animo tamen verè profitendi, prout ipsa Confessario suo iurauit. Paucos post dies reuersus est ad Monasterium Episcopus, ibique coram Abbatissa aduocauit dictam Sororem, quam interrogauit an libenter professionem emiserit, illaque respondit affirmatiuè. Nondum à die professionis fluxerat mensis, quòd Regularis obseruantiæ inimica, tales admisit culpas, vt digna carcere fuerit iudicata. Carceri ergo fuit tradita, sed ab eo, imò & à Monasterio fugit, dimissoque habitu religioso, protectioni cuiusdam potentis viri se tradidit. Factum subditur examini vtriusque fori, & quia iurat se non habuisse intentionem profitendi, quamuis professionem scriptam externè materialiter legerit, sicuti materialiter Monialis habitum gestauit, propterea varia dubia continet præsens Historia, quæ ad quatuor capita reducuntur, eaque distinctim considerabimus.

2 Primum est de fuga à carcere. Secundum de fuga à Monasterio. Tertium de habitus dimissione. Quartum de duplici confessione, vna affirmante sinè iuramento, altera negante cum iuramento intentionem profitendi.

### §. I.

*An interdum liceat personæ Claustrali fugere à carcere, & à Monasterio.*

3 Pro præsentis quæsiti solutione expedit recolere quæ diximus in *Decisione 84. per to-*
4 *tam.* At ibi dictis nunc addo, licere Religioso pœna mortis, vel mutilationis plectendo, fugere à carcere, non obstante quouis Superioris præcepto, vtpote iniquo, & contrario iuri naturæ, quod ius nullo voto Religiosus à se abdicauit. Sic Petrus de Ledesma *2. tom. sum. tit. 8. c. 24.* Sot. *lib. 5. de iust. quæst. 6. art. 4. circa sol. ad 2.* Lessius *de iust. lib. 2. cap. 31. dub. 5. num. 34.* Syluest. *verb. fugere, num. 1.* & alij.
5 Et quia Bannes *2. 2. quæst. 69. art. 4. post 5. concl.* docet licere Religioso fugere, si sit damnatus ad durissimam pœnam, non vt vagetur, sed vt adeat Superiorem petiturus veniam, in-
6 fertur licere ei fugere si ad triremes esset damnatus, quia sunt veluti mors perpetua. *l. penult.*
7 *ff. de reg. iur.* Non sic est de Moniali, quia abdica-

cauit à se ius egrediendi à Clausura, tamen à carcere poterit fugere, vt adeat Episcopum ad
8 parlatorium. Posset tamen exire à Clausura in casibus in iure expressis, scilicet epidemiæ, lepræ, & incendij ex vi motus proprij Pij V. *sub Kalend. Febr. ann.* 1569. ampliando *cap. periculoso*, *in princ. de statu regul. in 6.* sed ad
9 Episcopum spectat declarare, an hìc, & nunc talis sit lepra, ac epidemia, vt sufficiens causa sit pro exeundo: Ità debere intelligi Trident. *sess.* 25. *cap.* 5. *de Regular.* dicit Sanch. *sum. tom.* 2. *lib.* 6. *cap.* 15. *num.* 31. *& num.* 37: extendit di-
10 ctos casus ad similes, & ad vrgentiores, quos non excludit dictio taxatiua, vt probant Euerard. *in top. legal. à loco natura dictionum taxatiuar. num.* 4. & Padilla *auth. res quæ, num.* 81. *cap.*
11 *commit. deleg.* Si autem vita vnius Monialis sit saluanda, vult Sanchez *loco citato, num.* 39. non posse exire à Clausura, vt v. g. si esset occidenda; & ducitur, quia casus est dissimilis, & inferior taxatis, & bonum commune seruandi clausuram præualet priuato vnius, quando periculum est ab intrinseco.

12 Sed pro vita tuenda censeo licere à carcere, & à Monasterio cuique fugere, dummodo fuga sit necessaria. Ratio est, quia nullum ius positiuum potest tollere ius naturale conseruandi vitam. *Clement. Pastoralis*, §. *caterùm de sent. & re iud.* & *l. vt vim, ff. de iust. & iure*.
13 Item, quia lex Canonica non obligat cum vitæ
14 periculo. Item, quia pro vita saluanda potest quis Clausuram ingredi; ergo & egredi; & de
15 hoc refert, & approbat casum Bordon. *variar.*
16 *resolut. part.* 2. *res.* 76. *quæst.* 14. Item, quia sic est præsumendum de pia intentione Pij V. Hanc sententiam docent Sorb. *in annot. ad compen. Mendic. verb. ingressus Monasteriorum Monialium, num.* 6. Nauarr. *comment.* 4. *num* 49 *&* 50. *de Regular.* Azor. *instit. moral. tom.* 1. *lib.* 13.
17 *cap.* 8. *quæst.* 1. & alij. Requiritur tamen Superioris licentia, si peti potest, secùs si non potest, quia tunc erit tacita, vel non erit petenda, vt in fuga licita ratione sententiæ, &c.

18 Igitur non erit fugitiuus apostata Religiosus iniustè notabiliter grauatus, si ad Superiorem eat pro naturali defensione, nec obstat Trident. *sess.* 25. *de Regular. cap.* 4. & sic docent Baldus *cap. ad nostram, num.* 4. *de appellat.* Deci. *ibi, nu.* 2. Roder. *quæst. regular. tom.* 1. *quæst.* 30. *art.* 3. Sayr. *in Claui Regia, lib.* 12. *cap.* 17. *num.* 40. Azor. *instit. moral. tom.* 1. *lib.* 12. *cap.* 11. *quæst.* 7. Ant. Cuc. *lib.* 3. *instit. maior. tit.* 1. *num.* 130. Sà *sum. verb. Religio, num.* 71. Nauarr. *comment.* 2. *de Regular. num.* 61. & *comment.* 3. *num.* 51. *ad* 4.
19 vbi affirmat non posse Episcopos punire tales adeuntes Superiorem, prout aliàs possent fugitiuos, vel à Conuentu discessos sinè licentia in scriptis ex concessione Tridentini *loco citato*. Deberet tamen Religiosus sinè culpa sic fugiens, fidem sufficientem facere Episcopo de tali iusta fuga. Sic Sayrus *supra*, & Roderic. *supra, art.* 4.

20 Ex dictis liquet quando fuga non erit illicita, & per consequens non reddit apostatam; & notetur fugitiuos propriè esse, qui à Monasterio recedunt sinè licentia superiorum, vt extra ipsorum potestatem, & obedientiam sint. *l. quis*
21 *sit fugitiuus, ff. de edilit. edicto*: Apostatas verò esse, qui à Monasterio recedunt animo, & voluntate excutiendi obedientiæ iugum in perpetuum, ac deserendi religiosum institutum. Videatur Roder. *supra, art.* 1. Azor. *supra, cap.* 16. *quæst.* 1. Less. *de iust. lib.* 2. *cap.* 42. *dub.* 15. *num.* 109. Angel. *verb. apostasia, num.* 4. Syluest. *eod. verb. quæst.* 4. *num.* 9 Nauarr. *lib.* 5. *consilior. tit. de apostatis, consil. vnic.* & alij.

22 Nec retentio, aut dimissio habitus constituit Apostatam, sicuti nec si habitus alio cooperiatur. Ità Rotam definiuisse ait Mandos. *in signat. grat. verb. licentia*; & tenet Roderic. *supra, art.* 2.

23 Requiritur tamen pro vera Apostasia, vt Religio sit à Sede Apostolica approbata. Bann. 2. 2. *quæst.* 12. *art.* 1. *dub.* 1. *concl.* 1. Hæc sufficiant circa primum, & secundum punctum.

## §. II.

*Agitur de dimissione habitus Religiosi.*

24 Circa tertium punctum est notum, quòd in *cap.* 2. *ne Clerici, vel Monachi, in* 6. à Bonifacio VIII. excommunicantur Religiosi habitum dimittentes, ad quam excommunicatio-
25 nem incurrendam requiruntur tria: Primum est, vt dimissio fiat extra Monasterium, vel intrà & postea egreditur. Secundum est, vt talis dimissio sit peccatum mortale. Tertium est, vagatio. Horum trium, si vnum desit, non incurritur excommunicatio dicti *cap. ne periculosa* 2. in quo licèt Papa loquatur in masculino, di-
26 cens: *Aliquis*, &c. tamen comprehendit omnem speciem. Menoch. *cons.* 609. *num.* 18. Surd. *cons.* 33. *num.* 20. & alij; & sic neminem excipit.
27 Fusar. *cons.* 145. *num.* 26. vnde comprehendit
28 etiam fœminam. Roland. *cons.* 82. *vol.* 3. Aret. *cons.* 39. Alex. *cons.* 24. *lib.* 2. & ideò æquipollet plurali. Farinac. *decis.* 668. *num.* 5 *p.* 2. *recent.*

29 *cent.* vbi citat Rotam *in Leodun. domus*, 23. *Martij* 1611. *coram Card. Caualerio*, quæ refert Fulgos. *concl.* 47. *num.* 1.

30 Limita, nisi aufugiens à carcere fuerit in eo priuatus habitu, nam excommunicatio exigit
31 actiuam, non passiuam dimissionem, quæ passi-
32 ua dimissio caret motiuo vagationis. Imò professus priuatus habitu tenetur sinè illo incedere etiam post fugam. Sic Bordonus *variar. resolut. p.* 1. *ref.* 35. *num.* 26. cum Nauarr. Bonac. Roder. & Sanchez, & *num.* 27. damnat Superiores expoliantes subditum carceratum sinè iudiciali sententia, & ponit quando expe-
33 diat illum expoliare. Hinc Religiosus dimittens habitum, quo à Superioribus debebat expoliari, non incurrit hanc excommunicationem. Sic Bordonus *num.* 29. ideò eiectus licitè dimittit habitum.

34 Nec contrahit excommunicationem, qui habitum dimittit ad breue tempus, scilicet per
35 horam vnam. Sanchez *in decalog. tom.* 2. *lib.* 6. *cap.* 8. *num.* 55. non enim dicitur dimitti, quod breui tempore sumendum est. *l. diuortium, ff. de diuortio.* D. Antonin. 3. *p. tit.* 24. *cap.* 53. Roderic. *qq. Regular. tom.* 2. *quæst.* 76. *art.* 6. Graff. *part.* 2. *lib.* 3. *cap.* 17. *num.* 9. Sayr. *de censur. lib.* 3.
36 *cap.* 33. *num.* 13. *&* 14. Tabien. Syluest. & alij plures; & id verum est etiam pro quolibet malo fine, qui licèt sit mortalis, non est tamen
37 mortalis ipsa breuis dimissio; & ideò Bonac. *quæst.* 2. *de clausur. p.* 2. *num.* 21. tempus notabi-
38 le extendit ad duas, vel tres horas. Sed veriùs dicendum est: Professus strictioris obseruantiæ dimittens habitum per spatium non attingens horam, censetur dimisisse ad breue tempus: Professus laxioris, dicetur notabiliter dimisisse, si attingat ad tres horas: Professus mediocris obseruantiæ non dimittet notabiliter si ad duas horas non attinget; & sic vi-
39 detur sentire etiam Bordon. *loc. cit. num.* 9. At de Monialibus loquendo, censeo esse notabilem dimissionem vnius horæ spatium licèt sint ex laxioribus; ratio est, quia notabiliter id illis dedecet, non sic viris, maximè attentis rigoribus Clausuræ, necnon & periculis.

40 Erit tamen sinè culpa, si habitus dimittatur in sequentibus casibus. 1. Si fiat ex rationabili causa, & sinè scandalo, siuè intrà, siuè extra clausuram, vt causa natandi, piscandi, balneum intrandi, magni æstus, laboris, vtilitatis, dormiendi, mortem, aut aliud damnum vitandi. Sic Tolet. *lib.* 1. *cap.* 39. *num.* 15. Nauar. *cap.* 27. *num.* 131. & alij. 2. Si fiat inter solos parentes, aut extraneis exclusis intrà Monasterium ad vsum honestum laruarum, seu ad saltandum, ac ad aliquid ludricum, sed non malum, pro recreatione recitandum. In quibus casibus si dentur circumstãtiæ peccatum mortale inducentes, erit mortale, vt vult Graff. *part.* 1. *lib.* 3. *cap.* 5. *num.* 77. ac talibus circumstantijs exclusis, erit veniale. Tolet. *lib.* 1. *cap.* 30. Syluest. *verb. habitus, quæst.* 2. Nauar. *cap.* 27. *num.* 131. & alij. At puto non esse veniale, quia sic fit à timoratis, & spectat ad virtutem Eutrapeliæ ipsa honesta recreatio, & omnes sciunt esse Religiosum, qui vtitur laruis. 3. Si fiat à Religioso inculpabiliter fugiente ad Superiorem, si, &, donec necessitas exigat ad se occultandum, ne carceretur, &c. Portell. *in addit. ad dub. Regular. verb. habitus, num.* 3. 4. Si fiat dimissio in casu dubio, sed iudicio prudentium reputatur non temeraria. Nauar. *supra.* Azor. *instit. moral. lib.* 12. *cap.* 13. *quæst.* 5. *casu* 16. *tom.* 1. Syluest. *verb. excommunicat. casu* 24. *num.* 52.

41 Si Religiosus retinet habitum, sed sub alio occultat, negant incidere excommunicationem Zenzelin. *Clement.* 2. *de vita, & honest. Cleric.* Abb. *cap. Deus, qui, tit. eod. num. vlt.* Sayr. *de cens. lib.* 3. *cap.* 33. *num.* 9. *&* 10. Palud. 4. *dist.* 18. *quæst.* 3. *art.* 3. *num.* 41. Tabien. *verb. excommunicat.* 5. *casu* 23. *quæst.* 1. *num.* 2. & alij. Ducuntur, quia propriè habitus non est dimissus, sed occultatus, in quo non est eadem ratio per
42 Gloss. *d. cap. Deus, qui.* Sed incidere affirmant alij, quia in ordine ad aliorum cognitionem habitus est dimissus. Sanchez *sum. lib.* 6. *cap.* 8. *num.* 63. vbi pro hac parte varios textus, & plus quàm 25. Authores affert. Circa has duas opiniones dicit Rosella *verb. apostasia, num.* 8.
43 & *verb. excommunicat.* 1. *casu* 16. *num.* 2. antè factum esse tenendam affirmantem incurrere excommunicationem; post factum poterit ap-
44 probari alia negans. Dato postea, quòd per talem habitus occultationem incurratur excommunicatio *d. cap. vt periculosa* 2. illa nemini ibi reseruatur.

45 Nec censetur habitus dimissio, si sinè assumptione alterius habitus, dimittatur proprius, vel notabilis eius pars. Ratio est, quia rarum est, quòd quis vel nudus, vel indecenter vestitus vagetur, adeoque contra talem non stat lex, nam ad rara leges non solent adaptari, *l. nam ad ea, ff. de legib.* vnde excommunicationem non contrahet. Sic Ioannes Andreas *d. cap.* 2. *num.* 4. & *ibi.* Prob. *addit. ad Monach. nu.* 7. Nauar. *supra.* Tolet. *summ. lib.* 4. *cap.* 18. *nu.* 3. Syluest. *verb. excommunicat.* 9. *casu* 24. *num.* 52. Rosella *eod. verb.* 1. *casu* 16. *num.* 5. & alij.

46 Et

46 Et quamuis cum licentia moretur extra Conuentum ipse Religiosus, si habitum dimittat iuxta prædicta, excommunicationem incurret, Syluest. *loco citato, casu* 25. *num.* 55. Rosella *loco citato.* Ledesma 2. *part.* 4. *quæst.* 26. *art.* 2.

47 Item incurret, si proprio dimisso, induat illum alterius Religionis. Roderic. *qq. Regular. tom.* 2. *quæst.* 76. *art.* 2. D. Antonin. 3. *part. tit.* 24. *cap.* 53. Caiet. *sum. verb. excommunicat. cap.* 61. Armilla *eod. verb. casu* 53. Sayr. *de cens. lib.* 3. *cap.* 38. *num.* 17. Passarell. *in priuileg. Minim. cap.* 34. & alij. Item incurreret, quamuis habitu dimisso maneret inclusus in domo sæcula-
48 rium sinè animo apostasiæ, vel fugæ. Ratio est quia textus non quærit talem animum, sed so-
49 lam occasionem vagandi. Gloss. *vers. vagandi materia in extr. Ioann. XXII. Execrabilis*, & *l. si quis domesticor. C. de domest. & protect.*

50 Apostata nullam incurrit excommunicationem, si habitum non dimittit. Sic Angelus *ver. apostasia, num.* 6. Lessius *de iust. lib.* 2. *cap.* 41. *dub.* 15. *num.* 109. D. Antoninus 3. *part. tit.* 24. *cap.* 53. Abb. *cap. fin. num.* 2. *de Apostas.* Hostiens. Imola, & alij. Contrarium tenent Archidiac. *cap. Abbates, num.* 8. *quæst.* 2. Ioannes Andreas *cap. fin. num.* 1. *de Apostat.* Anchar. *ibi.* & Card. *num. vnic. quæst.* 1.

51 Si Religiosus perseuerans in apostasia Ordinem suscipiat, remanet suspensus, nisi à Papa
52 dispensetur. Superior illius potest illum apprehendere etiam extra territorium; Ità Roderic. *qq. Regular. quæst.* 30. *art.* 6. *tom.* 1. & Na-
53 uarr. *commentar.* 3. *de Regul. num.* 50. Apostata autem si habitum dimittat prætendens nullam suam professionem, non gaudet Priuilegijs suæ Religionis, vt tradit Trident. *sess.* 25. *de Regul.*
54 *cap.* 19. Si verò ad pristinam Religionem, & ad meliorem frugem reuertatur, poterit in Superiorem, ac in Abbatem eligi. Azor. *lib.* 12. *instit. moral. cap.* 17. *quæst. vlt.* Anchar. *cap.* 2. *num.* 3. *ne cler. vel monach. in* 6. Oldrad. *toto cons.* 202. Prob. *d. cap.* 2. *vbi supra.* Hæc erunt applicanda Moniali, de qua agimus in præsenti Historia tum pro foro fori, tum pro foro animæ, nam propterea hoc tertium punctum examinauimus.

## §. III.

***An sit credendum Moniali iuranti se noluisse profiteri, si coram duobus priùs dixerat se libenter professionem emisisse.***

55 AD quartum punctum, quod est de duplici confessione contradictoria, sed prima sinè iuramento, secunda verò cum iuramento, dico standum esse secundæ, vtpote factæ per torturam, *l. si postulauerit*, §. *sed & si negauerit, ff. de adulter.* reputatur autem tortura spi-
56 ritualis ipsum iuramentum, vt docet Panorm. *in cap. per tuas, num.* 11. *de proba.* & sic confessio posterior cum tortura præualet priori sinè tortura.

57 Item probatur; nam confessio fœminarum in attinentibus ad matrimonium spirituale, vel carnale, non præiudicat ipsis, nisi fiat in loco plenæ libertatis, seu libero: ergo in nostro casu standum est confessioni factæ extra clausuram à Moniali in materia suæ professionis, quæ est quoddam matrimonium, & ideò legatum fa-
58 ctum mulieri cum conditione matrimonij, acquiritur per professionem in Religione. Lara *lib.* 4. *capell. c.* 21. *num.* 26. quòd autem locus plenæ libertatis requiratur, traditur à gloss. *cap. cùm locum, de spons.*

59 Confirmatur pro casu nostro, nam coram Prælato, & Abbatissa, quæ personæ timorem reuerentialem causabant in puella, hæc fecit primam confessionem, qui timor excusat in illis, quæ sunt libertati valde grauia, vnde nulla redditur professio ex tali timore facta, vt tradit gloss. in *cap. præsens* 20. *q.* 1. & tenet Nauar. *cap.* 22. *num.* 51. propterea confessio posterior præualet in casu præsenti.

60 Vrgentur prædicta, quia puella negans se consensisse in celebrationem sponsalium, est audienda, si ex sufficientibus coniecturis probet se ob patris metum consensum dedisse, idémque est de consensu in matrimonium de præsenti. Sic Sot. 4. *dist.* 27. *quæst.* 1. *art.* 3. *propos.* 1. Barthol. Ledes. *dub.* 19. *de matrim. concl.* 3. Sanch. *de matrim. lib.* 2. *disp.* 45. *num.* 12. ergo & est audienda Monialis asserens se ob reuerentiam Episcopi, & Abbatissæ fecisse primam confessionem.

61 Vlteriùs fauet secundæ confessioni; quòd si vir asserat se in matrimonium non consensisse, Iudici remittitur ex coniecturis veritatem deducere, vt ait Sanch. *suprà*, *num.* 5. ergo idem erit de professionis matrimonio, quia à carnali
62 ad spirituale matrimonium valet argumentum. Auth. *nisi rogati*, *C. ad Trebell. cap. vlt. & penult. de translat. Prælat.* & *cap. inter Canonicos*, *de elect.* & tenent Roland. à Valle *cons.* 35. *num.* 18. *lib.* 3. Euerard. *in topic. legalib. loco* 33. Oldrad. *cons.* 62. Paris. *cons.* 37. *num.* 10.
63 *lib.* 4. Fortis autem coniectura in nostro facto potest esse leuitas iudicij fœminarum, maximè puellarum, ideò est præferenda omnibus acciden-

dentalibus, quando ista cum illa concurrunt. Sic Ægid. Bellam. *conf.* 43. Tusch. *litt. M concl.* 8. *num.* 1.

64 Nec obstat, quòd puella in præsenti casu potuerit esse perspicacis ingenij, maximè quia ad omnem ceremoniam solitam in profitentibus fuerit admissa. Respondetur enim, quòd licèt verum sit potuisse esse sanam quoad iudicij leuitatem, tamen hæc quia est fœminis naturalis, ideò de facili potest præsumi iuxta illud: *ægrotus olim, præsumitur ægrotus & hodie*. Gloss. *in cap. cùm inter, de elect.* si tamen morbus naturaliter est durabilis, vt declarant Alciat. *reg.* 2. *præsumpt.* 29. Innoc. Card. & Anch. quos refert, & sequitur Roder. *tom.* 2. *qq. Regular. q.* 53 *art.* 5. quæ à fortiori tenent, vbi morbus est naturalis, vt leuitas iudicij in fœminis.

65 Neque obstat, si dicatur indignum esse, vt quis quod sua voce dilucidè protestatus est, in eumdem casum proprio testimonio valeat infir-
66 mare per tradita *in l. generaliter, C. de non num. pecu.* & *cap. per tuas, de probat.* maximè quia primum dictum extraiudiciale testis, præferendum est secundo dicto etiam iurato. Bartol. in *l. eos, ff. ad leg. Cornel. de fals.* Panorm. *conf.* 52. 1. *p.* & alij. Respondetur enim, primam
67 confessionem præferri secundæ, si cætera sint paria; at paria non sunt, si secunda confessio est extorta iuramento, seu per tormenta; prima verò facta fuit metu reuerentiali, & in loco non libero, atquè attentis coniecturis corroboratur secunda contra primam. Ita Nauarr. *lib.* 2. *consilior. tit. de confessis*, *conf.* 1. Hinc Mo-
68 nialis in nostro casu est iudicanda non professa in foro externo, nam quoties agitur de conformando foro externo cum interno, fit idem iudicium, si forus externus non innititur falsæ præsumptioni, nec in pœnam, quæ desiderat sententiam iudicis, damnat. Sic Sot. *de iust. q.* 5. *art.* 3. Ledesma 2. 4. *quæst.* 18. *art.* 1. *dub.* 12. & in præsenti facto non sunt falsæ præsumptiones, nec est pœnalis ipsa professio, ad quam deberet obligari.

Sed quia hìc agitur de reclamante contra professionem, ideò sunt videnda adducta *in decis.* 48. præcipuè *num.* 52. *& seqq.*

69 Post prædictorum exhibitionem, rogabis an adhuc subsistant, licèt Monialis, vt in casu, iurasset sinè animo iurandi; & an per tale iuramentum peccauerit. Respondeo ad primum cum distinctione: Vel enim animum non iurandi Monialis illa exteriùs notificauit; vel non notificauit. Si notificauit, certè idem iudicium erit faciendum, ac si iuramentum pro foro exteriori non præstiterit, vt ex se patet. Si verò animus non iurandi non fuit externè notificatus, tunc Iudex fori externi rectè iudicauit tamquam si verum fuisset præstitum iuramentum, intentio namquè mente retenta nihil operatur in humanis contractibus per l. *cùm in plures* 62. §. *locator horrei*, *ff. locati*. Quòd si post factum iudicium Monialis illa animum non iurandi iam habitum notificet, tunc noua causa insurgit pro nouo iudicio faciendo, si quid ad contentiosum forum deducatur.

Pro foro animæ, seu ad secundum quæsitum respondeo præmittendo vigesimam quintam ex propositionibus damnatis ab Innocentio Papa XI. dicentem: *Cum causa licitum est iurare sinè animo iurandi, siuè res sit leuis, siuè grauis*. Nonnulla dixi de hac propositione *in decis.* 32. *num.* 21. *& seqq.* sed latiùs est de illa agendum pro solutione quæsiti in præsenti decisione. Meritò sanè damnata fuit vt iacet dicta propositio, eò quia licitum facit in quocumquè euentu iurare sinè animo iurandi. Hinc iuxta doctrinam tam amplam nùllum fuisset peccatum cum causa quantumuis leui, & à fortiori cum causa alicuius momenti iurare sinè animo iurandi tum veritatem, tum falsitatem, siuè iuramentum sit promissorium, siuè sit assertorium tum in iudicio, tum extra iudicium, siuè res sit leuis, siuè grauis. Igitur in ea generalitate, cum qua traditur dicta propositio, cadit sub prohibitione, ac damnatione; quare pro aliquo casu limitato relinquitur Doctoribus disputare, vt v. g. an cum causa notabilis momenti liceat iurare veritatem, seu falsitatem sinè animo iurandi, siuè affirmetur, siuè promittatur, si res sit grauis, ac magni momenti. Cæterùm dicere generatim, quòd cum causa idest etiam leuis momenti liceat iurare siuè falsum, siuè verum sinè animo iurandi, siuè res sit leuis, siuè grauis, scandalosè affirmatur licere, nec esse peccatum, cùm numquam sinè peccato falsum taliter iuretur etiam ex graui causa, & multò magis ex causa parui momenti. Et vt hoc probemus, ponam hìc quid in hac materia sit tenendum.

Iuramentum factum cum defectu animi iurandi, in sententia aliquorum est semper, & in omni casu mortale, siuè falsum, siuè verum sit, quod iuratur. Ratio est, nam si iuramentum est falsum, tum asserendo, tum promittendo sinè animo, exhibetur materiæ indebitæ, idest rei falsæ exterior ille cultus latriæ, ad quem pertinet iuramentum, sicuti quia Idola sunt

ma-

materia indebita cultus latriæ, propterea est mortale talem cultum illis externè exhibere, licèt cum fictione interna exhibeatur. Si verò iuretur verum, imò etiam si iuretur falsum animo non iurandi, fit semper quid Deo, & iuramento perniciosum, Deus enim adducitur ad decipiendum; & iuramentum priuatur suo fine, qui est firmare verba, vnde toti generi humano perniciosum est taliter iurare. Ita Armilla *verb. Periurium, num.*3. Caiet. 2.2. *quæst.* 89. *art.* 7. Couar. *de pact.* 1. *p.* §. 5. *num.* 2.

Alij docent esse semper mortale, non solùm si iuramentum dictum fiat circa materiam falsam de præsenti, vel de futuro; verùm etiam quando fit circa materiam veram, sed iuramentum iustè exigitur vel à Iudice, vel ratione contractus. Si autem non legitimè exigitur iuramentum, & sinè animo fiat circa materiam veram, volunt esse tantùm veniale mendacium, per quod iurans dicit se iurare, cùm verè non iuret: Neque proximo irrogatur iniuria, cùm nemo ius habeat ad iuramentum; neque Deo, quia sic iurans non iurat se iurare, & ideò iuramentum non cadit in illud mendacium fictionis iurandi, vndè Diuinum testimonium adducitur ad veritatem confirmandam, quamuis fictè adducatur, nec in hoc adest aliqua illusio diuini testimonij, quemadmodum Deo non illuderet, qui fingeret Deum colere, aut orare, cùm non teneatur tunc verè orare; aut verum actum latriæ exteriùs exercere. Sic tenent Petr. de Ledes. 2. *tom. sum. tract.* 11. *cap.* 3. *dub.* 6. Sotus *lib.* 8. *de iust. quæst.* 1. *art.* 7. *in sol. ad* 4. Suar. *tom.* 2. *de Relig. tract. de iuram. lib.* 3. *cap.* 17. *nu.* 3. *& seqq.* Aragon. 2.2. *quæst.* 89. *art.* 7. *circa sol. ad* 4. *concl.* 6. Lessi. *de iusti. cap.* 42. *dub.* 8. *num.* 42. *&* 43.

Denique Sanch. *in decal. lib.* 3. *cap.* 6. *num.* 10. ait verius esse, quod docet Valentia 2. 2. *disp.* 6. *quæst.* 7. *punct.* 4. *col. vlt.* nimirum quando quis non obligatur ad iurandum, sed irrationabiliter ab eo exigitur iuramentum, si iurans dicit verum, tunc solùm peccat venialiter, quando vult significare se habere animum iurandi, quia est mendacium nemini perniciosum, vt patet ex probationibus adductis iuxta Doctores citatos: Tamen si iurans nolit significare se animum iurandi habere, sed quoddam aliud disparatum vult significare, tunc nulla est culpa. Si autem iurat falsum, & velit verba externa referre ad materiam falsam; confirmando, est mortale, licèt non intendat iurare in animo suo. Ità probatur esse tenendum per rationes adductas supra ex Armilla, Caietano, & Couarruuia. Si autem interiori animo nolit ea verba ad materiam falsam referre, nec potest ob aliquas circumstantias ab alijs reputari id velle, vt inde scandalizentur, sed tantùm iure suo vtens vsurpat ea verba ad significandum aliquid aliud interiùs conceptum, quod verum sit; vel vsurpat ea tantùm materialiter, nil per illa confirmare volens; non peccat mortaliter, nec applicat iuramentum materiæ indebitæ: Imò putat idem Sanchez, nec hunc venialiter peccare, quia nullum est mendacium, & cogit causa iusta vti ea æquiuocatione; sed hìc ego moneo lectorem, vt cautè intelligat doctrinam tangentem vsum æquiuocationis, stante damnatione aliquarum propositionum ad vsum amphibologiæ spectantium, quas latè retuli *decis.* 72. *à num.* 29. *vsquè ad* 48.

Iam ex hactenus dictis circa iuramentum factum sinè animo iurandi, constat quid sit tenendum, tum ne doctrina damnata tueatur, ac ad praxim deducatur; tum vt innotescat qualiter Doctores communiter docent non esse sinè peccato iurare modo prædicto, nisi animus tendat ad materiam non cadentem sub iuramento ex vi æquiuocationis, dummodò hæc fiat iuxta edocta in *d. decisione* 72. *num.* 29. *& seqq.* siuè in iudicio, siuè extra.

Igitur adeò falsum est, quòd licitum sit iurare sinè animo iurandi, vt quamuis causa sic iurandi censeatur notabilis momenti, & res iurata sit grauis, semper sit aliquod peccatum, siuè verum, siuè falsum iuretur iuxta prædicta ex communi sententia, adeoque Theologi scribentes super 3. *sent. dist.* 39. vbi D. Bonauent. *art.* 3. *quæst.* 1. & Richard. *art.* 2. *quæst.* 2. communiter tenent esse ex suo genere mortale iurare externè sinè animo iurandi; imò interdum potest habere malitiam contra iustitiam. Si ergo Monialis in nostro casu iurauit sinè animo, peccauit vel leuiter, vel grauiter prout suprà docuimus; quare finimus, vt ipsa conscientiam suam conueniat, attentis datis doctrinis, maximè damnatis.

# DECISIO XCI.

*An Monialis fornicaria acquirat sibi, vel Monasterio pretium sacrilegarum fornicationum.*

## Casus, seu Historia XCI.

### SVMMARIVM.

1 *Casus proponitur.*
2. *vsque ad* 31 *Probatur pretium turpis vsus corporis personæ Religiosæ fieri proprium ipsius.*
32. *vsque ad* 43 *Suadetur oppositum.*
44 *Taxatio dicti pretij stat in arbitrio personæ honestæ, non verò inhonestæ; sed ex vxoris adulterio nil Maritus potest lucrari.*
45. *vsquè ad* 65 *Statuitur non esse personæ Religiosæ pretium turpe, sed Monasterij.*
66. 67 *Satisfit argumentis.*
68 *Patri egenti an liceat dari aliquid à filio professo.*

1 IN Monasterio N. professionem emiserat adolescentula, quæ vnà cum patre in domo cuiusdam nobilis inseruiebat. Erat nobilis ille Syndicus dicti Monasterij, propterea ad eius preces admissa fuit ad professionem eadem adolescentula sinè dote, excepta dote artificiosi laboris manuum. Anno à professione elapso factus est inutilis Domino ratione infirmitatis famulus pater professæ, quare & Dominus illum dimisit. Curauit pater, vt filia eum commendaret eidem Monasterij Syndico, & Domino suo, quod & filia præstitit. Annuit Syndicus cum conditione, vt data tali opportunitate, consensum daret ipsa supplex in sacrilegum congressum. Respondit adolescentula, se aureum vnum velle toties quoties seipsam concedet ei loco vxoris. Fecit Syndicus ad placitum Monialis, quæ multos cumulauerat aureos, hosque partim interdum dabat patri, partim semper reconditos conseruabat. Demum aperuit omnia Confessario post mortem Syndici, quare de duobus dubitauit idem Confessarius. Vnum est, an pretium fornicationis acquiratur sibi, vel Monasterio. Aliud est, an licitè dederit patri indigenti, etiamsi Monasterio fuerit acquisitum.

2 Et tale pretium acquiri Moniali suaderi potest: Primò, quia si quid obest, ne sibi illud acquirat, est votum Paupertatis reddens incapacem dominij, vel acquirendi, & hoc ex iure Ecclesiastico, vt ait Sanch. *in decal. tom. 2. lib. 5. cap. 1. num. 9.* ergo talis lex non comprehendit casum dictum, vtpote rarum, cùm le-
3 ges non soleant adaptari ad rara, *l. nam ad ea, ff. de legibus.*

4 Secundò: Persona professa non violat votum Paupertatis, nisi sinè licentia expressa, vel tacita aliquid retineat, vel alienet. *cap. cùm ad Monasterium, de statu Monachorum.* & *cap. non dicatis 12. quæst. 1.* assignatur pro ratione, quòd solo nomine superioris aliquid habetur à subdito, sicut patet etiam ex Tridentino *sess. 25. de regular. cap. 2.* quare cùm hæc verificari videantur tantùm in licitis, ac honestis, consequenter videtur Superiores repudiare turpia lucra, eaque nolle Monasterio aggregare.

5 Tertiò Monialis est in matrimonio spirituali, sicuti vxor in carnali, itaut de vno ad aliud valeat argumentum, prout tenent Hippol. *sing. 215. Validum est.* Boer. *decis. 1. nu. 18* Thom. de Thomasset. *in florib. legum, reg. 51.* Vin-
6 cent. de Franch. *decis. 46. num. 2. p. 1.* & alij: Sed vxor non tenetur dare marito pretium adulterij, vt docent Sot. Couar. & Syluest. quos refert, & sequitur Ludou. Carbo. *de restit. quæst. 48. conclus. 9.* ergo nec Monialis tenebitur dare Monasterio pretium actus turpis.

7 Confirmatur, quia Monialis est filia Monasterij, vt notat de personis professis Sanch. *in decal. lib. 6. cap. 9. num. 7.* & ideò ei debentur
8 alimenta etiam post expulsionem sinè causa. Bartol. *l. libertatis 2. §. 1. num. 3. ff. de alim. &*
9 *cib. legat.* propterea sic eiecta potest agere ad alimenta futura, & præterita, quæ nec donatione, nec sua opera obtinuit, vt si v. g. mutuata pecunia se aluit, iuxta Anani. *cap. ex parte, nu. 3. de accusation.* Afflict. *decis. 10. num. 4.* Felin. *cap. cum dilect. num. 16 fall. 3. de rescrip.* &
10 Surd. *de alim. tit. 5. quæst. 1. num. 48.* Cùm ergo filia non teneatur dare patri turpitudinis pretium per corporis sui venditionem, vt docet Carbo. *loc. cit.* cum alijs à se relatis; idem videtur de Moniali respectu Monasterij.
11 Si autem negetur paritas inter Monialem cum voto Paupertatis, & vxorem, ac filiam sinè tali
12 voto; respondetur iuxta dicta *num. 3.* Et si adducatur textus: *Quidquid acquirit Monachus, acquirit Monasterio*, idest acquisita *omni modo*,
13 seu in omni casu, per Fusar. *cons. 52. num. 41.*
14 & propterea non est locus limitationi: Idem, *num. 42.* respondetur, dictionem illam *omni modo*, esse quidem præcisam, iuxta Panorm. *in cap. conquestus, num. 4. de foro competen.* Alciat. *cons. 486. num. 3.* Deci. *cons. 356. num. 3.* Ias. *in l. liber homo, num. 2. ff. de verbor. oblig.*

&

15 & alios; tamen recipere congruam interpretationem à iure communi, vt tradunt gloss. Bart. & Ias. *in l. stipulatus sum damnum, de verb. oblig.* Ruin. *cons.* 8. *num.* 11. *vol.* 5. Rolan. *cons.* 61. *num.* 55. *vol.* 2. & alij; quapropter cum Ius commune non aptet ad rara leges, per consequens currit resolutio iuxta dicta *num.* 3. sicque acquiret sibi Monachus turpe lucrum; &
16 idem est de Moniali, quæ proportionabiliter venit nomine *Monachi*. Menoch. *de arbit. casu* 421. *num. vlt.* Fulg. *cons.* 121. & alij communiter.

17 Confirmatur etiam, nam persona Religiosa comparatur seruo, ex *cap. multos, dist.* 54. quare Bald. *in l. seruus, C. de success.* & Bart. *in l. cum fundus* docent omnia loquentia de seruis, habere locum in Religiosis in ijs, quæ possunt
18 ipsis adaptari; ideò sicut seruus non potest contrahere, *l. Serui, ff. de act. & oblig.* & *§. Item*
19 *inutilis, Instit. de inut. stip.* neque se obligare actiuè, ac passiuè, ità quòd nec ipsi, nec contra ipsum actio conceditur. *l. in persona. l. quod attinet, ff. de reg. iur.* ità pariter neque Religiosus: Sed his non obstantibus seruus, & ancilla sibi acquirunt pretium turpis vsus corporis, vt cum multis tenet Diana *par.* 7. *tract.* 7. *res.* 29.
20 ergo idem est de persona Religiosa. Igitur sicuti *l. acquiritur, §. igitur, ff. de acquir. rer dom.* dicitur: *Quidquid serui nostri ex qualibet causa acquirunt, nobis acquirunt*; vndè serui non sunt domini vestimenti quotidiani, per *l. id vestimentum ff. de pecul.* & tamen sibi acquirunt pretium traditionis corporis; ità erit de Moniali, ac Religioso, licèt dicatur: *Quidquid acquirit Monachus, acquirit Monasterio*.

21 Quartò probatur; nam Maritus nullum lucrum potest reportare ex adulterio vxoris, adeò vt nullum sit pactum remissionis ob lucrum, nullaque sit transactio. *l. de crimine, C. de adulterijs.* & *l. transigere, C. de transaction.* ergo neque Monasterium acquirere potest ex turpitudine suæ Sponsæ.

22 Quintò: Ideò Religiosus inualidè ex priuata authoritate contrahit, quia sinè consensu non fit contractus. *l.* 1. *de pactis. l. consensu, ff. de act. & oblig.* & Religiosus caret consensu, cùm
23 non habeat velle, neque nolle, vt constat ex *cap. Religiosus* 27. *de elect. in* 6. & ex *cap. fin. de testam. & sepulturis eod.* vndè lex resistit ei, ne contrahat; & quando lex resistit, nulla ex actu
24 nascitur obligatio, *l. quod pupillus, ff. de condit. indeb.* At in contractu venditionis sui corporis ad malum vsum, persona Religiosa habet
25 velle, & nolle, & ideò peccat consentiendo, quia sinè consensu non est peccatum; ergo facit
26 suum pretium acceptum, & ideò in conscientia est soluendum promissum pro turpi actu, vt tradit Carbo. *supra, §. octaua conclusio.* Imò si teneretur dare Monasterio tale pretium, proderet se, suumque delictum; vel si v. g. in cellam Abbatissæ illud proijceret, suspiciones, & absurda causaret; ergo non tenetur, quia nulla lex obligat in casu absurdi, adeò vt
27 verba statuti potiùs improprientur ad euitandum absurdum Alex. *cons.* 52. *Viso themate, num.* 2. *lib.* 1. Tusch. *litt. A. concl.* 66. *num.* 21.
28 propterea licet recedere à propria significatione illorum. Alex. *cons.* 80. *Viso, & opportunè,*
29 *num.* 8. & Tusch. *loc. cit. num.* 30. imò & interpretari, etiamsi statutum excludat omnem interpretationem. Tusch. *ibi, num.* 39. & Alex. *cons.* 50. *num.* 1. *lib.* 1.

30 Vltimò suadetur, nam quæuis persona facit suum pretium rei, quæ est sub suo dominio; Sed quæuis persona etiam Religiosa habet dominium vsus, & vsusfructus sui corporis: ergo
31 si talem vsum vendit, faciet suum pretium. Confirmatur, quia etiam meretrix non est domina sui corporis, vt patet ex *l. liber homo, ff. ad l. Aquili.* & ex *cap. contigit, de senten. excom.* & tamen est domina vsus, & vsusfructus, velut emphyteuta eorum, quæ iure emphyteutico possidet. Carb. *d. quæst.* 48. *fin.*

32 Nihilominus est omninò dicendum iuxta sequentes conclusiones.

Prima conclusio. Si quid ab amasijs donetur meretrici publicæ, vel non publicæ, potest retineri, si donans potest donare. Med. Adrian. & alij. Idem est de Moniali, sed an Monasterio debeat dare donata, dicam infra.

33 Secunda conclusio. Iuxta Anton. de Butr. & Abbatem *in cap. quia plerique, de immun. Eccles.* Cyn. & Ang. *in l.* 2. *C. de condit. ob turpem causam*, licet meretricibus publicis accipere, & retinere, secus non publicis. Ità colligitur ex *l. d.* sic enim videntur leges concedere publicis, priuatas verò adulteras punire. *cap.* 1 *& 6. de adulterijs.* Moniali ergo non debetur pretium.

34 Tertia conclusio. Quando leges non puniunt aliquod genus concubitus, tunc in foro exteriori potest retineri acceptum, imò & agere vt detur promissum. Ità DD. communiter, & patet ex *l.* 4. *§. sed quod meretrici, ff. de*
35 *cond. ob turp. cau.* Monialis ergo fornicaria nil potest exigere, vtpote punienda, sicut & adultera ex *d. cap.* 1. *de adulter.* iuncto *cap.* 2. *eod. tit.* & 17. *quæst.* 2. *per totam*, & *l. vnica, C. de*

*rapt. virg.* & *tit. ad l. Iuli. de adulter.*
36 Quarta conclusio. Meretrices publicæ pos-
sunt pretium turpis actus retinere in foro ani-
mæ. Ita D. Thom. Caiet. Nauar. Syluest. D.
Anton. & alij communiter: dummodò vi, vel
37 fraude non extorqueant ab amasijs. Sic Inno-
cen. *d. cap. quia plerique*. D. Thom. 2. 2. *quæst.*
*62. art.* 5. Caiet. *ibi* Palud. *dist.* 15. *quæst.* 3.
38 *art.* 5. *concl.* 4. & alij: non est tamen fraus, si
dicant ardenter amare. Item non possunt ac-
cipere à non habente dominium dandi, & si ac-
39 cipiunt tenentur restituere, nisi paruitas mate-
riæ faciat præsumere de consensu domini.
40 Quinta conclusio. Actus meretricius est pre-
tio æstimabilis. Probatur, primò, nam ideò di-
41 citur meretrix, quia meretur. Secundò, quia
meretrix est domina vsus sui corporis, vt patet
42 ex dictis *num.* 31. Sed noto cum Caietano, tra-
ditionem pretij pro turpi vsu sumi dupliciter:
Vno modo vt imperatur à luxuria, & hoc est
peccatum: Alio modo vt imperatur à iustitia,
quatenus debetur pretium pro vsu corporis
alieni, vnde Prouerb. *cap. 6.* dicitur *pretium*
*scorti vix est vnius panis.* & Gen. 38. Iudas pre-
tium fecit cum Thamar.
43 Idem dicatur de persona meretricium non
profitente, siuè sit masculus, siuè sit fœmina
persona vendens sui corporis vsum, aut istum
44 locans. Est tamen diuersitas, quòd meretri-
cium profitentes habent pretium taxatum; se-
cus verò non profitentes illud, vt cum Lessio
dixi alibi.

Petes: Tenetur ne vxor dare marito con-
sentienti in adulterium pretium receptum? Res-
pondeo vt docui *in decis.* 75. *per totam, præcipuè*
*num.* 54. *&* 55. maritum nihil posse acquirere
ob vxoris congressum cum alio, licèt gratis
possit iniuriam remittere. Sed notetur non
cessare à ratione adulterij dictum vxoris con-
gressum cum non suo ex mariti consensu, &
ideò scandalosa est propositio quinquagesima
inter damnatas ab Innocentio Vndecimo, quæ
dicit: *Copula cum coniugata, consentiente mari-*
*to, non est adulterium, adeoque sufficit in confes-*
*sione dicere, se esse fornicatum.* De hac propo-
sitione aliqua dixi *in decis.* 41. *num.* 32. & *in de-*
*cis.* 75. *num.* 57. & iterum dico eam esse absolu-
tè falsam, & perniciosam, nam fundamentum
illam asserendi non subsistit, scilicet quia volen-
ti, & consentienti non fit iniuria, *l. nemo videtur,*
*ff. de reg. iur.* dicendum est enim maritum non
posse iniuriam remittere, quæ fit Sacramento,
quemadmodum Clericus consentiens in sui
percussionem, non propterea liberat percusso-
rem ab excommunicatione, quia priuilegium
est concessum Ordini; cui priuilegio Clericus
non potest renunciare. Tabiena *verb. excom-*
*municatio* 5. *casu* 1. *num.* 32. §. *quarto*. Sayrus
*de cens. lib.* 3. *cap.* 26. *num.* 19. & Astens. *sum. lib.*
7. apud eumdem Sayrum ait, iniuriam fieri Ec-
clesiæ, sicque quamuis ea, quæ in nos delin-
quuntur possimus remittere quantùm ad nos
pertinet, non tamen possumus quantùm ad Ec-
clesiam. Idem est de marito consentiente in
adulterium vxoris.
45 Sexta conclusio: Quidquid acquiritur pro
quouis actu turpi, potest in conscientia retine-
ri, vt est meretricium, ars Parasitorum, Mimo-
46 rum, & Histrionum, si modo scandaloso exer-
ceatur; fieri enim potest vt ad solã hominũ de-
lectationẽ exerceatur. Sic D. Th. 2. 2. *q.* 168. *art.*
2. Syluest. *verb. ars, qu.* 7. & Canonistæ *in cap.* 1.
47 *de vita, & honest. cler.* Personæ tamen incapa-
ces dominij, vt sunt personæ professæ solemni-
48 ter, sibi non acquirunt. Dixi *solemniter*, quia
per vota simplicia remanet dominij capacitas,
sicut & matrimonij *cap. vnico, de voto, in* 6.
Azor. *instit. moral. tom.* 1. *lib.* 12. *cap.* 12. *quæst.* 8.
Nauarr. Less. & alij; quæ differentia est de iu-
49 re Ecclesiastico. Sanch. *summ. lib.* 7. *cap.* 18.
*num.* 23. & vbi supra eum citaui numero secun-
do huius decisionis; sed quamuis ibi ex hoc
50 arguatur in contrarium, nunc respondetur, le-
ges adaptari insolitis, quando ratio ità exigit
propter absurda, quæ sequerentur, & absurdum
est, quòd persona Religiosa in aliquo casu sibi
51 possit acquirere, repugnat enim cum eius statu,
quòd etiam cum dispensatione Papæ habeat
dominium independenter à Superiore; non ta-
52 men repugnat, si Papa dispenset vt habeat do-
minium cum dependentia à Superioris arbi-
trio. Videatur Lessius *de iust. lib.* 2. *cap.* 41.
*dub.* 8. *num.* 71. & dicta incapacitas colligitur ex
*cap. cum ad monasterium* 6. *de statu Monachor.*
& ex Trident *sess.* 25. *cap.* 2. vbi vtitur voce *ne-*
53 *mini*, quæ est negatiua, vt ait Tusch. *litt. D. con-*
*clus.* 316. *num.* 2. & omnimodam importat ex-
54 clusionem. Abb. *in cap. graue*, *num.* 8. *de offic.*
*ordin.* Item Tridentinum vtitur dictione *quo-*
*uis modo*, quæ omnem casum comprehendit,
vt supra probaui *num.* 12. *& seq.* & recipit in-
55 terpretationem congruam à iure communi, vt
dixi *num.* 15. & ius commune est, quòd Reli-
giosus sit incapax dominij iuxta adducta *num.*
51. *&* 52. & patet ex *cap.* 12. *non dicatis*, ex *cap.*
*Monach.* 2. *de statu Monach.* & ex *cap. cùm ad*
*monasterium*, in quo Innocentius III. prohibet,
*ne quis Monachorum proprium aliquo modo pos-*
*sideat*

56*sideat*; & sic dictio *aliquo modo* comprehendit etiam modum turpem, vt ex eius generali significatione tradit gloss. *in Clement.* 1. *de re iudic.* & *l. cùm pæna*, *ff. de rec. arbitr.* Socin. *cons.*
57 242. *num.* 3. & 4. *vol.* 2. & sic facit intelligi ea, quæ aliàs in conditione non comprehenderentur. Curti.iun. *cons.* 177. *num.* 6. & 7. Bertaz. *de clausul. instrum. claus.* 6. *gloss.* 12. *num.* 2. ergo persona Religiosa numquam sibi potest acquirere; & id suadet *dictum cap. cùm olim*, 2.
58 *de priuilegijs. Monachus quidquid acquirit, non sibi acquirit, sed monasterio*; dictio enim *quid-*
59 *quid* comprehendit omnem modum, per *l. in*
60 *fideicommissi*, §. *nisi Pollidius*, *ff. de vsuris.* & in ea veniunt casus priuilegiati. Menoch. *de præsumpt. lib.* 4. *præsumpt.* 145. *num.* 15. vnde per il-
61 lam nihil remanet apud dicentem, quod adhuc posset exprimere, vt colligitur ex *l. etiam*, *ff solut. matrim.* & docet Gratian. *cons.* 9. *num.* 82.
62 *lib.* 2. & comprehendit etiam minutissima. Cened. *post lib. pract. & canonic. quæst. sing.* 89.
63 *num.* 4. sicque idem est ac omnia. Grat. *d. num.* 82. & qui dicit omnia, nihil excludit. *l. Iulia-*
64 *nus*, *ff. de legat.* 3. Surd. *decis.* 285. *num.* 30. Menoch. *cons.* 156. *num.* 23.

65 Nec obstat, quòd indecens videatur, Monasterium acquirere per peccatum Monachi: Respondetur enim Monasterium non considerare peccatum, sed seruitium pretio æstimabile iuxta dicta *num.* 42. cum Caietano.

66 Ad argumenta, quæ videntur contrarium probare, patet responsio ex dictis, nam ad allata *num.* 2. 3. & 4. & *à num.* 10. *vsque ad* 15. & *à num.* 27. *vsque ad* 29. satisfit cum dictis *à num.* 50. *vsque ad* 58. Ad adducta *à num.* 4. *vsque ad* 10. respondetur non esse idem de Moniali, ac de vxore, vel filia, quia illa renunciauit capacitatem dominij, non istæ; & idem est dicendum ad argumentum positum *num.* 17. Ad rationem sub *num.* 21. dicitur, Iura obstare marito ne acquirat; secus est respectu Monasterij. Ad quintum sub *num.* 22. satisfit cum dictis *num.* 65. nam ratio peccati est penès solam Monialem. Ad vltimum *num.* 30. positum, dicitur, quòd votum solemne fecit incapacem acquirendi sibi omni modo.

67 Nunc dico Monialem peccasse recondendo pecunias, quas tenetur restituere. Nec impeditur restitutio ab absurdis adductis *num.* 26. nam restitutio debet fieri quando absurda, seu incommoda cessant iudicio pij, ac docti viri.

68 Ad secundum dubium, nempè an Monialis licitè dederit patri egenti extremè, patet solutio ex traditis supra *in decis.* 57. *num.* 9. & 10. Item ad rem præsentis dubij inseruient, quæ diximus *in decis.* 14. §. 1. *num.* 6.

---

# DECISIO XCII.

*An licitè in vtroque foro mater occiderit cum fraude bannitum inuasorem pudicitiæ filiæ suæ, si ista parata erat vim pati.*

## Casus, seu Historia XCII.

### SVMMARIVM.

1 *Casus proponitur.*
2 *vsque ad* 7 *Inuasor vitæ, quo iure liceat occidi.*
8. 9 *Requisita ad moderamen inculpatæ tutelæ.*
10 *vsque ad* 15 *Vita à quo, vbi, & contra quos possit tueri.*
16 *vsque ad* 35 *De occisione banniti; & an sit occidendus cum moderamine inuasor vitæ proximi.*
36 *vsque ad* 46 *Satisfit argumentis.*
47 *vsque ad* 68 *Resoluitur casus, & ponuntur quatuor propositiones damnatæ.*
69 *Inuasor pudicitiæ non potest occidi, si inuasa consentit.*

1 Spicas colligebant in agro Mater, & filia fœminæ mediocris nobilitatis, sed magnæ paupertatis, seque sub rusticorum habitu occultatæ putantes, quales essent facies earum publicabat. Ad has accessit iuuenis quidam bannitus, filiæque ciuilem pulchritudinem obseruauit, adamauit, ac ad venerem exoptauit. Pudicæ erant fœminæ illæ, quare frustra impudicus pudicæ filiæ petijt congressum. Pugnabant mulierculæ pro pudicitia tuenda; vim faciebat cum mortis comminatione inuasor pro defloranda puella. Cogebat hostis armatus matrem, vt sinè filia discederet; rogabat & matrem filia, vt vim pati eam permitteret. Ad filiæ verba mater amicitiam simulans dixit aggressori; tu arma depone, & ego voluntatis tuæ ero ministra; ego filiam tibi trado, licèt inuitam. Deposuit ille arma; arripuit mater cultrum, inscio tamen inuasore, ad quem accessit, & fingens cum sinistra super collum illius eum inclinare, vt osculum daret reluctanti filiæ, cultrum cum dextera posuit in cor inuasoris, qui statim mortuus cecidit. Nunc quæritur an in vtroque foro sit sinè culpa mater homicida inuasoris prædicti.

§. I.

§. I.

*Prima responsio ad casum.*

2 IN foro animæ iuxta opinionem communem licet occidere iniustum inuasorem vitæ, 3 iuxta tamen dicenda *num.* 53. *& seqq.* & hoc est de iure naturæ, quod natura omnia animalia docuit per Vlpianum *in l. iuri, ff. de iust. & 4 iur.* Nec refert quòd Accurs. Bart. Bald. Salic. Ias. & alij sequentes Laur. Valla *lib.* 4. reprehendant Vlpianum ponentem Ius in brutis, quæ sunt incapacia iustitiæ, rationis, æquui, & boni, cùm Vlpianus crassa quadam Minerua sit loquutus.

5 Et quòd in foro animæ liceat vim vi repellere, constat ex *cap. si verò, de sent. excommun.* & ex *l. scientiam, ff. ad leg. Aquili.* & tradit Gra-6 tian. 23. *q.* 1. *in princip.* Gloss. *in cap. significasti* 2. *de homicidio.* vnde communiter reijcitur Accursius volens esse permissum solùm iure fori, non iure poli occidere iniustum vitæ inuaso-7 rem; quare tenendum est licere iure naturali, diuino scripto, ciuili, & canonico. Videatur Mai. 4. *dist.* 15. *q.* 20. & Coua. *in relect. de homic. in Clement. de homicid. cap. si furiosus, part.* 2. & habetur ex *l.* 1. *C. de vi, & vi armata*; & sunt pauci contrarium tenentes, vt Abul. *in cap* 5. *Matth. q.* 109. & gloss. *in l. vim vi, ff. de iust. & iur.* ergo in vtroquè foro fuit integrum matri occidendæ occidere inuasorem pudicitiæ filiæ suæ: At hæc sunt intelligenda prout infra dicemus.

8 Fauet matri, quod seruauerit moderamen inculpatæ tutelæ cum requisitis ad illud, quæ sunt quatuor: 1. vt inuasor sit iniustus: 2. vt non priùs sit inuasus, quàm inuadat: 3. vt sit inuasus in actu iniustæ inuasionis: 4. vt occidens non possit aliter se saluare. Sic D. Thom. 2. 2 *quæst.* 64. *art.* 7. Sot. *lib.* 5. *de iust. quæst.* 1. *art.* 8. Nauar. *in manu. cap.* 15. Syluest. *verb. Bellum* 2. *q.* 1. *num.* 1. & alij communiter.

9 Auget inculpabilitatem matris inæqualitas inuadentis, scilicet iste cum armis, inermis illa excepto exiguo cultro, vnde vim maiorem patiebatur, & sic in præsenti non obstat, quòd æqualis debeat esse defensio, nimirùm vtendo pugnis pro pugnis; baculo, contra baculum, &c. Sic Cordub. *lib.* 1. *sui quæstionarij, quæst.* 38. Nauar. Syluest. *supra*, & alij communiter.

10 Nec poteit aliquid illicitum inueniri in præsenti occisione, ratione personæ, quia ius se tuendi est æquuè in Clericis, Religiosis, & in omnibus. Maior. *loco citato*, & omnes cum il-11 lo; nec ratione occisi, quia quælibet persona iniustè inuadens vitam, vel nostra iuxta infra dicenda, poterit cum moderamine occidi. Syl-12 uest. *loco citato, quæst.* 4. Sed aliqui limitant, nisi inuasus sit vilis, & inuadens sit Rex, Princeps, aut persona vtilis Reipublicæ; nihilominus con-13 trarium est probabile; cùm durum videatur sinere se iniustè occidi, excepto casu, quo magna damna orirentur in Republica, si inuasus inuadentem interficiat.

14 Imò, & vbiquè, & quocumquè tempore licita est prædicta defensio. Ità cum Abbate, & alijs docet Binsfeld. *de iniur. & damno dato, c.* 1. *quæst.* 5. *concl.* 3. Syluest. *supra*, & alij: ergo multò magis in campo.

15 Et quia se tueri vt diximus, licet etiam danti operam rei illicitæ, vt si adulter occidat maritum adulteræ volentem illum occidere, vt tenent Nauar. *cap.* 15. *num.* 7. Sot. *de iust. lib.* 5. *quæst.* 1. *art.* 9. Salon. 2. 2. *quæst.* 64. *art.* 7. *contr.* 1. *concl.* 2. vnde non refert quòd quis dederit occasionem aggressionis, vt ait Bannes 2. 2. *q.* 64. *art.* 7. *concl.* 3. propterea potuisset mater occidere inuasorem iniustum, etiamsi ad furandum intrasset campum: ergo hucusque inculpabilis est mater in vtroquè foro, si pro filiæ pudicitia licitum erit inuasorem occidere, vel si aliud non obstet, vt videbimus.

§. II.

*Responsio secunda.*

16 QVia inuasor in præsenti historia asseritur bannitus, ideò fieri potest, vt ex hoc solo capite potuerit licitè in vtroquè foro interfici. Vt autem sciatur quid pro casu nostro sit resoluendum, referam quando liceat bannitum occidere, vt ex doctrinis generalibus deducatur veritas pro præsenti facto.

Bannitus cum statuto vt possit occidi, fuit priuatus iure se tuendi, vnde inuasus peccaret si inuadentem occideret, inuadens enim non esset iniustus, & pro bono communi potuit tali iure naturali se tuendi, priuari. Sic Azor. *in-17 stit. moral. part.* 3. *lib.* 3. *cap.* 1. *quæst.* 11. vbi addit posse se tueri, si statum dicat tantùm, vt possit impunè occidi, quia sic conceditur occisori vt solùm impunè id faciat. Tamen Iuli. Clar. *lib.* 5. 18 *recept sent. l. homicidium, num.* 68. ait multos Authores docere, quòd etiam dum statutum dicit vt possit impunè occidi, adimitur bannito ius se tuendi, quia quilibet constituitur iustitiæ minister pro occidendo damnato ad mortem, &

& contra iustitiæ ministros non licet insurgere. Vide infra *à num.*47.

19 Ex dictis liquet, potuisse fortasse occidi tamquam bannitum aggressorem, de quo extat præsens historia. Sed quidquid sit de statuto exilji in fauorem matris homicidæ, certum est potuisse occidere illum tamquam iniustum inuasorem pudicitiæ, defensio enim licita pro tuenda vita, est item licita pro tuenda pudicitia. Ità Archidiac. Rainer. Syluest. *verb. homicidium* 1.*quæst.*5. Tabiena *eod. verb. quæst.*7.
20 Tanner. *tom.*3.*disp.*4. *quæst.*8. *dub.*4. *num.* 68. nam vt idem Tannerus *num.* 81. notat, licet occidere iniustum inuasorem bonorum in notabili quantitate, quia sunt necessaria ad vi-
21 tam seruandam; sed pluris æstimanda est pudi-
22 citia, quàm multæ opes; & insuper adest periculum consensus in peccatum, vt aduertit Lessius *de iust.lib.*2.*cap.*9.*dub.*12.*num.*76 quare à Mario fuit absolutus adolescens homicida Tribuni, vt pudicitiam seruaret.

23 Imò contingere potest, vt necessitas exigat præuenire iniustum inuasorem, qui præparauit offendere, & id verum est in vtroque foro. Sic Azor. *supra, quæst.* 12. Clarus *lib.* 5. §. *homicidium, num.*33. & alij.

24 Licet etiam occidere iniustum inuasorem vitæ innocentis proximi. Filliuc. *tract.* 29.
25 *tom.*2.*cap.*4.*num.*54.& alij communiter, etiamsi inuasus protestetur se cedere iuri suo, non
26 enim est dominus vitæ suæ; sed excipitur casus, quo inuasus velit potiùs mori, quàm quòd inuadens moriatur cum mortali peccato. Tanner. *loco citato, num.*8. ergo mater potuit occidere inuasorem, vt in casu; & maximè quia de-
27 fendit filiæ pudicitiam, quia iniuria illata filijs, & sanguine iunctis redundat in nos. Lessius *d.cap.*9. *dub.* 13. *num.* 88. & D.Antoninus 3.*p. tit.*4.*cap.*3. §.2. & alij passim docent licitum esse defendere innocentem ab iniusto inuasore pudicitiæ, honoris, aliorumque bonorum, si sint in notabili quantitate, & ille sit sanguine iunctus, atque opem nostram flagitat; sed circa hæc sunt videnda dicenda infra *num.* 53. *& se-*
28 *quentibus*. Imò tenebatur mater in casu nostro tueri filiam, nam quando iniustè inuasus est persona necessaria Reipublicæ, aut Princeps,
29 aut proprius pater, frater, filius, vel propria mater, ac vxor, vel est ille ad cuius custodiam quis obligatur ex officio, promisso, ac contractu, tunc est de obligatione vt tueatur, sicut
30 generatim docet Malder.2.2.*tract.*3.*cap.*1.*dub.* 15. & Molin. *de iust. tom.*4.*tract.*3. *disp.*18.*num.* 3. *&* 4. vult quemquam teneri occidere iniustum inuasorem vitæ suæ, vel proximi, si sinè
31 notabili damno id possit. Sed Lessius *supra, num.*92. id negat.

32 Demum statuitur in fauorem matris defendentis filiæ pudicitiam etiam occidendo iniustum inuasorem, ex eò quòd liceat occidere iniustum inuasorem pro tuendis rebus alicuius innocentis, nimirum pro defendendis cõmodatis, depositis, necnon pro rebus amicorum, ac propinquorum, eos adiuuando prout tradit Syluest. *verb. Bellum* 2. *q.*7. Azor. *instit.moral. p.*3.*lib.*2.*cap.*1.*q.*22. ergo à fortiori licuit tueri bonum inæstimabile pudicitiæ, præcipuè fi-
33 liæ. Addit Faber. *in* 4.*dist.*15. *quæst.*3.*disput.* 52.*cap.*1.*num.*3. vnumquemquè teneri occi-
34 dere inuadentem res externas proximi, & non solùm licere, vt volunt Doctores communiter; sed hodie est cautè loquendum pro recta intelligentia dictæ doctrinæ, propterea videatur
35 *num.* 53. *& seqq.* & Molin. *supra, num.* 1. non vult adesse tantam Charitatis obligationem in homine priuato, & ad id non deputato ex officio, vt pro solis bonis externis tuendis proximi teneatur inuasori iniusto vitam temporalem, & fortasse simul & æternam, eripere.

## §. III.

*Soluuntur obiectiones contra prædicta.*

36 Contra hactenus allegata in præsenti historia objicies, quòd mater decepit inuadentem, eique arma cum fraude eripuit, adeoquè debitum moderamen non seruauit. Respondent fortasse aliqui, astutias non esse illicitas in bello iuxta communem Doctorum sententiam cum Coninchо *disp.*31.*de bello, dub.*7. *num.* 109. & quoddam bellum erat aggressio
37 illa inuadentis iniusti, vt virginem violaret. Sic licet venenum ex industria in authorem con-
38 uertere. Cord. *lib.* 1. *quæst.* 30. Sic vxor licitè occidit maritum pugione, quem certò scit fuisse sub ceruicali ab eo paratum ad eam interficiendam per Lessi.*d.cap.*9.*dub.*8.*num.*45. & videtur quòd mater moderamen seruauit, quia eadem vi armorum defendit se, et filiam, cum qua vi inuasor aduenerat. Sed iudico matrem non potuisse occidere, quia externè consense-
39 rat, et sic iniuriam ei non faciebat inuasor. Et si filia dixerat matri, vt fineret eam vim pati citra occisionem inferentis vim, non ideò filia dedit consensum, quem si dedisset tunc inuasor non erat iniustus etiam respectu filiæ, et sic
40 non potuisset occidi vt vim inferens. Sic Syl-

uius

uius citandus *num.69.* et Rodriquez *sum. tom. 1. cap.220. num. 14.* Vide infra *num 69.* et 70. Igitur duo sunt in præsenti, per quæ mater culpam admisit. Primum est, si homicidium, et non defensionem solam voluit, vt docet Caiet. *2.2. quæst. 61. art.7.* Turrecrem. *cap. de occidendis 22. quæst.5.* Abul. *in cap.5. Matth. quæst.46.* Sed Sot. *de iust. lib.5. quæst.1. art.9.* Cord. *lib.1. quæstionarij, q.38.* et alij docent licere intendere per se mortem inuasoris.

43 Hæ sententiæ sic applicentur: si homicidium intenditur vt finis, non licet; secus si vt medium. Sed adhuc vide *num. 54. & seqq.*

44 Secundum, in quo mater deliquit, est in positione manus super collum inuasoris vt istum inclinaret ad deosculandam filiam. Nec iuuat dicere non esse illicitum inuitare ad cœnam in die ieiunij paratissimum non ieiunare; ergo & paratissimum osculari non illicitè mater inducebat ad osculandum. Negatur enim pari-
45 tas, nam inducens ad osculum libidinosum, inducit ad rem per se peccaminosam; at inducens ad cœnam paratissimum cœnare, inducit ad rem indifferentem, & ideò illud non licet, benè verò istud, & tenent hanc partem Nald. *in sum. verb. ieiunium, num. 1.* Azor. *instit. moral. lib. 7. part. 1. cap. 31. quæst. 12.* Salas *de emptio. dub.47. num. 10.* Philiarch. *de offic. Sacerd. tom. 1. part.2. lib. 3. cap. 25. in fin.* & alij. Peccauit igitur mater peccato scandali, & illicitè occidit, quia consensum præstitit, quidquid sit de animo interiùs dissentiente.

46 Obijcies adhuc, quòd mater peccauerit contra Charitatem occidendo existentem in mortali, nam Pontius, & alij cum Diana *part. 11. tract. 6. res.52.* volunt esse mortale occidere ebrium, vel amentem existentem in mortali, si occidens sit in gratia; ebrius autem, ac amens dici potest amans ardenter ad venerem. Respondeo dupliciter: Primò, negatur matrem fuisse in statu gratiæ, si peccauit graui peccato scãdali, & homicidij, vt dicebatur numero præcedenti. Secundò, negatur esse veram amentiam, vel ebrietatem illam amantis turpiter, vndè talis amens non caret iudicio ad sibi cauendum ne occidatur ab iniustè inuaso, & hæc vera sunt secluso externo consensu, licèt ficto; tamen non cognito ab inuasore. Ex his intelliget Mater quid licitè, quidue illicitè admiserit in illa pugna. An alia peccata fecerit, videatur in sequenti paragrapho.

## §. IV.

*Ponuntur plura necessaria ad præsentis historiæ solutionem.*

47 Ad iudicandum an alia peccata admiserit mater in nostro facto, conducent sequentia dicta iuxta vtrumque forum, secluso semper consensu saltem externo, iuxta dicta in antecedenti paragrapho.

Dictum primum: Occisus potuit impunè pro foro fori interfici, cum à Summo Pontifice esset bannitus; vnde vel velimus sequi opinionem Finellij *de cas. reser. casu 41. num. 41.* & aliorum dicentium posse bannitum occidi etiam extra territorium Principis proscribentis; vel Filliucij *tom. 2. tract. 28. cap. 2. num. 24.* & aliorum id negantium; tamen isti negantes limitant, nisi adsit consensus expressus, vel tacitus, vel rationabiliter præsumptus illius Principis, in cuius territorio bannitus occiditur; vel nisi à Summo Pontifice fuerit proscriptus, quia Papæ iurisdictio totum orbem complectitur.

48 Dictum secundum: Proditoriè, & cum insidijs bannitus potest occidi. Sic Moli. *de iust. tom. 4. tract. 3. disp. 7. num. 1.* & alij etiam cum periculo damnationis, nam posset sibi præcauere; & bonum commune præualet. Sed non posse occidi absolutè docent Menoch. *de arbitr. lib. 9. quæst. 90. num. 49.* & alij.

49 Dictum tertium. Molina *in l. 1. C. quando liceat &c.* dicit, videri quòd concedatur occisio grassatoris publicas vias tenentis, siuè interficiatur in propriam defensionem, siuè in aliorum, quibus ille mortem, aut alia notabilia parat damna, iuxta illa, quæ infra dicam. In
50 tali casu erit iuxta iustitiam talis occisio, quia Respublica dat cuique talem facultatem
51 tamquam ministro, & id licet etiamsi fiat ob præmium, vel ob propriam liberationem. Erit
52 tamen illicita in vtroque foro huiusmodi occisio banniti, si Reipublicæ facultas desit, nec causa occidendi adsit. In casu autem nostro aderat vtraque, quia occisus erat iniustus inuasor pudicitiæ, & vitæ, eratque proscriptus ad mortem à Pontifice.

53 Petes, an liceat non occidere inuasorem vitæ, cùm possis occidere. Respondeo licere, si inuasus credat mori in statu gratiæ, vel si timeat dare consensum in rem peccaminosam, vt v.g. in copulam per vim extortam à puella, nisi permittat se interfici ab inuasore.

Sed circa hactenus dicta, sciendum est Innocen-

centium XI. damnasse Propositiones sequentes, quibus nonnullus vtebatur pro antecedenti ad inferendum licere occidere inuasorem pudicitiæ.

*Fas est viro honorato occidere inuasorem, qui nititur calumniam inferre, si aliter hæc ignominia vitari nequit; idem quoquè dicendum, si quis impingat alapam, vel fuste percutiat, & post impactam alapam, vel ictum fustis, fugiat*. & est 30. inter alias.

*Regulariter occidere possumus furem pro conseruatione vnius aurei*. & est 31.

*Non solùm licitum est defendere defensione occisiua, quæ actu possidemus, sed etiam ad quæ ius inchoatum habemus, & quæ nos possessuros speramus*. & est 32.

*Licitum est tam hæredi, quàm legatario contra iniustè impedientem, ne vel hæreditas adeatur, vel legata soluantur, se taliter defendere, sicut & ius habenti in cathedram, vel præbendam contra eorum possessionem iniustè impedientem*. & est 33.

Qui olim sic argumentabatur, hodiè damnatis inniteretur fundamentis, si hæc generali quadam significatione, & secundùm amplam doctrinam, quam important prout iacent, intelligantur.

54 Et quidem meritò fuit damnata prima ex allatis propositionibus, quæ est trigesima inter damnatas à prædicto Pontifice, nam vt iacet, ac in sua generalitate comprehendit omnem casum, docetque semper licere viro honorato interficere inuasorem per calumniam, seu per percussionem cum alapa, aut fuste. Hinc dicta propositio equaliter loquitur de inuasore actuali, ac præterito. Item æquuè loquitur de inuasore ebrio, amenti, & existente in mortali, ac de non ebrio, nequè stulto. Item non distinguit inter inuasorem ex cuius occisione sequatur graue damnum Reipublicæ, & illum ob cuius mortem Respublica nullum sentiet damnum. Item indistinctè loquitur de iustè, aut iniustè inuadente, vt v. g. si in compensationem acceptæ calumniæ, vel percussionis, calumniam retorqueret, seu repercuteret. Item non distinguit de viro honorato nobili, ac de non nobili, sed honorato in proprio statu. Item nimis amplè loquitur de calumnia, quia non exprimit an grauis, vel leuis esse debeat. Item nimis generatim dicit fas esse occidere pro percussione per fustem, vel alapam, non diuersificando percussionem notabilem à leui, nequè specificando qualitatem personæ percutientis, nempè an sit superior, æqualis, vel inferior. Item nimiùm amplè admittit licere interficere percussorem, qui dato ictu fugiat, non distinguendo de fuga, quæ censeatur vnita cum actuali inuasione, ac de fuga post iniustam inuasionem; seu inuasione iam finita. En quàm falsa, & animarum saluti perniciosa sit, vt iacet, adducta propositio tantis plena venenis, merito proinde prohibita, & damnata. Igitur malè assumebatur eadem propositio pro fundamento argumentandi à pari, vt consequentia deduceretur in fauorem matris interficientis iniustum inuasorem pudicitiæ filiæ suæ.

55 De hac propositione damnata dixi nonnulla *in decis. 41. num. 25.* vbi notaui fuisse damnatam vt iacet, atquè secundùm generalem illius significationem, quare non tollitur Doctoribus disputare cum limitatione, *an interdum, seu in aliquo casu fas sit viro honorato occidere inuasorem iniustum, qui nititur notabilem calumniam inferre, si aliter hæc ignominia notabilis vitari nequeat, & an similiter viro honorato fas sit aliquando occidere eum, qui cum graui ignominia, vel cum notabili damno ei alapam dat, vel eum cum fuste percutit, etiamsi post datam alapam, fugam arripiat*. Et ideò liberum est Doctoribus de hac materia cum præfatis restrictionibus disputare, quia sic reijcitur generalis illa propositio damnata, & solùm examinatur casus, in quo iniusta læsio notabilis potest videri præponderans vitæ iniusti inuasoris, attentis omnibus circumstantijs, & semper adhibito moderamine inculpatæ tutelæ.

56 Vt ergo in fauorem matris interficientis inuasorem pudicitiæ filiæ suæ rectè argumentetur ponendo antecedens doctrinæ non damnatæ, oporteret verba præallatæ propositionis limitare sic; *Fas est viro honorato occidere inuasorem, qui nititur atrocem calumniam inferre, si aliter hæc notabilis ignominia vitari nequit*: Sed inuasor pudicitiæ notabiliorem infert ignominiam: ergo à fortiori fas erit personis honoratis inuasorem pudicitiæ, propriæ, vel filiæ, occidere, si aliter ignominia huiusmodi nequit arceri. Maior est Petri Nauarr. *de restit. lib 2. cap. 3. num. 376.* Io. de Escob. *p. 1. de puritate, & nobilit. probanda q. 1. gl. 4. num. 14.* & Henrici Strouersdo. *de iust. & iur. in 2. 2. Thom. q. 64. art. 7. concl. 5* vt refert Diana *part. 5. tract. 4. res. 12.* eamque docet etiam Baldell. *in Theolog. mor. lib. 3. disp. 24. num. 24.* ipsaque suadetur, quia naturalis ratio dictat licere vti ea defensione, quæ necessaria est ad repellendam contumeliam vexantem, & affligentem optimos viros in animo, & quidem maiori afflictio-

flictione, quàm damna rei familiaris; quoties atrox erit contumelia dicta, pro cuius euitatione non suppetit alia via, nec adest aliqua circumstantia tali rationi naturali repugnans: Minor, & consequentia non negantur.

57 Nihilominus quamuis in sensu prædicto liceat in quæstionem reuocare, an fas sit viro honorato calumniam atrocem comprimere, ac depellere; tamen opinio contraria est amplectenda, vndè illa maior adducta in fauorem matris, de qua agimus, est absolutè neganda, nam calumnia in verbis consistens, potest sufficienter alijs verbis repelli, & ità practicari inter viros honoratos manifestum est, ac proinde si factis repelleretur, poneretur excessus in defensione, adeoque moderamen inculpatæ tutelæ non seruaretur, quo moderamine non seruato, numquam licet occidere inuasorem etiam vitæ, prout communiter tradunt Doctores, & oppositum affirmare esset omninò falsum. Sic contra prædictam sententiam Nauarr. Escob. Strouerdorf, & Baldell. tenent Azor. *instit. moral. tom.* 3. *lib.* 2. *cap.* 1. *quæst.* 17. Lessi. *de iust. lib.* 2. *cap.* 9. *dub.* 12. *num* 78. Filliuci. *tom.* 2. *tract.* 29. *cap.* 3. *num* 49. Molfesi. *in summ. tom.* 1. *tract.* 11. *c.* 19. *num.* 74. Petr. Binsfeldi. *de iniurijs, & damno dato, cap.* 1. *quæst.* 9. *conclus.* 4. & alij, cum quibus sentit Diana *vbi suprà*. Eamdem sententiam docet Trullench. *in decal. lib.* 5. *cap.* 1. *dub.* 5. *nu.* 3. & Dicastillus, quem citat, & sequitur Tamburin. *in decal. lib.* 6. *cap.* 3. §. 3. *num.* 6 Item Syluester, Caietanus, & Escobar *l.* 2. *decal. num.* 206. vt notat inter authores meæ Religionis Antoni. à Spir. Sancto *in directorio Confessarior. de homicidio, tract.* 8. *disp.* 2. *sect.* 3. *num.* 52. Si ergo disputantes de defensione contra atrociter calumniantem dicunt tot Doctores illicitum cuique esse inuasorem in quocumque casu occidere, consequenter fuit digna vt damnaretur propositio prædicta vt iacet, ac in sua generalitate, quia docebat fas esse viro honorato calumniato generatim, idest seu grauiter, seu leuiter, inuasorem occidere, si aliter ignominiam etiam leuem non poterat euitare, scandalosè enim docetur, quòd pro leui calumnia liceat calumniantem interficere, & hoc est adeò certum non licere, vt oppositum hodie sit doctrina damnata. Idem dicatur, si calumnia irrogetur ab ebrio, ab amente, vel à puero, nam cùm horum verba vix attendantur, per consequens vix possunt calumniæ nomen habere, ac proptereà euidens est falsitas perniciosa doctrinæ generalis, quæ concedit vt licitum pro omni euentu calumniatorem vita priuare, si aliter ignominia nequit repelli. Idem dicatur, si ex occisione calumniantis graue damnum sequatur in Republica, nam si communiter Doctores, vt aduertit Diana *part.* 5. *tract.* 4. *resol.* 2. vbi nominatim affert cum suis verbis Bannez *de iust. quæst.* 64. *art.* 7. *concl.* 2. docent non licere inuasorem vitæ occidere, si ille sit persona valde necessaria Reipublicæ, hinc necessariò sequitur esse scandalosam, & damnatam doctrinam dicentem esse licitum occidere similem personam, si solis contumelijs etiam atrocibus inuadat, nec ignominia arceri possit, nisi interficiendo. Ità habetur ex D. Thom. 2. 2. *quæst.* 26. *art.* 6. & Castr. Pala. *tom.* 1. *tract.* 6. *de Charit. disp.* 1. *p.* 8. *num.* 1. vt notat Tamburin. *in decal. part.* 2. *lib.* 5. *cap.* 1. §. 1. *nu.* 8. Ratio est, quia bonum commune debet præferri particulari; & quia pars est exponenda pro conseruatione totius, maximè vbi pars per sola verba læditur. Deniquè hoc vnum statuendum est, quòd iuxta veriorem sententiam numquam liceat occidere calumniatorem etiam cum atrocibus calumnijs; imò iuxta doctrinam damnatam sentiret, qui generatim affirmaret; *Fas esse viro honorato occidere inuasorem, qui nititur calumniam inferre, si aliter hæc ignominia vitari nequit*, prout suprà dictum est; non ergo benè argumentabatur in fauorem matris, de qua est præsens decisio, afferendo propositionem damnatam, sicuti dicebatur in fine numeri 53. Dicenda numero sequenti confirmabunt adducta in præsenti.

58 Sed hactenus dicta de illa 30. propositione, qua, quia damnata est, propterea malè vtebatur pro resolutione præsentis historiæ, quamuis ad primam eiusdem propositionis partem tantummodò spectent, tamen quid de secunda parte dicendum sit non parùm ostendunt. Nihilominus pro pleniori intelligentia solutionis casus nostri, neganda est vt iacet etiam secunda pars dictæ propositionis trigesimæ *numero* 53. relatæ, & ratio negandi eam est, quia vt iacet in sua generalitate est damnata ab Innocentio XI. secus si cum restrictione sumatur prout illam posui *numero* 55. Cur verò vt iacet sit damnata, constat ex dictis *num.* 54. Si autem dicere debeo quid verius sit in casu actualis inuasionis factæ viro honorato cum alapa, vel fuste percusso, vnde læsio, & dedecus exorbitent, non verò leuitatem præseferant, dico adhuc in tali excessu non licere inuasorem iniustum occidere, etiamsi aliter hæc iniuria nequeat vitari. Ratio

tio est; quia pro veritate rei iniuria eiusmodi potest semper alia via propulsari. Item, quia fieri potest quòd iniuria ista irrogetur in occulto, sicque modica erit honoris læsio. Item, quia etiam in publico, si inuasus condonat ad exemplum Christi, iam cessat in eo quæcúnquè honoris læsio, sed potiùs maiori ab omnibus prosequetur honore. Si ergo adeo facile est læsionem reparare in solo honore, per consequens non seruaretur debitum moderamen inculpatæ tutelæ confodiendo percutientem fuste, vel alapa. Similiter non adhiberetur dictum moderamen, nam hoc tunc non seruatur, quando iniuria non est tanta in se considerata, & ratione materiæ, vt cum morte proximi iustè potuerit propulsari; & non esse eiusmodi dicendum est de iniuria accepta in percussione præfata, cùm enim honor sit in honorante prudenti, & pio, non verò ignaro, & impio, sic quisquè percussus fuste, vel alapa si percutientem non occidat, apud prudentem, & pium magis honorabitur, quàm si occidat; quòd si aliquis ipsum percussum velit contemnere, eò quia percutientem non occiderit, immeritò, imprudenter, & ignoranter contemnet, tum quia Christus non docuit nisi tolerare, tum quia verior, tutior, magisque pia sententia docet non licere in hoc casu inuasorem occidere; quàm sententiam tenent Io. Maior *in 4. dist. 15. quæst. 20.* Malder. *in 2. 2. tract. 3. cap. 1. dub. 7. assert. 1.* Tanner. *tom. 3. disp. 4. q. 8. dub. 4. num. 74.* Sylui. *in 2. 2. D. Thom. quæst. 64. art. 7. quæritur 9.*

59 Non ergo placet sententia contraria, quam tradunt Lessi. *de iusti. lib. 2. cap. 9. dub. 12. nu. 77.* cum Sot. Nauarr. Syluest. Lopez, & alijs. Azor. *instit. moral. tom. 3. lib. 2. cap. 1. quæst. 16.* Filliuci. *tom. 2. tract. 29 cap. 3. num. 50.* Villalob. *in summ. tom. 2. tract. 12. diffic. 10. num. 5.* Marchanti. *in summa ad qq. past. super decalog. cap. 5. quæst. 1. cas. 2.* Hurtad. de Mendo. *in 2. 2. disp. 170. sect. 16.* §. 137. Becan. *in 2. 2. de homicidio, quæst. 8. conclus. 2.* Angel. Vantius *in disciplina Clericor. lib. 4. de homicidio, §. Nota præterea.* Philipp. Fabr. *de rest. in 4. sent. dist. 15. quæst. 3. disp. 52. cap. 1. num. 30.* Fundamentum huius opinionis est, quia aggressor de quo loquimur, conatur auferre honorem, qui pluris æstimatur, quàm damnum multarum pecuniarum. Sed hoc fundamentum non est subsistens, nam vt numero præcedenti dicebam, augetur honor percussi apud doctos & pios percussorem non occidendo, quia talem percussum cognoscunt tum Christi imitatorem, tum contrariæ, magisque veræ, piæ, ac tutioris sententiæ sequacem. Igitur non nego, quin honor pluris æstimetur quàm diuitiæ multæ, sed in dato fundamento non probatur, quòd percussus deperdat honorem, nisi in intentione percutientis, atquè in æstimatione aliquorum non rectè sentientium per hoc quòd percutientem non occidat. Ex his liquet non stare paritatem inter inuasum in vita, seu in facultatibus notabiliter, aut etiam grauiter in honore; & inuasum cum ictu fustis, vel alapæ; nam inuasus hoc vltimo modo, & non occidens, nihil verè perdit, quinimò maiorem honorem acquirit apud rectè sentientes, vt dixi; at inuasus in vita, in facultatibus, aut etiam in honore, ac pudicitia, aliquid notabile perdit etiam iudicio rectè sentientium, & ideò licebit inuasorem iniustum vitæ, facultatum magni momenti, atquè notabilis honoris interficere, propterea paritas non tenet de inuasore cum fuste, vel alapa. Quòd si Christus monuit esse præbendam alteram maxillam, quando quis etiam honoratus percutitur in vna, signum est honorem non periclitari in tali percussione, nec fas esse percutientem occidere, si adeò ex diametro Diuina Theologia Incarnatæ Sapientiæ docet alteram maxillam esse porrigendam. Vide infrà, *num. 61.*

60 A fortiori est idem asserendum de eo, qui post impactam alapam, vel ictum fustis fugit, præcipuè si fuga fiat tamquam post factam inuasionem, qua distinctione non vtitur propositio damnata vt iacet, ac in sua generalitate; nam finito congressu non fieret læsionis repulsio, sed vindicatio, quæ non competit personæ priuatæ, sed tantùm Principi, vt benè aduertit Diana *part. 5. tract. 4. resol. 11.* Addo, quòd insequens inuasorem post acceptam offensam, non seruat moderamen inculpatæ tutelæ, quare illicitè occideret: Debuit ergo damnari illa trigesima propositio inter alias ab Innocentio Papa XI. damnatas, quia in sua ampla significatione, ac vt iacet, concedit, fas esse viro honorato inuasorem vtcunquè fugientem insequi, & occidere, postquam alapæ, vel fustis ictum vtcunquè, ac etiam atrocem dedit, quamuis de casu læsionis grauis fas sit disputare pro actuali congressu, prout suprà latè dixi.

61 Demum contra præsentis propositionis doctrinam damnatam pugnat propositio secunda in ordine cæterarum ab Alexandro VII. damnatarum; quæ dicit: *Vir equestris ad duellum prouocatus, potest illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat.* Et meritò ex mul-

multiplici capite scandaloso fuit damnata ista propositio absolutè falsa, etiamsi habeatur motiuum vitandi læsionem honoris propter notam timiditatis, non enim est verum, quòd duellum non acceptando sentiatur læsio in honore, cùm potiùs dignus maiori honore apud Deum, & homines sit, qui duellum recusat, quia recusat malum prohibitum iure Diuino, & humano, vt docent scribentes *in cap. 2. de Cleric. pugnant. in duello*, & videre est apud Henricum, & Hostiensem *ibi*. Sic in *cap. Mena 2. quæst. 5.* & *in cap. suscepti de purgat. vulg.* & *in cap. consuluisti 2. quæst. 2.* habetur; duellum fuisse inuentum suggerente Diabolo, & postea Goliath viro spurio. Vt autem tale inuentum impedirent Pontifices, illud sub grauibus pœnis prohibuerunt Iulius II. Leo X. Clemens VII. Iulius III. Pius V. Gregorius XIII. & Clemens VIII. Nec aliqua fieri potest coarctatio ad certas personas, quia omnes comprehendit, etiam Imperatores, & Reges, & à fortiori inferiores. Igitur ex tot Pontificum testimonio conuincitur non esse nisi falsum, animarumque saluti perniciosum affirmare, quòd honoris iacturam faciat, qui duellum recusat cum nota timiditatis, nam quidquid sit de timiditate, duellum sinè peccato nòn potest acceptari, & sic apud prudentes laudabilior, honorabiliorque semper habetur, qui iuxta Dei, hominumque mandatum recusat duellum, vnde non est curandum de iudicio iniquorum dehonorantium illum, à quo duellum fuit recusatum. Eodem modo dicendum est de calumniato, ac cum fuste, vel alapa percusso, licèt inuasorem non occidat, vt dicebam *num. 59.* imò ibi adducta potenter confirmantur ex dictis in præsenti. Quòd si aliquis ad duellum vocatus, seu ab inuasore calumniatus, atquè alapa, vel fuste percussus honorem proprium tueri velit etiam modo quodam notabiliori, satis erit si duellum recusando, vel inuasorem per calumniam, aut per ictum fustis, vel alapæ non occidendo, protestetur se Christianum esse, atquè ideo nolle mandata transgredi, licèt neminem timeat, suoque gladio valeat se tueri contra quemcumque, quoties tuta conscientia fas ei erit in defensionem suæ vitæ, sui honoris, ac facultatum iniustum inuasorem occidere; sed id non sibi licere contra calumniantem, ac percutientem alapa, seu fuste. Non ergo fauet matri, de qua est præsens historia, argumentum fundatum in illa propositione, quæ est trigesima inter damnatas ab Innocentio XI. vtpote scandalosa propter eius nimis amplam significationem prout suprà distinctim ostensum est.

62 Similiter non benè argumentabatur in fauorem homicidæ casus nostri, adhibendo pro fundamento illam propositionem, quam *num.* 53. dixi esse trigesimam primam inter damnatas ab Innocentio XI. Hinc argumentum istud: *Regulariter occidere possumus furem pro conseruatione vnius aurei:* Sed pudicitia plus valet, quàm vnus aureus: ergo regulariter potest occidi inuasor pudicitiæ; debet negari quoad maiorem vt iacet, nam est propositio nimis ampla, eò quia vox *regulariter*, denotat id, quod ordinariè potest fieri, adeoque scandalosè dicitur posse nos ordinariè occidere furem vnius aurei.

63 Quidem licitum est aliquando occidere inuasorem pro defendendis proprijs facultatibus in notabili quantitate iuxta communem DD. opinionem, cum facultates illæ sint media ad sustentationem vitæ, & ad conseruationem status, & honoris, sicque sicuti licet interficere inuasorem vitæ, ità & licebit occidere aggressorem bonorum inseruientium ad vitæ conseruationem, ac propterea bona externa dicuntur vita, & sanguis hominum, iuxta glossam iuncto textu *in l. Aduocati, C. de Aduoc. diuer. Iudic.* Hanc opinionem tenet Azor. *instit. moral. part. 3. lib. 2. cap. 11. quæst. 19.* Layman. *lib. 3. sect. 5. tract. 3. part. 3. num. 4.* Filliuci. *tom. 2. tract. 19. cap. 3. num. 36.* Marchant. *in summar. resol. pastor. ad decal. cap. 5. quæst. 5.* Turrianus *in 2. 2. tom. 2. disp. 27. dub. 2. num. 15.* Tanner. *tom. 3. disp. 4. quæst. 8. dub. 4. nu. 81.* & citat Syluestrum, Nauarram, Sotum, Valentiam, Aragonium, Bannez, cum Lessio. Eamdem sententiam tenent alij. Imò illam extendit ad Clericos Molina *tom. 4. tract. 3. disp. 16. num. 1.* cum alijs supra relatis, quia militat eadem ratio ac pro laicis, & ità colligitur ex *cap. olim 1. de restit. spoliat.* contra Panormitanum *in cap. suscepimus, de homicidio*, & Rosellam *verb. homicidium*, §. 3. Et quamuis D. Antoninus, vt refert Petrus Binsfeldius *in coment. de iniurijs, & damno dato, cap. 1. quæst. 5. conclus. 4.* non admittat eamdem opinionem quoad Religiosos, eò quia nihil proprij habent; nihilominus admittitur etiam pro Religiosis à Lessio *de iust. lib. 2. cap. 9. dub. 11. num. 72.* Becano *in 2. 2. D. Thom. 2. quæst. 7. de homicidio, conclus. 2. num. 5.* Syluio *in 2. 2. D. Thom. quæst. 64. art. 7. quæritur 8.* Maldero *in 2. 2. D. Thom. tract. 3. cap. 1. dub. 13.* & Tannero *tom. 3. disp. 4. quæst. 8. dub. 4. num. 77.* Ratio est,

est, nam quisquè habet ius defendendi, quæ possidet in communi, vel quæ ad eius custodiam sunt demandata; sed omnia intellige, dummodo in notabili quantitate sint bona, pro quibus defensio est facienda, si enim sint in modica quantitate, nullo modo licebit aliquem pro illis tuendis occidere, imò est scandalosum dicere, quòd etiam pro tuenda re leuis momenti fas sit furem interficere, & ideò Pontifex eiusmodi doctrinam damnauit per damnationem propositionis adductæ, in qua eò ipsò quòd docetur posse nos regulariter occidere furem pro conseruatione vnius aurei, consequenter datur regula ordinaria ad sciendum, quanta esse debeat materia, pro qua liceat furem vita priuare; at eiusmodi regula, seu doctrina est falsa, & scandalosa, tum quia non distinguit an aliter possit tueri, vel conseruari, necne, nisi furem actu furantem, vel post furtum, occidendo; tum quia regulariter vnus aureus est materia leuis, nec multùm necessaria ad sustentationem vitæ, itaut sinè illo dominus notabiliter periclitetur, vel mori, vel in paupertatem cadere, seu à statu, licèt sit materia grauis in malitia furti mortaliter peccaminosi, quod in præsenti non examinamus, sed solùm inquirimus de quantitate sufficienti ad præponderandum vitæ hominis occidendi, ne nobis pereat dicta quantitas ex furis malitia, seu iniusta inuasione. Quocirca damnauit meritò Innocentius XI. allatam propositionem trigesimam primam inter alias, vndè nullatenus licet ipsi inhærere, eamque veram habere; sed quid dicendum sit circa quantitatem sufficientem pro occidendo fure, vt illam conseruemus, si tamen illam aliter conseruare minimè possumus, subdam hìc aliquorum placita, semper, & tantùm intelligenda pro quando aliter non possumus eam tueri à fure actualiter furante.

64 Malderus *in 2. 2. D. Tho. tract. 3. cap. 1. dub. 13.* dicit quòd Annotationes ad Aretinū de maleficijs, monent quantitatem sufficientem pro occidendo fure, non debere esse minoris valoris, quam duorum aureorum. Iason *in l. vim vi, ff. de iusti. & iure, num. 25.* & Mathesilanus *in sing. 135.* dicunt, quòd res vilis ad hunc effectum est à duobus aureis. Sotus *de iust. lib. 5. quæst. 1. art. 8.* Aragon *in 2. 2. quæst. 64. art. 7.* & Binsfeld. *de iniurijs, & damno dato, cap. 1. quæst. 6. conclus. 1.* existimant pro re vili, idest pro valore duorum, vel trium aureorum non esse licitum hominem occidere. Verùm quamuis istæ opiniones non sint damnatæ, sicuti est damnata illa vnius aurei eo modo, quo traditur pro regula generali, & ordinaria in dicta 31. propositione verè animarum saluti perniciosa etiam quatenus non exprimit, quòd requiratur vt alia via nequeat res furata conseruari, nisi occidendo, sicuti etiam quatenus non addit expressionem, dummodò fur actu furtum faciat, nam occidere post furtum esset vindicta propria solius Principis, non personæ priuatæ, prout dixi *num. 60.* tamen opinio tenenda iuxta solidiorem veritatem est illa, quam habent Strouerdorf *de iust. & iure, in 2. 2. D. Thomæ quæst. 64. art. 7. concl. 3.* & alij, docentes, quòd res propter quam fur poterit interfici in actu furti, eò quia alia via res illa nequeat conseruari, debet esse magni momenti vel ex se, vel in suo pretio, vel ex suo consequenti, alioquin graue peccatum erit pro re leuis momenti, hominem vita priuare. Est ergo in hoc puncto attentè ponderandus valor rei ex se, vel ex suo consequenti, nempe inspectis circumstantijs, & qualitatibus Domini diuitis, pauperis, ac mediocris fortunæ, vt v. g. si res sit vilis, sed ea Dominus summoperè indiget, vt est interdum vnus acus, sinè quo Dominus illius laborare non potest, vnde nec habebit lucrari iuxta indigentiam se sustentandi vnà cum filijs, &c. Item ex suo consequenti esset res summi pretij paruus panis necessarius diuiti in extrema necessitate constituto cum vnico obolo ad dictum panem emendum, si fur dictum obolum, vel panem cum illo emptum vellet furari. Idem dicatur in similibus casibus examinandis iuxta regulas Prudentiæ, non verò iuxta regulam vnius aurei, prout docet prædicta propositio damnata, quæ propterea est, vt iacet, neganda, & reijcienda, ideoque nihil probat pro nostræ decisionis casu, licèt minor, & consequentia allati argumenti *num. 62.* possint concedi, accepta tamen consequentia in sensu, & casu moderaminis inculpatæ tutelæ.

65 Neque admittendum est argumentum dicens: *Non solùm licitum est defendere defensione occisiua, quæ actu possidemus, sed etiam ad quæ ius incohoatum habemus, & quæ nos possessuros speramus*: ergo à fortiori licebit defendere defensione occisiua pudicitiam possessam, iusque ad eam possidendam. Non est, inquam, admittendum hoc argumentum quoad antecedens, quia illud est propositio trigesima secunda in ordine aliarum, quas damnauit Innocentius Papa XI. Sanè est scandalosa eadem propositio, quia non est verum, quòd generatim sit licitum defendere defensione occisiua, quæ

actu

actu possidemus, nam pro re exigui momenti nullo modo potest licere hominem occidere, tametsi id possit licere pro defensione rei possessæ, & magni momenti ex se, vel in suo pretio, vel ex suo consequenti, iuxta allegata *num. 63. & 64.* Eodem modo est falsum, quòd defensione occisiua est licitum generaliter, & sinè aliqua limitatione defendere ea, ad quæ ius inchoatum habemus, & quæ nos possessuros speramus, & ideò id est generatim falsum, quia pro iure modici momenti, & pro spe etiam tenui possidendi aliquid leuis momenti, nullatenus fas erit homini vitã eripere, quamuis pro casibus defendendi ius notabile, remque notabilem, quæ speratur spe rationabili possideri, liberum sit Doctoribus disputare, an aliquando possit esse licitum interficere hominem. Venenosa est ergo pro animabus relata propositio in sua generalitate, ratione cuius fuit prohibita, & damnata vt iacet; cæterùm si modificetur, & de solis rebus, ac iuribus notabilis momenti sensum importet, damnata non est, cùm sic fiat valde diuersa à seipsa prout nunc iacet, adeoque Doctoribus remittitur quæstionem facere, & tunc data veritate sententiæ dicentis licere defendere defensione occisiua res nostras, iuraque nostra, si sint notabilis momenti, & alia via non habeatur ad ea tuenda, seruetur que moderamen inculpatæ tutelæ, optimum posteà erit argumentum istud: *Non solùm licitum est defendere defensione occisiua, quæ in notabili quantitate possidemus, sed etiam quæ sunt magni momenti, & ad ea ius inchoatum notabiliter habemus, & quæ in notabili quantitate possessuros speramus, si alia via non suppetat ad prædicta defendenda, nisi occidendo:* Sed pudicitia est magni momenti bonum, ad quod quisquè habet notabile ius: ergo vt illam defendat, poterit inuasorem occidere, si aliter defendere nequeat. Ex his statuitur meritum damnationis propositionis dictæ ob eius nimis amplam significationem, vt iacet.

66 Vltimò est probandum argumentum compendiosè adductum supra sub *num. 53.* inferens à fortiori consequentiam dicentem licere inuasorem pudicitiæ interficere, si ista est maximum, & pretiosum bonum, *& licitum est tam hæredi, quàm legatario contra iniustè impedientem, ne vel hæreditas adeatur, vel legata soluantur, se taliter defendere, sicut & ius habenti in cathedram, vel præbendam contra eorum possessionem iniustè impedientem.* Ratio cur tale argumentum sit reprobandum est, quia ex doctrina dãnata infertur consequentia. Est ergo damnata illa propositio, quæ assumitur pro antecedenti illatiuo consequentiæ in fauorem homicidæ, de quo in præsenti agimus. Quòd sit damnatum antecedens illud, constat ex cathalogo, in quo leguntur propositiones damnatæ ab Innocentio Vndecimo, nam *num. 33.* ponitur ista: *Licitum est tam hæredi, quàm legatario contra iniustè impedientem, ne vel hæreditas adeatur, vel legata soluantur, se taliter defendere, sicut ius habenti in cathedram, vel præbendam contra eorum possessionem iniustè impedientem.* Cùm ergo antecedens adductum non sit nisi dicta propositio, per consequens illud est damnatum, ac proindè non benè probat intentum saltem ex vi illationis, licèt verum sit quod dicitur in consequentia, scilicet licere occidere cum debito moderamine inuasorem pudicitiæ.

67 Et ne gratis videar reprobare dictum argumentum, aperiam falsitatem dicti antecedentis omninò improbandi, primò, quia Papa illud, vt iacet, prohibuit, & damnauit: Secundò, quia in sua generalitate, ratione cuius fuit meritò damnatum, loquitur de quacumquè hæreditate, ac de quocumquè legato, necnon de quolibet iure alicuius in cathedram, vel præbendam, sicque non facit distinctionem de tenui hæreditate, seu legato, ac de pingui, copioso, magnique momenti. Pariter non distinguit de iure notabili in pinguem, ac tenuem cathedram quoad emolumentum, sicuti nec distinguit de qualitate præbendæ, ac de iure in modici momenti præbendam. Sub hac generalitate loquens, dicit illa propositio licitum esse tam hæredi, quàm legatario *se taliter defendere*, idest defensione antecedenter dicta, scilicet occisiua, si impediantur hæreditatem adire, vel legatum eis solui; sicuti & taliter potest se defendere habens ius in cathedram, vel præbendam contra iniustè impedientem eorum possessionem. Patet, quòd nimis amplè loquitur, sicque immeritò doceat licere inuasorem occidere pro hæreditate, legato, iureque in cathedram, vel præbendam, si ille conetur impedire, ne illa obtineantur possidenda; nam comprehendit tenuia legata, tenues hæreditates, tenuiaque iura, pro quorum defensione, impedientem ne consequantur minimè licet interficere, pluris enim debet existimari vita hominis vnius, quàm tenuia bona, prout omnes Doctores dicunt, & nos supra notauimus.

68 Quòd si prædicta propositio sumatur non relatiuè ad præcedentem, sed absolutè, adhuc vt iacet fuit meritò damnata propter eius generalitatem non distinguentem de materia notabi-

tabili, ac de leui; neque exprimentem requisitum moderamen inculpatæ tutelæ, quod rarissimè seruabitur à se defendentibus per se solos contra dictos impedientes, quia semper per viam Iustitiæ possumus nostra bona, & iura tueri contra tantùm impedientes, ne consequantur, nec adeantur, vel nobis debita ne soluantur. Addendum est etiam, quòd assimilatio inter hæreditatem, & legatum, ac ius in cathedram, & præbendam, non semper tenet, quia hæreditas, & legatum consistunt in rebus, quarum priuatio potest esse notabilis damni; at ius in cathedram, interdum est ad solum leuem honorem, vt patet maximè in quibusdam Religionibus. En quàm scandalosa est adducta propositio, dum [illegible]itum omnibus generatim facit se defendere contra impedientem ius etiam Religiosi in cathedram, ne possessionem obtineat, sicuti poterit se defendere impeditus ne adeat hæreditatem, quæ si erit magni momenti, & alia via obtineri nequeat, nisi impedientem occidendo, dato, quòd licitè possit impeditus occidere, sequeretur ex dictæ propositionis doctrina posse etiam occidere impedientem possessionem cathedræ, ad quam v. g. Religiosus etiam reformatus intrà suam Religionem habet ius, quia iam ad eam à suis Superioribus fuit electus. Similes sequelæ falsæ, & scandalosæ sequuntur ex ampla significatione illius propositionis, vt iacet, propterea vt iacet fuit damnata, relictâ Doctoribus libertate disputandi de hac materia cum debitis limitationibus, vt v. g. an interdum in aliquo casu notabilis damni in impedito ne hæreditatem pinguem adeat, ac ne pingue legatum ei soluatur, vel ne possessionem obtineat cathedræ, seu præbendæ copiosi emolumenti, ac notabilis momenti, ad quam ius habet, liceat impedienti resistere vsquè ad interfectionem inclusiuè, si aliter iniustum impedimentum nequeat propulsari. Cui quæstioni si respondeatur affirmatiuè iuxta allatam sententiam docentium licere occidere inuasorem iniustum in notabili quantitate bonorum, si alia non suppetat via pro illis defendendis, prout dixi supra *num. 63.* tunc rectè inferetur consequentia in fauorem matris occidentis inuasorē pudicitiæ filiæ suæ: at accipere dictam propositionem trigesimamtertiam vt iacet, eamque veram habere, vel tueri, ac ad praxim deducere, nullatenus licet, stante prohibitione, & damnatione.

69 Notandum est deniquè, quòd si filia inuasa in pudicitia nollet iuuari, sed in violationem consentiret, quispiam priuatus non posset pro illius defensione occidere violatorem, nam eò ipso quod illa consentit, non patitur iniuriam. Ità Sylu. 2. 2. *D. Thom. quæst. 64. art. 7. queritur 9. concl. 1.* & Rodriquez citatus *sub num. 40.*

---

# DECISIO XCIII.

*An licitè puella se præcipitem dederit è turri, vt fugeret pudicitiæ suæ persequutorem, qui cum socio an fiat irregularis, si illa moriatur.*

## Casus, seu Historia XCIII.

### SVMMARIVM.

1 *Casus proponitur.*
2 *vsque ad* 13 *Agitur de directè, vel indirectè se occidentibus.*
14 *vsque ad* 30 *Varia de sponsionibus validis, vel inualidis.*
31 *vsque ad* 40 *Explicatur quando Irregularitas contrahatur, necne.*

1 COlloquentibus simul tribus condiscipulis de rebus venereis, vnus ex illis nomine Vigilius aperuit vim amoris, quo prosequebatur Lauiniam virginem formosam, simulque honestam adeò vt nec mediantibus donis ab ea semper recusatis, nec adhibitis artificijs mediantis vetulæ, illam potuerit emollire, vt tantummodò secum dignaretur semel colloqui. Respondit Patritius: ego quotquot volui semper induxi vt meæ correspondèrent voluntati; quare certus sum, quòd & Lauiniam ad meū libitum vincam. Si ità erit, nescio, reassumpsit Patritius; hoc vnum scio, quòd tecum libenter sponsionem faciam, vt nisi saltem cùm illa verba facias, calceos sericos mihi soluas; si verò ad cum illa loquendum pertienies, ego victus calceos sericos dabo. Testis sponsionis fuit tertius, qui Gennadius vocabatur. Ad opus ergo deuenit Patritius, & vsque ad inferiora Ecclesiæ insequutus Lauiniam, hæc turrim conscendit, vbi & Patritius eam insequi non destitit, quare de turri puella se præcipitem dedit, Vigilio, & Gennadio cuncta cernentibus. Cecidit intrà cœmeterium Lauinia, vbi penè mortua iacens, ad eam accessi Patritius, & veniam postulauit, obtinuitque; & quia eadem Lauinia rogauit dictum Patritium, vt ad eam Parochum mitteret pro Sacramentali confessione, propterea mediante Petro admonitus fuit Parochus, illi

illi verò fugam arripuerunt. Interim moritur Lauinia; res cum foro externo componuntur; vouent iuuenes mori mundo & ipsi Religionem ingrediendo, quod & fecerunt. Aduenit tempus suscipiendi Ordines, sed an sint Irregulares ex homicidio dubitauerunt; ac proinde ex occasione talis dubij tria examinabo.

Primò; an Lauinia peccauerit se præcipitem dando de turri.

Secundò; an sponsio erat soluenda, eò quia Patritius cum Lauinia fuerit loquutus veniam postulando.

Tertiò; an omnes, vel illorum aliquis irregularitatem contraxerit.

2 Ad primum dico, ex nulla causa licet sibi mortem inferre, quia nemo est dominus vitæ suæ. Sic Doctores communiter, & D. August. *lib.* 1. *de ciuitate, cap.* 16. idem tradit.

3 Addit Diana *summ. verb. occidere, num.* 34. peccare contra iustitiam, qua quisquè tenetur se Deo, & Reipublicæ custodire; necnon contra Charitatem, qua homo tenetur se diligere, qui seipsum directè vult occidere. Si autem
4 aliqui laudantur, quòd sibi mortem intulerint, vt Curtius pro patria, & Lucretia pro pudicitia, dicendum est non ideò laudari, quia non peccauerint, sed quia vulgus ità opinatur. Interdum etiam potest esse ex Spiritus Sancti impulsu, vt fecisse dicitur D. Apolloniam, se in ignem inijciendo. De alijs scribunt D. August.
5 *supra*, D. Ambros. *lib.* 3. *de virginib.* Euseb. *lib.* 8. *cap.* 12. *&* 13. Hinc tripliciter potest quis sibi mortem inferre. Primò, ex Spiritus Sancti instinctu. Secundò, ignoranter, vel sinè cognitione. Tertiò, scienter, & deliberatè. In primo modo non est peccatum: in secundo potest ignorantia excusare vt docet Sot. *de iust. lib.* 5. *quæst.* 1. *art.* 5. in tertio est semper peccatum, vt
6 patet in Iuda. Si ergo Lauinia ex Spiritus Sancti impulsu voluit se præcipitem dare pro tuenda virginitate, meruit.

7 Et non sinè leui fundamento præsumi potest Spiritum Sanctum impulisse Lauiniam, quæ si voluit non peccare cum Patritio, multò minùs voluit peccare contra iustitiam, & Charitatem
8 se interficiendo. Ad minùs insolitam iudicij, & mentis turbationem censetur habuisse, vndè plenam aduertentiam non habuit, quæ requiritur ad mortaliter peccandum, vt docent Do-
9 ctores communiter. Ego verò credo moraliter impossibile dari peccatum mortale per hoc quòd quis se occidat, nisi de peruersa voluntate aliunde constet. Ducor, quia adeò vehemens est instinctus naturæ ad se conseruandum, vt regulariter nonnisi ex ignorantia, vel inaduertentia admittatur id, ex quo sequitur sui ipsius destructio, vt patet in venatore totaliter intento ad ceruum insequendum, vndè interdum præcipitium nolens intrat, & moritur: &c.

10 Et non esse certum, quòd quis peccet per hoc quòd se interficit, suadetur, nam non licere se, aut alium occidere non est contra prima principia lumine naturæ nota, sed tantùm contra principia secundaria deducta ex primis. quæ aliquando possunt inuincibiliter ignorari, & ideò est dabilis ignorantia excusans, vt vult Sotus *loco citato*, quidquid afferat Caietanus *in* 2. 2. *quæst.* 124. *art.* 5.

11 Vrgentiùs suadetur, nam licitum est indirectè, ac mediatè facere, vel omittere id, ex quo mors propria sequatur, & hoc verificatur in eo, qui ad vitandum incendium ingens desilit ex altissimo loco. Ità expressè docent multi, quos refert, & sequitur Diana *part.* 11. *tract.* 6. *resol.* 46.

12 Sic non est reus homicidij sui ipsius, qui facit id, ex quo indirectè sequitur mors, vt contingit in effodiente mœnia, aut turrim inimicorum, si corruat, & occidat effodientem. *Idem* est si quis se inijceret in mare, vt tyrannorum barbariem effugiat, ac inter aquas moritur. Idem est si Religiosus non petat mutationem Conuentus aeris non sani, vt mortificationem exerceat, &c. Videatur Diana *loco citato*. Igitur Lauinia se directè non occidit, sed tantùm indirectè, & propterea non peccauit.

13 Non tamen tenebatur se præcipitem dare, quia satis fecerat, vt adhuc non peccaret, quamuis per vim stuprata fuisset in illo apice turris, seu in limine præcipitij.

14 Ad secundum dubium circa sponsionem Vigilij cum Patritio, quia fuit de re peccaminosa, peccauerunt ambo, Patritius dum voluit peccatum; Vigilius dum illum induxit, vel saltem animosiorem fecit. Sanchez *tom.* 1. *consilior. lib.* 1. *cap.* 8. *dub.* 32. *num.* 7. At non obstante iniquitate sponsio est soluenda. Ratio est, quia in sponsione non attenditur materia, sed æqualitas hinc inde contrahentium per contractum fortunæ. Sic si quis cum alio faceret sponsionem circa beneficium tertij, quòd obtinebitur, vel non obtinebitur, pretium adeptum non erit restituendum, quia non est pretium materiæ sponsionis, quæ cùm sit in genere beneficiorum, redderet simoniacum, & obnoxium restitutioni tale pretium. Igitur adeptum in sponsione peccaminosa non est restituendum, quam-

quamuis sponsio fieret in materia iustitiæ iuxta probabiliorem sententiam. Ità Angl. *flurib. 2. part. mater. de ludo, fol. 292. & seqq.* Sanchez *supra, num. 9.* Lud. Lopez *2. part. instruct. cap. 35.*

18 Sed an Vigilius, vel Patritius vicerit sponsionem, sub lite est. Vicisse Patritium videtur dicendum, quia cum Lauinia loquutus est. Nihilominus vicisse Vigilium iudico; nam spon-
19 sio est quidam ludus, seu contractus; in quolibet autem contractu spectantur initium, & causa. *l. si tamen, ff. ad macedon.* & in nostro casu initium, & causa fuerunt libidinosa; cùm ergo
20 loquutio non fuerit talis, defecit statutum in contractu, in quo conclusio attenditur. *l. si dominus, ff. de præscript. ver.* Mantic. *decis. 70. nu. 1.* Steph. Grat. *discept. forens. cap. 115. num. 35.*
21 Idem probatur, quia contractus non debet operari vltra intentionem contrahentium, vt constat decisum per *l. non omnis, ff. si certum petatur, l. in agris ff. de acquir. rerum dominio*; & notat Conan. *comment. Iuris ciuilis, lib. 7. cap. 1. num. 13.* at certè in casu nostro spondentes ad minùs loquutionem cum Lauinia, non habuerunt intentionem comprehendendi loquutionem cum illa pro tali statu, neque sermonem virtuosum, qualis fuit petitio veniæ, vt exponitur in historia: ergo non ideò vicit sponsionem Patritius, quia tali modo sit cum Lauinia loquutus, qui modus erat omissus in contractu, nec venerat sub eorum intentione; & omissum
22 in contractu habetur pro omisso. *l. quidquid astringendæ, ff. de verbor. obligat.* Surdus *decis. 283. num. 5. & de aliment. tit. 8. priuil. 76.* Paris. *cons. 117. num. 6.*
23 Nec aliqua ratio valet probare, quòd ad minùs in mente spondentium tacitè fuerit comprehensus casus, qui euenit, cùm potiùs contrarium expressè colligatur ex petitione veniæ à Patritio facta ipsi Lauiniæ; & ex confessione sociorum Patritij, videntes actum talem inexcogitatum ab ipsis, & ideò confusio apprehendit eos, non enim fuissent confusione superfusi, nec ad veniam postulandam quisquam eorum deuenisset, si præcipitium illud intendisset; quæ omnia satis declarant quænam fuerit tacita mens horum spondentium: vndè quia contractus recipit interpretationem ex contrahentium tacita mente, iuxta *l. in conuentionalibus, ff. de verbor obligat.* & docet Perez *ad tit. 7. lib. 5. ordin. pag. 188.* concluditur non fuisse Patritij, nec Vigilij intentum, vt casus sequutus veniret in conuentione; & in contractibus potiùs mens,
24 quàm verba sunt attendenda, Molina *de primo-*
25 *genit. lib. 1. cap. 4. num. 20.* cùm ergo contractus legem accipiat ex conuentione partium, *l. contractus, ff. de regul. iuris. l. 1. C. commodati.* & *cap. contractus, 85. de regul. Iuris in 6.* Socin. *cons. 167. non vtilis. vers. postremò, & cons. 154. Consultationem, circa princip. lib. 2.* Castr. *cons. 472. Viso supra dicto, in princip. lib. 1. & cons. 145. Videndum est, in fine.* & partes spondentes in præsenti facto non conuenerint, vt ostensum est, etiam pro casu adeò inexcogitato, perinde fuit, quòd Patritius fecerit verba cum Lauinia, ac si non fecisset, propterea nec sponsionem vicit.
26 Et vlteriùs contra Patritium facit, quòd si in sua conuentione simplici cum Vigilio comprehenderetur modus ille inexcogitatus, superfluum esset in dispositionibus nolentium comprehendere omnem modum exprimere verba modum omnem amplectentia, vt sunt *Quoquomodo* quæ dictio continet modum etiam inexcogitabilem, vt tradit Tusch. *tom. 2. pract. conclus. lit. D. conclus. 319. num. 4.* Steph. Gratian.
27 *Marchiæ decis. 51. num. 25.* Rot. *decis. 505. num. 19. p. 1. diuers.* imò continet etiam omnes modos improprios. *l. quidem, §. 1. vbi gloss. ff. de fideicommiss. libert.* Menoch. *cons. 344. num. 19.* Ceph. *cons. 121. num. 1. lib. 1.* vel *Quomodolibet*, vel *quomodocumquè*, vel *quocumquè modo*, quæ
28 omnia idem sunt iuxta Paris. *cons. 58. num. 10. vol. 1. & cons. 142. num. 6. vol. 4.* Gozadin. *cons. 14. num. 22.* & Roland. *cons. 2. num. 23. tom. 4.* &
29 comprehendunt omnes casus, vt tradunt Menoch. *rem. 6. recuperand. 15.* Rebuff. *in comment. ad l. creditor, 11. vers. quomodolibet, ff. de signific.* Hippolit. *cons. 80. num. 38.* Ruin. *cons. 15. num. 36. & 37 vol. 2.* ergo casus inexcogitatus præcipitij Lauiniæ nullomodo potest intelligi in conuentione Vigilij cum Patritio, dum sponsionem fecerunt.
30 Ideò positioni simplici respondendum est ad litteram, scilicet iuxta communem intellectum verborum, omissa omni qualificatione, prout docet Menochius *de arbitr. iudic. casu 251. in princip.* Amat. Roder. *in practic. cap. 7. num. 65.* Galganet. *de condit. & demonstrat. part. 2. cap. 1. cap. 1. quæst. 73. num. 6.* & propterea non est qualificanda sponsio simplex, itaut sumatur prout est sumenda non simplex, & quæ ad omnem casum, & modum extenditur. Igitur censeo victoriam sponsionis stare pro Vigilio, cùm Patritius non censeatur sermonem habuisse cum Lauinia, cum qua ad pretium sponsionis obtinendum debuisset copulam, vel saltem verba facere, & facta non sint reputanda venire in spon-

sponsionis contractu, vt prædixi.

31 Tertium dubium, scilicet an sint Irregulares ob Lauiniæ mortem Vigilius, Patritius, & Gennadius, res est examinanda non in communi, sed in particulari, & de quolibet eorum in indiuiduo, nam diuersimodè se habuerunt in isto facto.

Patritium primo loco examino; & quia ille contrahit irregularitatem, qui dat operam rei illicitæ, prohibitæ, & periculosæ, ne ex ea sequatur homicidium, si tale homicidium sequitur, non obstante quòd omnis diligentia adhibeatur, ne sequatur, vt docet Sayrus *de cens. lib. 7. cap. 5. num. 13.* ideò ab irregularitate non est immunis Patritius, qui dabat operam rei illicitæ persequendo pudicam, & illam obligando ad fugam periculosam ne se occideret cadendo à scalis, impingendo in lapides, in muros, vel mortalem deiectionem ex alto loco eligendo, prout factum fuit: ergo ex hoc capite est irregularis. Ratio est, quia Irregularitas ex homicidio contrahitur etiamsi homicidium sit volitum indirectè tantummodò, vel in causa, licèt diligentia quælibet adhibeatur ne sequatur, dum datur opera rei illicitæ, & periculosæ, quia diligentia non mutat rerum naturam; & homicidium est volitum indirectè, ac in causa, quando datur opera rei periculosæ, vt ex ea consequatur.

32 Confirmatur exemplo: si quis proijciat lapidem in alium, qui timens grauem percussionem fugit, sed fugiendo cadit, & moritur, tunc ille qui lapidem proiecit est irregularis, sicut tradit S. Antoninus 3. *part. tit. 29. cap. 2.* §. 3. Tabiena *verb. Irregularitas 3.* §. *quarto*. Alphon. Viuald. *tract. de irregularit. num. 267.* Alber. *verb. homicidium 6.* Henriquez *lib. 14. cap. 15.* §. 3. Syluest. *verb. homicidium, 2.* §. 21. Angel. *eod. verb. 2.* §. 11. Astensis *part. 2. lib. 6. tit. 14. art. 6. q. 4.* & idem docent Innocen. Hostiens. & Panormit. *in cap. exhibita, num. 4. & 5. de homicid.* Ergo & in casu Patritij, qui ad fugam constrinxit Lauiniam perterritam à grauissimo damno violationis, cùm ceciderit, & mortua sit fugiendo, concludendum est contraxisse irregularitatem.

33 Confirmatur secundò, quia Irregularitas contrahitur ab eo, qui est causa homicidij tum physica, tum moralis, vt dicunt communiter Doctores, & notat Pasqualigus *decis. moral. decis. 420. num. 3.* sed reuera Patritius fuit causa saltem moralis homicidij Lauiniæ: ergo &c.

34 Quòd si Petrus proijciens lapidem in Paulum, & iste ad declinandum grauem ictum fugiat, sed in fuga impellit casualiter, & sinè dolo Ioannem, qui moritur ex impulsu, quòd si, inquam, Petrus in isto casu sit irregularis, vt docet Sayrus *d. lib. 7. cap. 6. num. 30.* cùm tamen numquam cogitauerit de occidendo Ioanne, imò nec Paulo; à fortiori Patritius est irregularis sequuta morte Lauiniæ prout narratur in istius decisionis casu.

35 Vigilium secundo loco examino, qui quia grauiter peccauit in sua sponsione, sicut dixi supra *sub num. 14.* cum Sanchez, cùm animum daret Patritio ad peccatum faciendum, ac ad Lauiniam insequendam, contraxit & ipse irregularitatem. Primò suadetur, nam fuit causa moralis & ipse respectu dicti homicidij: Secundò, nam qui alium animat ad homicidium fit irregularis, & sic milites omnes in bello iniusto

36 fiunt irregulares, quia se inuicem animant, vt tradit Hurtado *disputat. 2. diffic. 6. num. 21.* & est communis, nec habet (saltem ad casum nostrum) contrarios, cùm Coninch. *de sacramentis, disputat. 18. dub. 10. num. 98.* dicat esse ir-

37 regulares tantùm milites quinquaginta, aut centum viciniores, qui occidentem animare potuerunt: ergo qui dat animum ad occidendum, fit & ipse irregularis; ergo Vigilius in præsenti casu ob animum, quem instillauit in Patritium cõtraxit cum Patritio eamdem irregularitatem, iniustè namquè Patritius, & Vigilius pugnabant cum Lauinia.

38 Vndè non currit paritas cum animante ad cædem in bello iusto, talis enim non fit irregularis, etiamsi incitet militem ad occidendum aliquem, determinatè, aut etiamsi animet omnes ad strenuè pugnandum, dummodò proprijs manibus non concurrat ad mortem ipse, qui incitat. Sic Mendoza *in 2. 2. tom. 2. disput. 169. sect. 2.* §. 137.

39 Gennadium tertio, & vltimo loco examino, quem sinè irregularitate iudico, si animũ non dedit socijs, quamuis intrinsecè peccauerit, si peccatum optauit, vel non correxit socios, vt dixi *num. 14.* Ratio est, quia sic non præstitit influxum neque moralem in sequutum homicidium. Item, quia nec facit aliquid, ex quo illud sequatur. Item, quia nec mandat, nec consulit, nec suadet, nec aliquo modo mouet, nec ratũ habet, nec aliquid omittit ex quo sequatur mors, sicut neque aliquid committit: ergo nihil concurrit in Gennadio ex ijs, ob quæ irregularitas contrahitur, & per quæ aliquo modo possit reputari causa homicidij. Sic

40 colligitur ex Pasqual. qui *dicta decis. 420* docet non contraxisse irregularitatem socios

prin-

principalis in aggressione quorundam, à quibus aggressis fuit occisus vnus ex iisdem socijs; & ratio authoris est, quia nihil fecerunt, aut omiserunt, ex quo homicidium illud sequeretur: ergo & non erit irregularis eodem modo Gennadius.

# DECISIO XCIV.

*An Monitorium, vt reuelentur bona aliena, comprehendat donatarium, & tenentem titulo compensationis.*

## Casus, seu Historia XCIV.

### SVMMARIVM.

1 *Casus proponitur.*
2. *vsquè ad 9 De requisitis ad iuramentum.*
10. *vsquè ad 27 Donatarius an comprehendatur in Monitorio, & an amens possit donare.*
28. *vsquè ad 45 Ex vi Monitorij, an sint reuelanda bona accepta in compensationem, & ponitur propositio damnata circa famulos compensantes.*
46. *vsquè ad 52 Beneficiarius omittens horas an teneatur restituere, & obedire Monitorio, si fructus recepit, maximè stantibus doctrinis damnatis.*
53. 54 *Et quid si vacet studio.*
55. *vsquè ad 66 Et quid si antea fecit eleemosynas.*
67. *vsquè ad 76 Et quid si officium pro officio recitauit; vel partem officij; vel si vnicum officium dicit pro duobus diebus.*
77. *vsquè ad 89 An Monitorium obliget reuelare bona surrepta in necessitate, & quid circa hoc sit damnatum.*
90. *vsquè ad 116 Agitur de furtis paruis.*
117. *vsquè ad 124 Agitur de inducentibus alios ad damnificandum proximo; & quid circa hoc sit damnatum.*

1 LAmbertus filius Michaelis votum emiserat peregrinationis ad Domum Sãctam Lauretanam, si pater ipsius conualuisset à morbo amentiæ in quam inciderat; & quia sanitatem obtinuit Michael, ideò Lambertus ad votum adimplendum peregrinationem assumpsit; sed in itinere constitutus recidiua febris inuasit patrem, qui à Medicis de salute recuperanda desperatus vocauit ad se famulam suam, cui secretè centum quinquaginta aureos donauit cum expressione causæ mortis, accepto ab ea iuramento, de numquam alicui notificando huiusmodi dono, imò de dicendo se nihil habuisse ab eo, ne populi illius loci antiquam suscitarent opinionem obliuioni iam traditam, & dicerent se vera dixisse, dum olim eam publicabant Michaelis esse concubinam. Paucis transactis diebus inuasit iterum amentia Michaelem, qui conualescens à mortali morbo, nec alia detentus infirmitate nisi stultitia, quidam qui ab eo mille scuta in ludo fuerat lucratus, conuenit cum famula, vt permitteret sibi compensari antequam Lambertus reuertatur ad domum, nam aliter numquam habebit lucrata, nisi compensationem à seipso faciat, atquè eidem famulæ magnam quantitatem pecuniæ promisit, si fideliter in talem compensationem cooperetur. Ita factum fuit, ideò collusor accepit argentum potorium Michaelis, & alia nonnulla, quæ debitum complerent. Et ne famula crederetur dicta surripuisse, quando ad domum reuersus erit Lambertus, finxit se ægrotam, & quia in domo Michaelis non erat quisquam alius, ideò famula vocauit quosdam parentes Michaelis, vt curam illius gererent simul etiam & famulæ. Tandem regresso Lamberto, animaduertit deficere suppellectiles pretiosiores, & pecunias multas, & sciens fuisse frequentatam domum patris à multis de familia cum eorum famulis, voluit Lambertus amissa inuenire si posset, adhibito Monitorio excommunicatiuo, vt moris est.

Factum notificauit cuidam Religioso confessario suo dicta famula optans scire an teneretur seipsam propalare, maximè quia vnà cum collusore aliqua acceperat in compensationem operæ suæ. Tempus ad resoluendum petijt Religiosus, qui circa quinquè capita dubitauit in casu.

Primum est an Iuramentum famulæ esset seruandum etiam cum ipso Confessario. De hoc agam §. 1.

Secundum est, an Donatarius comprehendatur in Monitorio. De hoc agemus §. 2.

Tertium est, an Compensator teneatur se notificare ex vi excommunicatiui Monitorij. De hoc cum sequenti agam §. 3.

Quartum est, an data famulæ ab ipso Compensatore sint comprehensa in excommunicatione, an verò possint ab ea retineri, nec compensatorem prodere sit obligata. De hoc agam §. 4. 5. 6. 7. & 8.

## §. I.

*Resoluitur primum caput, scilicet an famula contra iuramentum in casu nostro potuerit loqui.*

2 AD primum respondeo, quòd iuramentum à famula præstitum de nemini reuelando donationem acceptam, erat seruandum etiam cum Confessario, nisi necessitas integræ confessionis obligasset famulam ad non obseruationem ipsius. Ratio est, quia iuramentum numquam est vinculum iniquitatis, vt docent omnes DD. vndè si aliquando obligaret non facere integram confessionem, patet esse vinculum iniquitatis: ergo ad integrè se confitendum, licebat famulæ non obseruare iuramentum, vtpote non obligans.

3 Item, nam iuramentum contra bonos mores non est obligatorium, iuxta *regulam, Non est obligatorium, de regulis iuris, in 6.* & hoc intelligitur quoties eius obseruantia esset peccatum contra legem naturalem, vel diuinam positiuam, vel canonicam, vel ciuilem; & in-
4 tegritas confessionis, quæ consistit in confessione omnium mortalium, est de iure diuino, vt traditur à Tridentino *sess. 14. cap. 5.* consequenter ex vi alicuius iuramenti, non potest quisquè deobligari ab huiusmodi integritate.

5 Et quia ad iuramentum requiritur iustitia, vt habetur Hierem. 4. ibi *Iurabis viuit Dominus in iustitia, in iudicio, in veritate.* ad quem locum Hieronym. idem docet, & refertur *cap. 2. 22. quæst. 2. & cap. vlti. 22. quæst. 4.* ideò iustitia deficiente non est bonum iuramentum; & iustitia deficit, si cum iuramento de non dicendo aliquid, comprehendatur Confessarius, quando cum eo est opus loqui ad sciendam propriæ conscientiæ obligationem, vt peccandi periculum euitetur; ergo vt sciret famula in nostro casu, quænam esset obligatio sua circa periculum peccandi contra Monitorium, simulque excommunicationem contrahendi, non ligabatur iuramento tacendi pro simili necessitate.

6 Insuper facit pro libertate loquendi in ista famula, quòd iuramentum seruandi sub silentio donationem, erat ex fine, seu ex causa impediendi, ne populus excitaret suspicionem contra donantem, & donatariam; ergo cessante tali causa, prout de facto cessabat ex sola loquutione cum Confessario, iam iuramenti obligatio non subsistebat, etenim communis, ac generalis regula est, vt cessante causa cesset effectus, quando causa cessans non sit solùm impulsiua, sed finalis. Ita cum multis tradit Sanchez *summ. lib. 4. cap. 2. num. 42.* & ego *decision. 74. num. 65. & 68. & decis. 79. à nu. 62. vsquè ad 68.*

7 Probatur etiam per regulam docentem, quòd nemo per votum, vel iuramentum, vel promissionem quamcũquè obligatur vltra id, ad quod se voluisset obligare, si id aduerteret, dum promissionem fecit. Sic dicunt Innocent. *cap. Veniens, num. vnic. de iureiurand.* & ibi Abbas *num. 4.* Anton. *cap. Quemadmodum, num. 13. eod. tit.* & Hostiens. *summa eod. tit. num. 3. vers. Item si iuro stare.* Armilla *verbo Iuramentum num. 35. fine.* Angelus *eod. ver. 4.* Syluest. *eod. ver. & ver. Votum 2. quæst. 17.* Tabiena *verb. Iurare q. 15. num. 16.* D. Anton. *2. par. tit. 10 cap. 6. §. 5.* Nauar. *sum. cap. 18. num. 7.* Et iuxta hanc regulam infert Molina *tom. 2. de iustitia, disput. 272. col. 2. vers. Deinde. & col. 7. notabili 4.* deobligari à promissione in eo casu, qui si occurreret dum promissio emittitur, exciperetur; aut si promittens interrogaretur, respondisset se ipsum non obligare pro tali euentu, licèt absolutè promi-
8 serit, nil cogitans de talibus casibus. Quæ regula probatur ex eo, quòd votum, aut promissio facta sunt quædam leges, & leges habent
9 Epikeiam ad excipiendos casus. Item quia in concessione generali non veniunt casus, quos concedens verisimiliter exciperet, vt constat ex *regula In generali, de regulis iuris in 6.* Ergo cùm famula iuramentum emittens de silenda donatione noluisset certè se obligare etiam cum Confessario pro casu alicuius scrupuli, sequitur non esse de facto obligatam, & sic potuisse conferre donationem acceptam, vt disceret ad quid teneretur, ne incideret pœnam Monitorij.

## §. II.

*Resoluitur secundum caput, scilicet an donatarius comprehendatur in Monitorio.*

10 AD secundum dubium videtur dicendum, teneri donatarium reuelare donationem, nam lex disponit vt etiam ex donatione causa mortis falcidia detrahatur. *l. Cum pater, §. earum, ff. de legat. 2. l. 1. §. Si quis ex mortis, ff. Quorum legator. l. Si ex mortis causa, & l. si quis quadringentorum. C. ad legem falcidiam: l. 2. C. de donat. causa mortis. & Gloss. in l. in donat. C. ad legem falcidiam,* & ibi Baldus, Salicetus, & alij. Romanus *consil. 75.* &

11 id

11 id locum habet etiam in donatione causa mortis facta extra testamentum, & codicillos, vt est vniuersalis opinio scribentium in materia donationis causa mortis, & idem dicunt leges citatæ; vndè Couarruuias *in Rubr. de testam. par. 3. num. 20.* quamuis à lege falcidiæ excipiat donationes causa mortis factas non in testamentis, nec in Codicillis, tamen nullo textu id probat, propterea communiter non admittitur ista sententia. Si ergo falcidia est detrahenda à donatione causa mortis, etsi facta non in testamento, vel Codicillo, consequenter videtur non excipi casus famulæ, de qua agimus, non obstante iuramento, cùm hoc sit contra leges; & sic non potest donatio occultari, non enim leges illam occultationem approbant, sed reijciunt, si iubent falcidiam detrahi à donatione causa mortis, non obstante quod fuerit secretè facta, seu non solemniter, & cum Notario, qui eam rogaret in Testamento, vel Codicillo; ex quibus sequitur debere obedire Monitorio.

12 Nihilominus dico famulam non comprehendi in Monitorio. Ratio est, quia quamuis Iuramentum non sit obligatorium, si est contra aliquam legem obligantem ad peccatum, vt dixi supra *num. 3.* obligat tamen quando est contra legem non obligantem ad peccatum, nec est in præiudicium tertij, sicut & quando non est contra aliquam legem. Et quidem non obligat, si sit contra legem obligantem ad culpam, quia tunc esset contra ius alienum, cui nemo potest renunciare, sed solùm proprio, *l. Iuris gentium, §. si paciscar, ff. de pactis.* lex au-
13 tem obligat ad culpam quoties de primariò, & immediatè ordinatur ad bonum commune tuendum, & sic qui faceret contra ius, seu in præiudicium boni communis, renunciaret iuri alieno, & in eius præiudicium ageret, quod non esse licitum constat ex *d. l. Iuris gentium*, & ex
14 *cap. Si diligenti, de foro compet.* Nec in præiudicium tertij obligat. *cap. quamuis pactum, in fine, de pactis, in 6. cap. cum contingat, ad finem, de iureiuran.* & notant. Archidiac. *d. cap. quamuis pactum, in fine.* Seraphinus, *de priuilegijs iuramenti, priuileg. 61. num. 15.* multis citatis. Paulus *l. si quis pro eo, in princip. num. 4. & 5.*
15 *ff. de fideiuss.* & alij. Similiter non corruit iuramenti obligatio, si nulla lex resistit, vt ex se
16 notum est, lex autem non resistit, quando ad culpam non obligat, vt est lex ciuilis, quæ de primario respicit bonum priuatum, tum si talis legis prohibitio dirigatur in actum, tum si dirigatur in personam; ita Sanchez *in decal. tom. 1. lib. 3. cap. 9. num. 35.* Cùm igitur in casu nostro Iuramentum famulæ non sit contra legem obligantem ad culpam, nec in damnum tertij, erit obligatorium, & seruandum, ac per consequens non tenebitur Monitorio parere. Probatur quòd non sit contra legem obligantem ad culpam; nam ad maximum est contra legem volentem, vt ex donatione causa mortis detrahatur Falcidia, & ideò donatio accepta esset notificanda; sed talis lex respicit bonum priuatorum, cùm Falcidia detur vel vt hæres
17 directus in primo gradu accipiat ex legatis quartam partem ad componendam legitimam, quam non haberet, si sic ex legatis non detraheret; vel vt hæres testamentarius, siuè electus cui de iure legitima non debetur, & nihil est ei assignatum, detrahat solum vsquè ad
18 quartam bonorum, quam sibi potest seruare, sicut in fideicommissis, à quibus Trebelliana, seu quarta pars detrahitur, nisi testator prohibeat detrahi Falcidiam, aut Trebellianam
19 prout prohibere potest, vt patet *Authent. Similiter, C. ad l. falcidiam*, & in iure Trebelliana, & Falcidia æquiparantur: ergo talis lex respicit bonum priuatum, & sic non obligat ad culpam, vt notaui cum Sanchez *supra sub num. 16.* Sed nec damnum tertij sequitur ex silentio acceptæ donationis, cùm ex ea nec Falcidia, nec Trebellianica sit danda tertio, quia legitima integra adhuc relinquitur à donante testatore hæredi suo filio: ergo Iuramentum obligat famulam ad tacendum, ac proinde ipsa non comprehenditur in Monitorio.

20 Addo, quòd saltem in foro animæ potest famula tacere, quamuis à legatis, & donationibus esset Falcidia detrahenda; nam supposita testatoris intentione, vt sub secreto seruetur facta donatio, implicitè prohibuit ne Falcidia detrahatur à tali donatione; at talem prohibitionẽ facere potest ex *d. Authent. Similiter.* ergo nemini facit iniuriam famula silendo, & per consequens tenetur silere, ac iuramentum seruare, neque per Monitorium ipsa intelligitur obligata reuelare accepta titulo donationis.

21 Addo etiam, quòd in Monitorio comprehenduntur regulariter tantùm illi, qui surripuerunt bona, vel de bonis certæ personæ, nec sunt comprehensi illi, qui legitima acceptione receperunt à dicta certa persona: ergo famula donataria est exclusa à Monitorio, cùm legitimè acceptauerit ab ipso donante, cuius bonis surreptis Monitorium emanauit, vt reuelentur surripientes, ad effectum inueniendi eadem bona.

22 Nec potest contra famulam pugnare, quòd do-

donans adhuc viuat, & donatio causa mortis habeat effectum solummodò post mortem donantis. Respondeo enim, non semper rem fieri donatarij tantùm postquam decessit donans causa mortis, vt constat ex *l.2. ff. de donat. mortis causa*. verùm & subsistit talis donatio si fiat itaut res statim acquiratur donatario; vndè quia 150. aurei fuerunt traditi à donatore ipsi famulæ in casu nostro, ideò certum est fuisse statim in famulam translatum dominium, etenim traditio rei operatur translationem domi-
23 nij, etiam quando contractus est imperfectus. Ita Tiraquellus *de retractu tit. 2. ad fin. num.* 75. *circa med.* Surd. *decis.* 198. *num.* 32. Neguzant. *de pignor. part.* 4. *num.* 39. Soar. *receptar. sententiar. verbo dominium, num.* 123.

24 Neque obstat donantis amentia, quando ista habet lucida interualla; propterea licèt donare non possit amens, vel furiosus, cùm nequeat consentire, *cap. Meritò*, 15. *quæst.* 1. *& l. Iulianus*, *ff. de curatorib. &c.* vndè nec subsistit donatio facta per mentis inopem. *l. Modestinus*,
25 *ad fin. ff. de donat.* tamen pro tempore lucidi interualli potest administrare bona, & donare, *l. Cum alijs, C. de curatore furiosi*. & ibi Bartol.

26 Sic amentes non perpetui, sed cum lucidis interuallis possunt Matrimonium contrahere tempore lucidi interualli, quia vsum rationis habent, & ideò validè contrahunt, vt colligitur apertè ex *cap. quamnis*. 7. *quæst.* 1. & ex *l. Diuus, ff. de officio Præsidis*. & tradit gloss. *cap. neque furiosus*, 32. *quæst.* 7. & *cap. dilectus*, *de sponsalibus, verbo furore*, vbi Ioann. Andr. *num.* 5. Alex. de Neuo, *num.* 16. Præpositus, *num.* 1. D. Thom. 4. *disp.* 34. *quæst. vnic. art.* 4. D. Bonauent. *ibi art.* 4. *quæst.* 1. & reliqui Theologi, & Iurisperiti. Ergo & donatio facta famulæ ab ipso nunc amente, qui & olim amens fuerat, sed sanitati restitutus, est subsistens & valida, vtpote facta dum sanus reputabatur communiter, & ideò filius iter assumpserat ad votum exequendum pro adepta sanitate à morbo amentiæ patris sui, qui donationem fecit famulæ, prout agimus in præsenti.

27 Quòd si in dubium reuocetur, an tempore lucidi interualli, atquè sanitatis fuerit donatio peracta; respondeo veritatem debere requiri ab actu facto, qui actus quia benè, & optimè apparet dispositus, sciuit enim donare cum cautelis, & modo narrato in expositione casus, ideò ex modo arguitur actam fuisse donationem tempore vsus rationis. Ita Menoch. *lib.* 6. *de præsumpt. præsumpt.* 45. *nu.* 66. cum alijs. Igitur Monitorium non comprehendit donatariam famulam quantùm est ex capite donationis, vt præfertur.

## §. III.

*Resoluitur tertium, & quartum caput, scilicet an bona accepta titulo compensationis sint reuelanda ex vi Monitorij.*

28 AD tertium dubium, dico esse attendendum an verè potuerit Collusor prætendere, vt ei solueretur amissa in ludo pecunia credita, nam lucrum factum in ludis prohibitis, pro quibus leges dant actionem ad repetendum id, quod amissum est, non est in conscientia soluendum, cui enim datur actio, eidem competit exceptio, & retentio, *regul. qui ad agendum* 61. *de regulis iuris, in* 6. & *regul. inuitus*, 197. §. *cui damus*, *ff. de regul. iuris*. *l.* 1. §. *qui superficiem*, *versic. nam cui damus*, *ff. de superficiebus*, *l. Creditori*, 5. *C. de pactis*. Et similiter suadetur, quia esset circulus inutilis,
29 si esset in conscientia soluendum id, quod statim potest repeti. *l. dolo*, 8. *ff. de doli mali exceptione*. & *regula dolo*, 59. *de regul. iuris, in* 6. & sic expressè colligitur ex Bart. *extrauagan. ad reprimendum*, *num.* 13. Antonio, *cap. nouit*, *num.* 62. *&* 63. Si ergo iste Collusor non vicerat nisi in ludo prohibito, non poterat sibimet compensationem facere, ideò iniustè accepisset de bonis Michaelis, & ex vi Monitorij tenetur reuelare ipsum ipsa famula, quæ si pecuniam acceptam à Collusore scit esse velut participationem compensationis, quam permisit fieri à Collusore, debet illam reuelare iuxta præceptum Monitorij. Ratio est, quia directè fuit furtum, non vera compensatio, & res acceptæ sunt Domini.

30 Et obligatio reuelandi currit, etiam quando non habetur certitudo, aut habetur dubium, an compensatio fuerit legitimè facta. Sic Azorius 3. *part. Instit. moral. lib.* 5. *cap.* 15. *in fine*, §. *si roges*. Et quia ipse qui compensationem accepit dixerat famulæ, se accipere titulo compensationis iustæ, adhuc tenetur ipsum reuelare, nisi ipse accipiens sit vir magnæ fidei, & auctoritatis. Ita Nauar. *cap.* 17. *num.* 114.

31 Si autem vera compensatione fuit acceptum, tunc in nullo est obligatio standi Monitorio, etiamsi hoc diceret esse reuelandos accipientes titulo compensationis, vt docent Angelus *ver. furtum*, *num.* 40. *&* 41. Tabiena, *verbo Restitutio*, *quæst.* 30. Gabr. *in* 4. *dist.* 15. *quæst.* 3. *art.* 3. *dub.* 3. & Nauar. *d. cap.* 17. Ratio

tio est, quia excommunicatio fertur ob peccatum mortale, & mortaliter non peccauit ille, qui titulo veræ compensationis accepit.

32 Hinc fit, quòd si Monitorium dicat esse reuelandos accipientes etiam titulo compensationis; debet intelligi tantummodò in triplici casu. Primus est, quando fuit acceptum, cùm dubium esset debitum, quia melior erat conditio possidentis, & sic non potuit in dubio expoliari. Secundus est, quando accipitur vltra debitum; nam compensatio legitima non fit hoc modo. Tertius est, quando fuit acceptum non de proprijs debitoris, sed de alienis bonis, aut de mixtis cum alijs, vt si accipiatur depositum, pignus, & similia. Ex dictis potest clarè intelligi an famula teneatur hunc Collusorem reuelare, necne, à quo si aliquid accepit de proprijs eiusdem Collusoris, hoc poterit licitè retinere, siuè sit ei datum titulo donationis, siuè titulo pretij vt permitteret eum accipere quantùm volebat de bonis Domini, & hoc verum est etiamsi compensatio non esset vera, ac legitima, quia vt dixi *decis. 91. num. 45.* in foro conscientiæ potest retineri acceptum pro quocumquè actu turpi. Turpis autem actus fuisset iste huius famulæ, si cùm teneretur ex officio curare bona Domini sui, concessisset extraneo, aut etiam cooperata fuisset, vt iniustam acceptionem faceret, dato quòd compensationis titulus verè non subsisteret, vndè & ipsa ad restitutionem teneretur, non restituente collusore, iuxta generalem doctrinam cooperantium in damnum tertij.

33 Ad quartum dubium patet resolutio ex dictis supra, maximè in præcedenti numero.

34 Tandem consulat conscientiæ suę ipsa famula circa aureos centum quinquaginta ei donatos causa mortis, nam si Dominus dum eos donauit, & tradidit, habuit intentionem quòd non eidem famulæ acquireretur dominium, nisi post mortem, teneretur reuelare hanc pecuniam tamquam propriam Domini sui. Verùm si hoc non expressit donans, nec de illius intentione aliter constet, potest vt proprium tenere hoc donum, stante traditione, per quam dominium transfertur, nisi aliud à tradente insinuetur, prout in præallegatis dictum fuit.

35 Circa bona, quæ famula sibi accepit titulo compensationis operæ suæ, quam maiorem iudicat salario, quod recepit, opus est magna vti cautela in dando iudicio, an veniat sub obligatione per Monitoriū imposita. Igitur est sciendum fuisse ab Innocen. Papa XI. damnatā hanc propositionem: *Famuli, & famulæ domesticæ possunt occultè heris suis surripere ad compensandam operam suam, quam maiorem iudicant salario, quod recipiunt*, quæ propositio est 37. in serie damnatarum ab eodem Pontifice. Si hæc doctrina esset generatim vera prout generatim traditur, non essent comprehensa dicta bona in obligatione notificandi bona Domini, pro quo Monitorium fuit publicatum. Ratio est, quia compensare est, debitum credito, vel creditum debito coæquare, & sic nihil fit contra iustitiam, si titulo compensationis aliquid accipiatur, cùm non nisi suum accipiatur, & sic Monitorium obligans ad notificandum apud quem de bonis talis personæ reperiatur, non cogit ad loquendum de bonis via compensationis iam factis proprijs illius, qui sibimet cum illis compensauit; ex quibus sequitur famulam in casu nostro non teneri notificare bona à se in compensationem accepta, quia salarium à Domino non recepit iuxta meritum operæ suæ.

Verùm quia consequentia in fauorem famulæ casus nostri infertur ex antecedenti, quod est propositio damnata, propterea non sic generatim, & absolutè, sed cum limitatione, atquè cum distinctione est resoluendum propositum dubium. Notetur ergo Pontificem meritò damnasse præfatam propositionem, quia vt iacet loquitur nimis amplè, sicque admittit licere famulis, & famulabus domesticis occultè heris suis surripere ad compensandam operam suam, quam maiorem iudicant salario, quod recipiunt, tum si de tali salario conuenerunt cum heris suis, tum si non conuenerunt. Licèt ergo Doctorum disputationi relinquatur, an liceat dictis famulis, & famulabus surripere heris suis occultè, vt compensent operam suam maiorem salario, quod receperunt, nulla facta conuentione de illo cum ijsdem heris suis; tamen si conuenerunt cum heris suis, nullatenus licitè possunt occultè surripere ijsdem heris ad compensandam operam suam maiorem salario per pactum statuto, & conuento; En quid sub damnatione cadat, tamquam quid scandalosum contentum in dictæ propositionis doctrina, nimirum affirmare posse famulos, & famulas domesticas occultè surripere heris suis ad compensandam operam suam maiorem salario, quod receperunt, de quo cum heris pactum, & conuentionem fecerunt. Eiusmodi doctrina est venenosa, animarumque saluti perniciosa, adeoque meritissimè damnata, etenim contrariatur

Euan-

Euangelio, quod referens Dominum vineæ dantem operarijs æquale stipendium tum nouissimis, qui serò venerunt, parumque laborauerunt, tum primis, qui multo labore portauerunt pondus diei, & æstus, quia vtrisquè dabat denarium, de quo cum singulis conuenerat, quare, vt narrat Euangelicus textus Matth. *cap.* 20. si operarij, qui ad opus primi venerant, denarium conuentum *accipientes murmurabant aduersus patremfamilias, dicentes: Hi nouissimi vna hora fecerunt, & pares illos nobis fecisti, qui portauimus pondus diei, & æstus;* subdit idem textus responsionem patrisfamilias his verbis: *At ille respondens vni eorum, dixit: Amice non facio tibi iniuriam: Nonne ex denario conuenisti mecum? Tolle quod tuum est, & vade;* quòd si non facit ei iniuriam, consequenter nequè aliquid ei ex iustitia debitum retinet; ergo supposito pacto de salario cum heris suis, illicitè surriperent eis famuli, & famulæ ad compensandam operam suam, quam iudicant maiorem stipendio, quod receperunt, & sic est scandalosa illa præadducta propositio meritò ob doctrinam Euangelio contrariam, prohibita, & damnata.

Est & aliud venenum in eadem propositione, dum famulorum, famularumque iudicio remittit sententiam ferre, an opera sua maior sit salario, quod recipiunt siuè cum pacto, siuè nullo facto pacto, seu conuentione cum heris suis. Sanè iudices incompetentes sunt de hoc famuli, & famulæ saltem generatim loquendo; vndè enim didicerunt veritatem in tali iudicio proferre saltem aliqui famuli grossioris ingenij, vel famulæ viles, rudes, tenueraque capacitatem habentes. Spectat ergo eiusmodi iudicium ad Confessarios, vel ad viros prudentes, quamuis interdum à nonnullis famulis, & famulabus possit ex communi praxi iudicium dari, an opera sua sit maior salario, quod recipiunt, quando nulla facta cum heris conuentione, ab illis expectabant stipendium competens pro tali, vel tali opere; quòd si heri in hoc delinquant, nec competens stipendium soluunt, eò quia nulla pactio fuit facta, tunc liberum est Doctoribus quæstionem facere, an locus sit compensationi.

36 Vt autem scandalum huius doctrinæ damnatæ manifestè aperiam præcipuè famulis, & famulabus domesticis, formo propositionem contra ipsos in fauorem Dominorum suorum sic: *Heri possũt occultè suis famulis, & famulabus domesticis surripere ad compensandũ stipendium, quod ex conuentione eis dederunt pro opera sua, quam minorem iudicant stipendio conuento.* Hanc propositionem certè improbarent non solùm Theologi, sed & ipsi famuli, ac famulæ, supposita conuentione determinata: ergo viceuersa est scandalosa doctrina concedens famulis, & famulabus compensationem, si pactum præcessit iuxta prædicta; ex his eruitur resolutio dubij pro famula, de qua quæritur in nostro casu, an teneatur obedire Monitorio, notificando, & restituendo bona clàm accepta titulo compensationis operæ suæ, maioris stipendio recepto: Si enim cum hero conuenerat de stipendio pro tali opera, iniustè clàm surripuit, adeoque contra iustitiam retinet, ac proinde tenetur Monitorio obedire non minùs ac cæteri iniustè retinentes aliqua ex bonis comprehensis in Monitorio. Si verò nullo facto cum hero pacto non recepit competens stipendium operæ suæ, prout herus tenebatur ex natura rei rationabiliter dare, tunc habito prudenti iudicio, quòd verè maior stipendio sit opera seruientis, disputationi, & opinioni Doctorum remittitur, an licita sit compensatio occulta in

37 isto casu. Ad quam disputationem resoluendam præmitto triplex esse seruitij præstiti pretium, videlicet summum, medium, infimum. Si herus non dat saltem infimum pretium accepti seruitij, attenta communi æstimatione illius temporis, censeo integrum esse famulo, ac famulæ compensationem clàm surripere vsquè ad dictum infimum pretium, si alia via iuris non potest tale pretium consequi. Ratio est, quia quamuis nullum pretium statutum sit, tamen ad minùs pretium infimum supponitur tacitè conuentum; quare sicuti licita esset famulo, & famulæ compensatio ad æqualitatem pretij expressè statuti, si Domini illud non darent, cùm sic acciperent debitum ipsis ex iustitia, vt est communis DD. sententia; ità erit licitá compensatio vsque ad infimum pretium seruitij, de quo pretio supponitur pactum tacitum (nisi aliter constet de consensu seruientis, quòd contentus sit etiamsi vel solas expensas, vel tenuem mercedem recipiat) nam taciti, & expressi est eadem virtus, prout latè probaui in *decis.* 70. *num.* 13.

38 Quòd si famula, de qua agimus, vel quæuis alia, aut quiuis famulus possit iuxta dicta compensationem surripere, cauere tamen debebit, ne ob defectum in modo sibi compensandi aliquam culpam admittat, & ideo monet Rebellus *de obligationib. iusti. part.* 2. *lib.* 14. *quæst.* 15. *num.* 10. teneri dictos compensantes sibi habere propositum adhibendi omnem dili-

gen-

gentiam, ne herus inscius acceptæ compensationis, vel iterato restituat, vel in mala conscientia sit, putans se debere, quod reuera non debet.

39 Quòd si cum scandalo, aut sinè dicto proposito surriperent, aut etiam in euentu, quo via iuris facilè debitum possent obtinere, peccarent, sed non esset peccatum furti, vndè ad restitutionem non essent obligati, nam Dominus tenetur dare pretium saltem infimum.

40 Et *num.* 11. *loco cit.* colligo ex eodem Rebello, illud esse in ea compensatione notandū, quòd si herus in famuli, vel famulæ conductione sinè aliqua conuentione stipendij, neque tacitè voluisset conducere pretio adhuc infimo, esset à famulis diminuendum aliquid de iusto pretio adhuc infimo, ratione iniuriæ, & damni ex deceptione Domino subsequuti, siquidem contra iustitiam facit, qui facit conducere per deceptionem, aut coactionem pretio etiam infimo alioquin non conducturum.

41 Et *num.* 12. quærit quid dicendum, si deceptio sit ferè nullius momenti, eò quia herus seruitium non refutasset pro iusto infimo pretio, & famulus continuat in famulatu cum animo se compensandi vsquè ad limites iusti pretij infimi, si fortè pro minori seruiat. Et Respondet in hoc admitti peccatum veniale propter inordinationem contra fidelitatem, vt aliqui volunt; nullum verò peccatum admitti, si aliqua iusta causa cohonestetur, vt si verisimiliter alioquin timeret, se debita præteriti seruitij mercede priuandum, vel alia graui iniuria, damnoue afficiendum; tunc enim Dominus esset irrationabiliter inuitus quoad eiusmodi continuationem in compensatione.

Hæc omnia attentè considerentur, vt inde constet an famula in nostro casu teneatur bona clàm surrepta titulo compensationis, notificare, ac restituere iuxta Monitorium iam publicatum, necnon ne ad praxim deducat damnatam doctrinam per damnationem dictæ propositionis trigesimæ septimæ.

42 Duo vlteriùs addam: vnum in fauorem famulæ, & est, quòd si quando operam suam locaut hero suo, conuenit cum illo de salario minori, quàm sit opera ipsa, ideò sic conuenit, quia premebatur necessitate, & paupertate, sinè quibus conuentionem illam numquam fecisset, casus est iste non comprehensus in damnatione propositionis prædictæ, sicque liberè Doctores possunt de illo quæstionem instituere, an compensatio ad æqualitatem operæ suæ, & cum debitis præcitatis cautelis à Rebello datis, liceat famulo, vel famulæ. Et licere vtica compensatione docent Suarez *in* 3. *part. tom.* 3. *disp.* 86. *sect.* 4. Molesius *tom.* 1. *tract.* 3. *cap.* 17. *num.* 89. qui citat Reginaldum, & Mirandam. Hinc famulus, aut operarius, cui condigna merces non tribuitur, potest damnum suum resarcire, etiamsi in principio ob paupertatem coactus sit pacisci pro iniusto, & inæquali stipendio, & similiter, qui ob necessitatem cogitur triticum emere iniusto pretio, potest sinè iniustitia, alia via se indemnem seruare. Ita DD. *citati*. Olim aliqui idem docuerunt de Sacerdote, qui non accepto integro stipendio adhuc ob necessitatem promittebat Missam celebrare, sed postea à diuersis tot parua stipendia accipiebat, quot sufficerent pro iusta eleemosyna vnius Missæ, quam pro omnibus applicabat, à quibus partem eleemosynæ habuit. Sed hodiè est id negandum de Sacerdote isto propter Decretum Eminentiss. Cardinalium, vt notat Diana *part.* 2. *tract.* 14. *resol.* 7. § *sed nunc*. In isto casu conuentionis ob necessitatem, si famula sese fusso, solidè via est compensatione, adeoque non veniunt in Monitorio bona tali titulo accepta, non obstante pacto coacto.

43 Aliud est contra famulam, & est si liberè conuenit de salario iniusto, & minori, si Dominus ipsa instante esset facilè daturus pretium iustum, nam in isto casu non licet compensatio, sub cuius titulo si aliquid clàm surripuit, erit notificandum, & restituendum etiam non vrgente Monitorio aliquo, sic enim ex se vrget iustitia, & ita docet Valerus *diff.* 9. *num.* 2. Nec ius ad compensandum in isto casu datur à pretij vilitate, quia facto pacto libero, vt dictum est, dominus famulæ nullam intulit iniuriam, vt ex se patet, & est doctrina tenenda, quia contraria cadit sub damnatione. Quòd si eadem famula præstaret postea hero suo seruitia magna, & extraordinaria, hæc non ponunt debitum legale, sed solius gratitudinis, in recipiente. Videatur Diana *in summ. verb. Salarium, num.* 4.

44 Iam ex damnata propositione quoad famulorum, vel famularum domesticarum compensationem pro opera sua maiori stipendio, quod receperunt ab heris suis, cum quibus tamen conuentionem fecerunt de dato, & accepto salario, cessat, imò prohibita est qua sibi anlicitè sibi compensent, pars enim negatiua in hoc sensu est absolutè tenenda. Ratio est euidens, nam nulla illis irrogatur iniuria, supposito quòd liberè, nec necessitate coacti conuenerunt cum Dominis, sicut supra fusè dicebamus,

mus, addito etiam quòd nulla vi, aut fraude fuerunt à Dominis coacti ad seruiendum. Sic docuerunt etiam aliqui, inter quos refert Rebellus *loc. cit. num. 9.* Sot. *lib. 5. de iusti. quæst. 3. art. 3. §. inter argumenta*, cum quo videtur esse Nauarr. *cap. 17. num.* 114. & quod dicitur de famulis, idem iuris est de cæteris, qui omnes si quid surripiunt titulo compensationis pro casu præsentis numeri, admittunt peccatum furti.

45 Quæ hactenus dicta sunt de compensatione famulæ quando liceat, necne, & quando ad praxim deduceret doctrinam damnatam per damnationem præfatæ propositionis trigesimæ septimæ, debent ad manus Confessariorũ præsto esse, quia non rarò de simili compensatione ab operarijs clàm facta de bonis Dominorum suorum casus eueniunt. Hoc vnum scitu necessarium subdo, quod appellatione *famuli, & famulæ domesticæ* veniunt solum seruientes intrà domum, non autem seruientes vtcunquè, sed intrà Domini domum non habitantes, licèt famuli, vel famulæ nuncupentur. Hinc quamuis ex paritate rationis idem ius statuendum sit pro foro interno, de quibuscumquè famulis, seu operarijs quoad compensationem ipsis licitam, vel illicitam, si maior sit opera sua stipendio eis dato à dominis suis iuxta distinctiones suprà traditas; nihilominus pro foro externo est tantùm damnata doctrina affirmans licere generatim sibi compensare, adeoque etiam facto pacto, & iuxta à nobis prædicta, *famulis, & famulabus domesticis*, nam de illis determinatè fit mentio in propositione, contra quam fuit lata damnatio, quæ ad modum legis odiosæ non est amplianda ad non nominatos, vt Iura clamant, & nos alibi diximus cum Iurisperitis, & textibus multis.

## § IV.

***Resoluitur primum dubium circa quintum caput, nimirum, an antè Iudicis sententiam teneatur beneficiarius omittens Horas restituere & obedire Monitorio.***

46 PLura summoperè necessaria excitabimus in sequentibus paragraphis; quæremus enim, an Monitorium obligans ad notificationem, & restitutionem bonorum certæ personæ, vel certi loci obliget etiam furem, qui per se, seu per alium paulatim surripuit eidem personæ, consequenter dubitatio insurgit, an etiam comprehendantur habentes de bonis eiusdem personæ prouentis ex Beneficio, & Capellania, sed propriam adimpleuerunt obligationem, omissis Horis Diuinis, vel alijs munijs, ad quæ tenebantur. Vt autem de singulis rectum iudicium faciamus, præmittere oportet tamquam principium generale, verissimum in præsenti materia, nimirum omnes teneri ad notificanda, vel restituenda bona petita à Monitorio, quæ iniustè retinentur eò quia nullum ius habeant ad illa possidenda. Quo principio supposito varia oriuntur dubia, quę iuxta vtrũquè forum sunt à nobis examinanda, & sunt sequentia.

Primum dubium est, an beneficiati non recitantes, atquè ideò ad restitutionem obligati, sed nondum à Iudice sententiati, teneantur ex vi monitorij sub pœna excommunicationis obligantis ad restitutionem bonorum v. g. talis Ecclesiæ, vel Capituli, &c.

Secundum dubium est, an Capellani, vel Beneficiati in litterarum studio occupati, & propterea Officij recitationem alteri imponentes, cogantur à monitorio restituere, si fructus recepti spectent ad eum, in cuius fauorem monitorium publicatur. Hoc dubium resoluam *num. 53. & 54.*

Tertium dubium est, an dato quòd à monitorio obligentur Capellani, & Beneficiati prædicti in dubio secundo, censeantur posteà deobligati, si de fructibus Beneficij, vel Capellaniæ aliquas antea fecerunt eleemosynas. De hoc dubio agam *à num. 55. vsque ad 65.*

Quartum dubium est, an dicti obligati restituere ob omissionem officij censeãtur non obligati si officium aliud recitauerunt, atquè si solam partem minorem omiserunt, cùm maiorem dicere minimè potuerint; vel si minorem non omiserunt, licèt maiorem recitare non potuerint; & an idem sit, si vnico officio intenderint satisfacere hodiernę, & crastinę obligationi. Dubium istud resoluam *à num. 66. vsque ad 76.*

Quintum dubium est, an monitorium sit intelligendum de bonis acceptis ob necessitatem tum extremam, tum grauem, tum sinè necessitate, sed paulatim, & per pauca furta interdum per se, interdum per alium præstitis prædictis acceptionibus. Huius dubij solutionem ponam *à num. 77. vsque ad fin.*

47 Ad primum dubium respondendum est, in isto Paragrapho, beneficiatum teneri in foro conscientiæ etiam ante sententiam declaratoriam Iudicis, restituere fructus acceptos, si officium omisit, quare accedente monitorio cogen-

gente ad restitutionem sub poena excommunicationis, tenetur etiam in foro externo, si fructus accepti pertineant ad eum, ad cuius instantiam fuit publicatum monitorium. Ratio est, quia Iure naturali quilibet tenetur ad officium, propter quod datur beneficium: Sed beneficium Ecclesiasticum datur propter officium, cui regulariter sunt annexæ horæ canonicæ: ergo beneficiatus tenetur ad illas; sed qui tenetur, & non implet, obligatus est ad restitutionem accepti vt impleret; ergo in foro conscientiæ etiam ante Iudicis sententiam tenetur restituere. Maior est certa, vtpote de se nota, cùm clarum sit quemquè teneri præstare officium, pro quo aliquid recipit; sed circa hoc videatur infra *num.* 51. *in fin.* Minor docetur à praxi Ecclesiæ, & à Doctoribus communiter: consequentia patet ex *cap.* 1. *de celebr. Missar.* & ex Doctorum communi sententia in *d. cap* necnon ex *cap. quia per ambitiosam*, *de rescript. in* 6. Igitur iniustè retinet, qui officium non implet, ac per consequens iuxta subsumptam minorem, & consequentiam est in foro conscientiæ obligatus ad restitutionem pro rata omissionis officij, nulla expectata Iudicis sententia, & sic constat etiam ex Concilio Lateranensi sub Leone Decimo *sess.* 9. §. *statuimus.* vbi fructibus priuantur qui officium non dixerint, & idem confirmauit Pius V. *in sua constitut.* 134. incip. *ex proximo. duodecim. Kalend. Octobr.* 1571.

48 Nec valet negare datam rationem in Iure naturali fundatam, & velle esse tantummodò pœnam, quòd omittens officij recitationem priuetur fructibus ad proportionem officij omissi, vndè si est pœna, non est subeunda nisi vrgente Iudicis sententia etiam in foro animæ. Respondeo, esse omninò damnatum ità sentire, extat enim vna inter propositiones, quas Alexander VII. damnauit, & illa est vigesima in ordine, quæ dicit: *Restitutio à Pio V. imposita beneficiatis non recitantibus non debetur in conscientia antè sententiam declaratoriam Iudicis, eò quòd sit pœna.* Ex damnatione huius propositionis confirmatur nostra ratio adducta numero præcedenti, & sic est affirmandum eam restitutionem deberi in conscientia ante Iudicis sententiam, non enim est tantùm pœna. Cæterùm quoad obligationem in foro externo, licèt nulla extet damnatio alicuius doctrinæ, si quæ daretur negans non incurrere excommunicationem, qui fructus perceptos iniustè retineret non obstante monitorio; tamen dicendum est quòd nisi restituantur, idem iudicium faciendum est de illis, ac de alijs bonis non restitutis, vel non notificatis, cùm eadem sit ratio de omnibus, vt ex se liquet, dummodò dicti fructus sint spectantes ad eum, in cuius fauorem fuit promulgatum monitorium, nam si ad ipsum non spectent aliquo modo mediato, vel immediato vult idem Concilium Lateranense, quòd qui fructus recepit beneficij, *si officium diuinum non dixerit, legitimo cessante impedimento*, illos *in fabricas huiusmodi beneficiorum, vel pauperum eleemosynas erogare teneatur.*

49 Circa quam propositionem damnatam est valde obseruandum, videri in ea comprehendi quotquot beneficium aliquod habent, etiamsi ad horas canonicas non teneantur, sed solùm ad aliquid aliud quotidie recitandum, sicuti dantur Personatus, Præstimonia, & Præpositura, quibus non est vnita obligatio recitandi quotidiè, nisi officium B. Virginis Mariæ, vel vnicum Psalmum Miserere, vel 5. Pater, & Aue Maria Quòd etiam habentes ista beneficia videantur teneri sicuti cæteri beneficiati, de quibus præcedenti numero diximus teneri ante Iudicis sententiam restituere, si omiserint recitare horas diuinas, itaut pro omnibus stet prohibitio, & damnatio doctrinæ oppositæ, colligitur ex verbis propositionis adductæ, dicit enim: *Restitutio à Pio V. imposita beneficiatis non recitantibus non debetur, &c.* nec limitat quoad beneficiatos, nec quoad omissionem recitationis, an sit officij diuini, vel alterius rei, & sic de omnibus videtur loqui.

50 Nihilominus, quia propositio expressè loquitur de restitutione à Pio V. imposita, & Pius V. restitutionis onus imposuerit in sua cōstitutione supracitata in fine numeri 47. confirmando decretum Concilij Lateranensis *d.* §. *statuimus,* in quo decreto expressè, & limitatè obligantur ad restitutionem post sex menses ab obtento beneficio, quilibet habentes beneficium cum cura, vel sinè illa, si post dictos sex menses, *officium diuinum non dixerint*; consequenter de solis beneficiatis obligatis ad officium diuinum loquitur propositio, sicque pro illis tantùm stat damnatio, idest si affirmetur, quòd beneficiarij obligati ad horas diuinas, si post sex menses ab obtento beneficio officium diuinum non dixerint, non teneantur in consciē tia ad restitutionem ante Iudicis declaratoriam sententiam. Verùm est tamen, quòd ob paritatem rationis manifestè constat teneri ad restitutionē cæteros beneficiarios pro rata omissionis recitādi oneris ad quod tenentur, necnon

& temporis, siuè beneficium sit Præstimonium, siuè sit Præuostura, siuè sit Personatus, quibus non est annexa recitatio officij diuini, & talis obligatio restituendi est in istis pro foro conscientiæ ante quamcumquè Iudicis declaratoriam sententiam, quæ si ab aliquo contenderetur priùs requiri, vt etiam in foro animæ teneantur restituere isti beneficiarij non obligati ad officium diuinum, nihil faceret contra prohibitionem, vel damnationem propositionis prædictæ, quia de istis in illa non fit mentio.

51 Cùm ergo ad restituendum teneantur quicumquè beneficiarij, si omittant recitare officium diuinum, vel aliquid aliud, ad quod habitum beneficium eos obligat, sequitur dicendum cogi etiam ad dandum iniustè retentum sub pœna à monitorio præscripta. Est tamen diuersimodè discurrendum de iniustè retentis ob omissionem recitationis officij diuini intrà sex menses ab obtento beneficio; & de iniustè retentis ob omissionem recitationis officij B. V. Mariæ, vel Psalmi Miserere, aut Orationis Dominicæ, & Salutationis Angelicæ, nam licèt beneficiarij quicumquè omittentes recitare in materia notabili semper peccent mortaliter, *nisi legitimum impedimentum excuset*, vt habetur ex Bulla dicti Pontificis Pij V. tamen omittentibus officium diuinũ intrà dictos sex menses, pia Mater Ecclesia indulget, fructusque restituendos fabricæ, vel pauperibus concedit, & condonat ipsis beneficiarijs delinquentibus, qui si post sex menses adhuc non recitant, & *contumaciter perseuerant. legitima præcedente monitione beneficio priuantur; intelligatur verò officium omittere, quoad hoc vt beneficio priuari possint, qui per quindecim dies, illud saltem bis non dixerint*. Sic statuitur in *d. §. statuimus* à Concilio Lateranensi. Hinc monitorium non vrget pro istis antequam fluant sex menses ab obtento beneficio.

Beneficiati autem non obligati ad diuinum officium, si omittant recitare id, ad quod tenentur, debent restituere, & monitorio obedire pro rata omissionis à prima die possessionis beneficij, nam istis Ecclesia non condonat, cùm de illis nullam faciat mentionem. Dixi *possessionis beneficij*, quia quamuis Nauarr. *cap. 7. de ora. num. 29.* doceat eos obligari ab eo tempore, quo per collationem, & acceptationem, vel per institutionem, aut confirmationem incipiũt habere ius in re, & beneficium incipit esse ipsorum, ex illo enim tempore debentur eis fructus, etiamsi nondum possessionem acceperint; tamen Flaminius Parisius Romanus *l. de re signat. benefic. q. 9. num. 15.* dicit beneficiatos non teneri ad horas canonicas nisi post captam possessionem, quam sententiam dicit esse probabilem Lessius *lib. 2. de inst. cap. 34. dubit. 30. num. 167.* Ab eadem die possessionis beneficij sunt computandi sex menses prædicti, nam tunc beneficium dicitur obtentum in re, & obligare ad horas canonicas. Iam ex dictis intelligent beneficiati, quando pro ipsis vrgebit, necne monitorium, imò & quando, ac pro quo tempore omissionis recitationis curret obligatio restitutionis.

Sed circa adducta *à num. 47.* notandum est non cadere sub damnatione affirmare, quòd restitutio ob horarum omissionem non sit de Iure naturali, cùm sit tantùm pœna, nam de hoc nihil est curandum, dummodò non affirmetur dictam restitutionem non deberi in conscientia ante Iudicis declaratoriam sententiam eò quòd sit pœna. Scio non paucos Doctores docuisse non contrahi pœnas, nisi Iudicis accedat sententia; at non ideò sequitur præfatam restitutionem non esse debitam in conscientia, si non est de Iure naturali, vndè videatur dicendum habere rationem solius pœnæ, nam si diceremus damnationem stare pro affirmantibus non debere restitui in conscientia, eò quod sit pœna, itaut sensus sit, quòd etiam pœna obligat stàtim in conscientia, sequitur à pari, quòd omnes pœnæ essent in conscientia subeundæ, nulla Iudicis expectata sententia: Igitur fuit meritò damnata à Pontifice propositio prædicta; quia scandalosa est, & contra obligationem legis Ecclesiasticæ absolutè obligantis in conscientia, vt omittens horas restituat, quidquid postea sit, quòd vltrà legem Ecclesiasticam debeatur talis restitutio etiam de Iure naturæ, simulque sit pœna. Hinc roborata remanent omnia adducta à nobis, *à d. num. 47.* vsque ad numerum præsentem, etiamsi aliquis negaret, dictam restitutionem non esse debitam de Iure naturæ, quia quæ diximus de Iure naturæ, valent etiam stante dicta lege Ecclesiastica, quæ habetur in Concil. Lateranensi *sess. 9. §. statuimus*, fuitque confirmata à Pio V. vt supra notaui. Ex his inferuntur tria. Primum est, quòd in conscientia debetur prædicta restitutio à Pio V. imposita, licèt nulla extet Iudicis declaratoria sententia, & oppositum affirmare est doctrina damnata.

Secundum est, non venire sub damnatione, si affirmetur beneficiarium non teneri iure naturali ad aliquam restitutionem ob horarum omissionem, & sic nihil contra damnationem sen-

sentiunt hanc partem sustinentes, inter quos Lessi. *de iusti. lib. 2. cap. 34. dub. 32. num.* 170. Filliuci. *tom. 2. tract. 23. cap. 10. num.* 308. Fernand. *in exam. Theolog. moral. part. 3. cap. 22.* §. 8. *num.* 1. Malder. *in 2. 2. tract. 10. cap. 2. dub.* 4. & hanc opinionem vocat probabiliorem Diana *part.* 1. *tract.* 12. *res.* 25.

Tertium est, non comprehendi in doctrina damnata, asserere esse de Iure naturæ, quòd omittens horas intrà sex menses à possessione beneficij, teneatur ad aliquam restitutionem, sicuti etiam tenetur post sex menses ex eodem Iure, non verò ex lege humana, nam in Iure naturæ fundatur, quidquid circa hanc restitutionem statuitur in supracitato Concilio Lateranensi, & à Pio V. Et esse de Iure naturæ vt restituatur, docent Suarez *de Relig. tom. 2. lib.* 4. *cap.* 29. *num* 12. Valent. *tom. 4. disput. 6. quæst.* 2. *punct.* 10. Probant hoc ratione allata à nobis in superioribus, scilicet quia beneficium datur propter officium: ergo de Iure naturæ est, vt recipiens mercedem, & non implens officium, restituat. Igitur siuè sit de solo Iure naturæ; siuè sit de sola lege humana, aut sit ex vtraquè obligatione simul, iuxta Doctorum opinionem, quòd restitutio imposita à Pio V. omittentibus horas sit debita in conscientia ante Iudicis sententiam, nihil est contra damnationem propositionis 20. damnatæ ab Alexandro VII.

An autem beneficiarius teneatur restituere tum propter monitorium, tum propter obligationem impositam à Pio V. si alio die suppleat defectui omissionis officij, quæstio est à Doctoribus examinanda, quia etiamsi affirmetur, quòd suppleat quoad onus restitutionis, nihil affirmabitur contra damnationem dictæ propositionis. Molfesius *in summa, tom. 2. tract.* 5. *cap. 5. num.* 17. tenet supplere, si alia die recitet, licèt esterna die grauiter peccauerit, quam opinionem vocat probabilem Bonacina *de hor. canon. disp. 1. q. 5. punct. 2. num.* 5. Sed probabilior, & communior est contraria. Henriq. *lib.* 13. *cap* 13. *num.* 2.

52 Item est liberum disputare, an à die acquisitionis iuris ad beneficium vrgeat obligatio recitandi, & ideò præfatas duas sententias attuli. Item est liberum quæstionem facere, an fructus in integrum semper teneatur restituere beneficiarius non recitans; ad quam quæstionem affirmatiuè respondet Suarez *lib.* 4. *de Religione, in materia de horis canonicis, cap.* 30. *num.* 6. Alij negatiuè respondent, & quidem communiter, docentes non esse fructus restituendos in integrum, quando beneficiarius omittens recitare, tamen seruit in alijs muneribus suis, vt v. g. ministrando Sacramenta, residendo, &c. cùm enim beneficium detur non tantùm propter officii recitationem, sed etiam propter alia ministeria, hæc si adimpleantur à beneficiario, poterit iste pro rata seruitii sui partem fructuum retinere, quæ prudentis iudicio reputabitur debita, restituendo ad proportionem recitationis omissæ. Sic tradunt Aragon. 2. 2. *quæst.* 83. *art.* 12. Rodriq. *tom. 1. cap.* 143. *num.* 4. Enriquez *lib. 3. de excommunic. cap.* 13 *num.* 2. Medina *in summ. lib. 1. cap.* 14. §. 11. quos refert, & sequitur de mea Religione Gabriel à S. Vincentio *de remed. ignorantiæ, disput.* 12. *dub.* 20. *nu.* 154. & alii communiter. Sic teneretur partem solam restituere vrgente etiam monitorio.

## §. V.

*Resoluitur secundum dubium circa quintum caput, scilicet an beneficiarij vacantes studio excusentur ab Horis dicendis.*

53 AD secundum dubium est dicendum, quòd beneficiarii quicumquè, cum nullo modo eis liceat omittere Officii recitationem per seipsos, si per alium recitent ex quacumque causa, etiam vt litterarum studio vacent, propriam non adimplent obligationem, ac proinde iniustè recipiunt fructus, teneturque eos restituere tamquam rem non suam, præcipuè extante monitorio. Probatur ex propositione vigesima prima inter damnatas ab Alexandro VII. quæ dicit: *Habens Capellaniam collatiuam, vel quoduis aliud Beneficium Ecclesiasticum, si studio litterarum vacet, satisfacit suæ obligationi, si officium per alium recitet*: ergo si suam non implet obligationem quoad officij recitationem, tenetur fructus restituere in conscientia ante Iudicis sententiam iuxta prædicta *à num.* 47. consequēter ad eamdem cogitur restitutionem ex vi monitorij.

54 Confirmatur, nam obligatio recitandi in benificiario est personalis: ergo non potest alteri demandari. Antecedens patet ex decreto præcitati Concilii Lateranensis, necnon ex motu proprio Pii V. præallegati, atquè ex communi praxi Ecclesiæ, nequè aliquis habetur textus, qui aliquem beneficiarium liberet ab eiusmodi obligatione personali, vnde quoad hanc obligationem non valet dicere, quòd qui per alium facit, per seipsum facere reputatur, sicuti nec valet aliqua paritas cum casibus in iure expressis, vt est de residente per alium ob vacan-

candum studio, &c. imò ex *cap. fin. de magistris*, absolutè studiorum causa excusantur à residentia. Igitur officium debet recitari tantùmmodò per seipsum. Ità docent D. Antonin. 3. *part. tit.* 13. *cap.* 4. §. 1. Ledesma 2. 4. *q.* 16. *art.* 4. *dub.* 5. Io. Medin. *de orat. quæst. de necessitat. orandi vocaliter publicè*. Cordub. *quæst.* 186. Sotus *de iust. lib.* 10. *quæst.* 5. *art.* 3. Turrecrem. in *cap. Eleutherius dist.* 91. *num.* 11. Io. Andreas *cap. Presbyter, de celebrat. Miss.* Panormit. *cap.* 1. *eod. tit.* Cardinal. *Clement.* 1. *eod. tit.* Syluest. *verb. horæ, quæst.* 2. Tabiena, Rosella, Angelus, & Armilla, *eod. verb.* & est communis opinio inter recentiores.

Ex adductis constat vim monitorij extendi ad beneficiarios vacantes studijs litterarum, si per se solos officium non recitent. Dixi *beneficiarios*, quia omnes comprehendi beneficium habentes, licèt sit Capellania collatiua, illa nimirum, quæ in titulo Ecclesiastico fundatur, & eiusmodi est, quæ ex sua institutione requirit authoritatem Prælati Ecclesiastici, à quo illa conferatur, vt non aliter eis possessio acquiratur, quia ab alio eius collatio nequit fieri. Sic Nauarr. in *cap. quando*. Cordub. *quæst.* 33. & alij. Habentes similem Capellaniam collatiuam, habent beneficium Ecclesiasticum simplex, vt docet Gonzal. *ad regul.* 8. *Cancellar. gloss.* 5. datur enim Clerico titulo clericali authoritate Prælati Ecclesiastici, adeoque quicumquè Capellaniam collatiuam tenent, sunt obligati recitare personaliter. Ità omnes Summistæ: Syluest. *verb. hora, & verb. beneficium, & eod. verb.* Armilla, & Tabiena. Rodriq. *tom.* 2. *cap.* 14. *num* 4. Idem tenent alij ex Theologis, & Iurisconsultis. Aragon. 2. 2. *quæst.* 83. *art.* 12. *dub.* 13. Io. Medin. *C. de orat. quæst. cit.* De eiusmodi Capellanis loquitur allata propositio meritissimè damnata, & sic non comprehendit alios habentes Capellanias non collatiuas, cuiusmodi sunt illæ, quæ non exigunt Prælati authoritatem in earum collatione, conferuntur enim tantùm à patronis eas instituentibus relinquendo perpetuos redditus dandos alicui Sacerdoti, qui teneatur tot Missas per singulos annos celebrare, itaut nulla Prælati authoritas interueniat in talium Capellaniarum possessione, seu collatione. Habentes similes Capellanias per se non sunt obligati ad recitandum, cùm potiùs sint dicendæ pij redditus relicti alicui sæculari Sacerdoti cum onere certi numeri Missarum. Teneretur tamen Sacerdos ad officii recitationem ratione solius Ordinis, vt ex se liquet; at quantùm est ex vi Capellaniæ non collatiuæ, non tenetur recitare, sicque non venit sub propositionis damnatione.

## §. VI.

*Resoluitur tertium dubium circa quartum caput, nempe an per eleemosynas antea factas beneficiarius suppleat obligationi restitutionis ob omissionem Officij.*

55 AD tertium dubium dico, quòd habentes Capellaniam collatiuam, seu aliud beneficium, si tenentur restituere fructus propter omissionem officij iuxta prædicta in responsione ad dubium secundum, non intelliguntur liberi ab eadem restituendi obligatione, etiamsi antea aliquam fecerint eleemosynam de fructibus sui Beneficij, vel Capellaniæ collatiuæ. Et adeò verum est, quòd non sunt liberi ab obligatione restitutionis, vt doctrina opposita hodie sit damnata ab Alexandro Septimo, quia inter propositiones ab ipso damnatas habetur ista in ordine trigesima tertia: *Restitutio fructuum ob omissionem horarum suppleri potest per quascumquè eleemosynas, quas antea beneficiarius de fructibus sui beneficij fecit.*

Dicta propositio potest dupliciter accipi quoad eleemosynas quascumque antea factas, nimirum vno modo intelligendo eleemosynas æquales omissioni horarum factas cum intentione satisfaciendi pro eadem omissione futura. Alio modo intelligendo eleemosynas quascumquè etiam modicas, & non æquales omissioni horarum factas antea sinè intentione satisfaciendi pro eadem omissione futura. Vterquè modus apertè comprehenditur in generali significatione relatæ propositionis, sed vterquè an sit respuendus, vt falsus, & scandalosus, ac proinde vt non extinguens obligationem restitutionis tum ob præcisam horarum omissionem, tum ob monitorium, de quo agimus in hac Decisione, nunc est videndum.

56 Et quidem non impletur obligatio restitutionis, si eleemosyna antea facta non est æqualis debito propter omissionem officij, quia restitutio est de iure naturæ, ac ex iustitia, & sic exigit æqualitatem, in quo omnes Doctores conueniunt. Et si illa eleemosyna fuit facta sinè intentione satisfaciendi obligationi restituendi pro futura officij non recitatione; fuit facta vel quia aliunde tenebatur beneficiarius eam facere, vel quia quando illam fecit, voluit dare aliquid suum. Si tenebatur, iam non po-

potest applicari pro extinctione nouæ obligationis: Si non tenebatur, iam fuit erogata per actum completum liberaliter factum, & sic iam transiit; neque potest inducere formalitatem actus obligatorii in satisfactionem debiti ex iustitia nondum contracti, neque intenti, & sic eleemosyna antea facta nec in toto, nec in parte potest inseruire pro extinctione debiti futuri non cogitati, nec præuisi.

57 Si verò eleemosyna anteà facta ex fructibus beneficij, fuit æqualis omissioni horarum, & dum actu fuit data, non fuit præuisa officij omissio, tunc adhuc non valet pro adimplenda restituendi obligatione nondum contracta ex iustitia, & sic actus per quem eleemosyna fuit data, habuit rationem vel satisfactiui relatiuè ad aliquam obligationem iam contractam; vel liberalitatis si ob nullam obligationem fuit positus, ac proinde non potest per talem actum præteritum cum proprijs formalitatibus, suppleri nouæ obligationi existenti, ad hoc enim vt obligatio nunc existens extinguatur, requiritur aliquis actus potens illam extinguere, at eiusmodi non est actus ille positus sinè aliqua applicatione, vel relatione ad obligationem futuram, sed non præuisam: ergo falsa est doctrina dictæ propositionis meritò prohibitæ, & damnatæ, vndè & Monitorium vigeret.

58 Addendum est etiam, quòd dum propositio prædicta dicit, *per quascumquè eleemosynas, quas antea beneficiarius de fructibus sui beneficij fecit*, magnam falsitatem dicit, quia sic non excludit, imò comprehendit eleemosynas factas etiam in satisfactionem alicuius obligationis, nam dictio *Quicunquè* omnia includit, & nihil excludit, vt tradunt Menoch. *cons. 600. num.* 5. Roland. *cons.* 5. *num.* 44. *col.* 1. Bursat. *cons.* 9. *num.* 3. *vol.* 1. Octauian. Vulpell. *de prepos. & aduerb. signif. sub hac dictione, pag.* 93. *col.* 2. Cardin. Tusch. *practicar. conclus. tom.* 2. *litt. D. conclus.* 311. Iason *in l. quodcunque, num.* 1. *de verb. oblig.* Mandos. *in reg.* 17. *Cancell. quæst.* 8. *num.* 2. & *reg.* 21. *quæst.* 5. *num.* 2. Sanctarell. *variar. resol. quæst.* 2. *num.* 21. Paris. *de consil. quæst.* 27. *à num.* 24. Aym. *cons.* 308. *num.* 4. & 5. & alij communiter; ergo allata propositio accipit quascumquè eleemosynas anteà factas siuè ex obligatione imposita beneficiarijs, siuè liberè, vel alio quocunquè titulo; & docet per illas posse suppleri obligationi restituendi ob omissionem horarum, ad quam restitutionem obligat ius naturæ, & Decretum Concilij Lateranensis in supracitata *sess.* 9. §. *statuimus*. Verùm luce clarius est, quòd eiusmodi doctrina sit maximè scandalosa, quia debitum ex iustitia sub vno titulo, est distinctum à debito ex iustitia sub alio titulo, taliter quòd datum pro satisfaciendo vni debito, est incapax rationis satisfactiuæ pro alio debito. Si verò eleemosyna antecedenter fuit data gratis, iam fuit facta ex proprijs, proprij autem non sunt fructus nondum acquisiti, vtpote dandi, ac debiti tantùm propter futuram horarum recitationem, si non omittatur iuxta supradicta.

59 Restat vt videamus, an vera sit propositio modificata sic: *Restitutio fructuum ob omissionem horarum suppleri potest per eleemosynas, quas sinè alia obligatione, antea beneficiarius de fructibus sui beneficij fecit cum intentione satisfaciendi pro eadem omissione futura*. Exemplum ponam in Petro beneficiario, qui nolens recitare horas v. g. per totum mensem Februarij, in mense Ianuario fecit varias eleemosynas æquantes summam fructuum, qui ipsi deberentur, si per totum Februarium recitaret, & dictas eleemosynas facit ea intentione, vt satisfaciat obligationi restituendi fructus, quos in Februario recipiet, & retinebit, iudicans iam satisfecisse restitutioni per eleemosynas antea factas ad effectum se liberandi ab obligatione restituendi fructus recepturos in mense futuro. Circa quod exemplum, respondendum censeo, vt sequitur.

Primò, dicendum est, eam propositionem esse valde diuersam ab illa, quam Alexander VII. damnauit numero 33. inter alias, & nos eam posuimus *suprà, num.* 55. adeoque cùm sit diuersa, non prohibetur de illa quæstionem instituere. Quòd autem sit diuersa, patet, quia non loquitur de quibuscunquè eleemosynis cum quacunquè intentione factis, prout sub his generalitatibus loquitur propositio damnata, dum ait: *per quascunque eleemosynas, quas anteà beneficiarius de fructibus sui beneficij fecit*.

60 Secundò, dicendum est, posse aliquibus videri, quòd non semper, sed solùm in aliquo casu benè examinato à docto, & pio viro, dicta restitutio suppleri posset per illas eleemosynas antea factas cum intentione supplendi debito contrahendo. Ratio esse potest, nam eò ipso quòd beneficiarius non vult in posterum recitare horas, fructus remanent fabricæ, vel pauperum: ergo si necessitas fabricæ, vel pauperum vrget in præsenti, & fabrica, & pauperes erunt irrationabiliter inuiti, quòd beneficiarius nunc det de proprijs ea intentione, vt ipsi restituatur postea, & sic ei integrum sit recipe-

cipere, & retinere fructus beneficij aliàs ipsi beneficiario indebitos ob non recitationem horarum. Hæc ratio posse confirmari videtur ex communi Doctorum sententia concedentium licere non restituere rem acceptam, quoties Dominus est irrationabiliter inuitus respectu talis acceptionis; Ex qua ratione sequeretur non vrgere Monitorium, vt beneficiarius, vel alius notificet, ac restituat bona sic retenta.

61 Nihilominus est omninò negandum suppleri posse per antecedentes eleemosynas factas cum expressa intentione satisfaciendi pro debito futuro, etiamsi ex nulla alia obligatione sint erogatæ. Probatur, & simul eliminatur ratio adducta pro parte affirmatiua, nam ad hoc vt fabrica, & pauperes, quorum sunt fructus non debiti beneficiario propter volitam omissionem horarum de futuro, sint irrationabiliter inuiti, quòd beneficiarius nunc det de proprijs, recepturus postea de alienis in satisfactionem, deberet esse consensus illorum in rem licitam, quia non est præsumendum, nec admittendum quòd Ecclesia, ac pauperes consentiant in rem peccaminosam: Sed est peccaminosa illa beneficiarij volitio omittendi horarum recitationem; ergo in istam rationabiliter non consentiunt, sicque nec consensum præstant, vt fructus indebitos beneficiario velit iste illos recipere ex quocumquè motiuo, cùm peccatum ex nulla causa sit licitum.

62 Nec obstat dicere, quòd v. g. Seius nunc indigens consentit vt Titius contribuat de proprijs ad illius indigentiam subleuandam, recepturus postea pro liberè datis alia, quæ ex iustitia debentur eidem Seio: ergo & poterit beneficiarius de proprijs fructibus sui beneficij nunc facere liberam eleemosynam pauperibus cum intentione sibi satisfaciendi cum acceptione eorum fructuum, qui debentur iisdem pauperibus, supposita omissione horarum volita, & postea sequuta ex sola culpa eiusdem beneficiarij. Respondetur enim esse disparitatem inter casum in antecedenti expressum, & illum consequentiæ. Igitur casus Sei nullum inuoluit peccatum, secus casus beneficiarij, nam peccaminosa est omissio horarum, ex qua sequitur quòd pauperibus debeantur fructus pro rata dictæ omissionis, sicque dicti pauperes nullum censentur præstare consensum, vt per præsentem liberam eleemosynam adiuuentur nunc à beneficiario cum fructibus sui beneficij, sibi postea compensaturo cum fructibus non suis, sed eorumdem pauperum, quia obligationem recitandi horas beneficiarius non implebit, vnde & dictos fructus amittet.

63 Confirmatur nostrum assertum, nam per hoc quòd quis det eleemosynam alicui ea intentione, vt sic satisfaciat obligationi restitutionis, quam in posterum contrahet ei restituendi, si per furtum ei aliquid surripiat, non propterea liberatur ab obligatione: ergo nequè liberatur à restitutione facienda pauperibus ob omissionem horarum, licèt antea faciat eleemosynas beneficiarius de fructibus beneficij. Consequentia ex vi paritatis benè sequitur. Antecedens patet, quia datum titulo eleemosynæ in citato casu, fuit datum liberè; ergo non potest posteà applicari titulo iustitiæ, quæ cogit, & obligat ad dandum. Nequè potuit antea dari in satisfactionem contrahendæ obligationis, nam obligatio ex iustitia præsupponit illatam iniuriam contra iustitiam. Addo, quòd si verum esset licere supplere cum eleemosynis antea factis tum respectu beneficiarij horas omittentis, tum respectu furis iuxta prædicta, sequeretur vtrisquè licere sibi reaccipere datam eleemosynam cum intentione supplendi obligationi restitutionis ob furtū faciendum, ac ob horas, quę voluerunt omitti, si nec furtum fiat, nec horæ omittantur. Sequela probatur, quia si cum illa antecedenti eleemosyna beneficiarius voluit supplere obligationi ex iustitia de futuro contrahendæ (& idem est de volente furari, vt præfertur) & de facto suppleret statim, ac ob horarum omissionem dictam contrahet obligationem, signum est, quòd illa eleemosyna à pauperibus accepta, intantùm eis competit, inquantùm ex iustitia eis debetur ob furtum passum, vel ob horarum omissionem, ergò cessante furto, & non posita omissione horarum retinent iniustè acceptam eleemosynam, tamquam rem non suam, sed clamantem ad Dominum, idest, ad beneficiarium, ac ad eum, qui illam dederat, adeoque iste poterit rem suam reaccipere, sicuti & pauperes cognita veritate tenerentur dictam rem reddere; sed cum ista sint absurda, consequenter non potest suppleri, prout diximus in nostro asserto posito sub *num.* 61. Hinc vrgente Monitorio essent notificanda, ac restituenda bona, quæ beneficiarius accepit ex beneficio, licèt horas omiserit, & pro ipsis eleemosynam antecedenter dederit iuxta adducta in superioribus; nam ea bona non sunt suas, sed v. g. fabricæ pro qua Monitorium fuit publicatum, &c.

64. Dices: error excludit consensum, *l. si per errorem, ff. de iurisdic. omni. iudic.* & *l. non id-*

cir-

*circo*, *C. de iur. ignor.* & tradit Rota *decis.* 524. *num.* 4. *apud Farin. part.* 1. *recent.* & ità docent communiter Iurisperiti, Seraphin. *decis.* 1190. *num.* 2. Sigismund. Scaccia *de commerc. & camb.* §. 1. *quæst.* 7. *part.* 2. *ampl.* 19. *num.* 77. Stephan. Gratian. *discep. foren. tom.* 5. *cap.* 988. *num.* 6. Surd. *cons.* 28. *num.* 122. Bertazol. *de clausul. instrument. claus.* 11. *gloss.* 3. *num.* 2. ergo eleemosyna data de fructibus beneficij ea intentione, vt sit pro futura obligatione contrahenda ob omissionem horarum, si non supplet restitutioni faciendæ si fructus accipiantur non obstante dicta horarum omissione, non poterit retineri ab eo, qui illam accepit, quia per errorem, per quem beneficiarius satisfacere putabat, illam erogauit aliàs non erogaturus; quare cùm non videatur dicendum debere acceptam eleemosynam restituere, qui illam cum illo errore accepit; per consequens signum est, quòd beneficiarius satisfecit iuxta suam intentionem, sicque si post horarum omissionem fructus recipiat, hos faciet suos, nec eos tenebitur restituere nec iure naturæ, atquè canonico, nec ex vi Monitorij, de quo est nostræ decisionis casus.

65 Ad hanc obiectionem apparenter vrgentem contra nostram doctrinam omnino tenendam, respondeo primò, quòd obligatio restituendi fructus est de iure naturæ, & canonico in *d. sess.* 9. §. *statuimus*, Concilij Lateranensis, & sic error non suffragatur beneficiario in præsenti facto, quia error iuris neminem excusat, vt tenent Feder. de Sen. *cons.* 112. *Amice*, *num.* 2. *vers. quæro secundò*. & Lap. *alleg.* 13. *in princip.* & id præcipuè est verum in casu beneficiarij, de quo agimus, Clerici enim non excusantur ignorantia iuris, quia peritiores consulere debebant. Ità docent Card. Tusch. *practicar. conclus. tom.* 3. *litt. E. conclus.* 320. *à princip.* Alexand. *cons.* 100. *Super primò*, *num.* 7. *vers. nec dicatur*, *lib.* 7. Crauet. *cons.* 348. *num.* 9. & *cons.* 699. *num.* 25. D. Barbos. *in prælud. l. si mora*, *à num.* 16. *ff. soluto matrimonio*, vbi expressè tradit, errorem Iuris non excusare, nisi constet consuluisse peritiores.

Respondeo secundò, quòd error beneficiati putantis satisfacere obligationi contrahendæ, prout est præsens historia, est error sinè contractu, sed tantùm in facto proprio; error autem in facto proprio non potest allegari. Tusch. *d. litt. E conclus.* 316. *num.* 5. & *conclus.* 317. *à princip.* Dyn. *cons.* 13. *Quæstio talis est*, *num.* 3. *vers. præterea* Brunor. à Sole *in locis communib. verb. error*, *num.* 5. Ioseph Sesse *Aragon. decis.* 138. *num.* 26. Cardos. *in praxi Iudic. eod. verb. num.* 2. Alexand. *cons.* 69. *In causa*, *num.* 4. & *seqq. lib.* 3. Mar. Antonin. *variar. resol. lib.* 3. *resol.* 21. *num.* 4. Et horum aliqui addunt non releuare ad lucrum captandum, si in proprio facto committatur error; quare cùm in nostro casu agatur de captando lucro per acceptionem fructuum, statuitur non excusari ab errore beneficiarium putantem satisfacere per præuentam fructuum eleemosynam, prout in præsenti inquiritur. Nec valet replica, quòd error in proprio facto excusat in casu damni euitandi, vt docent aliqui ex præcitatis, maximè Brunor. à Sole, & Sesse; ergo vt beneficiarius euitet damnum, quòd sentiet ex erogatione eleemosynæ per errorem factæ, iuuabitur ab errore vt ei restituatur, si non inseruit ad supplendum pro restitutione ob horarum omissionem; & ideo hæc replica non valet, quia nullum damnum sequitur ei, qui spontè facit eleemosynam; quòd si postea dicatur damnificari ob amissionem fructuum correspondentium omissioni Diuini officij; respondetur, debere id sibi imputare, si officium noluit recitare, vnde constat quid sit dicendum de obligatione obediendi Monitorio volenti vt notificentur, ac restituantur bona iniustè retenta, sed propria, & debita illi, in cuius fauorem Monitorium emanauit. Quid autem dicendum sit de Canonicis confabulantibus in Choro, vel aliud facientibus, an teneantur restituere. Vide Dia. *p.* 1. *t.* 12. *res.* 7.

### §. VII.

*Resoluitur quartum dubium propositum sub num. 46.*

66 AD quartum dubium vt in præsenti respondeam, obseruo esse in illo triplex caput difficultandi, an non solùm ob Horarum omissionem, sed etiam ob Monitorium sint notificanda, & restituenda bona à beneficiario accepta ex fructibus sui beneficij. Primum caput est, si officium pro officio recitauit.

Secundum est, si solam partem minorem officij recitauit, quia maiorem dicere non potuit; vel si propterea quòd maiorem recitare minimè potuit, etiam minorem omisit.

Tertium est, si vnico officio voluit satisfacere pro præsenti, & crastina die.

67 Circa primum caput dico, quòd si pro officio Dominicæ Palmarum beneficiarius recitet officium Dominicæ Resurrectionis, non satisfa-

cit præcepto, sicque fructus teneretur restituere, & quidem in integrum, licèt aliquod officium dixerit. Quòd teneatur restituere tamquam si officium integrum in Dominica Palmarum omiserit, suadetur ex damnatione propositionis trigesimæ quartæ inter cæteras ab Alexandro VII. damnatas, quæ dicit: *In die Palmarum recitans officium Paschale, satisfacit præcepto*; ex qua propositione vt damnata intelligitur non satisfacere præcepto recitandi horas canonicas, qui officium diei Resurrectionis Domini diceret in die Palmarum, & consequenter beneficiatus teneretur ad restitutionem à Pio V. impositam omittentibus horas, sicuti teneretur obedire etiam Monitorio quoad notificationem, & restitutionem in integrum, nisi aliunde possit aliquid sibi retinere iuxta dicta sub *num.* 52.

68 Sed numquid ex dictæ propositionis damnatione sequitur esse damnatam doctrinam dicentem, quòd præcepto recitandi horas canonicas satisfaciat, qui officium pro officio recitat? Respondeo affirmatiuè, si dicta doctrina accipiatur in tota eius generali significatione. Ratio est euidens, quia sic generatim tradita, affirmat id licere etiam in Dominica Palmarum, quamuis pro officio talis diei recitetur illud Dominicæ Resurrectionis; verùm quòd præcepto non satisfiat recitando officium Resurrectionis in Dominica Palmarum, est expressè declaratum à Pontifice Alexandro VII. dum præfatam propositionem damnauit. Nec locus est interpretationi, dicendo damnationem stare tantùm si dicatur satisfacere præcepto, tum quoad substantiam, tum quoad modum, qui in die Palmarum dicit officium de Resurrectione, & sic eadem damnatio non afficit doctrinam dicentem, quòd satisfat præcepto solùm quoad substantiam, non quoad modum. Non, inquam, est legitima eiusmodi interpretatio, quia quoties agitur de satisfaciendo alicui præcepto absolutè, certum est agi de adimplendo illo quoad substantiam; si enim attendatur communis acceptio verborum, *satisfacere præcepto*, sumuntur pro substantia præcepti, vt notissimum est.

69 Et quamuis dixerim esse damnatum generatim affirmare, quòd præcepto satisfaciat, qui officium pro officio recitat, quia sic comprehenderet etiam adductam propositionem damnatam; tamen doctrinam damnatam non affirmaret, qui diceret, quòd *præcepto satisfacit recitandi horas canonicas, qui officium pro officio dicit, dummodò in die Palmarum non recitet solum officium Dominicæ Resurrectionis*.

70 Meritum damnationis propositionis præallegatæ satis innuitur ex ipsa mutatione officij prolixi in aliud breuissimum, necnon ex transgressione formæ à Pio V. præscriptæ, ad quam formam seruandam requiritur, vt solemnitates, dies, ac tempora correspondeant officio dicendo. En igitur duo potiora fundamenta declarantia scandalosam esse propositionem illam, scilicet vnum notabilissima inæqualitas in persoluendo debito, cui consequenter non satisfit, est enim communiter receptum à Doctoribus, eum non satisfacere proprio debito, qui non dat ad æqualitatem, seu tantam quantitatem, quantam tenetur dare: Aliud, notabilissima inuersio festiuitatum, adhibendo in die Palmarum quando Ecclesia celebrat mysteria Passionis, officium Resurrectionis cum *Alleluia*, & alijs de gloriosa Resurrectione, omissis omnibus de dolorosa Passione. Hinc non valet ratio solita afferri ad probandum licere officium pro officio recitare, nempe quia Ecclesia præcipit vt septem horæ canonicæ persoluantur; quare cùm persoluantur tum cum vno, tum cum alio officio, per consequens substantia præcepti erit adimpleta. Et ideò ista ratio non valet, quia non vtcunquè Ecclesia exigit quotidianam solutionem septem horarum canonicarum, sed determinatè exigit septem prolixas vna die, mediocres alia, & breues alia die, non minùs ac si v. g. exigeret singulo quoque die septem monetas, itaut vna die sint soluendi septem aurei, alia die septem regales; alia die septem oboli. Posita ista obligatione, constat non satisfieri soluendo septem obolos qua die septem monetæ præscriptæ sunt septem aurei; & idem erit si soluerentur eadem die septem regales: ergo à pari arguendum est de obligatione recitandi septem horas prolixas statutis diebus, si septem aliæ breuiores recitentur. Imò debet etiam addi qualitas monetarum, quas creditor exigit, seu debet attendi qualitas horarum canonicarum, quæ tamquam monetæ falsæ se habent, ac proinde dupliciter non sunt aptæ pro satisfaciendo, si vltra diminutionem quantitatis concurrat mutatio qualitatis, & quidem non bonæ, vtpote nolitæ, nec præscriptæ, v. g. si in die Palmarum dicantur septem horæ de Dominica Resurrectionis.

71 Ex dictis numero antecedenti liquet quàm meritò fuerit damnata ab Alexandro Papa VII. allata propositio 34. in serie damnatarum ab ipso; quare est omninò tenendum, quòd *in die Palmarum recitans officium Paschale, non satis-*

*tis-*

*tisfacit præcepto*, nec quoad substantiam, nec quoad modum. Et quia horæ canonicæ sunt quoddam debitum ab Ecclesia impositum; propterea dato, & non concesso, quòd Ecclesia esset contenta solutione officij Paschalis in die Palmarum antequam dictus Pontifex eam propositionem prohiberet, & damnaret, nunc apertè Ecclesia non erit contenta, quia sic Pontifex Alexander VII. statuit, vt intelligatur non satisfacere præcepto recitandi Diuinum officium, qui in die Palmarum vteretur officio Paschali, ideoque beneficiarius, qui in tali die Palmarum recitaret solum officium Paschatis, teneretur restituere, & si non restituat iniustè retinet, ac pro ipso vrgeret Monitorium iuxta nostram præsentem dubitationem.

72 Casu autem quo beneficiarius officium Paschale recitaret loco alterius officij cuiuscunque diei, excepta die Dominicæ Palmarum, an non satisfaciat præcepto, & teneatur restituere, maximè si accedat Monitorium vt prædiximus, dicendum censeo liberum esse Doctoribus de hoc quæstionem instituere, quia vltra officium diei Palmarum non extenditur damnatio; nihilominus attenta paritate rationis *num.* 70. adductæ, negandum est satisfieri præcepto si loco officij longioris, aliud breuius recitetur, & ita esse tenendum mihi certissimũ est, & clarè patebit considerantibus omnimodã rationis similitudinem inter officium diei Palmarum respectu officij Paschalis, & officium alterius Dominicæ, seu feriæ, atquè Sancti, vel festiuitatis alicuius respectu dicti officij Paschalis, eadem enim deformitas, seu inæqualitas quantitatis, ac modi in omnibus dictis permutationibus intercedit. Ità docuerunt etiam ante tempora Alexandri VII. plures negantes, quòd impleat præceptum recitandi horas canonicas, qui in officio feriæ recitat officium Sancti, aut alterius feriæ. In hac opinione fuerunt Nald. *in summ. verb. Diuinum officium*, *num.* 16. Molfesi. *in summ. tom.* 1. *tract.* 5. *cap.* 2. *num.* 50. Tabiena *verb. Hora, quæst.* 10. Summa Corona *part.* 1. *cap.* 1. *num.* 10. Tolet. *lib.* 2. *cap.* 23. Ledesm. *in summ. part.* 2. *tract.* 9. *cap.* 4. *concl.* 12. Filliuci. *tom.* 2. *tract.* 23. *cap.* 8 *nu.* 186. Fabr. *de Sacram. Ord. dist.* 24. *quæst.* 1 *disp.* 1. *num.* 146. Nauarr. *de orat. cap.* 19. *num.* 211. Philiarch. *tom.* 1. *part.* 1. *lib.* 1. *concl.* 6. Homobon. *de examin. Eccles. part.* 1. *tract.* 4. *cap.* 5. *quæst.* 42. Iacob. de Graff *decis. part.* 1. *lib.* 2. *cap.* 51. *num.* 10. Ragu. *de offic. Canonic. in choro, quæst.* 17. *num.* 2. Bellarm. *tom.* 3. *lib.* 1. *controuers.* 9. *cap.* 18. Suar. *de Religione*, *tom.* 2. *lib.* 4. *cap.* 23. *num.* 11. Reginald. *tom.* 2. *lib.* 18. *cap.* 16. *nu.* 172. Vasq. *in opusculis suis, tit. de benef. cap.* 4. §. 1. *dub.* 2. *in fine*. & alij, inter quos Fr. Hieronymus Onuphrius *in suo libello de recitandis horis canonicis*, *conclus. vlt.* acriter hanc sententiam sustinet, etiam obligans ad restitutionem beneficiarium, qui sic officium cum officio commutaret: ergo multò magis si cum breuiori officio eiusmodi commutationem faciet: ergo & Monitorium pro tali beneficiato vim obligantem haberet.

73 Sed quia datur opinio docens, mutationem officij non esse peccatum mortale, etiam si data opera fiat, debent intelligi Doctores illam docentes non de omni, nec de qualibet mutatione, sed tantùm de mutatione in aliud officium æquiualens, & nullo modo in aliud officium breuius, maximè stante doctrina nullatenus sequenda, vtpote prohibita, & damnata à prædicto Pontifice per damnationem propositionis; *In die Palmarum recitans officium Paschale, satisfacit præcepto*. Item debent intelligi cum limitatione, dummodò officium in quod fit mutatio non sit de Beatificato extra eius diem, quia solùm pro ea die approbatur ab Ecclesia, & pro certis personis, non autem pro alia die, nec pro alijs personis, vndè illud recitans non satisfacit præcepto. Sic Granad. *in* 2. 2. *controuers.* 1. *tract.* 7. *disp.* 4. *sect.* 2. *nu.* 19.

Rogabit hic beneficiatus, an peccet grauiter si v. g. dicat Matutinum de Sancto, & horas de feria, & an teneatur restituere tum ex vi Monitorij, tum tamquam quòd Officium diuinum omiserit. Respondeo cum Caramuele *in Regul. D. Benedicti*, *disp.* 110. *num.* 1403. In sententia eorum, qui volunt esse octo præcepta de officio Diuino, vndè octo grauia peccata committit, qui officium non recitat, erit solùm venialis culpa, si dicatur v. g. Matutinum de Sancto, & horæ de feria, nam quoad substantiam officium integrum fuit recitatum, licèt defectus sit commissus quoad modum, seu quoad rubricas, & consequenter nulla fuit contracta obligatio restituendi. Si verò teneatur sententia dicentium esse vnum præceptum, tunc non satisfit præcepto si recitentur duæ partes diuersi officij non valentes inter se vniri, quare erit graue peccatum, & pro rata omissionis debebit beneficiarius restituere, simulque Monitorio obedire, quia reuera rem alienam iniustè retinet.

74 Circa secundum caput huius quarti dubij, nimirum ad aliquam restitutionem an teneatur beneficiarius, qui minorem partem officij recitauit,

tauit; quia maiorem dicere non potuit; vel si propterea quòd maiorem dicere non potuit, etiam minorem omisit, scire, & præmittere oportet propositionem quinquagesimam quartam in ordine damnatarum ab Innocentio XI. quæ dicit: *Qui non potest recitare Matutinum, & Laudes, potest autem reliquas Horas, ad nihil tenetur, quia maior pars trahit ad se minorem*. Si ergo beneficiarius maiorem partem officij recitare non potuit, recitauit tamen minorem, non se gessit iuxta doctrinam damnatam in dicta propositione, imò obligationem pro statu potentiæ suæ perfectè impleuit, ideoque nullatenus peccauit, nec aliquam restitutionem facere debet, quia impotentia ad recitandum fuit legitimum impedimentum excusans, prout apertè loquitur Decretum supracitatum ex Concil. Lateran. & etiam ex confirmatione illius facta à Pio V. vnde nec pro tali casu vrget emanatum Monitorium notificandi, ac restituendi bona iniustè retenta.

75 Difficultas consistit in omissione totius officij, eò quia cùm maiorem partem dicere non potuerit, propterea etiam minorem omisit. Pro huius difficultatis solutione, si vera esset propositio adducta, sequeretur licuisse beneficiario, vel cuiquè integrum officium omittere, si maior pars non poterit ab eo recitari, & consequenter ad nullam teneretur restitutionem. At dicta propositio fuit meritò damnata vt iacet tamquam falsa, & scandalosa in sua generalitate. Et quidem primò est falsa, quatenus supponit Matutinum, & Laudes esse partem maiorem officij, id enim negatur à Rodriquez, & Garsia, quos refert Diana *part. 1. tract. 12. res. 29.* & id conuincitur etiam ex ipsa duratione temporis requisiti pro recitatione Matutini cum Laudibus, quæ duratio superatur non parùm a duratione cæterarum horarum: non ergo Matutinum, & Laudes sunt pars maior officij, maximè in quibusdam particularibus, vt in officio Paschali, & tamen generalis est significatio propositionis meritò damnatæ, etiamsi concederemus esse verum non teneri ad Horas canonicas, qui maiorem illarum partem dicere non potest.

76 Errat deinde eiusdem propositionis doctrina per hoc quòd absolutè dicit de maiori parte, affirmando generatim, quòd maior pars trahat minorem, & ideo qui non potest maiorem partem officij recitare, non tenetur minorem dicere. Si talis ratio valeret, optimè inferri posset à quocunquè debitore, se deobligari à solutione facienda, si tantùm minorem partem debiti potest dare. Sic qui debet centum, & solùm v. g. triginta potest dare, diceret, ego ad nihil teneor, cùm dare non possim maiorem partem, quæ secum trahit minorem, sicuti debitor integri officij ad nihil tenetur, si partem maiorem nequeat persoluere. Est autem contra communem sententiam DD. necnon & contra praxim Confessariorum obligantium debitores ratione furti, vel alia de causa, vt saltem partem, quam soluere possunt, soluant, etiamsi totum debitum soluere nequeant, nec vmquā à partis solutione deobligant eò quòd extet textus dicens, maior pars trahit secum minorem, *l. quod maior pars, ff. ad municip.* & *cap. 1. de his, quæ fiunt à maiori parte*. Imò ex se patet, quàm scandalosè deobligaretur debens centum, vt nihil soluat, si totum non potest, sed solùm potest minorem partem, dare.

Vlteriùs probatur scandalum dictæ propositionis, quia ex ipsa infertur non teneri ad ieiunium in quadragesima, qui maiorem partem illius ieiunare non potest, sed tantùm minorem, cùm tamen certissimum sit quemquam obligari ad ieiunium quadragesimale pro ea parte, quam potest, licèt sit v.g. vnius diei per singulas hebdomadas. Ità Doctores communiter.

Sed dices hoc verum esse, quia obligatio ieiunandi in quadragesima vrget singulo quoque die, & sic tenetur quisquè seruare ieiunium etiam semel tantùm in hebdomada, si plus non possit. Cæterùm, si ieiunium quadragesimale esset vnicum præceptum non multiplicatum ad multiplicationem dierum, tunc curreret ratio, quòd maior pars trahit secum minorem, vnde qui maiorem partem quadragesimæ ieiunare non posset, non teneretur ieiunare partem minorem, sicuti præceptum audiendi Missam est vnicum, propterea qui maiorem partem audire non potest, non tenetur minori assistere, sed pro isto verificatur, quòd maior pars trahit secum minorem; ergo idem est de obligatione recitandi Horas canonicas, de quibus est vnicum pręceptum secundùm communiorem opinionem iuxta quam loquitur propositio præallegata. Responderi tamen debet adductis instantijs, eas negando absolutè in earum generalitate, & sic non conceditur, quòd præceptum quadragesimalis ieiunij si esset vnicum, ad istud non teneretur, qui maiorem partem non posset ieiunare. Similiter non admittitur absolutè non teneri missam audire, qui maiori eius parti nequit interesse, quia maior pars trahit minorem. Igitur scandalosè affirmatur doctrina damnatæ propositionis propter eius

ge-

generalem significationem, ex qua plures consequentiæ falsæ sequuntur prout vidimus, imò & aliæ plures sequi possunt, vt v. g. si quis votum fecerit præstandi aliquid per annum continuum, iste si maiori ex parte anni assignati præstare non poterit, quod vouit, ad nihil teneretur in ea minori parte anni, quia maior pars traxisset minorem, cùm tamen nemo diceret non esse votum adimplendum pro omni ea parte, quæ superest siuè maior, siuè minor.

Iam satis constat de merito damnationis propositionis præfatæ, ex qua statutum remanet, quòd si quis Matutinum, & Laudes recitare non poterit, non propterea à recitatione Horarum liber erit, quasi istæ tamquam minor pars à parte maiori tractæ fuerint; imò id affirmare non licet, cùm sit doctrina damnata. Eodem modo est à pari dicendum de eo, qui Matutinum cum Laudibus, Prima, & aliqua alia Hora recitare non posset, nam non propterea iste ad minoris partis recitationem absolutè obligatus non esset. Ex his visum fuit nonnullis varios scrupulos, multasque angustias sequi, si enim impotentia recitandi maiorem partem Officij diuini non excusat etiam à minori, nullus dabitur æger, qui ab Horis dicendis sit excusatus, quia nullus est adeò ægrotus, quin aliquam Officij partem recitare valeat. Idem erit de audienda aliqua parte Missæ. Vt ergo dubia resoluamus ad rem nostram, quatenus innotescat beneficiario, de quo agimus, quando tenebitur ob Horarum omissionem pro rata omissionis restituere, simul vrgente etiam monitorio, pono sequentia dicta.

Dictum primum: Non excusatur quis ab Horis dicendis ratione cuiusuis impotentiæ dicendi partem earum. Hoc assertum vt iacet non potest negari, nam si quis ob defectum Breuiarij, vel alicuius partis eius, vel ob cæcitatem, non posset dicere aliquam partem Hymnorum, Psalmorum, vel Lectionum, quæ memoriter nescit, non propterea excusatur. Ità cum Nauarro *cap. quando.* tenet Sanchez *consiliorum moralium, lib. 7. cap. 2. dub. 47. num. 3.*

Dictum secundum: Non est dicendum, quòd quis non excusetur ab Officio diuino, ex eò quòd aliquam earum partem valeat recitare. Sanch. cum Nauar. *ibi, num. 4.*

Dictum tertium: Non quælibet potentia dicendi aliquam partem Horarum obligat, sicuti è contra, iuxta dictum primum, non quælibet impotentia dicendi partem excusat, sed quia nullo iure aliquid definitur circa hoc, proinde resolutio relinquitur iudicio prudentis. Sic cum eodem Nauar. Sanch. *supra, num. 5.*

Dictum quartum: Licèt iudicio prudentis remittatur resoluere, quando quis teneatur, vel non teneatur ad totum Officium diuinum, vel ad eius partem, tamen arbitrium facere iuxta doctrinam propositionis damnatæ, & in initio præsentis numeri adductæ, nullatenus licet, nam textus *maior pars trahit ad se minorem*, non habet locum in præsenti materia, nec in simili, in qua agitur de adimplendo præcepto, sed potiùs conuenit Capitulis, Congregationibus, ac Communitatibus, & ideò habetur in *cap. 1. de his quæ fiunt à maiori parte.*

Dictum quintum: Si quis potest audire solùm partem paruam Missæ, non autem reliquum eiusdem Missæ, non tenetur dictam partem paruam audire, sed illam, quam verisimiliter præcipiens intendit præcipere. Sic Nauar. *cap. 11. num. 16.* & Sanch. *loc. cit. num. 6.* Hinc ad nullam partem tenebitur, si ità præcipientem intendisse verisimiliter iudicabitur à prudenti. Idem est de parte Horarum. Hinc patet non oriri angustias, nec scrupulos, vt supponebatur supra *vers. Iam satis constat.* cùm arbitrio prudentis viri relinquatur iudicare, quando ad nullam officij diuini, vel Missæ partem Ecclesia velit ægrum, vel alium teneri, supposito quòd sit impotens totum officium dicere, vel integro Sacro assistere.

Dictum sextum: Iudicium prudentis viri de his, qui diù Horas recitarunt, erit, quòd pauci eorum excusentur propter Breuiarij carentiam, vel ob cæcitatem. Ratio est, quia pauci sunt, qui memoriter dicere nesciant Pater noster, Aue Maria, Credo, Hymnos, Antiphonas Horarum, Psalmos tum Laudum, tum Horarum minorum, tum plures etiam Matutinorum, ex quibus omnibus coalescit magna pars. Nauarr. *loco citato, num. 17.* Sanchez *num. 7.*

Dictum septimum: Cæcus sciens memoriter integrum Officium, sed non currentis diei, cuius memoriter nouit maiorem partem Horarum, consultiùs faciet hanc partem in propria die recitare. Idem Nauar. *num. 23.* & Sanch. *num. 8.*

Ex his septem dictis plenè soluta remanent dubia, quæ posset quis habere, quoties solam partem Officij diuini potest recitare, stante damnatione propositionis supra relatæ, & 54. inter damnatas à Pontifice Innocentio Vndecimo. Insuper eadem dicta ostendunt quando quis censebitur obligatus ad restitutionem, si Horas, vel earum partem omittat, siuè obligatio attendatur iuxta decretum Concilij Latera-

ranensis, & Pij Quinti motum proprium supra citatum; siuè attendatur iuxta promulgatum Monitorium, ratione cuius potest beneficiarius interdum obligari.

Circa tertium caput huius quarti dubij notatum supra *num. 66.* nempè an beneficiarius non ligetur monitorio, nec alia obligatione, vt restituat fructus acceptos, si vnico Officio recitato hodie in sero voluit satisfacere etiam pro Officio sequentis diei: Ad hoc breuiter respondetur beneficiarium non posse satisfacere obligationi præsentis, & futuræ diei vnico Officio diuino, idque adeò est certum, vt oppositum sit falsum, & scandalosum, ac propterea ab Alexandro Papa Septimo damnatum per damnationem huius propositionis: *Vnico officio potest quis satisfacere duplici præcepto, pro die præsenti, & crastina.* Teneretur ergo beneficiarius obedire monitorio, atquè decreto Concilij Lateranensis, & motui proprio Pij V. nam nullus obligatus ad Horas canonicas potest satisfacere pro currenti, & ventura die, si vnicum dicat Officium. Ratio est, quia pensum recitandi Horas impositum à dicto Concilio in Bulla Leonis X. & à Pio V. in dicto eius motu proprio, ac in eius Bulla posita in principio Breuiarii Romani est quotidianum, & sic toties numericè est ponendum, quot sunt dies anni. Per hanc rationem verè solidam, & fundamentalem aperitur meritum damnationis propositionis adductæ. Imò eadem ratione eneruantur omnia argumenta, quæ in fauorem eiusdem propositionis videbantur militare, eaque desumebantur à pari de obligatione audiendi Missam in die Dominica, & in die cuiusuis Festi de præcepto, nam vnico Sacro satisfit duplici præcepto, si dictum Festum cadat in die Dominica. Idem confirmabatur à simili de ieiunio ratione quadragesimæ, & ratione alicuius vigiliæ, sunt enim duo præcepta, sed vnico ieiunio implentur, si vigilia contingat in quadragesima. Igitur paritates istæ non tenent, cùm Ecclesia tot exigat officia, quot sunt dies anni, & sic nihil probat illud argumentum, quod Authores allatæ propositionis solebant facere, videlicet quòd vnico itinere possit Petrus multis negotiis sibi impositis à multis personis satisfacere, & æqualem mercedem à singulis recipere, vnde & vnico officio videtur similiter satisfieri hodiernæ, & crastinæ obligationi, si hodie recitetur hora debita, & ab Ecclesia concessa pro recitando Matutino cum Laudibus sequentis diei, in qua hora currit etiam tempus satisfaciendi obligationi diei præsentis. Ad hoc argumentum latè fuit responsum in nostra *decisione 37. per totam*, in ea enim diximus tot itinera esse ponenda, quot sunt integrè petita à singula persona pro se sola, sicque Ecclesia petit tot officia, quot successiuè fluunt dies, licèt concesserit vt obligatio diei crastinæ quoad Matutinum, & Laudes impleri possit in die antecedenti statuta hora temporis determinati. Dicamus ergo esse certissimum, quòd beneficiarius non satisfaceret, si vnicum officium prætendat sufficere iuxta hactenus dicta; quare fructus recepti essent obnoxij restitutioni impositæ à Pio V. & volitæ à monitorio ab his, qui iniustè retinent bona illius, in cuius gratiam monitorium emanauit.

## §. VIII.

*Præmittuntur aliqua de quinto dubio, an monitorium stet pro his, qui ob necessitatem extremam, vel grauem acceperunt aliena bona, vel sinè necessitate, sed per pauca furta tum per se, tum per alium.*

77 PRæsens dubium contingere potest tum sæcularibus, tum Clericis etiam beneficiatis recipientibus fructus beneficij ipsis non debitos, quia Horas omiserunt, sed necessitate compulsi eos receperunt siuè in magna, siuè in parua quantitate interdum per se, interdum per alios. Tria ergo sunt inquirenda de titulo huius Paragraphi.

Primum est, an surrepta in extrema, vel graui necessitate sint illicitè accepta, & retenta.

Secundum est, an surrepta sinè necessitate, sed per pauca furta debeant ex obligatione restitui.

Tertium est, an ad restitutionem teneatur, qui per alium surripuit.

78 Circa primum quæsitum non potest dari germana responsio, nisi ante oculos ponamus trigesimam sextam ex propositionibus condemnatis ab Innocentio Vndecimo, quæ dicit: *Permissum est furari, non solùm in extrema necessitate, sed etiam in graui.* Videatur ergo infra, §. 9. *per totum*.

79 Circa secundum quæsitum videri poterit alicui clara solutio danda, stante trigesima octaua ex damnatis propositionibus ab eodem Pontifice, huius tenoris: *Non tenetur quis sub pœna peccati mortalis restituere, quod ablatum est per pauca furta, quantumcumque sit magna summa totalis.* Sed veritatē solutionis dabimus infra per totum Paragraphum 10.

80 Cir-

80 Circa tertium quæsitum debet examen fieri, attenta trigesimanona propositione inter prohibitas, & condemnatas à prædicto Innocentio Vndecimo, quæ ait: *Qui alium mouet, aut inducit ad inferendum graue damnum tertio, non tenetur ad restitutionem illius damni illati.* Quæsitum istud resoluam paragrapho Vndecimo.

## §. IX.

*Resoluitur primum quæsitum in paragrapho antecedenti sub num. 77. & 78.*

81 SI vera esset propositio, quam *num.* 78. dixi esse damnatam, nempe quòd *permissum est furari, non solùm in extrema necessitate, sed etiam in graui*, superfluum esset laborare in danda responsione circa quæsitum, an accepta in extrema, vel graui necessitate, sint licitè, vel illicitè surrepta, & retenta, constaret enim fuisse licitè surrepta, & esse licitè retenta. Sic nullam vim haberet monitorium de notificandis, & restituendis bonis certi loci, vel certæ personæ, si dicta bona fuissent licitè surrepta propter necessitatem extremam, seu grauem: Cùm ergo allata propositio sit damnata, certè ab ipsa vt iacet, seu ab eius doctrina generali, tamquam à doctrina falsa, & scandalosa eruetur solutio nostri dubij, ad quod vt secundùm veram doctrinam respondeamus, necesse est falsitatem eiusdem propositionis aperire, & impugnare.

In primis magnam dicit falsitatem, affirmando, quòd *Permissum est furari in extrema necessitate*, nam furari est intrinsecè malum, & si res furata erit notabilis, etiam furtum erit peccatum mortale, quare numquam potest licitari à quacumque necessitate: ergo scandalosè dicitur in adducta propositione, furtum esse permissum, idest concessum tum in extrema, tum in graui necessitate. Dixi *permissum, idest, concessum*, quia in præsenti non potest sumi in alia significatione verbum *permissum*, si enim sumeretur in eo sensu, quo solet sumi de Deo permittente peccata, tunc propositio significaret, quòd in extrema necessitate, nec non & in graui admittitur peccatum furti aliena surripiendo, sed tale peccatum permittitur, vt impunè saltem in foro externo committatur. Nec potest intelligi, esse permissum à Deo taliter, quòd furtum liceat ex Dei permissione si necessitas extrema, vel grauis vrgeat, id enim esset aditum magnis furtis aperire, vt ex se patet; imò si Deus concedit egenis sibi prouidere, in tali casu non esset furtum, quia Deus est Dominus omnium rerum, propterea vndequaque est scandalosa propositio, dum asserit esse permissum, idest concessum furari in vtraquè allata necessitate.

82 Igitur non est verum, quòd in extrema necessitate sit permissum furari, nam licèt in extrema necessitate possit quisquè sibi de alienis bonis propriæ necessitati subuenire, tamen non furatur per hoc quòd etiam clàm surripiat, cùm furtum definiatur, *Ablatio iniusta rei alienæ, inuito Domino*, vt docent Tolet. *summa, lib.* 5. *cap* 2. *num.* 1. Filliuci. *tom.* 1. *tract.* 3. *cap.* 10. *num.* 234. Nauar. *de restit. lib.* 3 *cap.* 1. *num.* 20. & alij. Vel etiam clarius cum D. Thoma 2. 2. *quæst.* 66. *art.* 3. Soto *lib.* 5. *de iust. quæst.* 3 *art.* 1. Less. *de iust. lib.* 2. *cap.* 12. *dub.* 1. & ex communi Doctorum sensu, sic: *Furtum est occulta ablatio rei alienæ, domino rationabiliter inuito*; in extrema autem necessitate, omnia dicuntur esse communia, & ideò dominus irrationabiliter est inuitus, sicque furtum non facit, qui in tali necessitate rem suam, sibique necessariam accipit. Cur omnia sint communia, explicatur à D. Thoma 2. 2. *quæst.* 66. *art.* 7. vbi rationem de hoc assignat, quem communiter sequuntur Doctores, nam ante rerum diuisionem Iure gentium introductam, omnia erant communia, & à natura erant omnia instituta, vt vnusquisquè ex illis acciperet pro necessitatibus vitæ suæ, Deus enim omnia condidit, vt conseruationi vitæ vniuscuiusque hominis inseruirent. At ex varijs rationibus, & præcipuè ad vitanda iurgia, seu lites facta est rerum omniũ diuisio, & singulis earum appropriatio Iure gẽtium. Eiusmodi tamen diuisio esset iniqua, nisi facta censeatur cum tacita conditione, vt extrema insurgente necessitate rediret cuncta ad statum communem, ita ut cuilibet maneret ius ad accipiendum ea, quibus extremè indigeret, ius enim positiuum iuri naturali nequit derogare. Hinc statuitur, quòd cùm iure naturæ omnes haberent ius ad vtendum rebus creatis secundùm necessitatem conseruationis vniuscuiusque hominum, quia propter hoc omnia à Deo fuerunt condita, Ius gentium diuisionem rerum faciens, debuit dictum naturæ ius seruare indemne, ideoque sub prædicta conditione rerum diuisionem introducere. Non ergo vera est doctrina dictæ propositionis 36. inter damnatas ab Innocentio XI. dum asserit permissum esse furari in extrema necessitate, quia non furatur, qui in eà necessitate Iure gen-

gentium accipit rem suam, & communem saltem quoad vsum Iure naturæ, vnde irrationabiliter Dominus resistit ratione sui Iuris positiui, quod cedere debet Iuri naturali.

83 Insuper scandalosè loquitur eadem propositio secundùm suam generalem significationem, ex vi cuius docet, extremè, vel grauiter indigenti permissum esse furari sinè limitatione, quapropter posset eiusmodi indigens dictam propositionem intelligere, tamquàm quòd dicat non esse peccatum furari, siuè surripiatur ad mensuram necessitatis, siuè non, sed tum citra, tum vltra præsentem necessitatem, de qualitate enim furti non distinguit eadem propositio, dummodo fur prematur necessitate siuè extrema, siuè graui. Ergo etiam ex hoc capite doctrinam perniciosam continet dicta propositio meritò proinde, vt iacet, damnata, & pro tali fure Monitorium tenet.

84 Vlteriùs manifestum scandalum est in veneno eiusdem propositionis per hoc, quod nimis amplè docet, dum sinè restrictione affirmat, permissum esse furari in graui necessitate, siuè ista accedat ad extremam, siuè ab extrema recedat. Si grauis necessitas accedit ad extremam, de ista liberum est Doctoribus disputare, an liceat sicuti in extrema sibi prouidere de re aliena ad æqualitatem indigentiæ, quæ res in tali casu sit facta communis, vnde furtum nullatenus erit eam surripere. Cæterùm, si generatim de qualibet graui necessitate loquamur, prohibitum, & damnatum est affirmare, seu disputare, nisi fortè impugnando, quòd permissum sit furari sicuti in extrema necessitate.

85 Hinc statuta remanent quatuor: Primum est, dictam propositionem esse scandalosam, & damnatam, quia dicit esse furtum quamuis permissum, si aliena res accipiatur in remedium necessitatis extremæ, seu grauis.

Secundum est, damnationem afficere doctrinam imbibitam in generali significatione dictæ propositionis, quatenus de graui necessitate indefinitè asserit permissum esse in ea furari, quare complectitur etiam necessitatem vtcunque grauem, & furtum etiam vltra necessitatem tum grauem, tum extremam.

Tertium est, non esse damnatum asserere, quòd in extrema necessitate liceat sibi prouidere cum re aliena ad proportionem necessitatis extremæ.

Quartum est, non esse damnatum affirmare, quòd in graui necessitate proxima extremæ, licitum sit prout dicitur de extrema, cùm hoc relinquatur Doctorum disputationi.

Circa primum vidimus *num.* 82. quòd in extrema necessitate omnia sunt communia, & ideo licitum est cuique in ea sibi prouidere ad mensuram eiusdem necessitatis, nec tunc committitur furtum, quod numquam potest esse licitum. Hinc patet esse verum tertium assertum, quod satis fuit probatum sub *d. num.* 82. Circa necessitatem grauem dico vt sequitur.

Circa secundum, vt constet quàm meritò sit damnatum affirmare, quòd in graui necessitate generatim liceat vti furto permisso, seu sibi prouidere de rebus alienis, sicuti in extrema, notandum est esse triplex genus necessitatis grauis, nam sub vno continentur omnes necessitates tantùm *graues*; sub alio *grauiores*; sub tertio *grauissimæ*. Necessitas *grauis* est, quæ affert carentiam alicuius boni, quod non est ex his, quæ natura voluit omnibus esse communia, veluti morale periculum cadendi à *statu* nobili, vel amittendi famam doctrinæ, dignitatem, Magistratum, ac officium. Vbi verò dictę necessitates graues contingent speciali quadam grauitate, putà propter amissionem status magnæ nobilitatis; magnæ famæ doctrinæ; notabilis dignitatis, singularis officij, &c. tunc tales necessitates dicuntur *grauiores*. Quòd si necessitates trahant secum carentiam bonorum, quæ natura voluit esse hominibus communia, putà periculum incidendi in captiuitatem, quæ priuat libertate, quam natura omnibus dedit; incurrendi grauissimam infamiam positiuam, amissa bona existimatione, quam homines naturaliter habent, necnon & periculum incurrendi in morbum, licèt non lethalem, afferentem tamen perpetuam, vel longam carentiam sanitatis, quæ est de bonis à natura concessis omnibus, tunc eiusmodi necessitates vocantur *grauissimæ*: Est nihilominus recurrendum ad iudicium prudentis, & pij viri, vt rectè secernatur necessitas *grauis* à *grauiori*, vel *grauissima*; & sic amissio libertatis v.g. per duas horas, certè non est necessitas grauissima, & idem est de leui infamia, de longa sed leui infirmitate, ac etiam perpetua, &c. erit ergo *grauissima* necessitas illa, quæ affert morale periculum incidendi in necessitatem extremam, cuiusmodi est morbus afferens probabile periculum mortis. Ità ex Doctoribus collegi, ipsi enim sparsim docent, quæ de diuersitate necessitatum hactenus dixi, ideoque illa retuli, vt propositum in nostra decisione dubium, resoluam, quatenus cognoscatur quando licitè, vel illicitè retineri possit res accepta in graui, grauio-

uiori, ac grauissima necessitate, vnde nulla vrgeat obligatio notificandi, vel restituendi bona aliqua, præcipuè ex vi alicuius Monitorij. Vt ergo negotium istud exactiùs exequar, sequentes pono conclusiones.

86 Conclusio prima. Accepta ad æqualitatem extremæ necessitatis, licitè fuerunt accepta, adeoque non sunt restituenda etiam si superueniat Monitorium. Ratio est satis data sub *num.* 82. scilicet quia omnia sunt communia, & Dominus irrationabiliter est inuitus. Ità docent vnanimiter DD. dummodò res accepta pro necessitate, adhuc non duret in specie post necessitatem, quia si extaret, in tali casu esset sinè dubio restituenda, vt v. g. si ad tuendam vitam debuisses alienum equum surripere, teneris transacta illa necessitate extrema equum restituere. Sic docent communiter, quia solius vsus rei necessitatem habebas; ergo post vsum debes rem in specie extantem, restituere, sicque talis res veluti iniustè retenta, esset notificanda, & reddenda sub pœnis in Monitorio expressis. Loquendo tamen de tali equuo, qui dum fugiebas perijt sinè tua culpa, vel de surreptis rebus vsu consumptibilibus, tenent probabiliter aliqui nihil esse restituendum etiam transacta extrema necessitate. Ità Bannes *tom.* 1. *in* 2. 2. *quæst.* 32. *art.* 8. *ad* 3. Sot. *in* 4. *dist.* 15. *quæst.* 2. §. *ad argumenta*. Petr. Nauar. *de rest. lib.* 4. *cap.* 4. *num.* 24. Dicastill. *lib.* 2. *tract.* 2. *disp.* 9. *num.* 269. Laym. *lib.* 3. *sect.* 5. *tract.* 3. *part.* 1. *cap.* 1. *num.* 7. & alij.

Sed pro pleniori elucidatione nostri dubij in præsenti historia contenti, petes quid sit dicendum, si res consumpta in extrema necessitate erat priùs apud consumptorem ex iniusto contractu, vel ex furto. Respondent Syluest. *verb. furtum*, *quæst.* 5. Angel. *eod. verb. quæst.* 37. Vasq. *opusc. de eleemos. cap.* 1. *disp.* 8. *num.* 68. & alij quasi communiter, talem rem esse restituendam, quia semper remanet obligatio ex radice furti, seu delicti commissi; nec illa res esset communis, nisi tempore necessitatis. Sed non caret sua probabilitate sententia contraria, nam idem est, ac si tempore necessitatis extremæ esset surrepta. Item, quia Dominus tenetur eam dare, & sic consumitur eo modo, quo Dominus tenetur velle, vt consumatur. Item, quia sic perijt, sicuti apud Dominum erat peritura. Ità docent Petr. Nauar. *de rest. lib.* 4. *cap.* 4. *num.* 24. & Castro Palaus *tom.* 1. *tract.* 6. *disp.* 2. *p.* 10. *num.* 3.

Petes secundò, an sit restituenda res in extrema necessitate consumpta, quæ res habebatur apud se ex contractu transferente dominium, v. g. ex mutuo. Respondet Palaus *loc. cit.* cum Bonaci. Vasq. Azor. & alijs talem rem esse restituendam, quia erat res propria ipsius, qui illam consumpsit, non autem erat res aliena, vnde non finit, sed durat obligatio iam orta ex præcedenti contractu. Hinc oppositum sequitur dicendum, si res erat apud indigentem extremè ex contractu non transferente dominium, v. g. ex deposito, nam tunc consumitur res domini, & contractus non transferentes dominium non obligant ad restitutionem, quando sinè aliqua culpa res perit, prout sinè culpa perit, dum ab extremè indigente consumitur. Ità DD. adducti.

87 Conclusio secunda: In necessitate, quam *num.* 85. vocauimus *grauem*, non licet alienam rem accipere; imò est doctrina damnata oppositum affirmare, nam propterea fuit damnata ab Innocentio XI. propositio 36. inter alias, quas damnauit, & nos eam suprà posuimus; quia vt iacet facit licitum alienam rem surripere etiam in sola graui necessitate. Et meritò fuit damnata etiam quia id docet, quod omninò est falsum, nam sola grauis necessitas non facit rem communem, cùm consistat in carentia boni, quod natura noluit esse commune. Idem suadetur ex *cap. si quis fortè, de furtis*; vbi dicitur: *Si quis per necessitatem famis, aut nuditatis furatus fuerit cibaria, vestem, vel pecus, pœniteat per hebdomadas tres:* quæ verba D. Thom. 2. 2. *quæst.* 66. *art.* 7. *ad* 1. explicat dicens, *quòd Decretalis illa loquitur in casu, in quo non est vrgens necessitas*; & in toto articulo dicto per *necessitatem vrgentem* D. Thomas accipit *extremam*: ergo in necessitate non vrgente, vt est in necessitate graui, est peccatum pœnitentia delendum surreptio alienæ rei.

88 Conclusio tertia: In necessitate, quam *num.* 85. dixi esse *grauiorem* non licet alienum surripere. Ratio est eadem relata numero antecedenti de *graui* necessitate, nimirum quia est carentia boni, quod natura noluit esse commune, licèt speciali quodam modo dictam carentiam afferat. Cùm ergo Innocentius XI. damnauerit propositionem dicentem, *permissum est furari non solùm in extrema necessitate, sed etiam in graui*; & ideò fuerit damnata, quia vt iacet complectitur grauem in tota sua latitudine; signum est quòd sub damnatione venit necessitas grauis, de qua nec affirmare, nec disputare licet, concessum esse in ea aliena surripere etiam solùm ad mensuram eiusdem necessitatis. Ex his sequitur dicendum, quòd in tali ne-

cessitate aliena surripere, erit furtum, resque surrepta erit restituenda, maximè si Monitorium petat talis rei restitutionem. Loquendo postea de necessitate grauiori, quia & ista propriè est grauis, quamuis comparatiuè dicatur grauior, scilicet propter specialem modum priuandi bono, quo priuat sed sinè tali speciali modo necessitas grauis, propterea damnatum est affirmare, quòd sicuti in extrema necessitate licet rem alienam accipere, sic etiam licet in graui, seu grauiori necessitate, cum vtraquè sit grauis, & tantùm secundùm magis, & minùs vna sit magis grauis, idest grauior per respectum ad minùs grauem.

89 Conclusio quarta; In grauissima necessitate licet sibi ex re aliena prouidere per media non exquisita, nec extraordinaria. Ità de mea Religione Andreas à Matre Dei *de iust. & iur. tract. 13. de rest. cap. 5. punct. 3. §. 2. num.* 38. Ratio est, quia eiusmodi necessitas vel dici potest extrema, vel quasi extrema, in moralibus autem necessitas quasi extrema æquiparatur extremæ, ac proinde excedit lineam necessitatis grauis tum minùs, tum magis grauis, seu grauioris. Confirmatur, nam necessitas grauis in summo gradu, proxima est necessitati extremæ, & verificatur eam esse vrgentem, & moraliter æqualem extremæ, sicque quod de extrema conceditur, de grauissima est quoquè concedendum. Ita Card. de Lugo *de iust. disp. 16. sect. 7. num.* 154. Lorca, Nauar. Sotus, & Caietanus, quos citat, & in hoc sensu benè exponit Prado *tom. 1. cap. 13. quæst. 5. à num. 3. & tom. 2. cap. 22. quæst. 4. à num 9.* & D. Thomas *2. 2. quæst. 66. art. 7.* necessitatem *vrgentem* vocat *extremam*, adeoque de *grauissima* necessitate non est damnatum affirmare, quòd fas sit in ea surripere quantùm quis indigebit ad eam arcendam, & non vltra.

Nunc pro casû decisionis nostræ patet quid sit respondendum, vt quisquè sciat, an publicato Monitorio notificandi certa bona, eaque restituendi, teneatur obedire, & restituere; nam si bona surrepta, vel retenta quis surripuit, ac retinet in extrema, seu in graui, grauiori, ac grauissima necessitate, videat quæ in præsenti paragrapho docuimus de singula necessitate, & quid sibi licitum, vel illicitum erit, præcipuè stante propositione 36. ex damnatis ab Innocentio XI. plenè edisceet. Solùm nonnulla potest superesse difficultas ratione modi, quo res aliena fuit surrepta, propterea necesse est duos sequentes paragraphos videre.

## §. X.

*Resoluitur secundum quæsitum in paragrapho octauo sub num. 77. & 79.*

90 CVm certum sit, quòd res surreptæ extra extremam, vel grauissimam necessitatem sint restituendæ iuxta prædicta in præcedenti paragrapho, restat vt in præsenti examen faciamus, an eadem restitutionis obligatio currat, si per sola pauca furta dictæ res sint surreptæ, quæ obligatio non solùm vrgeat in foro animæ, sed etiam in fori fori, posita emanatione Monitorij, vt sub excommunicationis pœna notificentur, & restituantur certa bona. Ab hoc examine citò se expediuit, qui eam propositionem docuit, quam Innocentius XI. meritissimè damnauit, eamque posuit sub *num.* 38. inter cæteras ab ipso damnatas. Propositio dicta sic loquitur absolutè, & generaliter: *Non tenetur quis sub pœna peccati mortalis restituere quod ablatum est per pauca furta, quantumcumque sit magna summa totalis.* Igitur ex hac propositione sequitur manifesta solutiò propositi dubij, nimirum teneri tantùm sub veniali ad restituendum, qui per pauca furta alienam rem etiam notabilem, siuè ab eodem, siuè à pluribus accepit. Sed absit, vt eiusmodi solutionem tamquam iniquum iudicium minimè improbemus. Scandalosa sanè est vt iacet in sua ampla significatione propositio adducta, quæ nisi condemnata fuisset, notabilibus iniustitijs viam sternebat, ac aditum aperiebat, vt statim ostendo.

91 Pro legitima expositi dubij resolutione, opus est prænoscere meritum prohibitionis, & damnationis doctrinæ traditæ in illa propositione. Hæc vt iacet, & in sua generalitate nulla vtitur distinctione, cùm tamen debuisset distinguere inter pauca furta admissa ex intentione continuata, & inter pauca furta cum interrupta intentione, & casualiter facta. Hinc quamuis Doctorum disputationi remittatur resoluere, an sub mortali sint restituenda pauca furta casualiter, sinè interpolatione, de qua infra *num.* 98. & sinè continua voluntate perpetrata vsquè ad summam notabilem: tamen si de eadem summa cumulata paulatim, sed cum continuata intentione, loquamur, quæ intentio explicitè, vel implicitè habeatur, tunc damnatum est affirmare, quòd *non tenetur quis sub pœna peccati mortalis restituere quod ablatum est per pauca furta, quantumcumque sit magna summa totalis*; & hoc totum verificatur, siuè vni, siuè

siuè pluribus fuerint facta dicta parua furta, cùm de omnibus eadem prorsus sit ratio, sicuti etiam si plures concurrant vt vna causa, singuli quidem modicum accipiendo, sed omnes simul grauiter dominum damnificando, & de hoc videatur infra *num.* 103.

92 Sed vt omne tollamus æquiuocum, notandum est, posse ex duplici capite difficultari, an peccatum mortale committatur, si minuta furta vsquè ad summam grauem committantur: Vnum caput est ex parte acceptionis; aliud est ex parte retentionis. Hinc apud Doctores duæ in hac materia excitantur quæstiones: Vna est, an qui repetitis vicibus modica vni, vel pluribus furatus est, peccet mortaliter in vltima acceptiuncula, quæ complet materiam grauem, etiam si eam acceperit animo restituendi modicum, quod vltimò accepit: Alia est, an solùm peccet mortaliter ratione iniustæ retentionis, non autem ratione acceptionis, qui modo prædicto modica paulatim furando, tandem ad grauem peruenit quantitatem. De prima quæstione nihil tangitur in dicta propositione, sed tantùm agitur de secunda. Est ergo liberum omnibus, tenere id, quod Doctores docent circa quæstionem, an faciens modica furta sinè continuata intentione, peccet mortaliter quando accipit vltimum modicum complens quantitatem grauem vnà cum antecedentibus furtulis, si animum habeat restituendi vel totum, vel partem reddentem graue ipsum furtum ex paruis furtis compositum; non tamen est liberum affirmare, vel disputare defendendo, non esse sub pœna peccati mortalis restituendum ablatum per pauca furta, quantumcumque sit magna summa totalis, siuè cum intentione interrupta, siuè cum continuata fuerint facta dicta furta; & ideò hoc non est liberum, quia damnatio cadit determinatè super tale assertum generale, eò quia quamuis Doctorum opinionibus stare possimus circa obligationem restitutionis furtulorum casualiter, seu cum interruptione intentionis factorum etiam in summa graui; nihilominus est omninò falsum, & scandalosum affirmare, quòd non tenetur quis sub pœna peccati mortalis restituere quod ablatum est cum continuatione intentionis per pauca furta, quantumcumque sit magna summa totalis, quam distinctionem non facit dicta propositio, sed pro omni casu asserit non esse sub mortali restituendum. Hæc dicta sint pro intelligentia propositionis damnatæ, prout iacet secundùm illius sensum generalem.

93 Nunc videndum est quid pro praxi sit resoluendum de varijs dubijs occurrentibus circa titulum præsentis paragraphi, videlicet an si per pauca furta notabilis summa sit surrepta, semper sit restituenda sub mortali in sequentibus casibus, maximè accedente Monitorio iuxta prædicta.

Primus casus est, si vnus voluntate continuata furatus sit vni, vel multis per modica furta notabilem quantitatem.

Secundus casus est, si quis cum intentione intercisa committit multa furtula de bonis vnius, an peccet mortaliter, & sub mortali teneatur restituere.

Tertius casus est, si vnus sinè voluntatis continuatione pluribus surripit, sed singulis quid minutum vsquè ad materiam grauem resultantem ex dictis minutis, an grauiter peccet, teneaturque sub mortali restituere.

Quartus casus est, si plures ab eodem furantur quantitatem notabilem, singuli tamen modicam, an omnes lethaliter peccent & accipiendo, & non restituendo.

Ex solutione istorum casuum, & ex data cognitione propositionis damnatæ pendet plena decisio dubitationis paragraphi præsentis, vt patet.

94 Ad primum casum respondetur, quòd si vnus voluntate continuata furatus sit vni, vel pluribus magnam summam per parua furtiola, tenetur sub mortali restituere, & hoc est adeo certum, vt illud negare sit omninò prohibitum, & damnatum ex vi prædictæ damnatæ propositionis. Probari id potest, eò quia improbabile prorsus est, quòd sub pœna peccati mortalis non sit restituenda materia grauis furata per vnicum actum furti; quare cùm vnicus actus furti censeantur plura furtula ex eodem animo continuo facta, consequenter sunt sub mortali tam certè restituenda, vt scandalosè contrarium doceatur. Confirmatur, nam ex vi continuatæ intentionis fur intendit graue damnum inferre proximo: ergo &c.

95 Nec iuuat dicere, id verum esse, si vni plura modica surripiantur, non autem si multis, quorum singuli nullus graue damnum sentit; nam respondetur grauem damnificationem in tali casu inferri Communitati, seu Reipublicæ, cui plurimùm nocet, quòd quis absquè vllo titulo velit rem magnam vsurpare; & ideò hoc maximè nocet Reipublicæ, quia hæc coalescit ex illis pluribus, qui re sua licèt exigua iniustè exspoliantur. Extenditur hæc responsio, nam toti humano generi graue est, quòd quis velit sinè labore ditescere, vndè modo vni, modo al-

teri rem modicam furatur, prout faciunt, qui ponderibus, & mensuris iusto minoribus vtuntur, de quibus Prouerb. *cap.* 11. dicitur: *Statera dolosa abominatio est apud Deum*. Similiter in Deuteronomio *cap.* 25. legitur: *Non habebis in sacculo diuersa pondera, maius, & minus*, &c. *Abominatur enim Deus eum, qui facit hoc*: Etenim modus iste rem propriam dilatandi summopere repugnat humanæ societati, & in omnibus Communitatibus benè institutis sunt, fuerunt, semperque erunt exosi isti paruula furta admittentes. Hæc Doctoribus communiter sunt adeo certa, vt superfluum sit aliquos hìc nominare, præcipuè cùm dicta sint nota etiam rudioribus. Etiam ex dictis notum est, quòd dato Monitorio de notificandis, & restituendis certis bonis, debent intelligi etiam bona paulatim vni furata in notabili quantitate. De furtulis minutis factis pluribus, intelligitur loqui Monitorium, licèt non sit in fauorem eorum vt simul vnitorum, nam quando Monitorium vrget pro recuperandis bonis v. g. Petri, cui fur accepit rem minimam quidem non attendit an illa componat cum alijs furtulis factis Ioanni, Francisco, Paulo, &c. sed solùm considerat reparationem damnorum dicti Pauli, vndè aliud est, quòd fur aliunde teneatur in conscientia, & aliud quòd obligetur à Monitorio, quod solùm afficit cooperantes ad graue damnum illius, pro quo Monitorium publicatur, vnde in isto casu non currit illud: *de minimis non curat Prætor, l. socio, ff. de in integr.* & est communis. Si verò fur rem minimam haberet, sed cum socijs rem grauem Petri surripuisset, licèt minima pars singulis distributa fuisset, tunc cùm in solidum teneantur restituere, teneretur quisquè Monitorio obedire, & satisfacere, alijs socis non satisfacientibus, & sic docent DD. communiter de obligatis in solidum. Notetur tamen quòd cautè pro propriæ famæ defensione deberet res restitui, vt & obligatio impleatur, & furis occulti fama notabiliter non lædatur. Sed adhuc vide infra *num. 99. cum seqq & num.* 105. *&* 115. vbi DD. referam.

96 Ad secundum casum dico, esse communem sententiam Doctorum, illum & mortaliter peccare, & ad restitutionem sub mortali teneri, qui furta exigua admisit, sed postea vnum addit complens materiam grauem, quamuis in præcedentibus furtulis animum non habuerit vlterius furandi. Ità absolutè docent, dummodò in vltimo furto fur recordetur præcedentium furtorum, Sanch. *in decal. tom.* 2. *lib.* 7. *cap.* 21. *num.* 6. Sayr. *Clauis Regi. lib.* 9. *cap.* 15. *num.* 22. Reginald. *in Praxi tom.* 2. *lib.* 23. *cap.* 1. *quæst.* 4. Azor. *instit. moral. tom.* 1. *lib.* 4. *cap.* 9. *quæst.* 12. Rebell. *de obligat. iusti. part.* 1. *lib.* 3. *quæst.* 15. *sect.* 4. Sot. *de iusti. lib.* 5. *quæst.* 3. *art.* 3. Nauar. *de resti. lib.* 3. *cap.* 1. *num.* 40. Megala *in* 2. 2. *lib.* 2. *cap.* 1. *quæst.* 3. *num.* 28. Ledesm. *in summ. tom.* 2. *tract.* 8. *cap.* 5. Valent. *tom.* 3. *disp.* 5. *quæst.* 1. *punct.* 5. Salas *in part.* 2. *tom.* 2. *quæst.* 88. *tract.* 13. *disp.* 16. *sect.* 27. & alij, sed intelligendi iuxta limitationem ponendam infra numero sequenti.

Ratio probans hanc sententiam est, quia per illud vltimum furtulum infertur vnà cum præcedentibus notabile damnum proximo, quod damnum cessat non posito illo furtulo: sed qui aduertit ex leui suo actu subsequi notabile damnum proximi, peccat mortaliter; ergo per vltimum furtulum admittitur peccatum mortale, & per consequens contrahitur restitutionis obligatio sub mortali. Confirmatur, nam in materia iustitiæ, ex paruæ materiæ multiplicatione consurgit quantitas magna, & sufficiens ad peccandum mortaliter. Ità Sanch. *in summ. tom.* 1. *lib.* 1. *cap.* 4. *num.* 14. & tunc consurgit, quando ponitur vltimum furtulum, quod vnitum præcedentibus causat graue damnum proximo, infertque graue peccatum cum graui restitutionis obligatione iuxta dicenda numero sequenti. Sic Tambur. *in decal. lib.* 8. *cap.* 3. *§.* 1. *num.* 2. Aragon. 2. 2. *quæst.* 66. *art.* 6. *vers. cæterùm.* Ludou. Lopez 1. *part. instruct. consc. cap.* 93. *quæst.* 2. Couarru. *lib.* 1. *variar. cap.* 3. *num.* 12. & alij.

97 Limitanda est prædicta sententia, dummodò inter furtulum & furtulum nondum transierit temporis interpolatio sufficiens ad discontinuanda eadem parua furta, nam qui voluntate intercisa accipit ab vno, vel à pluribus repetita furtula, itaut inter vnum, & aliud temporis spatium intercedat sufficiens ad destruendam vnionem etiam moralem vnius cum alio, tunc etiamsi quis ad notabilem pertingat quãtitatem, non peccat mortaliter in genere furti, nec in genere iniustæ damnificationis, quamuis aduertat se habere res alienas in notabili quantitate, nec proponat restituere siuè in toto, siuè in parte, quæ si restituatur, cessabit notabilis quantitas, & furtum erit modicæ quantitatis. Non esse peccatum mortale, tenent Nauarr. Lessi. Tolet. Graff. Molphes. & Sayr. cum Sanchez *in decal. lib.* 7. *cap.* 21. *num.* 10. vbi ait huic sententiæ fauere Manuel. 1. *tom. summæ*, 2. *edit. cap.* 150. *concl.* 8. *num.* 8. Ducitur ipse Sanchez quia longa interpolatio non coniungit illas

mo-

modicas quantitates, vt patet in pueris hoc anno furantibus quid modicum in vinea, & anno futuro aliud modicum, sicque etiam patet ex praxi Confessariorum. Idem tenet de mea Religione Anton. à Spiritu Sancto *in director. confessarior. de furto, tract.* 10. *disp.* 6. *sect.* 3. *num.* 224. & probabile vocat id Balsæ. *verb. furtum* 1. *num.* 8.

Non esse autem sub mortali restituendum id, quod fuit paulatim surreptum magnis interpositis interuallis inter vnum, & aliud, docetur à Toleto, Berarducio, Nauarro, Fernandez, Anton. à Spiritu Sancto *loco citato*, *num.* 225. & probabile dicitur à Filliucio, Salas, & Diana *part.* 1. *tract. de paupert. Religiosa*, *res.* 34. si enim non est mortalis eius quãtitatis surreptio, consequenter nec sub mortali erit restituendi obligatio. Idem docet Thomas Tamburinus *in decal. lib* 8. *tract.* 2. *cap.* 3. §. 1. *num.* 3.

98 Interpolatio autem sufficiens ad moralem vnionem furtuli cum furtulo, quænam sit censenda, facilè intelligetur ex relatione diuersarum opinionum Doctorum assignantium tempus requisitum, vt obstet vnioni illarum acceptiuncularum non ex eadem intentione commissarum. In primis Rebellus *de obligationib. iusti. part.* 1. *lib* 3. *quæst.* 15. *sect.* 4. *num.* 37. assignat pro magno interuallo inter furtulum & furtulum tres, aut quatuor annos. Sanchez *vbi supra*, *num.* 10. ponit vnum annum. Alij requirunt sex menses, sed quinam sic sentiant non nominat, sed tacito nomine refert Tamburinus *d. num.* 3. Filliucius statuit hoc spatium in vno mense, vel in dimidio, & ità habet *tom.* 2. *tract.* 31. *cap.* 10. & Filliucio adhæret Diana *d. res.* 34. *vers. dico secundò*. Nihilominus Tamburinus *loco citato*, *num.* 5. dicit, meliùs esse, vt dictum interuallum à prudenti decernatur, spectato damno proximi, eiusque inuoluntario.

99 Ad tertium casum suppono tamquam euidens, quòd qui à pluribus per parua furta vult quantitatem notabilem cumulare, peccat mortaliter, & sub mortali tenebitur surrepta restituere, & hoc est omninò tenendum, quia oppositum affirmare cadit sub damnatione prædictæ propositionis trigesimæ octauæ, etiamsi ob grauem, vel grauiorem necessitatem ea furta fierent, secus si ob extremam, vel grauissimam extremæ proximam iuxta prædicta, Sic docuerunt etiam antequam illa propositio fuisset damnata; Sayrus *in Claui regia*, *lib.* 9. *cap.* 15. *num.* 27. Tolet. *lib.* 5. *summa*, *cap.* 16. *num. penult.* Aragon. 2. 2. *quæst.* 66. *art.* 6. & *ibi* Salon. *controuers.* 3 Cordub. *summ. quæst.* 70. *punct.* 3. *in* 4. *opinione*. Sot. *lib.* 5. *de iust. quæst.* 3. *art.* 3. *ad* 3. *vers. at verò*. Ludou. Lopez 1. *part. instruct. conscien. quæst.* 3. Nauar. *lib.* 3. *de restit. cap.* 1. *p.* 1. *in noua edit. dub.* 6. *à num.* 57. *vsque ad* 62. Maior, Valentia, Petrus Ledesma, Vasquez, & alij communiter. Imò expressè dicunt esse ità tenendum, siuè sit pauper, siuè sit diues fur in isto casu, Corduba, Lopez, Aragon. Sayr. Manuel, & Nauar.

Cæterum, quando quis à pluribus accipit per furtula notabilem quantitatem, sed sinè animo perueniendi ad notabilem summam; vult Graffi. *part.* 1. *decis. lib.* 2. *cap.* 93. *num.* 9. talem peccare venialiter, sed teneri sub mortali ad restitutionem, Toletus *summ. lib.* 5. *cap.* 16. *num. penult.* ait, nullam illarum acceptiuncularum esse mortale, sed veniale peccatum; sed de restitutionis obligatione tacuit. At quidquid sit de Graffij, & Toleti opinione in isto casu, de quo liberum est disputatiuè discurrere, quia non venit sub damnatione, supposito quòd ex non continua intentione furtula processerint, censeo dicendum, furantem modicum à pluribus, tunc peccare mortaliter, quando ponit vltimum furtulum complens materiam sufficientem pro peccato mortali, & simul est memor priorum acceptionum, & per vltimam acceptiunculam ad hanc quantitatem perueniri, sicque tenebitur sub mortali restituere, quamuis casualiter, & sinè animo perueniendi ad notabilem quantitẽm præcedentia furtiola admiserit. Hoc assertum conuenit cum alio posito sub *num.* 96. de eo, qui vni tantùm per furtula parua grauem summam furatur, & denique vnum ponit complens materiam grauem, ad quam aduertit. Probatur rationibus supra relatis, nempe quia infertur graue damnum Communitati. Item, quia in materia iustitiæ multa pauca coalescunt in vnum graue. Item, quia violatur præceptum de non furando, per quod prohibetur tum graue damnum proximi, tum vsurpatio, & retentio notabilis quantitatis rei alienæ, Ità Rebell. *de oblig. iusti. part.* 1. *lib.* 3. *quæst.* 15. *sect.* 5. *num.* 43. Petr. Ledesm. 2. *tom. summa*, *tract.* 8. *cap.* 21. *in secunda difficultate circa quantitatem ad furtum mortale petitam*. Valent. 2. 2. *disp.* 5. *quæst.* 10. *punct.* 5. *ad fin.* & alij.

100 Limitandum tamen est, dummodò singula furtula in vnum graue nequeant prudenter iudicari conflata, attentis magnis interuallis inter furtulum, & furtulum, quæ interualla facilè interueniunt in diuersis negotijs, secus verò in

co-

eodem negotio. Si ergo quis sinè animo noua furtula faciendi, cum quibus ad grauem quantitatem pertingat, ità illa fecit, vt ratione interpolationis non coalescant in vnum graue, tunc nec admittitur peccatum mortale, nec contrahitur obligatio restituendi sub pœna peccati mortalis. Hæc conformia sunt dictis sub *num.* 97. vbi plures citauimus, quibus addo Rebell. *d. sect.* 5. *num.* 44.

101 Si quis immemor precedentium acceptiuncularum adhuc vnam facit, quæ notabilem quantitatem complet, itaut ad istam pertingendi animum non habuerit, non peccat mortaliter; sed quando præteritorum furtulorum memor erit, tenebitur sub mortali restituere, si furtula sint vnita, eò quòd inter illa non interuenerit interpolatio iuxta dicta *num.* 98. Hoc verificatur tum si vnus vni, tum si pluribus furetur paruas quantitates demum in vnam magnam adunatas. Item verificatur, si vnus furetur modica personis vagis, quæ modica in vnum notabile furtum coalescant, nam plures personæ vagæ censentur moraliter vnitæ, & facere Communitatem damnificatam. Sic Tambur. *in decal. tract.* 2. *lib.* 8. *cap.* 2. §. 2. *nu.* 2.

102 Illi, qui tempore messis colligunt notabilem tritici quantitatem, auferendo quid modicum à singulis agrorum Dominis, nec peccant, nec tenentur restituere etiam si ex animo continuo id fecerint, si tamen sint pauperes, secus si non indigent. Ratio est, quia supposita paupertate accipientium, locorum Domini non censentur inuiti, & sic nullum committitur furtum. Sic Bonaci. *de rest. in particular. disp.* 2. *quæst.* 8. *punct.* 1. *num.* 1. Lessi. *de iusti. lib.* 2. *cap.* 12. *num.* 41. & alij.

103 Ad quartum casum de pluribus ab eodem furantibus quantitatem notabilem, singuli tamen modicam, an omnes lethaliter peccent accipiendo, & etiam non restituendo, diuersa Doctorum inuenio placita, quæ antequam referam præmitto duo certa: Vnum est, omnes peccare mortaliter, & ad restitutionem teneri sub mortali, si concurrant ad modum vnius causæ, & inuicem consortes taliter sint, quòd quilibet sit causa totius damni notabilis, quod sentit ille, cui plures furantur, sed singuli modicum. Tamen obligatio restituendi in isto casu afficit omnes in solidùm, & sic non restituentibus socijs, tenetur quisquè restituere, & oppositum affirmare cadit sub damnatione, prout dixi suprà *in fine num.* 91. & propter propositionem damnatam referendam §. *seq.* Hoc primum assertum docent Sanch. *in decal. lib.* 7. *cap.* 21. *num.* 19. Dicastill. *lib.* 2. *de iusti. tract.* 2. *dub.* 5. *quæst.* 9 *num.* 75. Tambur. *suprà*, §. 3. *num.* 2. & alij communiter. Aliud certum in hac materia est, neminem peccare mortaliter, si seorsim singuli sinè scientia furti alterius modicum ab eodem furati sunt, atquè ideò nullus ex illis obligationem restituendi contraxit sub mortali, sed tantùm sub veniali. Ratio est, quia quamdiu vnus non fuit conscius furtulorum ab alijs commissorum, nequit liberè, & moraliter, nec mortaliter continuari damnum, quod vnus intulit, cum præcedentibus illatis damnis ab alijs. Ita Sanch. *suprà nu.* 20. Tamburin. *loc. cit.* & alij mox citandi.

104 Tota difficultas est, quando quilibet seorsim ex se quid modicum furatur sciens furtula aliorum, quibus furtulis additum suum furtulum infertur damnum notabile proximo; & idem est si multi seorsim accipiunt minimum quid ab vno, sed quilibet est conscius furtulorum ab alijs factorum. Vna sententia dicit, omnes peccare mortaliter, & sub mortali teneri ad restitutionem. Probatur, nam quilibet cooperatur ad proximi notabile damnum, cuius quisquè est causa partialis. Item, quia absurdum est, proximum lædi in bonis suis notabiliter, & neminem dari, qui ad restituendum teneatur sub mortali. Item, quia omnes concurrunt ad illud damnum, quare cùm non sit maior ratio de vno, quàm de alio, omnes erunt in culpa, & obligati ad restituendum, & quidem sub mortali, sicuti mortalis est illorum culpa, cùm damnum sit graue. Hanc sententiam tradunt Sayr. *de censur. lib.* 1. *cap.* 9. *num.* 9. Couarru. *lib.* 1. *variar. cap.* 3. *num.* 12. Pet. Ledesm. 2. *tom. summæ, tract.* 8. *cap.* 21. *in* 3. *diffic. circa quantitatem ad furtum mortale petitam*. Mart. Ledesm. 2. *p* 4. *quæst.* 18. *art.* 8. *ante fin.* Salon. 2. 2. *quæst.* 66 *art.* 6. *controu.* 3. *col.* 2. *vers. sed quæres*. Nauarr. *Summa Hisp. cap.* 17. *num.* 131. Lud. Lop. 1. *part. instruct. conscien. cap.* 93. *quæst.* 1. *dicto* 2. *&* 3. Suar. 5. *tom. in* 3. *part. disp.* 20 *sect.* 2. *nu.* 3. Cordub. *summ. quæst.* 70. *punct.* 1 Medi. *de rest. quæst.* 10. §. *occurrit hic casus, vers. ad* 1. *casum.* Henriq. *lib.* 13. *de excomm. cap.* 17. *num.* 4. Rebell. *de oblig. iust. part.* 1. *lib.* 3. *quæst.* 15. *sect.* 5. *nu.* 41. vbi limitat, nisi magna interpolatione trium, vel quatuor mensium præteritorum fiat. Angles *florib.* 2. *part.* vbi de restitutione, quando quis teneatur ad restitutionem, *art.* 1. *post difficult.* 7. *dub.* 4. Vasq. 1. 2. *quæst.* 88. *art.* 4. *disp.* 146. *cap.* 2. *num.* 5. *&* 6. Petr. Nauar. *lib.* 2. *de restit. cap.* 1. *num.* 44. *vers. ad* 2. *respondeo*.

*deo*. Vt autem sic furantes possint à mortali excusari, volunt aliqui ex allegatis Doctoribus, quòd ignorantia nocumenti ab alijs illati fuerit inuincibilis, nam qui modicum furatus est, ignorauit, nec debuit scire aliorum furta, cùm verisimile non esset alios similia furta fecisse, & sic tenent Sayr. *suprà*, *num*. 10. Corduba, Ludouicus Lopez, & alij.

105 Alia sententia docet, quòd qui surripit aliquid in parua quantitate Petro, à quo alij priùs abstulerunt in notabili quantitate, nec peccat mortaliter, nec sub mortali tenetur restituere, quamuis sciat furtum præcedens aliorum. Suadetur, quia qui sic modicum furatur, infert modicum damnum: ergo ex hoc capite non peccat mortaliter: neque alicui est causa, vel occasio furandi alia modica furta; ergo eius furtum non aggrauatur cum præcedentibus factis ab alijs furibus. Confirmatur, nam si quis sciat alium abstulisse v.g. septem à Petro, & ab isto ille accipiat vnum, quod demus complere materiam grauem, in isto casu grauiùs esset peccatum furantis vnum, quàm illud furantis septem, si vera est sententia, quæ dicit peccare mortaliter, & ad restitutionem teneri sub mortali eum, qui modicum furatur Petro, à quo scit & alios abstulisse modica furta; quæ tamen si vnita cum vltimo furto grauem complent quantitatem, & hoc nouit ipse vltimus fur, qui hoc complementum ponit, in isto tantùm casu peccat mortaliter. Ità Sanch. *in decal. lib*. 7. *cap*. 21. *num*. 22. *ad medium*, cum Nauarr. *lib*. 3. *de restit. cap*. 1. *in noua edit. dub*. 4. *num*. 49.

Sed quamuis in dicto casu sit mortale, & sub mortali sit debita restitutio, tamen talis casus dicitur rarissimus, & moraliter impossibilis ab ipso Sanchez *loc. cit.* vbi notat clarè videri tenere istam sententiam Lessi. *de iusti. lib*. 2. *cap*. 12. *dub*. 9. *nu*. 52. Sot. 4. *dist*. 22. *quæst*. 1. *art*. 2. *col*. 10. *vers. arguitur autem*, vbi expresèe ait, nullum seorsim ab alijs modicum furantem peccasse mortaliter, licèt ex singulis furtulis positis tota vinea deuastata sit, nec factam fuisse lethalem vllius actionem ob damnum postea emergens; deinde subdit teneri solùm ad restitutionem, & quidem sub mortali, quando iubentur restituere sub pœna excommunicationis, quam iustam esse dicit ad tale damnum reparandum, & idem tenent Bartho. Medi. 1. 2. *quæst*. 88. *art*. 4. *ad* 3. & Salon. 2. 2. *quæst*. 2. *art*. 7. *controu*. 1. §. *de participante*.

106 Et vt quantùm fieri potest prolixitatem in hoc paragrapho non augeamus, referendo tamen cuncta necessaria ad plenam dubij solutionem, vt in praxi cognoscatur quando peccatum mortale sit, vrgeantque sub mortali restitutio facienda, & Monitorium notificandi, ac dandi accepta bona iniustè, addita pœna excommunicationis, pono sequentia dicta.

Dictum primum: Licèt aliqui dicant esse mortale, & sub mortali restituendum, vndè & excommunicatio tenet, quando plures ab eodem furantur, quilibet tamen seorsim accipit modicum, sed aduertit sodales, seu alios item modica furta facere, vel fecisse, quæ simul vnita in grauem coalescunt quantitatem: Alij verò affirment esse solùm veniale, cum sola obligatione leui restitutionis, vt videre est apud Tho. Tambur. *in decal. lib*. 8. *tract*. 2. *cap*. 3. §. 3. *num*. 3. & de mea Religione apud Antoni. à Spir. S. *in director. confessarior. tract*. 10. *disp*. 6. *de furto, sect*. 3. *num*. 226. itaut non teneat excommunicatio, nec reseruatio facta in fauorem Domini, quia neutra cadit in peccatum veniale; nihilominus hæc secunda sententia non est approbanda, nisi iuxta limitationes in dictis sequentibus referendas; prima verò sententia non est semper vera, ideo cum distinctionibus sequentium dictorum præsentis difficultatis veritas est indaganda, iuxta quæ dicta Authores adductarum sententiarum sunt intelligendi.

107 Dictum secundum: Si plures ab eodem furantur modicum, sed sine animo continuandi furtula aliorum facit quilibet suum furtulum, aduertens per suum furtulum compleri materiam notabilem ad peccatum mortale petitam, itaut nulla ratione furtulum vltimò positum possit iudicari non vnitum saltem moraliter cum aliorum furtis exiguis, peccat mortaliter, & sub mortali tenetur restituere. Ità docent Nauarr. & Sanch. relati suprà sub *num*. 105.

108 Dictum tertium: Si plures materiam leuem ab eodem furentur, & quilibet scit aliorum furtula dum suum furtulum fecit, nullus peccat mortaliter, nec sub mortali tenetur ad restitutionem, si inter furtulum cuiusque magna intercedit interpolatio, per quam vltimum, vel aliud furtulum non vnitur cum alijs, cum quibus notabilis quantitas resultaret si vnirentur. Huius dicti probatio habetur ex expositis supra *sub num*. 97. *&* 98.

109 Dictum quartum: Qui non aduertens ad furta aliorum surripit modicum ab eo, cui alij surripuerunt, & per illud modicum vltimum completur materia sufficiens ad mortale, non peccat mortaliter, etiamsi magna interpolatio non adsit. Ratio est, quia inaduertentia impedit

dit vnionem cum alijs furtis, ad quæ vltimus fur non aduertit. Ità Sanchez *in decal. lib.* 7. *cap.* 21. *num.* 4. & Tamburin. *in decal. lib.* 3. *cap.* 3. §. 1. *num.* 2.

110 Dictum quintum: Licèt non aduertens ad aliorum furtula, qui vltimum ponit iuxta dicta numero præcedenti, non peccet mortaliter, tenetur tamen sub mortali restituere, quando aduertit se notabiliter proximum damnificasse. Ità colligitur ex Nauarr. & Rebell. *de obligat. iust. part.* 1. *lib.* 3. *quæst.* 14. *sect.* 3. *num.* 34.

111 Dictum sextum: Si quis verisimiliter iudicet alios varia furtula fecisse, quæ grauem component materiam cum notabili damno domini, si modicum & ipse auferat, peccat mortaliter surripiendo tale modicum complens materiam notabilem, etiamsi de facto non detur talis materia notabilis. Ratio est, quia quamuis de facto dominus non damnificetur notabiliter, tamen dictus fur voluit suum furtulum facere, putans verisimiliter suum furtulum complere quãtitatem notabilem cum aliorum furtis minutis: ergo ex prauo animo faciendi furtulum, ex quo damnum graue proximo sit sequuturum, peccauit grauiter. Ad restituendum tamen sub mortali non tenebitur, nisi de facto damnum graue inferatur. Illud tamen in hoc dicto monuerim, non esse scrupulosè damnandum de mortali, nec ad restitutionem obligandum sub pœna peccati mortalis eum, qui in horto, vel vinea modicum furatur, quamuis non solùm verisimiliter, sed certò constet alios item modicum quid abstulisse, nam dominus vineæ, vel horti censetur scire, nec inuitè se habere, quòd amici, parentes, aut similes personæ aliquid minimum accipiant, sed inde nec graue damnum domino resultat. Item sunt excludendi scrupuli, quia etsi verisimiliter plures de eadem vinea modicum furentur, non tamen est verisimile, quòd saltem regulariter dominus notabiliter damnificetur, ideoque re prudenter inspecta attendi debet, an conscientia debeat deponi, per quam posset quis timere, ne modicum auferendo inferat damnum graue domino. Imò scrupulus de mortali potest excludi, quando ignoratur, nec obligatio habetur non ignorandi, an alij furta fecerint, quæ licèt modica, tamen in vnum graue coalescent ex positione vltimi furtuli. Idem vir prudens iudicabit, si qui alij similes casus dentur, attenta semper interpolatione interrumpente, vel non interrumpente iuxta dicta in superioribus *num.* 98.

112 Dictum septimum: Peccat mortaliter, & ad restitutionem sub mortali tenetur, qui rem leuem furatur ei, cui & alij modica abstulerunt, si illos ille aduertenter induxit ad graue damnum, secus si non aduertit, nec aduertere tenebatur. Sed quoad restitutionis obligationem, tenendum est iuxta dicta *num.* 110. De hoc septimo dicto dabimus probationem, imò propositionem damnatam in sequenti Paragrapho omninò legendo.

113 Dictum octauum: Qui sciens dominum fuisse iam grauiter damnificatum per furtula aliorum, seu ex positione vltimi furtuli ab ipso, vel ab alio positi, per quod fuit completa materia sufficiens ad mortale, si iterum aliud furtulum eidem domino faciat, à quo & alij noua furta minuta acceperunt nondum ad materiam grauem pertingentia, peccat mortaliter. Sic Rebell. *de oblig. iust. part.* 1. *lib.* 3. *disp.* 15. *art.* 4. *num.* 38. & Sanchez *in decal. lib.* 7. *cap.* 21. *num.* 7. Ratio est, quia qui surripit aliquid modicum posita iam materia graui furata, vult damnum graue præcedens reddere maius. Confirmatur, quia dominus rationabiliter est magis inuitus. Id tamen debet intelligi, nisi ratione magnæ interpolationis impediatur vniri vltimum nouum furtulum cum præcedenti materia graui, & in hoc sensu sunt fortasse intelligendi illi, qui dicunt esse tàntùm veniale, & isti tacito nomine referuntur à Rebello *loco citato*. Sed dato, quòd absolutè aliqui probabiliter teneãt non esse mortale, prout tenet Vasquez 1. 2. *q.* 88. *art.* 4. *disput.* 146. *cap.* 2. *num.* 5. *&* 6. eò quòd constet à quibus damnum notabile sit illatum, & quinam sub mortali teneãtur restituere, & sic sub mortali non erit restituendum; nec aliqua ratio apparet affirmandi oppositum, maximè quia quamuis vltimus fur restituat furtulum factum non propterea cessat damnum graue iam illatum, & cum Vasquez sentiat Sanchez *in decal. lib.* 7. *cap.* 21. *num.* 24. tamen Nauar. *lib.* 3. *de restit. cap.* 1. *p.* 1. *in nou. edit. dub.* 4. *num.* 50. *&* 51. vult vltimum furem teneri sub mortali restituere modicum, quod surripuit, alijs non resarcientibus præcedens damnum notabile. Ducitur, quia in acceptione omnes illi fures non sunt pares, benè verò in retentione, & ideò non sunt pares in acceptione quia soli priores notabile damnum intulere; in retentione autem sunt pares, quia tam damnificat non restituendo vltimus fur, quàm priores, sicque in retinendo nullus est ordo. Confirmat, nam casu quo priores fures ignati fuerint furti notabilis complendi aliorum furtulis

non

non peccarunt mortaliter furando modica, licèt teneantur sub mortali restituere, quando norunt completam esse ab omnibus notabilem quantitatem, etsi enim notabile damnum non intulerint dum surripuerunt, æquuè postmodum damnificant non restituendo.

115 Ex hactenus dictis poterit quisquè resoluere, quando notificationis, ac restitutionis bonorũ per pauca furtula surreptorum vrgeat obligatio, præcipuè vrgente etiam foro exteriori per monitorium sub pœna excommunicationis, etiam à pari de lata in deuastantes hortos, vel vineas licèt per parua furta. Est ergo tenendum & monitorium vrgere, & in excommunicationem incidere, quotquot peccauerunt mortaliter accipiendo, & retinendo, vel saltem non restituendo, quamuis grauiter non peccauerint accipiendo, prout in superioribus docuimus esse mortale tam accipiendo, quàm retinendo, seu retinendo tantùm. Extat casus notandus vtpote comprehensus in monitorio, scilicet quando per furtula facta pluribus quis mortaliter peccauit accipiendo, & retinendo, vel saltem non restituendo, sed monitorium non est nisi in fauorem vnius ex illis pluribus, qui vnus vt seorsim damnificatus, leue damnũ tantummodo sentit respectiuè, de quo casu dicebamus supra sub *num.* 95. Cùm ergo monitorium attendat reparationem grauis damni alicuius, qui illud patitur ex leuibus furtulis multiplicatis multorum furium, consequenter quilibet tenebitur restituere, & monitorio obedire, licèt seorsim ab alijs furatus sit, & mortaliter non peccauerit. Ità expressè Sotus, Barthol. Medi. & Salon. citati supra *num.* 105. qui omnes docent non esse restituendum modicum acceptum sinè mortali ab eo, cui alij notabile damnum intulerunt, nisi iubeatur restitutio sub pœna excommunicationis, quam dicti Authores vocant iustam ad tale damnum graue reparandum.

116 Circa contractionem excommunicationis latæ in hortos, vel vineas deuastantes, licèt quisquè leue damnum causauerit, est similiter dicendum incurri quoties deuastantes peccauerunt mortaliter accipiendo, & retinendo; vel saltem non restituendo, quamuis lethaliter non peccauerint accipiendo, prout in superioribus diximus esse mortale tam accipiendo, quàm retinendo, seu retinendo tantùm, excommunicatio enim, & reseruatio non cadunt nisi in peccatum mortale, nec afficit ea censura nisi obligatos ad restituendum sub mortali. Ità tenent Petrus Ledesma *2. tom. summ. tract.* 8. *cap.* 21. *in* 4. *difficult. circa quantitatem ad furtum mortale petitam.* Martinus Ledesma 2. *p.* 4. *quæst.* 18. *art* 8. Sayr. *de censur. lib.* 1. *cap.* 9. *num.* 10. Salon. 2. 2. *quæst.* 66. *art.* 6. *controuers.* 3. *col.* 3. Henriq *lib.* 3. *de excommunicat. cap.* 17. *num.* 4. Cordub. *summ quæst.* 70. *punct.* 1. *fin.* Ludou. Lopez 1. *tom. instructor. conscient. cap.* 93. *quæst.* 1. *dicto* 3. Suar. 5 *tom. in* 3. *part. disp.* 20. *sect.* 2. *num.* 3. *&* 5. Nauar. *cap. inter verba, in noua editione. concl.* 6. *coroll.* 19 *num.* 54. & *in summa, cap.* 27. *num.* 9. & *cap. fin. num.* 12. *quæst.* 6. & alij communiter.

Iam latè examinauimus opiniones de obligatione restituendi furta parua commissa, tum iuxta forum animæ, tum iuxta forum contentiosum, maximè promulgato monitorio de notificandis, & restituendis certis bonis certæ personæ, vel certi loci, quare non video aliud superesse dicẽdum pro solutione quæsiti in isto Paragrapho excitati, reiecta doctrina scandalosa propositionis trigesimæ octauæ inter alias ab Innocentio Vndecimo meritissimè damnatas, vt iacet, & in sua nimiùm ampla significatione, sicuti notaui supra *à num.* 90.

## §. XI.

*Resoluitur tertium quæsitum in Paragrapho octauo sub num.* 77. *&* 80.

117 Vltimum dubium petitum in titulo præsentis Decisionis, est circa eum, qui siuè per leuia furtula, siuè per grauia, siuè alio modo non per se, sed per alium infert damnum tertio. Eiusmodi dubium fuit rursus excitatum in Paragrapho octauo *num.* 77. & numero 80. dixi debere resolui attenta doctrina propositionis 39. in serie propositionum, quas Innocentius Papa Vndecimus prohibuit, & damnauit. Tenor dictæ propositionis est iste: *Qui alium mouet, aut inducit ad inferendum graue damnum tertio, non tenetur ad restitutionem istius damni illati.* Hanc propositionem retuli *in decis.* 39. *num.* 18. vbi illius venenum animarum saluti perniciosum detexi; nihilominus in præsenti alia contra eamdem breuiter subdam, quatenus opus est pro dubij propositi solutione.

118 Dictum dubium est, an teneatur restituere, qui per alium surripuit, vel per alium tertio damnum intulit. Ad quod dubium expeditè possunt Confessarij respondere non teneri, si vera esset adducta propositio; & eodem modo posset quisquè vel sibi idem persuadere, vel

alijs consulere, & quod peius est, posset quisquè malitiosè per alium inferre damnum tertio, vt sic effugiat restitutionis obligationem, quantumcumque sit graue illatum damnum ex illius impulsu, seu mediante alio. Sanè hæc omnia posset aliquis vt licita habere, si doctrina tam falsa nõ fuisset sanctissimo zelo à dicto Pontifice condemnata per damnationem allatæ propositionis, quæ ab omnibus verè falsa, & scandalosa, ac meritò damnata dicenda est, si vt iacet secundùm generalem sensum, quem importat accipiatur. Ratio est, quia ità generalis vt iacet non vtitur aliqua distinctione, cùm tamen sit distinguendum de mouente aliũ efficaciter, & de mouente tantùm inefficaciter, si enim quis alium moueat efficaciter ad inferendum graue damnum tertio, erit omninò obligatus restituere, & hoc adeò certum est, vt oppositum affirmare cadat sub damnatione: An autem teneatur restituere, qui tantùm inefficaciter mouet, aut inducit alium ad inferendum graue damnum tertio, relinquitur Doctorum disputationi. Dum ergo in dubio præsentis Paragraphi quæritur, an teneatur restituere, qui per alium surripuit, respondendum est, affirmatiuè, si illum alium mouit, aut induxit efficaciter, & contrarium tueri, seu affirmare nullatenus licet, quia id vetat Innocentius Vndecimus per prohibitionem, & damnationem dictæ propositionis negantis teneri restituere, eò ipso quòd illa propositio generaliter loquitur, & semper deobligat à restituendo, qui alium mouit, ac induxit ad inferendum damnum graue tertio, non facta distinctione de inductione efficaci, vel de inefficaci.

119 Et quòd teneatur efficaciter inducens, probatur à pari de eo, qui de facto infert damnum, iste enim facit contra iustitiam, & quidem mortaliter si grauiter damnificat, vnde & sub mortali tenetur damnum resarcire; quare cùm similiter faciat contra iustitiam, qui alium efficaciter ad tale damnum inducit, est enim causa damni sequuti, sicuti istud causatur ab ipso immediatè inferente; ergo nulla ratione deobligari potest à restituendo ipse inducens efficaciter, & consequenter ad modum causæ, sinè qua damnum illud non eueniret tertio, sic declarant causam efficacem damni Innocent. *in cap. sicut dignum, de hom.* & Hostiensis *ibid.* Altisiodor. *lib. 4. summa, tract. de Sacrament. pœnit. cap. de restit. quæst. 3.* Ricard. *4. dist. 15. art. 5. quæst. 4.* Scotus *4. dist. 15. quæst. 2. art. 3. dub. 2.* Syluest *verb. rest. 3. quæst 6. §. Tertium.* Adrian. *in 4. in materia de restit. in princip. §. Iam dicam.* & fauet Palud. *4. dist. 15. quæst. 2. art. 3.* Nauar. *manual. cap. 17. num. 20.* Petr. de Arag. *2. 2. quæst. 62. art. 7. in initio.* Et quòd efficaciter mouens, & inducens ad damnum, sit vera causa perfectè talis damni, docent Surd. *cons. 312. num. 27.* & Tiraquell. *in tract. cessante causa, limit. 20. num. 28.*

120 Confirmatur, nam influxus, & causalitas in damnum, sunt tota causa restitutionis, prout docent Doctores communiter, & notat ex nostris Anton. à Spiritu Sancto *in consilijs, cons. 61. num. 4.* nullus autem influxus, nullaque causalitas potest dari maior illa, quæ efficaciter mouet, & inducit: ergo falsa, & scandalosa, ac omninò improbabilis est doctrina præadductæ propositionis meritò proindè damnatæ. Hinc ad nostrum dubium danda est prima responsio, quæ est quòd tenetur ad restitutionem sub mortali, qui efficaciter alium mouet, vel inducit ad inferendum graue damnum tertio. Si verò inducit, ac mouet ad inferendum leue damnum, teneretur sub veniali, vt ex se patet, estque adeò certum, vt de mouente efficaciter ad graue damnum, sit damnatum oppositum tenere, non tamen contra damnationem faceret, si non teneri ad restitutionem affirmaret eum, qui efficaciter induxit ad leue damnum, nihilominus doctrinam falsam teneret.

121 Dixi liberum esse Doctoribus disputare, an teneatur restituere, qui alium inefficaciter mouet, & inducit ad inferendum graue damnum tertio, propterea nonnullos subdam casus, vt in praxi sciatur, an faceret contra damnationem, qui in illis à restituendo deobligaret inducentem.

Casus primus: Qui mouet paratissimum ad inferendum damnum, inefficaciter mouet, quia efficaciter mouens applicat, paratissimus autem iam est applicatus, & consequenter qui eum mouet nihil influxi præbet in damnum. Ità communiter DD. cum D. Thom. *2. 2. quæst. 62. art. 7. in corpore*, & habetur *cap. nuper, de senten. excomm.* non ergo tenetur restituere.

122 Casus secundus: Qui consulit minus malum parato facere maius; liber est à restitutione, nec hìc habet locum doctrina damnata, quia sic consulens non mouet ad damnum, sed retrahit, & ad minus malum eligendum quodammodo consulit, in quo nulli facit iniuriam, cùm commodum damnificandi quærat, etiam si illud minus damnum respectiuè ad aliud damnum, à quo retrahit, sit in se absolutè materia grauis. Hæc tamen intellige, dummodo minus malum, quod consulitur, sit inferendum ci-

eidem personæ, quæ maius damnum erat habitura; & dummodo consulens non cooperetur ad talis damni minoris illationem; & dummodo ex se non sit alter paratus solùm damnum minus inferre. Ità DD. *citandi num. seqq.*

123 Casus tertius: Consulens furari centum, sicque alium mouens ad graue damnum inferendum tertió, si talis efficaciter motus accipiat centum, & insuper vltra consilium surripiat alia quinquaginta, non est contra damnationem affirmare, quòd ille mouens non teneatur restituere dicta quinquaginta. Ratio est, quia ad hæc furanda verè non induxit, & ideo nihil nisi centum restituere debebit. Idem est, si parato furari quinquaginta, consulas vt furetur centum; satis enim erit si quinquaginta restituas, non verò centum, nec sic tuetur doctrina damnata, vt patet ex relatis numero antecedenti de parato inferre damnum. Ità Bonaci. *de contract. disp* 1. *quæst.* 2. *punct.* 7. *num.* 13. Rebell. *de oblig. iusti. part.* 1. *lib.* 2. *quæst.* 14. *sect.* 4. *num.* 20. Less. *de iusti. lib.* 2. *cap.* 13. *num.* 7. *& seqq.* Emin. de Lugo *de iusti. disp.* 18. *n.* 9. Villalob. *de iusti. tract.* 11. *diffic.* 7. *n.* 6. & alij.

124 Casus quartus: Mouens, & inducens paratissimum ad inferendum graue damnum tertio v. g. cras, vt illud inferat hodie, an teneatur restituere, liberum est disputare. Hinc aliqui dicunt ad nihil teneri, quia taliter inducens non est causa damni nisi quoad modum, cum substantia esset sequutura. Ità Layman. *in Theol. moral. lib.* 3. *sect.* 5. *tract.* 2. *cap.* 5. *nu.* 5. Less. *loc. cit.* & alij, quos refert, & sequitur tamquam istam sententiam probabilem habentes Diana *part.* 3. *tract.* 5. *res.* 47. Hanc partem tenent etiam D. Thom. *in* 4. *dist.* 15. *quæst.* 1. *art.* 5. *ad* 3. *quæstiunc.* D. Antoninus, Prado, & Dicastillus, quos citat, & sequitur noster Andr. à Matre Dei *de iust. & iure, tract.* 13. *de restit. cap.* 1. *punct.* 5. §. 1. *num.* 111. & numero decimo vocat probabilem sententiam cõtrariam, cuius argumenta soluit *num.* 112. quam sententiam tenet Nauarr. *de rest. lib.* 3. *cap.* 4. *nu.* 15. 35. *&* 67. Med. *C. de rest. quæst.* 7. *&* 8. Sot. *de iust. lib.* 4. *quæst.* 7. *art* 3. Caiet. 2. 2. *quæst.* 62. *art.* 7. Vasq. *opusc. de rest. cap.* 9. §. 1. *dub.* 1. *in fin.* & *dub.* 2. *num.* 32. Malder. 2. 2. *tract.* 4. *cap.* 1. *dub.* 2. Villalob. *summ. tom.* 2. *tract.* 11. *diffic.* 8. & alij. Cùm ergo hic casus spectet ad solum modum damni, per consequens non est ille, de quo extat doctrina damnata. Ex casibus allatis poterit quisquè intelligere quid erit resoluendum in alijs similibus, necnon in præsenti paragrapho.

# DECISIO XCV.

*An peccauerit mortaliter, qui sub habitu tamquam Monialis laruatus, tempore baccanaliorum delatus incedebat intrà pulpitum, & per plateas concionabatur iocalia.*

## Casus, seu Historia XCV.

### SVMMARIVM.

1 *Casus proponitur.*
2. vsquè ad 7 *Vti habitu Monachali, quando sit peccatum, & puniatur.*
8. vsquè ad 13 *An leges pœnales obligent ad culpam.*
14. vsquè ad 18 *De similibus an fiat idem iudicium.*
19. 20. 21. 22 *De excessu, vel moderatione in ludis etiam in Sacris.*
23. 24 *Ad scandalum quid sufficiat.*
25. vsquè ad 38 *Ponuntur variæ actiones, an liceant.*
39. 40. 41 *Famuli an possint seruire heris in actibus malis: Ponitur propositio damnata circa hoc.*
42 *Spernens campanas est suspectus de hæresi.*
43 *Factum ostendit intentionem.*
44 *Delectatio interna quando sit mala.*
45 *Refertur casus similis nostro.*

1 QVemadmodum omnia tempus habẽt, sic & datur tempus ridendi; at hominum peruersitas in excessum prorũpens, in stultitias inexcõgitatas trahit quosdã prudentiores, qui eò se sapientiores student publicare, quò rariora dementiæ nouerint inuenire. Talis apparuit quidam nobilis, qui ad baccanalia celebranda mandauit fabricari pulpitum taliter dispositum, vt in alto continere posset Concionatorem, & sub pedibus Concionatoris contineret quatuor, vel plures baiulos, à quibus Machina cum Cõcionatore portaretur, absquè eò quòd delatores baiuli viderentur. Factum fuit iuxta iussionem, & die vna baccanaliorum comparuit suggestus in plateis, & intrà ipsum quidam laruatus sub habitu tamquam Monialis, & ad Domini nutum delatores sistebant, & magno populorum concursui cuncionabatur iocalia ille laruatus, qui Prædicatoris officium simulabat. Casus fuit delatus ad Episcopum, qui illum examinandum commisit quibusdam Theologis, vt resoluerent circa ipsum.

1. An grauiter peccauerit laruatus sub tali habitu, & iocalia concionando, ac scandalizando.

2. An baiuli peccauerint & ipsi veluti cooperantes peccato, si delatus peccauit.

3. An ex hoc facto exoriatur suspicio de hæresi.

4. An auditores huiusmodi Concionatoris peccauerint annuentes ei, & ridentes.

2 Ad primum dico, quòd vtens habitu religioso in laruis ex sola leuitate, ac sinè ludibrio, seu irrisione, vt fieret inter amicos, & parentes, atquè in domo priuata, non peccat mortaliter. Ratio est, quia id nullo iure vetatur, nimiùmque durum videtur si talis damnetur de culpa lethali. Ita Roderic. *tom. 2. quæstionum regular. quæst. 76. art. 7.* Ideò in quibusdam honestis repræsentationibus aliquando vtitur habitu alicuius Religionis ad repræsentandum aliquem Fundatorem, vel Concionatorem ad fidelium firmitatem in persequutionibus Infidelium, vel ad alia similia exprimenda, nec de hoc sumitur scrupulus nequè de veniali etiam à timoratis, & doctis viris.

3 Confirmatur, nam vti habitu Religioso ob causam irrisionis, infamiæ, vituperij, ac ludibrij prohibetur tamquam quid graue, per Gloss. in *cap. cum decoranda, de vita, & honest.* ergo seclusis similibus causis non erit mortale, vnde in iure non punitur nisi vtens habitu Monachali
4 ad derisum, & vituperium, Authent. *de sanctiss. Episcop. collat. 9.* & consequenter excipiuntur vtentes ex motiuo bono, aut ad summum ex leuitate, qui non grauiter peccant sicut illi, etenim exceptio firmat regulam in contrarium, *l. quæsitum, §. denique, ff. de fundo instr.* gloss. *in rub. de regulis iuris, in 6.*

5 Vtentes habitu Monachali ad se publicè laruandum tempore baccanaliorum, peccant mortaliter, cùm id sit ludibrium, & vituperium in Sanctis rebus, ac in Sanctis Dei. Sic Roderic. *vbi supra*. Et probatur ex impositione pœnæ per *d. authent.* & pœna non im-
6 ponitur nisi ex præsupposita culpa, vt docent D. Thom. 2. 2. *quæst. 108. art. 4.* Sotus *de iust. lib. 1. quæst. 6. art. 5. col. 2. vers. profectò, & vers. verumtamen.* Menoch. *cons. 626. nu 16.* Surd. *decis. 277. num. 19.* Syluest. *ver. pœna, num 25.* quia pœna propriè non dicitur, nisi
7 propter culpam. Sic D. August. *lib. 1. retract. cap. 9.* apud Ludouic. Carbon. *de legib. lib. 8. disp. 1. vers. tertio notandum.* Alphons. de Castro *de lege pœnali, lib. 1. cap. 3.*

8 Nec obstat si dicatur, quòd leges pœnam temporaneam imponentes, quantumcunquè grauis sit talis pœna, hæc non est signũ, velle dictas leges obligare ad culpã, prout tradit Iason, *§. Item, si quis postulante. num. 78. institut. de action.* Nauarrus *Summa, cap. 23. à num. 55. vsque ad 65.* Mathæsilan. *singular. 78.* & alij, quorum neminem damnat Azorius *tom. 1. Institut. moral. lib. 5. cap. 6. quæst. 4. §. qua verò*, imò dicit, quòd si quis eorum opinionem fuerit sequutus, non videtur omnino damnandus, cùm illius authores sint graues, quos & graues Theologi, ac Canonici iuris interpretes sequuntur: ergo per hoc quòd à lege puniatur vtens habitu Monachali, non sequitur ipsum esse reum culpæ. Respondeo enim primò, & dico dari sententiam dicentem in vniuersum, quod
9 omnes leges pœnales, siuè mixtæ, siuè purè pœnales, siuè Ecclesiasticæ, siuè ciuiles, obligant transgressores ad culpam, quando non constat de contraria mente legislatoris, quæ sententia est probabilior, & eam docent Azor. *loc. cit.* Abb. Felin. Dec. & alij, quos refert Couarru. *regula peccatum, 2. part. §. 5. num. 2. & 3.* Syluest. *verb. Inobedientia, fin.* & Armilla. *ibi, num. 2.* Carbon. *de legib. lib. 8. disput. 5. proposit. 6.* Philiarc. *de offic. Sacerdot. tom. 1. par. 2. lib. 3. cap. 2. conclus. 4.* Syluest. *verbo Gabella 3. quæst. 8. §. 22.* Alcozer *lib. de ludo cap. 8.* Sotus *lib. 1. de iust. quæst. 6. art 5.* Tolet. *sum. vbi de peccato mortal. cap. 20. num. 4.* Ioan. Meti. *C. de restitut. quæst. 36. art. 6.* & alij: ergo benè arguitur esse culpam vti habitu Religiosorum ex eo, quòd leges statuant pœnam.

10 Secundò respondeo, & dico dari tertiam opinionem distinguentem pœnas, & dicentem quòd leges pœnales mixtæ inducunt culpam; non tamen leges purè pœnales. Mixtæ sunt illæ, quæ aliquid priùs mandant, deinde transgressoribus assignant pœnam, & huiusmodi le-
11 gum transgressores peccant. At si leges sint purè pœnales, vt sunt illæ à quibus nihil præcipitur, sed tantùm assignatur pœna facientibus, aut non facientibus hoc, vel illud, istæ non obligant ad culpam, nisi in quibusdam casibus. Sic tenent Rosella *verb. Pedagium, num. 9.* Angel. *eod. verb. num. 6. & Inobedientia in fine*. Tabiensis *verb. constitutio. ad fin.* Castro *lib. 1. de leg. pœnal. cap. 8. & 9.* Cordub. *in reg. D. Franc. cap. 10. q. 3. punct. 3.* Dried. *de libert. Christiana, lib. 2. cap. 1. post 2. propositiõ.* at in quibusdam editionibus est *lib. 1. cap. 2. part. 3. art. 3.* Et inter limitationes faciendas pro
12 certis casibus est quando materia est grauis, quia tunc directè ostendit mentem legisla-

13 toris. Ita Couarru. *vbi supra*, *num.* 4. & est grauis materia, quando agitur de tuenda Pietate, ac Religione, sicut expressè notat Azor. *loc. cit. quaest.* 5. *paulò post initium*. Ex quibus sequitur concludendum pro casu nostro, quòd ex pœna à iure assignata contra vtentes habitu Monachorum supponatur culpa, siuè lex ista sit mixta, siuè merè pœnalis, quia grauitas materiæ id suadet, est enim valde contra Religionē, vt habitus Monachalis adducatur in ludricis, atquè vituperio afficiatur. Et iuxta has vltimas duas opiniones probauit Rodericus esse mortale vti habitu Monachali ad se cum ludibrio laruandum, ac contra Pietatis, & Religionis reuerentiam in re graui; propterea etiam exclusa pœna iuris, ratio ipsa suadet esse peccatum graue huiusmodi dedecus habitus Sancti.

14 Quòd autem laruatus in nostro casu non induerit habitum proprium alicuius ordinis Sanctimonialium, sed ipse proprio marte vnum adinuenerit ab alijs distinctum, non excusat eum à culpa graui, cùm de facto habitum Sanctimonialium fuerit imitatus, & comparuerit similis Monialibus. Et quòd peccauerit grauiter, probatur notando, *simile* dici illud, quod in aliquo habet differentiam, sed in pluribus tenet conuenientiam, prout ex Baldo refert Bertazol. *de clauf. instrument. clauf.* 4. *gloss.* 23. *nu.* 2. vndè similis erat habitui Monialium habitus in laruis assumptus, qui quidem in colore non conueniebat cum alijs, tamen in dispositione omnimodam habebat conuenientiam. His po-

15 sitis sic discurro: Nullum simile est idem, per gloss. *in l. quod Nerua*, & *ibi* Bartol. *ff. de positi.* Menoch. *conf.* 406. *num.* 50. & *conf.* 335. *num.* 19. Surd. *de aliment. tit.* 9. *quaest.* 1. *nu.* 4. Idem Menoch. *de arbitr. lib.* 2. *casu* 84. & constat in iure *l. pecuniam, ff. si certum petatur. l. ad similitudinem*, *C. de Episcop.* & *Cler.* §. *sed inter eas, instit. de recept. cap. capitulum, de rescriptis*. & tradit Zabarel. *conf.* 136. Marc. Mantua *conf.* 318.

16 Nihilominus valde simile reputatur idem per Bald. *conf.* 108. *Quidam ciuis, num.* 8. *vers. quapropter de necessitate lib.* 1. Card. Tusch. *practicar. conclus. tom.* 7. *littera S. conclus.* 246. *num.* 6. ergo multa similitudo habitus laruati in præsenti facto cum habitu Monialium, operatur vt reputetur idem, & consequentèr non minùs peccauerit grauiter deferendo talem habitum à se inuentum, ac si proprium induisset alicuius Ordinis in actu ludibrij, & vituperij, prout est inter laruatos incedere in plateis contra debitam reuerentiam Religioni, ac Pietati.

17 Et quemadmodum sinè dubio peccasset lethaliter si proprium habitum sanctimonialis gestasset laruatus; sic ex gestatione similis, iudicandus est similiter in culpa, quia de similibus idem est iudicium, *l. non possunt*, *& l. seq. ff. de legib.* §. *rectè*, *Instit. mandati*. Farinac. *fragment. criminali, p.* 1. *litt. E. num.* 188. Albert. *in tract. de haeretic. q.* 24. *num.* 9.

18 Licèt autem debeat intelligi esse idem iudicium in similibus, quando in vtroquè simili eadem adest ratio, per Farinac. *d. lit. E. nu.* 189. Menoch. *de arbitr. d. casu* 84 *num.* 8. *&* 9. Mascard. *de probat. concl.* 1253. *nu.* 5. Olasch. *Pedemont. decis.* 68. *num.* 9. constat apertè adesse eamdem rationem in delatione habitus Monialium pro vsu laruarum, quamuis variaret in colore; color enim est accidentalium, & dispositio formæ spectat ad substantialia, vndè indutus more Monialium, erat in substantia similis, etsi dissimilis in colore.

19 Similiter peccauit grauiter laruatus sub specie Concionatoris dicendo iocalia, & vt fœmina munus illud exercendo derisoriè in plateis, quia tali modo miscuit sacra prophanis cum graui irreuerentia. Item, quia sic afficiebat contumelijs sanctum officium Apostolicum concionandi, nec non Cathedram in qua Christus per Prædicatores suos veritates diuinas edocet populum, cùm ille laruatus gestare se faceret per plateas intrà suggestum, reddens obiectum irrisionis illud, quod solummodò est venerandum. Item potuit lethalem culpam contrahere in verbis iocalibus, quæ proferebat, si illa erant sacra, sed dicta cum scurrilitate, contumelia, & infamatione. Ratio prædictorum est, nam in ludis, & iocis sicut datur moderatio, ita datur & excessus, & defectus.

20 Excessus autem ex duplici capite potest oriri: Primò ex ipsa specie actionis, quæ assumitur ad ludum; secundò ex circumstantijs. Ex primo capite fit, quòd si actio ipsa est peccaminosa, non desinit esse talis per hoc, quòd ex solo ludo, vel ioco exerceatur, propterea verba, & facta obscæna etiam iocaliter exercita, sunt peccata, & sic lethalis erit excessus in ludo, ac

21 ioco. Eodem modo dicendum est esse grauem excessum iocandi, quando sacra assumuntur, & scurriliter, contumeliosè, ac cum infamia exercentur, licèt venialis culpa possit aliquando tantùm interuenire in istis, si desit scurrilitas, contumelia, infamatio, & irreuerentia talis, qualis videatur grauiter excedere. Sic docet ex D. Thoma Lessi. *de iust. lib.* 4. *cap.* 4. *dub.* 13.

13. *num.* 97. Cùm ergo in facto nostro appareat vndequaquè excessus notabilis, ideò & culpa iudicanda est grauis.

22 Ex circumstantijs potest itidem excessus esse grauis, nempe ratione personæ, loci, temporis, finis, qualitatis ludi, & modi ludendi. Ita Lessi. *loc. cit. nu.* 98. & sanè in nostro casu adest huiusmodi excessus in modo, in qualitate, in tempore, & in loco, cum ludus, seu iocalia facta sint modo sacro, qualitate apostolica, tempore prophano, ac in loco indebito; ergo grauiter peccauit laruatus sub habitu Monialium incedens intrà pulpitum delatus per plateas iocalia concionando.

23 Pariter censeo peccasse grauiter istum laruatum in genere scandali. Ducor, quia scandalum communiter dicitur dictum, aut factum, præbens alteri occasionem spiritualis ruinæ; quapropter cùm facta, & dicta ab isto laruato fuerint publica, videntibus, & audientibus cunctis, ideò scandalum actiuum ipse dedit, cùm potuerint simplices ediscere similia perpetrare, maximè censentes esse licita, vtpote in publicis Christianorum plateis permissa; ergo quantùm est ex parte ipsius personati scandalum actiuum fuit datum, seu occasio spiritualis ruinæ fuit posita, quidquid sit an passiuum scandalum, idest an proximi actualis ruina sit

24 sequuta. Ratio est, nam sufficit ad peccatum scandali, si actio ipsa, aut dictum sint ex sui natura, vel ex circumstantijs talia, vt sufficiant ad spiritualem ruinam alterius: in casu autem nostro verificantur cuncta, nam & actio ex se, & ex circumstantijs apta erat ad inducendum alios in ruinam spiritualem, vt prædixi. Ita communis opinio DD.

25 Ad secundum dico, esse doctrinam generalem circa cooperantes ad alterius peccatum, quòd si actio sit intrinsecè mala, numquam ex quauis iusta causa potest iustificari: Dixi *iusta causa*, non quia hæc iusta sit, sed quia vrgens esse potest, & sic à nonnullis iusta vocari solet, verùm in rei veritate non est iusta, licèt sit vrgens. Sic communiter DD.

26 Quando autem actio est indifferens, tunc ratione, seu causa necessitatis potest præstari non vt cooperatiua ad peccatum, sed vt quid indifferens ad bonum, & malum, & ideò ex sola malitia alterius vtitur in peccatum, & iusta causa quæ adest excusat cooperantem in actionem vt non malam, vtpote indifferentem. Cùm ergo delatio pulpiti, in quo & ficta Monialis portatur publicè per plateas tempore baccanaliorum, sit intrinsecè mala contra Religionem, iudico non fuisse licitum alicui baiulo cooperari in ipsam. Quòd si aliquis dixerit esse indifferentem huiusmodi delationem, ego ei dicam vt ostendat ad quem alium finem possit dirigi, præter finem irreligiosum; & si alium assignabit finem, de facili respondebo non realiter esse talem; vndè ego nullum talem scio inuenire.

27 Dices, Auriga potest portare Dominum suum ad domum concubinæ, vel è contra, si aliquod notabile damnum immineret ipsi aurigæ, vt docet Sanchez *in sum. tom.* 1. *lib.* 1. *cap.* 7. *num.* 25. Imò & ex solo motiuo non amit-

28 tendi lucrum potest auriga tale munus præstare, iuxta Merollam *tom.* 1. *disput.* 2. *cap.* 4. *dub.* 10. *col.* 3. *num.* 280. & hoc est verum, etiamsi sciat Dominum peccaturum cum concubina: ergo & baiuli in nostro casu licitè poterant deducere illum laruatum vel ex motiuo solius lucri, vel à fortiori ad damnum notabile euitandum, cùm præpotens esset ille, qui iubebat deferri. Respondeo negando paritatem, nam auriga exercet quidem munus indifferens, secus autem faciunt baiuli deferentes pulpitum cum Moniali prout in casu, quæ delatio est cooperatio ad rem ex sui natura malam, & ex nullo motiuo indifferentem. Et hoc constat ex officio aurigarum, qui deducunt personas, vt tenentur, easque sistunt in locis iuxta illarum iussiones; quòd si postmodum in talibus locis velint ipsæ peccare, quid de hoc ad aurigas? cessent ipsæ à volitione peccati, & sic ab aurigis ad locum peccandi non erunt delatæ; ergo aurigæ non cooperantur. Oppositum manifestè sequitur in baiulis deferentibus machinam in se malam, & contra Religionem adinuentam, nec ex aliquo bono motiuo inter indifferentes enumerandam.

29 Hinc si adhuc obijciatur non peccare commodantem cubiculum alicui, qui eo vtetur ad fornicandum, vt tradit Merol. *num.* 295. lo-

30 cantem domum meretrici ex iusta causa, quamuis ob loci circumstantiam aliqui sint peccaturi, qui non peccarent, vt tradit idem Merol. *loc. cit.* & cum eo sentit Valentia *tom.* 3. *disp.* 5. *quæst.* 21. *punct.* 4. Salonius *in* 2. 2. *quæst.* 27. *art.* 4. *controuer.* 6. *post* 4 *conclus. co-*

31 *rol.* 3. neque famulum meretricis domum edocendo, vel eamdem fœminam admonendo ex parte Domini, vt illum nocte illa expectet, si hæc à famulo præstentur, ne vtilitatem suam amittat, vt docet Hurtad. *in* 2. 2. *disput.* 10.

32 *diff.* 9. neque pingentem imaginem concubinæ amasio ex sola tamen vrgentissima causa, vt esset

esset mortis metus aut vulneris, iuxta Palaum *tom. 1. tract. 6. disp. 6. punct. 12. num. 6.* ne-
33 què pingentem, vel fabricantem Idolum infideli ex eadem vrgentissima causa, dummodò non petatur in Religionis contemptum, per dictum Palaum *loc. cit. nu. 7.* neque pariter ædi-
34 ficantem Iudæorum Synagogam, cùm eis per-
35 mittatur, iuxta Mendoz. *in 2. 2. disp. 76. sect. 6. §. 181.* sicut & eadem vrgente necessitate agnum vẽdere Iudæo eum immolaturo, vt dicit idem Mendoza *loc. cit. sect. 5. num. 169.* ne-
36 què tandem vendentes aleas, taxillos, chartas-
37 que lusorias iniustè lusuris, per Salas *de empt. dub. 47. num. 2.* aut succos, vanaque ornamenta meretricibus, si vendendi adsit iusta causa, sicut habet Sanchez *in summa, tom. 1. lib. 1. cap. 7. num. 14.* neque ministrantes Episcopo ordi-
38 nanti in peccato, vel Sacerdoti eodem modo celebranti, vt tradit Granado *in 3. p. controuer. 3. tract. 5. disput. vlt. num. 10.* dummodò non possit hoc ministerium commodè recusari, vt
39 quia expelletur à Domino, &c. sicut limitat meritò Ochagauia *de Sacram. in gener. quæst. 24. num. 5.* sic nec peccasse dicendum est baiulos delatores Pulpiti cum Moniali, prout exponitur in præsenti historia. Respondeo, præmittendo doctrinam hodie reprobatam, & damnatam in hac propositione: *Famulus, qui submissis humeris scienter adiuuat herum suum ascendere per fenestras ad stuprandam virginem, & multoties subseruit deferendo scalam, aperiendo ianuam, aut quid simile cooperando, non peccat mortaliter, si id faciat metu notabilis detrimenti, puta ne à Domino malè tractetur, ne toruis oculis aspiciatur, ne domo expellatur*; quæ propositio est 51. inter damnatas ab Innocentio XI.

Sanè plena scandalis est ista propositio, quæ licitum facit cooperari ad peccatum alterius ob aliquam causam etiam leuem. Et vt id apertè ostendam, attendere oportet ad verbum illud *scienter*, quod tollit omnem rationem indifferentiæ, & exprimit limitatam cooperationem famuli ad peccatum heri, qui enim *scienter*, idest quatenus scit, quòd sua actio determinatè adiuuat alium, vt volitum peccatum committat, nihil aliud agere intendit, nisi ad dictum peccatum cooperari. Est autem communis Doctorum sententia, imò & Catholica veritas, numquam licitum esse peccatum etiam minimum admittere ex aliqua causa, quamuis illa esset grauissima, vt v.g. seruandi vitam: ergo nimiùm scandalosè dicit adducta propositio, famulum non peccare mortaliter cooperando ad peccatum mortale domini sui, cùm peccato alterius cooperari sit semper peccatum, prout omnes admittunt, & ex se patet. Dixi doceri in dicta propositione licere sinè mortali cooperari stupro alterius *ob causam etiam leuem*, quia quòd famulus à domino inspiciatur toruis oculis, eò quia noluerit peccato illius cooperari, non apparet res magni detrimenti, sed tantùm leuis momenti.

Meritò igitur fuit damnata propositio adducta, quia vt iacet exprimit cooperationem in peccatum alterius, quod peccatum est mortale, & tamen à mortali excusatur per eiusdem propositionis doctrinam ipse cooperans, dum *scienter* alium adiuuat, & ideò excusatur, quia habet causam; & sic ex duplici scandaloso capite illa propositio est falsa, nempe & quia excusat à peccato cooperantem peccato, & quia assignat causas excusantes. Licèt autẽ damnatio stet solùm pro casu famuli *scienter* adiuuãtis dominum ascendentem ad stuprandam virginem; tamen ex paritate rationis constat idem dicendum de similibus casibus, qui in foro animæ erunt peccata. Vt ergo aliquis verè non peccet, debet eius concursus, seu cooperatio præstari cum actione ex se indifferenti; sed hic, & nunc applicata ad bonum finem, qualis est seruitium domini, &c. at quamuis submittere humeros pedibus heri, vt fenestram intret, sit actio indifferens ex se, non est tamen nisi peccaminosè applicata, si *scienter* humeri submittantur ad intrandam fenestram pro stupro faciendo. Examinent ergo prudentes, quænam actiones indifferentes ex se, ponantur in praxi applicatæ ad bonum finem, easque dicant licere etiam in casibus allatis *à num. 29. vsquè ad præsentem*, nam in hoc sensu liberum est Doctoribus disputare, cùm de hoc non stet damnatio, vnde & pro casu nostro pono numerum sequentem, & in sensu indifferentiæ prædictæ, non verò in sensu cooperationis ad peccandum debent intelligi casus præallegati.

40 Famulus delator internuncij expressi ex parte domini ad concubinam, vt veniat, vel expectet ad peccatum; aut etiam si sola turpia verba deferat, nullo modo excusari potest à culpa cooperationis in peccatum alienum, quia hæc non sunt indifferentia, sed intrinsecè mala, sicut docent Rebell. *part. 1. lib. 1. quæst. 14. sect. 7. num. 53* Sanch *in decal. tom. 1. lib. 1. cap. 7. num. 26.* Molfesi. *in sum. tom. 1. tract. 8. cap. 10. num. 60.* & alij. Vndè ex iusta cau-
41 sa poterunt deferri à famulis epistolæ, aut ver-

ba

ba tantummodò dicentia, vt tali hora adeat talem locum ipsa fœmina, nam ibi erunt domini eorum, quia hæc sunt indifferentia, & nihil turpe continent, iuxta doctrinam Molfes. & Sanch. *loc. cit.* iunctis Azorio *tom. 2. instit. moral. lib. 12. cap. vlt. quæst.* 8. & alijs. Propterea nullo pacto possunt scribere, aut ferre litteras dicentes turpia, vel vocantes ad malum; id enim caret indifferentia. Ergo & baiuli cooperantes ad ferendam machinam intrinsecè malam, omnique indifferentia carentem, fuerunt cooperati ad peccatum illius laruati. Faber autem istius pulpiti, si nihil aliud intendit, nisi actionem indifferentem, & sibi vtilem, tamquam si pro sacro seruitio machinam illam elaboraret, non peccauit, vt de se constat ex dictis.

42 Ad tertium dubium respondeo breuiter, quòd absquè dubio est suspicio de hæresi in facto isto; si enim ad Inquisitorum iurisdictionem spectat casus, in quo aliquis solas campanas sperneret per actionem ingerentem suspicionem, licèt fortassè ex alio motiuo non malo actio illa ponatur, à fortiori est dicendum idem in casu præsenti. Sic ille, qui olim nocte Sabbati Sancti abstulit à quibusdam campanis malleolum, & suspendit in arbore nucum, fuit suspectus in fide, quamuis excusaret se id fecisse ad impediendum ne nimiùm cum ipsius tædio pulsarentur campanæ, & vt induceret, ac corrigeret Religiosos illius Ecclesiæ, ad in posterum abstinendum à nimia frequentia pulsandi eas. Ita Riccius *tom. 1. resol* 423. ergo multò magis suspectus in fide erit laruatus iste, de quo agimus, & cum eo ipsius cooperatores propter delationem pulpiti cum ficta Moniali, ludrica prædicando in publicis plateis, iuxta
43 narrata in casu. Ratio est, quia intentio præsumitur ex facto; vndè cùm factum sit manifestè lu libriosum Religioni, & Fidei, hinc rationabiliter suspicatur de mala intentione tali modo operantium. Videatur Diana *part. 6. tract* 8. *resol.* 9. Faciliùs tamen expurgari possunt ab hæresis suspicione inspectores.

44 Ad quartum, quod ab initio proponebatur, dico potuisse inspicientes, annuentes, & ridentes peccare grauiter, vel non, prout eorum cooperatio, aut delectatio fuit habita. Sed quia credibile est, omnes inspicientes sumpsisse delectationem, & risisse tantummodò ex motiuo modi, aut ingenij in dictis, & factis ab isto laruato, ideò & credibile est non peccasse grauiter, neque aliquem approbasse contemptum Religionis, seu habitus Religiosi. Igitur in hoc est discurrendum iuxta doctrinam communem, quam scribentes tradunt in materia delectationis: sicut enim non est mortale delectari de sola industria à latrone in furto faciendo subtiliter speculata; neque grauiter peccat audiens narrare turpia, & ridens propter acutiem cum qua narrantur, si narrata contemnuntur, & factum; ita nec mortaliter poterant peccare ridentes ad iocalia acutè dicta à laruato, & ita deducitur ex opinione communiter recepta, vt videre est apud DD. præcipuè in De Lugo *de pœnitent. disput. 16. sect. 6. §. 4. per totum*. Less. *de iust. lib. 4. cap. 3. dub. 15. per totam*.

45 Vltimò non reticeam casum similem in quadam Ciuitate à Deo punitum, vt Deus ipse declararet non sinè culpa iocari in similibus. Erant similiter baccanalia, volentesque nonnulli vltima huiusce temporis die funus Principis baccanaliorum celebrare, posuerunt *Carneuale* intrà feretrum veluti mortuum, illudque omnes comitabantur sub laruis, scurrilia, iocaliaue dicentes, dum defunctum efferebant ad sepulchrum. Non erat statua composita *Carneuale* positum in feretro, sed erat vir viuus, qui se mortuum fingebat; verùm fictio veritatem obtinuit, non enim finiuit illa funebris processio, quin priùs verè moreretur fictitiè mortuus; & paulò post Inquisitor illius Ciuitatis omnes personatos in tali funere conuenit, & quod rectum iudicauit, contra ipsos fecit. Ergo à Deo, & à prudenti isto Reuerendissimo Inquisitore docemur nos vera esse hactenus dicta in casus decisione.

---

# DECISIO XCVI.

*An in nullo foro sint culpabiles Artifices, vel alij vocalem orationem recitantes, dum externas operationes exercent: Referuntur plura de oratione permissiuè.*

## Casus, seu Historia XCVI.

### SVMMARIVM.

1 *Casus proponitur.*
2. 3. 4 *Quotuplex, & quid sit Oratio.*
5. *Vsquè ad 16 Oratio quibus conuenit.*
17. *vsquè ad 26 De obligatione, & modo orandi.*
27. *vsquè ad 32 Deus est semper benedicendus.*
33. 34 *Ad orationem spectat, quæ fiunt in Dei laude.*

35 Pec-

35 *Peccator orans an impetret.*
36 *Aliquæ Religiones recitant dum laborant.*

1 NOn leuis insurrexit altercatio inter quẽdam Magistrum spiritualem, & quemdam insignem Concionatorem circà vocales orationes, quas nonnulli dum exterioribus incumbunt actionibus, soli, vel etiam cum Socijs recitant. Quæstio magis magisque exarsit ministrantibus rationum prunas præfati Magistri discipulis, à quibus è Pulpito auditus fuit dictus Concionator doctrinam talem edocere in materia recitandi orationes, qualem eorum Magister mordicus tum dictis, tum scriptis confutabat. Hortabatur Concionator populum, vt etiam in exterioribus occupatus laudaret Deum, nec à vocali oratione cessaret. Dehortabatur Magister quoscumquè in externis actibus occupatos, ne vocaliter orent, quia sic venialiter peccabant. Ratio Magistri meritò ab oratione retrahebat omnes: Rationes Concionatoris iustè omnes ad orationem impellebant: ergo & Concionator, & Magister Dei laudi, ac honori consulebant. Peccatum licèt veniale satagebat eliminare Magister: Cultum Creatoris conabatur astruere Concionator. Lis ista in contradictorio versatur: videlicet est venialis culpa, non est venialis culpa vocalis oratio exercentium externas operationes. Hinc sequitur tantùm alteram partem ex duabus contradictionis esse veram. Igitur an veritas faueat Concionatori, vel Magistro in allata quæstione examinabo in præsenti decisione, & quid iuxta vtrumquè forum sit resoluendum scribam adductis simul nonnullis de Oratione permissiuè.

2 Illud pro certo in primis suppono, quod omnes Doctores fatentur, nempè triplicem dari Orationis speciem. Prima Mentalis, & fit quando sola mente quis orat, & hoc quomodò fiat, declaratur ab Azorio *instit. moral. part. 1. lib. 9. cap. 29. quæst. 3. fin.* Secunda est Vocalis, & fit dum aliquid ore recitatur, vel postulatur. Tertia est Mixta, quia ore, & mente simul oratur.

3 *Oratio* autem ethymologicè dicitur quasi *Oris ratio*, prout ex Cassiodoro notat D. Thomas *2. 2. quæst. 83. art. 1.* Sic *Psal. 118. 13.* canebat Regius Cantor: *Os meum aperui, & attraxi spiritum*, quia scilicet etiam Spiritus non caret ore spirituali, quemadmodum docet Euthymius *in Psal. 33. vers. 1.* de quo ore sumitur illud Psal. 80. *Dilata os tuum, & implebo illud.*

4 Igitur *Oratio* siuè fiat vocaliter, siuè purè mentaliter, siuè mixtè, erit semper *oris ratio*. Definitur autem in communi, quòd sit *Petitio Deo facta tacitè, vel apertè.* Vndè constat dicendum esse, quòd soli Orationi mentali conueniãt definitiones traditæ à dicentibus *Orationem esse ascensum mentis in Deum*. Ita Damascenus *lib. 3. de fide orthod. cap. 24.* & in hoc eodem sensu definita fuit Oratio à D. Augustino *lib. de spiritu, & anima, cap. 50.* & ab Hugone apud Alex. *p. 4. q. 26. m. 1. art. 1.* Gabr. *in Can. Missæ, lect. 61.* Et Glossa, vt aduertit Azor. *vbi supra, quæst. 1.* optimè nouit aliter esse definiendam orationem mentalem, ac vocalem, propterea dicit quòd *Oratio est expressio desiderij ad bonum adipiscendum, & malum fugiendum, per verbum exterius, vel interius*, itaut si fiat *per verbum interius*, oratio dicatur mentalis; vocalis verò si *per verbum exterius*.

5 Traditis iam Orationis speciebus, ethymologia, & definitione tamquam fundamentis necessarijs pro decisione quæstionis propositæ, si petatur, quibus conueniat orare, respondeo conuenire cuicumquè prædito ratione, & intelligentia, subiecto superiori, opulentiori, & potentiori. Ità D. Thomas *loco citato, art. 10.* Gabr. *vbi supra.* Alexand. *p. 4. q. 26. m. 3. art. 4.* & alij. Hinc Angeli, & homines possunt verè orare, nam ratione sunt præditi.

6 Tamen Angeli, vel homines damnati orare non possunt vera oratione, vtpote Fide, & pio in Deum affectu carentes. Ita Palaus *oper. moral. part. 1. disput. 1. punct. 5. num. 6.* vbi aduertit posse tamen aliquid petere à Deo, sicuti Dęmon petiit à Deo, vt permitteret tentare Iob. *Iob. 1. & 2.* & Epulo in inferno sepultus, petitionem fecit, vt Lazarus ad fratres mittetur.

7 Peccator non peccat orando, quamuis obstinatus maneat in complacentia prauæ suæ vitæ. Ratio est, quia opus ex se bonum non fit malum ex hoc præcisè quòd fiat in peccato mortali, vt definitum fuit à Tridentino Concilio; & ità refert Rodriquez *in sum. p. 2. cap. 12. nu. 9.* vbi citat Cord. Nauar. contra Medinam Complutensem.

8 Imò quilibet peccator orare deberet, nam iuxta Suarez *de orat. lib. 1. cap. 22. num. 3. & 4.* probabile est, qùòd meritum de congruo possit inesse orationi peccatoris, quia decet Deum ob orationem humilem moueri ad beneficia aliqua peccatori conferenda. Videatur Castro Palaus *vbi supra, punct. 7. num. 4.* Animalia irrationabilia sunt incapacia orationis, licèt Dauid *Psalm. 146. 9.* dicat: *Qui dat iumentis escam ipsorum, & pullis coruorum inuocantibus eum*, id enim intelligitur de solo

Cccc cla-

clamore ab ipsis prolato ex instinctu naturæ, vt explicat Azor. *supra, q.5.*

10 Animæ Purgatorij quia Charitate sunt præditæ possunt pro se orare, non quidem oratione, quæ gloriæ incrementum mereatur, sed vt

11 à pœnis, quas sustinent liberentur. Pro nobis autem vult communis opinio eas non orare. Sic D.Thomas 2.2.*quæst.*83.*art.*4.*ad* 3. & *in* 4. *distinct.* 15. *quæst.* 4. *art.* 5. *q.* 2. *ad* 2. Alexand. *p.*4.*quæst.*26.*num.*3. *art.* 1 *ad* 4. Nauarr. *in Enchirid. de orat. in prælud. num.* 26. & 29. & ideò Ecclesia non consueuit eas orare. Nihilomi-

12 nus sententia contraria est probabilis, eamque sustinet Bellarminus *lib.*2.*de Purgatorio, cap.* 15. Lessius *de iust. & iure. lib.* 2 *cap.*37.*dub.*5.*num.* 23. Valent. 2.2. *disp.*6 *q.*2.*p.*6. *vers. Quarto assero*. Medina *q.* 5. *de oratione.* Suarez *lib.* 1. *de oratione, cap.* 11. *num.* 16. & alij, inter quos Castro Palaus *vbi supra, punct.* 5. *num.* 8. vbi multas congerit rationes ad huius opinionis fulcimentum. Item Sotus *in* 4. *dist.* 45. *quæst.* 3. *art.* 1. *circa finem.* id non reputat improbabile.

13 Spiritui Sancto euidens est non conuenire orare; quapropter quando Paulus *ad Rom.* 8. scribit: *ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus*, intelligi debet causaliter, non formaliter, scilicet quòd faciat nos taliter postulare, nosque doceat sic orare. Ita Augustinus *in lib. de bono perseuerantia, cap.* 23.

14 Christus in terris existens rogabat verè quà homo, vt notum est. Nunc autem in cælo non orat supplicum more, sed Patri merita sua proponit, vndè non est Christus rogandus à nobis, nisi formula precationis ab Ecclesia communiter recepta; sed Ecclesia non rogat Christum vt oret, sed vt misereatur. Quinimò etiam dum in terris versabatur Christus, rogabatur vt adiuuaret, & misereretur; *Iesu fili Dauid miserere nostri. Domine, salua nos. Matth.* 8.

15 Sanctis conuenit orare tum pro se, tum pro nobis. Pro nobis quidem orant, & est de Fide. Pro seipsis rogant vt semper obtineant bona, quibus actu fruuntur, vt colligitur ex D.Gregorio *lib.*2.*moral.cap.*6. Item pro se orãt, vt corpora sua ad expectatã beatitudinem perueniant. Ita D.August. *lib.* 12. *de Gen. ad literam, cap.*33. Item orant pro eorum gloria accidentali. Sic D.Thomas 2.2. *quæst.* 83. *art.* 11. Videatur Suarez *lib.* 1. *de orat.cap.* 11. *num.* 10. & 11. & *cap.* 23. *num.* 23. Item videatur Azorius *instit. moral. p.* 1. *lib.* 9. *cap.* 29. *quæst.* 9.

16 Viri Sancti veteris testamenti orabant ante, & post obitum, tum pro alijs, tum pro se ipsis. Videatur D.Chrysostomus *hom.* 1. *in epist.* 1. *ad Thess.* D.Gregor. *lib.* 1. *moral. cap.* 12.

17 Post enumerationem eorum, quibus conuenit oratio, seu qui possunt orare, restat sciendum, quòd Oratio cadit sub præcepto diuino, vel naturæ, vel ecclesiastico; nihilominus aliquando liberè exercetur. His omnibus prænotatis respondeo ad quæsitum in titulo, & dico posse quidem contingere, quòd saltem venialis culpa committatur à recitantibus orationes dum actiones exteriores exercent, at falsum est dictam culpam, vel aliquam semper ab ijsdem incurri. Quando autem incurratur, vel non, explico in sequentibus conclusionibus.

18 Prima conclusio: Artifices, vel alij vocaliter orantes ex obligatione de iure diuino, vel naturali sub mortali peccato, mortaliter peccant si voluntariam admittunt distractionem. Ita tenet expressè Lessius *de iust. lib.*2. *dub.* 11. *num.* 62. Ratio est, quia ius diuinum, & naturale possunt obligare ad actus internos, & ideò dum obligant ad orandum, obligant quoquè

19 ad internam attentionem. Idem est si prædicta obligatio sit de orando mentaliter, vel mixtè, imò à fortiori hoc sequitur ex dictis de oratione vocali.

20 Secunda conclusio: Si Artifices, vel alij solo Ecclesiæ præcepto obligentur ad orandũ, & ipsi orent vocaliter incumbentes externis operationibus non incompatibilibus cum attentione, satisfaciunt præcepto, nec mortaliter peccant, vt optimè docet Sanchez *consilior. p.* 2. *lib.*7. *cap.* 2. *dub.* 32. *num.*2. vbi pro hac opinione refert, & sequitur Caietanum, Sotum, Nauarrum, Medinam, & alios. Ratio est, quia Ecclesia maiorem attentionem non potest præcipere iuxta opinionem magis communem.

21 Tertia conclusio: Si ex data iusta causa Artifices, vel alij recitent aliquid ex præcepto Ecclesiæ, & simul prædictas externas operationes faciant, non peccant nec venialiter. Ita Ioseph Angles *floribus, quæst. Theol.* 1. *p. mater. de orat. fol.* 339. & alij, nam illa causa excusat, & præceptum ab Ecclesia ponitur prout ab ipsa exigitur.

22 Quarta conclusio: Si externa operatio orantium ex Ecclesiastica obligatione sit valde tenuis in vi distrahendi; tunc non incurrunt nec culpam venialem. Nauar. *cap. quando, cap.* 13. *num.*49. & alij.

23 Quinta conclusio: Si quis ab Ecclesia obligetur orare, & ipse id præstet peragens externas actiones incompatibiles cum interna attentione, peccat grauiter, nec satisfacit. Ita vno ore fatentur Doctores citra controuersiam.

24 Sex-

24 Sexta conclusio: Si tantùm sub veniali culpa obligetur quis orare ex vi præcepti diuini, vel naturalis, & voluntariè distractus orat, peccat venialiter. Lessius *supra*.

Ex dictis patet quid sit dicendum de orantibus mentaliter, vel vocaliter, aut mixta oratione ex aliquo præcepto. Sed quia dubitatio Magistri, & Concionatoris vergit circa Artifices, vel alios recitantes dum externè operantur, quam recitationem faciunt ex arbitrio, vel ex electione, non ex præcepto, ideò pace Pijssimi Magistri dixerim Concionatorem meritò tenere dictos orantes nec venialiter peccare, & hoc pluribus rationibus, & authoritatibus suadetur iuxta vtrumque forum.

25 Prima authoritas est Lessij, qui *loco citato*, sic ait: ***Si quis non tam intendat orare, quàm pio exercitio recitando precum verba, se occupare, non peccabit, etiamsi spontè alia cogitet, & sæpè orationem interpellet.*** Cùm ergo Artifices, & alij orantes dum externa exercent, orent regulariter vt pio exercitio simul vacent, licèt distrahantur ab operibus, non peccant nec venialiter, nam de isto peccato fatur Lessius, vt videri potest in fonte.

26 Secunda authoritas est doctrina Caramuelis *in Regulā S. Benedicti, seu in Theologia Regular., disput.* 108. *num.* 1379. vbi referens verba Lairuel *in optica Reg. speculo* 57. *Instit.* 8. dicentis præstare silere, quàm indeuotè, & sinè reuerentia recitare, eum sic explicat: ***Præstat tacere, quàm legere cum irreuerentia; meliùs tamen est legere sinè reuerentia, quàm omninò non legere.*** Ergo melius est, quòd externa opera facientes, sinè reuerentia recitent, quàm omninò non recitent, & consequenter ex mente Caramuelis nec venialiter peccant, aliàs meliùs esset, quòd tacerent; ergo in foro interiori benè faciunt recitantes prout in casu.

27 Tertia authoritas est Regij Psaltes, qui *Psal.* 33. *vers.* 1. protestatur dicens: *Benedicam Dominū in omni tempore, semper laus eius in ore meo.* Ex quibus verbis forus exterior deducit, & iudicat deberi Deum laudari in omnibus operibus hominum operariorum, nam dictio *semper* iuncta actui, qui continuè potest fieri, significat *continuè*. Sic Felin. *in proœm. decretal. Rex pacificus, vers. sed & ista*. Cened. *de sing.* 44. *num.* 4. *post initium*. Boer. *decis.* 158. *num.* 6. Corn. *cons.* 171. *num.* 7. *vol.* 2. igitur si continuè potest Deus laudari ab operantibus, isti non peccabunt nec venialiter orando, vt simul pio exercitio se occupent, sicut cum Lessio prædixi *num.* 25.

28 Similiter non dedecet, quòd Operarij in externa operatione occupati recitent in tali, vel tali loco, vbi rumor, & strepitus sit, prout accidit in Molendinis frumentorum, nam *in omni tempore*, est benedicendus Deus, & de tempore ad locum, validum est argumentum. *l. vinum*, & *ibi* Bart. *ff. si certum pet. l. ratio*, §. *si per venditionem*, vbi Bart. *ff. de action. empt.* Euerard. *in topicis legalibus, loco* 40. Decian. *cons.* 8. *num.* 153. *vol.* 1. Feder. de Senis *cons.* 11. *num.* 6. *verb.*
29 *additio*. Steph. Grat. *discept. forens. cap.* 128. *nu.* 8. Tusch. *litt. A. concl.* 505. *num.* 1. *& concl.* 507. *num.* 24. & licere sic vbiquè orare semper suadetur, quia à loco ad tempus valet argumentum. Iason. *in l. admonendi, num.* 201. *ff. de iureiur.* Euerard. *loco* 48. Menoch. *cons.* 132. *num.* 12. Bartol. *in d. l. si vinum*. Decian. *cons.* 11. *nu.* 11. *vol.* 7.

30 Hinc est, nullum committi peccatum à recitantibus horas canonicas dum ventrem exonerant, vt in terminis tenet Sanch. *opuscul. moral. part.* 2. *lib.* 7. *cap.* 2. *dub.* 44. *num* 4. cum alijs.

31 Et quòd Deus sit semper, & in omni loco laudandus iuxta Dauidis Psalmum, diuersimodè exponitur à Doctoribus, cùm impossibie sit humanæ imbecillitati numquam cessare à Dei laude actuali, & videri potest in Lorino *super Psalmum* 33. §. *Hinc*; tamen si quis id continuè faceret, optimè faceret, quia vt fatur Gregorius apud Hug. Car. *hic*: *Dignum est semper gratias agere, quia Deus numquam cessat benefacere*: vndè Eccle. *cap. vlt.* dicitur: *laudabo no-*
32 *men tuum assiduè*, quod aduerbium iuxta Grāmaticos notat temporis continuationem, sicut & apud Iuristas, *l. filium, ff. de ijs, qui sunt sui*, & *ibi* Bald. *cap. Diaconi* 99. *dist. cap.* 1. *de rest. spol.* 46. licèt aliquando significet solam actus frequentiam, *l. Mæuia, ff. de manumiss. testam. cap. fin.* 36. *dist. cap.* 1. *de offic. Archiepiscop.* vbi Hostiensis ità exponit *assiduè*. Igitur Artifices, & alij recitātes dum in exterioribus detinētur, optimè & sinè aliqua culpa id præstant, quod continuè licet præstare, propterea Tobias consulebat *cap.* 3. *Omni tempore benedic Domino*, quod
33 idem est ac orare, quia ad orationem pertinet Gratiarum actio, & quidquid in Dei laudem fit. Ita Gabriel à S. Vincentio *Respon.* 18. *num.* 12. & alij communiter.

34 Nec obstat si dicatur, quòd prædicta vera sunt, si recitantes attendant ad id, quod dicunt, sed non attendunt vtpote applicati ad opera exteriora. Respondeo enim, quòd eò ipso quòd recitant tum vt orent sinè obligatione, tum vt piè se occupent, nullatenus peccant, vt

 dixi

dixi cum Lessio *supra n.* 25. Secundò dico, quòd communiter Artifices occupati in opere incõpatibili cũ attentione, non recitant, sed tantùm cęteri operantes sinè applicatione totius hominis, & in hoc nulla est culpa iuxta dicta, verùm non refert ad culpã venialem inducendã, quòd opus sit incompatibile cum attentione in orantibus sinè obligatione, & hoc probatur rationibus. Primò, quia Oratio vocalis essentialiter distinguitur à mentali, & mixta, vt notaui *nu.* 2. 3. *&* 4. ergo attentio non requiritur in casu
35 nostro. Secundò, nam peccator est auersus à Deo, & tamen potest orare, vt dixi *num.* 8. imò eius oratio semper impetrat, si cum fiducia, perseuerantia, & vera bona petat, vt docet Nauarrus *cons. tom.* 2. *tit. de sent. excommunic. lib.* 5. *cons.* 52. *num.* 16. ergo à fortiori sinè culpa orant cæteri per applicationem ad exteriora distracti in opus bonum, vel ab opere non malo. Tertiò in Cantico trium puerorum *Dan.* 3. omnia opera Domini laudant, benedicunt, & superexaltant eum, & tamen irrationabilia, & insensibilia non attẽdunt ad laudem, quam dicunt; ergo & optimè se gerunt Artifices, & alij orantes prout in casu, & vtinam omnes ita fa-
36 cerent, sicut D. Dominicus, & mea Religio admonet Religiosos vt recitent, dum aliquid in communi faciunt.

---

# DECISIO XCVII.

*An sit fur, vel proprietarius Religiosus, qui petit ab amico eleemosynam cum intentione dandi illam proprio Conuentui, sed postea dedit illam Conuentui alterius Religionis, ad quam volebat transire, vt admitteretur in ea sinè alia prætensione.*

## Casus, seu Historia XCVII.

### SVMMARIVM.

1 *Casus proponitur.*
2 *Declaratur cum iuramento.*
3 4. 5 *Datum quid intelligatur.*
6 *Religiosus cui acquirat.*
7 *Ab effectu ad causam valet argumentum.*
8. 9 10 *Dos est causa pia, in qua pro absenti potest stipulari.*
11. 12 *Religiosus an habeat velle, & nolle.*
13 *Eleemosyna data an possit reuocari.*
14. 15. 16 *Priuilegium quando acquiratur.*
17 *Ad Episcopum spectat cura piorum operum:*
18 *vsque ad* 22 *. Data eleemosyna vni, nequit dari alteri, & quid si a Religioso petatur pro aliquo.*
23 *vsque ad* 27 *Religiosus an possit esse executor.*
28 *vsque ad* 37 *Varia de Religioso petente eleemosynam pro aliquo.*
38 *Soluitur argumentum.*
39 *vsquè ad* 48 *Plura de Religioso quoad paupertatem, etiam in foro externo.*

1 CVm quidam Religiosus in actu Sacramentalis Confessionis, quam audierat cuiusdam diuitis, intellexerit eum teneri restituere magnam pecuniarum quantitatem, rogauit eumdem pænitentem, vt casu quo non cognoscat quibus debeat restituere, cùm pauperibus sit facienda restitutio in tali euentu, ideò optabat quòd ei daret aliquam summam, dandam indigentibus quibusdam, quos ipse Religiosus sciebat. Nonnullis elapsis diebus redijt ille pœnitens ad Confessarium suum, eique centum aureos dedit, vt eos pauperibus elargiretur, prout dixerat se velle facere. Petierat à diuite Religiosus iste illas pecunias cum intentione dandi eas proprio Conuentui, at quia cõtigit, quòd ad aliam Religionem volebat transire, propterea conuenit cum Superioribus illius Religionis, ad quam transitum erat facturus, vt si Conuentui centum aureos in eleemosynam dare fecisset, eum admitterent sinè alia prætensione pecuniarum pro dozzena, pro habitu, atquè nulla de causa. Ita factum fuit, verùm quia ille diues omnia aperuit Superiori Conuentus, in quo Confessus fuerat, propterea dictus Superior nunc prætendit, vt Confessarius, qui centum aureos acceperat antequam transiret ad Religionem, in qua de præsenti est, eosdem restituat Religioni, in qua erat quando illos obtinuit.

Quæritur ergo quid iuris pro vtroquè foro in facto narrato.

2 Et ad puram veritatem indagandam, affirmat cum iuramento Confessarius se petijsse à pænitente illam eleemosynam pro pauperibus, nulla facta expressione Conuentus, Religionis, nominis, nec alterius qualitatis pauperum, quamuis verè intentionem haberet dandi eam Conuentui, in quo tunc erat Religiosus professus. Vlteriùs idem Confessarius cum iuramento affirmat, se pecunias illas accepisse à diuite sinè determinata obligatione erogandi eas Conuentui, vel alijs pauperibus, sed solummodò quia eas petierat pro pauperibus, ideò

diues

diues eas dederat ei. Tertiò item iurat, se eas dedisse Conuentui, in quo nunc est, solo titulo eleemosynæ elargitę ab illo diuite mediante eodem Confessario, qui data tali occasione, procurauit vt illa eleemosyna satisfaceret Religioni, pro ipsius Confessarij transitu ad ipsam.

Hac declaratione facta, persistit primus Conuentus in prætensione, quòd ad ipsum pertingant dicti centum aurei. Primò, quia intentio petentis eam eleemosynam fuit fauore Conuentus, in quo tunc morabatur, & cui illam elargiri determinatè intendebat: ergo non poterant alteri applicari, præterquam ei, pro quo fuerunt requisiti, & petiti aurei accepti, & iuxta petitionem dati: sic colligitur ex *l. 1. ff.*
3 *de condict. causa data*, vbi habetur, quòd datum ex vna causa, si illa causa non sequitur, reuocatur: ergo data eleemosyna ex causa Conuentus, pro quo determinatè fuerat petita, non potest dari nisi eidem Conuentui, aliàs est reuocabilis à domino.

4 Confirmatur, nam causa, est proxima conditioni, vndè sicuti necesse est conditionem purificari, vt dispositio valeat, sic & causam. Calderin. *cons. 56. num. 2. in vltima editione*. aliàs *cons. 1. de translat. Prælat.* Federic. de Senis, *cons. 164. Licet semper, in princip.* & in similibus docent idem Bello. *cons. 3. Curatus Ecclesiæ, in fine, vers. ad secundum*. Geminian. *cons. 96. num. 9. vers. licet enim*. Mandel. *cons. 77. num. 28. & seq.* ergo non purificata conditione, siuè causa, ob quam pœnitens dedit eleemosynam, non potest illa dari ex alia causa ad arbitrium illius, qui non est dominus, & consequenter in præsenti facto cùm causa petendi eleemosynam sit Conuentus A. non est benè data Conuentui B.

5 Confirmatur rursus, nam id habetur pro dato, quod paratum est vt detur. Io. de Imola *cons. 31. ad primum*. ergo vt data erat eleemosyna, quæ parata erat vt daretur Conuentui pro quo fuerat determinatè petita; & sic data postmodum alteri, est veluti furata, vtpote iam propria, & adepta primo Conuentui, cui fuerat parata vt ei daretur, & à quo fuit iniustè ablata ad finem dandi eam Conuentui extraneo.

6 Secundò probatur esse restituendam Conuentui primo eleemosynam præsentis casus; nam Religiosus qui eam acceptauit vsus est ea pro transitu ad aliam Religionem: ergo sibi applicuit dictam eleemosynam antequam transitum faceret, atquè ita illam acquisiuit primo Conuentui, in quo erat Religiosus, qui quidquid acquirit, acquirit Monasterio, & quidquid habet, est Monasterij: Quòd autem dicta eleemosyna reputanda sit primæ Religionis ex eò quia eam sibi applicuerit Religiosus dum esset in illa, arguitur ab effectu, qui est quòd illa inseruiuit ipsi Religioso pro proprijs expensis faciendis in transitu ad secundam religionem; ergo ante transitum dicta eleemosyna erat penes eumdem Religiosum, qui eam retinebat ad propriam commoditatem, seu necessitatem, &
7 hoc conuincitur, nam ab effectu ad causam valet argumentum, *l. non codicillum, C. de testament. cap. at si clerici, in princip. de iudic. cap. cum cessante, de appellationib.* Euerard. *in topicis legalib. loco 77.*

8 Tertiò probatur, & quidem fortiùs, nam fauore causæ piæ potest alter pro alio stipulari per *l. Caius, ff. solut. matrim.* vbi traditur fauore dotis posse alterum alteri stipulari, prout
9 apud Tiraquell. *de priuileg. causæ piæ, priuileg. 114. num. 1.* tenent multi relati ab ipso: & cau-
10 sa pia tantum fauoris habet, quantum causa dotis; ita fusè tradit Euerardus *in loco à dote ad piam causam*. ergo Religiosus petens eleemosynam, eamque recipiens cum intentione dandi eam conuentui suo, censetur pro eodem Conuentu stipulationem fecisse in tali causa pia; non igitur integrum erat eidem Religioso eamdem eleemosynam alteri dare etiam ante acceptationem factam à Conuentu pro quo in causa pia poterat alter quiuis stipulari. Sic docent hanc partem Bald. *l. illud, C. de sacros. Eccles. num. 2.* & *ibi* Paul. *fine*. Iason *l. qui Romæ, §. Flaus, num. 24. & l. stipulatio ista, §. alteri, num. 6. ff. de verb. oblig.* Molin. *lib. 4. de primogen. c. 2. num. 65* Angel. *Instit. de adoptio. §. cum autem, num. 5.* Ioachimus, *Instit. de inutili stipul. §. si quis alteri, num. 8.* Item vltra hos Iurisperitos docent idem ex Canonistis Gutier. *cap. quamuis pactum, in princip. num. 55.* Panormitan. *in proœmio decretal. Gregoriano, parte quæ incipit Gregorius diuiditur, num. 26.* & *ibi* Felin. *parte quæ incipit Gregorius Episcopus. num. 25.*

11 Nec valet obijcere, quòd Religiosus careat velle, & nolle, & sic nequè in causa pia potest pro alio stipulari, nisi expressè sit constitutus ad stipulandum nomine constituentis; vndè in nostro casu non subsistit acceptatio eleemosynæ cum intentione dandi eam Conuentui, quia Conuentus id ignorabat, nec à Conuentu fuerat deputatus ad acceptandum, sicut nequè saltem à Prælato licentiam habebat: ergo non acquisiuit Conuentui, cùm nullus sit actus, cui lex

lex resistit, ex *l. non dubium*, *C. de legib.* Respondetur enim id totum verum esse, si verè lex resisteret in casu nostro; at lex non irritat acceptationem eleemosynæ factam à subdito fauore Conuentus ex vi proprij consensus, nulla præuia facultate petita, imò Conuentus, Prælati, & Religio approbant semper huiusmodi acceptationes eleemosynarum factas per subditos, qui licèt non habeant velle, & nolle,
12 tamen nō carent consensu, vel dissensu naturali, qui sufficiunt ad valorem actus, dum nullo iure irritatur; sic optimè notat Sanchez *in summ. tom. 2. lib. 6. cap. 11. num.* 44. ergo prioris Conuentus erit eleemosyna petita cum intentione dandi eam ipsi, quemadmodum narrat historia præsentis facti, & ideò est restituenda à Conuentu alterius Religionis, ad quam nunc transitum fecit Religiosus vt præfertur.

13 Nihilominus non obstantibus præallegatis fauore prioris Conuentus, in quo erat professus Religiosus nunc transactus ad nouam Religionem, cui dedit eleemosynam, quam petierat cum animo eam elargiendi Conuentui, cuius erat ante transitum, dico, & resoluo casum iuxta sequentes conclusiones.

Conclusio prima. Si Religiosus petijt aliquam eleemosynam ex vi licentiæ expressæ, vel tacitæ vt eam peteret pro Conuentu, tunc eam acquisiuit eidem Conuentui, nec licitè potuit eam alteri dare etiam nomine Domini, qui illam dederat. Ratio est, nam in tali casu fuit ei demandata facultas acceptandi pro mandante; ergo acceptatio fuit pro facultatem concedente, & consequenter non potest ab ipso auferri id, quod nomine, & ex commissione sua fuit acceptatum, nisi ipse committens consensum præbeat dandi alteri, quod iam est suum. Et hoc intelligo etiam si petens eleemosynam non expresserit largienti eam, pro quo, vel pro quibus eam postulet, sufficit enim quòd nomine alterius animo retento petat, vt petitum sit ipsius, si detur.

14 Item probo idem, nam quando mittitur aliquis vt nuncius, se habet iste vt procurator, qui acceptans pro mittente, statim fit irreuocabile acceptatum, etiam absente, vel ignorante ipso, qui misit: ergo eleemosyna nomine Conuentus petita, vt fit quando tacitè, vel expresè habetur venia à Religioso petente, acquiritur eidem Conuentui, sicuti acquiritur priuilegium ei, cui conceditur, statim ac concessio innotescit nuncio misso ad talis priuilegij petitionem faciendam, & ab eodem nuncio acceptatur. Ita Hostiens. *cap. 1. de conces. præb. in 6. col. 5. vers. facultatem*. Anton. *in proœm. decretal. §. Gregorius*, *num. 26.* Tabiena *verb. Indulgentia*, *num. 30. q. 29.* Rosella *eod. verb. num. 8.* Syluester *verb. renunciatio*, *quæst. 4. & verb. priuilegium*, *quæst. vlt.* Et in simili docet Felin. *cap. si cautio*, *de fide instrumen. num. 24.*
15 *vers. primus*. vbi alios referens dicit concessionem absenti parti factam non valere, nisi nomi-
16 ne absentis interuenerit nuncius. Et quoquè in simili tradit Astensis cum Syluestro, *verbo matrimonium 5. quæst. 12.* asserente, idem esse notificare nuncio, ac si notificaretur mittenti nuncium. Et latè hoc tradidi & ego *Decisione 26. per totam*.

17 Et dicta conclusio pariter suadetur ex eò, quòd si quis petat licentiam ab Episcopo, vel ab eius Vicario, vt eleemosynam petat pro determinato paupere, qui hoc ignorat, tamen eidem pauperi nescienti acquiritur eleemosyna pro ipso petita, itaut alteri nequeat applicari, quia Episcopus, & Vicarius censentur concedere petenti eleemosynam, vt eam nomine pauperis determinati possint petere, cùm Episcopo, & Vicario incumbat cura pauperum, & piorum operum, vt patet per *cap. 3. de testament.* & ex Concil. Trident. *sess. 22. cap. 8. & 9. de reformat. & sess. 23. cap 1. de reformat.* Ergo multò magis non potest alteri dari eleemosyna petita à Religioso pro Conuentu, cuius nomine eam petijt, supposito quòd ex vi licen-
18 tiæ saltem tacitæ ipse Religiosus illam petierit. Imò post acceptationem petentis non potest eadem eleemosyna dari alteri neque ab ipso, qui eam elargitus est. Ita Sanch. *in summa*, *lib. 7. cap. 30. num. 9.* Videantur Nauarrus *lib. 3. consilior. titul. de Mendicantibus*, *cons. vnic. num. vnic.* & Manuel *sum. tom. 1. editione 2. cap. 202. num. 2.* Igitur si Confessarius Religiosus in nostro casu petijt eleemosynam pro Conuentu præsumens licentiam, ac petens nomine ipsius, eam acquisiuerat eidem Conuentui, & proinde esset restituenda, nam illicitè fuit data Conuentui alterius Religionis, quæ non potest illam retinere, vtpote furatam cum defectu contra paupertatem.

19 Inde noto obiter, quòd Religionis professus potest esse fur sed non proprietarius; vel proprietarius, sed non fur; vel fur, & proprietarius simul. Tunc est fur tantummodò quando nihil sibi vsurpans perdit rem alienam, vt si combureret segetes alicuius. Tunc erit proprietarius, sed non fur, quando aliquid ei daretur à Domino sæculari cum conditione, vt non acquiratur Monasterio, & ipse Religiosus rem da-

datam sinè licentia teneret, vel consumeret. Tunc autem erit fur, simulque proprietarius, quando rem alienam sibi accipit, & consumit, vel retinet nulla habita licentia. Ex quibus constat esse furem, & proprietarium Religiosum in casu nostro, si eleemosynam petierat pro Conuentu cũ licentia saltem tacita, quia sic accepit postea rẽ alienam, in quo stat ratio furti, cùm esset Conuentui acquisita dicta eleemosyna, quam consumpsit contra paupertatem, tradendo illam Religioni extraneæ, quæ veritate detecta tenetur ad restitutionem. Adeatur Sanchez *in decalog. tom. 2. lib. 7. cap. 20. num. 7. & seqq. vsque ad 10. inclusiuè.*

20 Conclusio secunda: Si Religiosus, vel sæcularis ad instantiam alicuius pauperis petat eleemosynam, vel spontè illam petat pro paupere determinato cum expressione nominis, vel qualitatis eiusdem pauperis; tunc si eleemosynam largiatur ille à quo postulata fuit, acquiritur taliter eidem pauperi, vt alteri non valeat applicari post erogationem; neque ab ipso erogante. Hæc conclusio clarè patet ex dictis in conclusione præcedenti; propterea si Religiosus postulasset eleemosynam ab illo suo pœnitente cum expressione sui Conuentus, constat quòd alteri Religioni non poterat eam dare, vndè data erit restituenda.

21 Conclusio tertia: Si Religiosus petat eleemosynam ab amico, dandi causa eam pauperi, ac pauperibus sub nomine generico expressis, tunc non est fur, nec proprietarius, si animum habeat retinendi sibi eam, dummodò sit verè pauper, & habeat licentiam saltem tacitam; nam sinè licentia sic petens esset proprietarius, sed non fur, quia adest consensus Domini, sed non adest consensus Prælati. Ita Nauar. & Manuel *vbi supra.*

22 Conclusio quarta: Si Religiosus postulet eleemosynam à pœnitente pro pauperibus in genere, vel pro carceribus traditis, itaut ei commissio sit tradita, vt ipse eligat quibus sit danda, vel cui plus, cui minùs; tunc ille qui eleemosynam dedit Religioso ad effectum dictum, non potest illam reuocare sinè consensu Religiosi recipientis, sed iste non peccat contra paupertatem si sinè Superioris sui licentia consensum præstet. Ratio est, quia nec sibi, nec Monasterio acquisitum est illud, de quo fit reuocatio, & ius præstandi talem assensum est merè personale, & tale ac ius acquisitum quando Religiosus acceptaret officiũ executoris testamentarij sinè licentia Superioris, nam in huiusmodi officij executione non esset pro-

23 prietarius, & rectè faceret quamcumquè dispositionem, quamuis omnia præstaret sinè Prælati sui facultate, licèt esset Franciscanus ille Re-

24 ligiosus. Ita ex Theologis Azorius *instit. moral. tom. 1. lib. 12. cap. 11. quæst. 1.* & ex Iurisperitis Menochius *de præsumpt. lib. 2. præsumpt. 46. num. 14.* Roland. à Valle *cons. 24. num. 82. vol. 1.* Fuluius Pacianus *tom. 1. cons. 162. num. 79. & seqq.* Simon de Prætis *de interpretatione vlt. volunt. lib. 5. interpret. 1. dub. 2. num. 25.* Hippolytus *pract. crimin. §. sequitur, num. 13.* & *l. si quis, quæst. 1. num. 11. vers. & facit etiam, ff. de quæst.* & *cons. 19. num. 12.* Alciat. *de præsumpt. resp. 3. præsumpt. 18. num. 3.* Ripa *l. ex facto, §. si quis, 2. num. 5. fine, ff. ad Trebellian.* Decius *regul. in ambiguis, pro dotibus, 85. §. non est, num. 4. ff. de regul. iuris.* Roman. *cons. 409. num. 6.* Federic. *cons. 293. ad fin.* Felin. *c. 2. de iudicijs, num. 6.* & ex Summistis Rosella *verb. religio 1. num. 8.*

25 Limitanda est tamen ista opinio, nisi Superior resistat, ne subditus Religiosus sit executor testamentarius, quæ resistentia non sufficit quòd sit simplex prohibitio, sed deberet irritare voluntatem Religiosi acceptantis, & exequentis executoris munus; & ita benè dicunt Federic. *d. cons. 293.* & Romanus in *singulari 241. vel 245. in secunda edit.*

26 Limitanda est secundò, nisi in iudicio opponatur Religioso exceptio potestatis ad exequendum, propter carentiam licentiæ Prælati, nam stante ista exceptione non valerent gesta ab ipso. Ita Roman. *d. cons. 409. num. 6.* Ripa, Menoch. Roland. à Valle, Iason, & Hippolyt.

27 *loc. cit. supra.* Alij tamen negant posse Religiosum quemlibet sinè licentia Superioris esse executorem testamentarium. Sic Rimінald. iunior *cons. 403. num. 13. vol. 4.* Roderic. *quæstionum canonic. & regular. tom. 3. quæst. 70. art. 1. & tom. 1. quæst. 65. art. 3* Anchar. *Clement. unica num. 2. de testament.* Decius *cons. 494. num. 12. & cons. 499. num. 8. vol. 4.* Franch. *cap. 2. in princip. num. 2. de testament. in 6.* Couarru. *cap. tua nos, num. 2. fin. de testam.* Lælius Zecchius *sum. part. 2. cap. 58. num. 25.* Syluest. *verbo testam. 2. quæst. 2. dicto 3.* Molina *tom. 1. de inst. disput. 247. §. religiosus tamen,* & alij.

28 Conclusio quinta: Si Religiosus petat ab amico eleemosynam pro paupere, sinè alia expressione, tunc poterit eam dare etiam sibi, si habet licentiam, vel cui voluerit ex alijs pauperibus valentibus acquirere, etiam si non petierit licentiam, & in tali casu non est fur, nec

29 proprietarius, cùm sit purè organum, vel delator

tor illius eleemosynæ nomine dantis. Esset tamen fur, si illam erogaret pauperi contra voluntatem Domini, vel quia Dominus vult eam dari alicui determinato, vel quia vetat dari huic, vel illi.

30 Conclusio sexta, & ad rem nostram; Si Religiosus petat eleemosynam cum intentione dandi eam pauperi determinato, sed in petitione illum non nominat, nec indicat aliquo modo, & proprio motu petit eleemosynam illam pro dicto paupere; tunc non est fur, nec proprietarius, si absque alia licentia illam acceptam eleemosynam tribuat pauperi diuerso ab illo, pro quo determinatè petijt. Ratio est, quia ex qua parte est tantummodò delator illius eleemosynæ nomine Domini, qui eam donat, nihil sibi acquirit, nec Monasterio: ergo non est proprietarius. Ex qua parte ipse illam petijt motu proprio pro paupere determinato, iste nullum ius acquisiuit in dictam eleemosynam, & sic si ab eo auferatur, & detur alteri, nihil ipsius aufertur, vndè nec furtum committitur. Et ex qua parte non fuit à petente expressus, nec indicatus pauper, nec eius indigentiæ qualitas, constat quòd ille, qui eleemosynam concessit ipsi Religioso nullum habuit respectum ad istum, vel illum pauperem, sed solùm ad rationem eleemosynæ faciendæ: ergo Religiosus eam acceptans, & postea distribuens alteri pauperi, & non ei pro quo intentionem habuit illam spontè petendi, nihil facit contra voluntatem Domini elargientis, & sic nec in hoc est fur ipse Religiosus, cùm verè faciat iuxta mentem Domini, à quo fuit ei commissa distributio in pauperes. Et quòd omnia sic benè fiant, ac sinè furto, suadetur, quia si quid impediret, vel obstaret, esset quia habuit intentionem in pauperem determinatum ipse

31 Religiosus petens eleemosynam pro ipso; sed hoc non obstat, nam intentio mente retenta nihil operatur in contractibus humanis per *l. cum in plures 62. §. locator horrei, ff. locati*. vbi Bartolus docet expresè, quòd propositum mente conceptum, sed parti non declaratum, nihil releuat: ergo nec in casu nostro releuat, quòd Religiosus mente conceperit pauperem determinatum, sed hunc aliquo modo non indicauit ei, qui eleemosynam largiebatur.

32 Ex dictis in hac vltima conclusione sequitur potuisse Religiosum non dare proprio Conuentui eleemosynam petitam spontè ab ipso sub terminis generalibus, & ei eodem modo concessam, licèt ipse petens interiùs tunc vellet eam dare Conuentui, sed nec ex vi alicuius licentiæ, nec conscio Superiore, nec nomine alterius, petierat eamdem eleemosynam, quam alteri Religioni potuit optimè applicare, mutata intentione. Et sic posse licitè fieri, tenet expresè Sanchez *in summa lib. 7. cap. 30. nu. 12.* ergo Conuentus in quo priùs erat professus Religiosus ille, qui transijt ad aliam Religionem, non habet ius repetendi ab ista dictam eleemosynam, vtpote iure datam, & acceptam. Conuincitur hoc idem ex verbis ipsius Pœnitentis, qui eleemosynam tradidit Confessario, dicit enim se illam dedisse pro indigentibus, & pauperibus, ignorans tamen quibusnam esset illam daturus ipse Confessarius. Item conuincitur, nam nec Conuentus, nec Superior, nec alia lex primæ Religionis obstabant aliquo pacto, quominus subditus ille Confessarius posset eleemosynam nomine Domini distribuere modo adducto: ergo subsistit factum nomine Do-

33 mini, qui per se videtur fecisse, dum per alium fecit, vt constat ex vulgatis textibus *cap. qui alium 72. de regul. iur. lib. 6. cap. mulieres, §. ille verò, de sentent. excomm. l. non ideo, C. de accusation. l. si per alium, ff. ne quis eum, l. ita, §. quòd si quis, ff. de adm. tutor. l. 1. §. deiecisse ff. de vi, & vi arm.* & tradunt Bartol. *cons.* 142. *num. 3. lib. 1.* Duen. *regul.* 378. Roman. *cons.* 94. *Visis ijs, num. 3. vers. ea enim.* Angelus Aretinus *cons. 61. Clarum num. 15. & 16.*

34 Quòd deinde ipse Confessarius ex dictæ eleemosynæ largitione supplere studuerit expensis faciendis pro transitu ad Conuentum, quem sola eleemosyna contentum reddidit, totum fuit industriæ negotium in nullo illicitum, nam non fuit Simoniacum, nihil enim temporale pro spirituali est datum, nec pro ingressu, seu vt admitteretur ad Religionem, sed quia variæ expensæ erant faciendæ pro dozzena, pro habitu, ac pro aliis necessariis ipsi Nouitio, propterea gratis omnes tales expensas ei remisit Conuentus, cui gratis eleemosyna prædicta ab eodem Nouitio fuerat procurata.

Igitur connexa non erant elargitio eleemosynæ, & admissio ad Religionem, neque ex vi pacti, vndè potuisset Religiosus non admitti ad secundam Religionem, etiam si ista iam recepisset eleemosynam; ergo non interuenit pactum iniquum, quòd connecteret admissionem ad Religionem cum erogatione eleemosynæ, etenim connexa dicuntur ea, quæ diuersitate factorum separationem non recipiunt. Deci. *in cap. si duobus, num. 19. de appell. & cons. 33. num. 2.* Boer. *decis. 73. num. 4. & seqq.* Paris. *cons. 66.*

35 *num. 13. cum seqq. vol. 1.* vndè annexa propriè

priè sunt, quæ dependet ab eodem negotio, per Bartol. *in l. Aurel. §. idem, ff. de liber. legat.* Curt. sen. *cons.* 20. *num.* 23. *vers. si ergo.* Mart. *de clausulis p.* 1. *claus.* 28. *in fine*. Quòd si pactum interuenisset, hoc connexionem fecisset tamquam res eiusdem negotij inter admissionem ad Religionem, & eleemosynæ largitionem, siquidem pacto ligatur Deus, & Diabo-
36 lus, & Princeps, & Papa, & Imperator: ita Plot. *cons.* 11. *in princ.* Moron. *de tregua, & pace, quæst.* 17. *num.* 2. apud Barbos. *axiomata Iuris, axiom.* 173. *Pactum, num.* 2. ergo à fortiori ligasset Religionem secundam, vt teneretur recipere Professum in alia, cùm tamen potuerit de facto non recipere, licèt iam esset recepta gratuita eleemosyna. Hinc constat, quòd Religiosus Confessarius, de quo agimus, non sibi applicauerat dictam eleemosynam, quà non est vsus ad expensas pro transitu ad aliam Religionem, sed solùm ex occasione largiendi eam nomine Domini, procurauit vt gratis & ipse induceretur in eo Conuentu, cui tam copiosam eleemosynam & ipse largiebatur alterius nomine. Nulla ergo ratione, nulloque iure, stantibus prædictis prout stant ex iuramento dicti Confessarij, & ex verbis Pœnitentis, potest prior Religio repetere in quouis foro eleemosynam datam, & acceptam à Religione secunda, in qua nunc Professus est idem Confessarius.

37 Et id maximè affirmo, quia Religio secunda est in possessione; ergo non debet spoliari licèt res esset dubia; cùm in dubio melior sit conditio possidentis, *cap. pro possessore, de reg. iur. lib.* 6. *l. si debitor, ff. de pignoribus, l. fin. C. de rei vindicatione. l. qui accusare, C. de edendo, §. retinendæ, vers. commodum, Instit. de interdict.* Tiraquell. *de iure primog q.* 17. *opini.* 11. *nu.* 20. *cum seqq.* Surd. *cons.* 73. *num.* 76. & ità tenent Moralistæ communiter: igitur multò magis non potest spoliari possidens in causa certa, & certa causa est præsens factum, contra quod non probant adducta ab initio.

38 Ideò respondetur ad argumenta, & primò ad ea sub *num.* 2. & 3. & dico ea benè probare pro casu, quo mens petentis eleemosynam fuisset extrinsecè notificata largienti, qui eam dedisset iuxta determinatam petitionem: at hoc non currit in casu nostro, quia petens non expressit, nec indicauit pro quo, vel quali paupere postularet, & reciperet.

Ad Confirmationem sub *num* 4. contentam, do eamdem responsionem, scilicet quòd ex nulla causa determinata eleemosynam dedit ille pœnitens suo Confessario eam petenti. Si ad dicta *num.* 5. respondeo non verificari, quòd illa eleemosyna esset parata vt daretur Conuentui, cui petens eam intendebat dare, plus enim requiritur ad hoc vt parata dicatur res danda, aliàs plura haberentur pro datis per hoc solùm, quòd quis intendat dare, vndè ante quamcumquè acceptationem teneretur dare quisquis semel cogitauit dare, quod non est asserendum, nec admittendum velut absurdum, & nimiùm obligatorium.

Ad rationem *num.* 6. positam patet responsio ex dictis sub *num.* 36. vbi non vt ex causa, sed vt ex occasione dixi Religiosum illum fuisse vsum dicta eleemosyna loco expensarum pro transitu ad aliam Religionem: non ergo currunt in præsenti textus adducti *num.* 7.

Ad dicta *num.* 8 9. & 10. respondeo primò, ea esse vera etiam in nostro casu, si Religiosus verè stipulationem fecisset in causa pia pro Conuentu; at nemini stipulatus est, cùm non dixerit pro quo eleemosynam peteret. Secundò dico, quòd aliqui docent neminem posse pro alio nesciente stipulari etiam in causa pia, i ità cõtra hoc affirmantes adductos *n.* 10. negant aliqui, quos refert Sanchez *de matrim. tom.* 1. *lib.* 1. *disput.* 7. *num.* 10. & Tiraq. *de priuileg. pia causa, priuil.* 114. *num.* 3. manet dubius, an possit quis pro alio stipulari: ergo dato, & non concesso, quòd Religiosus in nostro casu fuerit stipulatus pro Conuentu, talis stipulatio non valeret, & sic eleemosyna non erat adepta Conuentui: Vel dicendum est esse sub dubio an valeret; & ideò nunc melior est conditio possidentis, nempe Religionis ad quam transiuit, proinde non est spolianda possessione sua. Igitur resolutio casus præsentis stat in fauorem Religionis, in quam secundò intrauit iam professus in alia.

39 Sed subiungi posse videtur, datam resolutionem non esse sequendam pro foro externo, licèt suffragetur interno, nam pro foro interno quisquè deponit, & testatur pro se, & contra se, cùm agatur de componenda conscientia cum Deo solo: In foro autem externo si standum esset solis dictis reorum, facilè iustitia euerteretur, sicuti optimè notat Sanchez *lib.* 2. *de matrim. disput.* 45 *num.* 2. ergo non est standum in casu præsentis Religiosi dictis ipsius pro foro externo, in quo certè constat fuisse à Religioso datam eleemosynam alteri Religioni, etiam cum propria vtilitate, videlicet loco expensarum, quas facere debuisset pro transitu ad illam, vndè non est standum di-

ctis ipsius, qui est in culpa.

40 Confirmatur, quia si Religiosus daret pecunias in notabili quantitate alicui sæculari, & inquisitus responderet se illas tantummodò mutuasse, non esset in iudicio externo audiendus, sed damnandus vt fur, & proprietarius simul; ergo nec est audiendus Religiosus Confessarius in nostro casu, dum adducit titulos mentales ipsum excusantes.

41 Ad argumentum respondeo cum eodem Sanchez *lib. 1. de matrim. disput. 5. num. 20. §. tandem probatur*, vbi cum Soto *lib. 4. de iust. quæst. 5. art. 3.* docet, idem in vtroquè foro seruandum esse, quando forus externus non innititur falsæ præsumptioni, nec in pœnam, quæ iudicis sententiam desiderat, damnat. Cùm ergo non agatur de danda pœna per Iudicem in casu nostro, sed solùm an sit restituenda eleemosyna iam acceptata à secunda Religione, aliunde est inuestiganda veritas facti, & iuxta probata constabit consequenter an sit fur, & proprietarius ipse Religiosus, qui eleemosynam receptam applicauit extraneis. Sed quidem in casu nostro nihil est contra Religiosum, nam Superior suus fatetur se omnia ignorasse ante factum: ergo signum certum est, quòd non acquisiuit Conuentui subditus accipiens eleemosynam inscio Superiore datam à sæculari, vt eam nomine suo daret cuicumquè voluerit, prout idem sæcularis testatur dedisse, & commisisse Confessario suo, vt eleemosynam illam pauperibus erogaret, ac per consequens valet quoquè pro foro externo præsens allegatio.

42 Ad confirmationem respondeo, quòd trahit nos extra præsentem casum, cùm aliud sit distribui à subdito pecuniam Conuentus inscio Superiore; & aliud pecuniam datam ab extraneo, in quam Conuentus non habet ius; propterea esset audiendus Religiosus dans rationem in secundo casu, non autem in primo, & ita censeo dicendum esse pro vtroque foro, vndè meritò punitur in externo iudicio Religiosus dans mutuum sinè licentia, licèt ipse affirmet mutuasse, & cum licentia præsumpta, nam in tali casu non attenditur ad mentem, sed ad factum externum, quia agitur de pœna per iudicem infligenda, sicut obseruabat cum Soto Sanchez allegatus numero præcedenti, sicque vt fur, & proprietarius esset damnandus. Ve-
43 rùm aduerto hanc doctrinam currere generaliter pro Religiosis Religionum, in quibus obseruantia viget, vel quibus pecuniarum administratio non conceditur ad vsum particularium Religiosorum. Hinc solent quærere Authores, an peccet contra paupertatem Religiosus dans mutuò, vel commodando res ad vsum
44 ipsi permissas, & respondent negatiuè Lessius *de iust. lib. 2. cap. 41. dub. 9. num. 79. vers. 5.* & Sanchez *in sum. lib. 7. cap. 19. num. 65.* diuersimode tamen, nam Lessius excusat à culpa in rebus parui momenti, & crebrò occurrentibus: Sanchez verò sic ait: *Ego quoquè addo nòn fore mortale, sic commodare res ad proprium vsum destinatas, quando religiosus commodans esset securus de restitutione illarum, ac conseruatione, quia videtur parua materia.* In quibus verbis non ponit Sanchez mutuum, quod transfert dominium, sed tantummodò commodatum, per quod dominium non transfertur; sed fortè intelligit idem dicere de mutuo.

45 Quoad mutuum loquitur expressè Petrus de Ledesma, quem refert, & sequitur Diana *part. 1. tract. de Paupertate Religiosa, resol. 37.* & dicit non esse contra paupertatem mutuare pecuniam alteri Religioso eiusdem conuentus, vel extraneo, stante certitudine restitutionis, quia sic videtur parua materia, & illa pecunia est permissa ad vsum ipsi Religioso. Videatur qualiter in hoc discurrat ipse Ledesma apud Dianam *loc. cit.* Hinc statuendum esse iudico, quòd si agatur de Religioso mutuante pecunias Conuentus, quia ipsi non permittitur vsus pecuniarum, non erit audiendus in foro externo, nec ei credetur, sed vt fur, & proprietarius erit damnandus, quamuis iuret se solùm mutuasse cum præsumpta licentia.

Si verò agatur de Religioso in laxiori Religione, quæ vsum pecuniarum permittit ei, censeo quòd ei esset credendum, si asserat se tantummodò mutuasse, dummodò aliunde non constet oppositum, nec aliam pecuniam mutuauerit, nisi illam ad eius vsum permissam.

Ratio est propter diuersitatem Religionum, nam in strictiori non permittuntur talia mutua, quæ permittuntur in laxiori, nec tantam dicunt deformitatem in ista Religione, sicut in obseruantiori.

46 Et ob istam rationem admitto doctrinam Hieronymi Flammæ, siuè Llamas, *3. part. Methodi, cap. 9. §. 12.* quem citat, & sequitur Fagund. *in præcept. Eccles. præcep. 2. lib. 8. cap. 6. num. 5.* dicentis, posse Religiosos professos eiusdem Ordinis, & Monasterij dare, & accipere mutuò libros, & res cuiuscumque pretij, quarum vsus eis concessus sit, sinè scrupulo furti,
47 benè verò cum veniali inobedientia, si sinè licen-

centia Prælati fiat, & sinè contemptu, & in Re-
48 ligione habente bona in communi, qualis non est familia Franciscana.

Igitur allegata in ista decisione fauent Religioso, & Conuentui secundæ Religionis, ad quam transiuit, quod dico pro vtroquè foro.

# DECISIO XCVIII.

*An Petrus spondens cum Socijs, quòd nemo eum superabit in numero poculorum, potuerit licitè bibere vsquè ad satietatem ob solam voluptatem, at vt sponsionem lucraretur: imò & vsque ad ebrietatem, in qua quia patrem occidit, an potuerit gaudere propter hæreditatem.*

## Casus, seu Historia XCVIII.

### SVMMARIVM.

1 *Casus proponitur.*
2. vsquè ad 20 *An possit esse licita ebrietas: quid sit, & alia de illa.*
21 *Non semper obligant præcepta naturalia, & humana.*
22 *Ad ieiunium an teneatur factus impotens ex concubitu illicito.*
23. 24 *Satisfit obiectioni.*
25. vsquè ad 41 *Propositio damnata circa comedentes, & bibentes ob solam voluptatem, & declaratur quid sit voluptas.*
42. vsquè ad 45 *Propositio damnata circa exercitium operis coniugij ob solam voluptatem.*
46. vsquè ad 49 *Propositio damnata circa osculum factum ob delectationem ex eo exortam.*
50. vsquè ad 54 *Propositio damnata circa gaudentes de parricidio facto in ebrietate.*

1 DIe conuiuij nuptialis celebrati à quodam Illustrissimo Marchione, à quo & plures alij nobiles fuerant inuitati, qui omnes conuenerant secum adductis proprijs famulis, factum est, quòd finita mensa dominorum, isti recreationis causa voluerunt inseruire mensæ famulorum, quorum vnus similiter ea die nupserat, & ad mensam tum noua sponsa eiusdem famuli, tum aliæ famulorum vxores sedebant, & omnia in Villa fiebant. Dum ergo famuli recumberent, vnus ex ipsis nomine Petrus sponsionem contra omnes alios fecit, quòd nemo ipsum superabit in numero poculorum, & quia sponsio Petri fuit contra sexdecim, itaut si vinceret sexdecim duplas reportaret, secus sexdecim alias amitteret, ideò ad damnum notabile tantæ amissionis in famulo euitandum, & ad lucrum pingue obtinendum, bibere debuit vsquè ad ebrietatem inclusiuè. Vrgebat Petrũ ad calices multiplicandos præsentia domini sui, qui sponsionem pariter fecerat cum alio nobili, quòd Petrus seruus ipsius omnes vincet in bibendo, & ideò iste dominus Petri, animabat eum ad bibendum eique dicebat, se eiecturum eum de domo sua, si causa ipsius sponsionem non vincat. Aderat quidam Doctor, qui eidem Petro animum addens, docebat eum ne timeret bibere, quia appetitus naturalis potest in suis actibus naturalibus delectari, imò & ad damnum notabile euitandum licebat ei se inebriare. Bibit Petrus, & inebriatus est, sed citrà ebrietatem Octauius superauit Petrum, qui in ebrietate occidit proprium patrem, sed post ebrietatem ratam habuit occisionem propter hæreditatem consequutam. Hæc historia mihi enixè à quodam Confessario pro responsione fuit per litteras proposita, ad quam latissimè debui respondere, sicuti respondi vt sequitur.

Admodum Reuerende Domine plura sunt resoluenda in antescripta historia, quare vt distinctim singula soluantur, distinctos faciam Paragraphos.

### §. I.

*An interdum sit licita ebrietas.*

2 COnformiter ad præsentem casum fui aliàs requisitus, num liceret Scurræ Principis se inebriare, ne à Principe expelleretur. Respondi cum distinctione: aut enim est inebriandus cum multiplicatione poculorum; aut cum haustu aliquo potente ebrietatem inducere: deindè aut cum notabili incõmodo expelleretur; aut sinè illo. Si cũ notabili incõmodo esset eius expulsio nisi se inebriet cum multiplicatione poculorum, censeo non esse ipsi licitum se inebriare; & consequenter multò magis erit illicitum, si sinè graui incommodo esset eius expulsio. Ratio est, quia si ob aliquam causam licitum est tali scurræ se inebriare, est graue incommodum euitandum; sed tale incommodum potest euitari etiam sinè ebrietate: ergo non licet ebrietate vti ad incommodum tollen-
3 dum. Maior propositio est certa, cùm absolutè loquendo ebrietas sit peccatum mortale ex se, etiamsi non sit assidua, & etiam exclusa om-

ni ratione peccandi ob ipsam, vt docent Valentia 2.2. *disput. 9. quaest. 3. de peccatis temperantiae oppositis, punct. 2. lit. B.* Syluest. *verb. ebrietas, num. 2.* Lessi. *de iust. lib. 4. cap. 3. dub. 3. num. 13.* D. Thom. 2.2. *quaest. 150. art. 1.* & *ibi* Caietan. *art. 2.* D. Hyeron. *cap. 5. epist. ad Galat.* dicens: *Ebriosi regnum Dei non possidebunt.* D. Basil. *hom. 1. de ieiunio*, ibi: *Ebrietas Spiritum Sanctum propellit.* & D. Augustinus *serm. 231. de tempore*: ibi *Quicumquè paenitentiam de ebrietate non egerit, in aeternum profectò peribit.* Minor propositio probatur, nam potest ebrietas fingi, absquè eò quòd tot pocula sumantur, vt verè quis inebrietur; vndè benè sequitur consequentia, nempè non esse licitum se inebriare cum multiplicatione poculorum etiam ad graue damnum vitandum.

4 Et confirmatur, quia ideò licet v. g. Sacerdoti facere Sacrum sinè vestibus requisitis, & sinè lumine, vt dicebam *supra, decisione 89.* ob metum mortis, vel grauis damni, quia nec mortem, nec damnum graue potest aliter euadere: ergo quamuis esset licitum se inebriare multiplicando calices ad mortem vitandam, vel ad graue damnum fugiendum, non erit tamen licitum quando aliter potest consequi intentum.

5 Si autem Scurra Principis esset inebriandus cum potione ad hunc effectum composita, quam nisi sumat expelletur cum graui incommodo, tunc fortè alicui videbitur posse sinè peccato potionem illam bibere; non tamen si sine damno graui esset expellendus. Ratio erit, quia quae non sunt intrinsecè mala, possunt fieri sinè culpa ob mortis metum, & ob notabile damnum euitandum, prout probaui *d. decisione 89. à num 4. vsque ad 7.* ebrietas autem non est adeò intrinsecè mala, quin aliquando li-

6 ceat, scilicet in casu morbi mortalis, nam si à Medicis ebrietas consulatur, tunc licitum est aegrotum inebriari; ita tradit Caietanus 2. 2. *quaest. 150. art. 2. ad 3. & in summa, verbo ebrietas.* Syluest. *eod. verb. quaest. 3.* Armilla *ibi, num. 5.* ergo damnum notabile, sicut & mors vt euitetur, licitum esse videtur inebriari; nam si ad corporis sanitatem, vel ad eam curandam, & conseruandam ex consilio Medicorum, non est lethale peccatum admittere ebrietatem; ita nec videtur esse ad mortem comminatam euitandam, siuè damnum graue fugiendum, cùm videatur eadem ratio. Et fauet huic opinioni Syluester *verb. ieiunium. quaest. 3.* Valentia *vbi supra*, & Fagundez *in quinque praecept. Eccles. praecept. 4. lib. 1. cap. 1. num. 14.* vbi citat etiam Nauarrum, & latiùs probat assertum, maximè quia ebrietas consistit in potu immoderato, & immoderatus non est respectu istius indigentis ad sanitatem suam procurandam, ideoque videntur concedere, quòd neque ad malum graue euitandum, & sic in hoc casu quis se inebriaret tantùm materialiter, non formaliter ex vi propriae intentionis.

7 Confirmatur quòd iste se inebriaret tantùm materialiter, nam *ebrietas est excessus in potando causa voluptatis vsque ad violentam vsus rationis priuationem:* vel aliter eam definiendo, dicitur: *violenta rationis interceptio per nimium potum causa voluptatis assumptum*, ita Lessius *loco citato, num. 13:* vbi deducit ex dictis definitionibus non esse ebrietatem, si vsque ad interceptionem rationis potus sumatur, sed non causa voluptatis, vt si sumeretur causa medicinae: ergo nec erit ebrietas, si potus sumetur ad mortem, vel graue damnum euitandum.

8 Et quia Diana *in summa, verb. inebriari.* dicit esse licitum ad vitandam mortem comminatam inebriari, sicut licitum est ad morbum arcendum, ideò cum Diana ita sentio, sed cum adducta distinctione in praecedentibus numeris. Certum est enim, numquam licere ob mortis comminationem aliquod praeceptum etiam diuinum scriptum non adimplere, si mors possit euitari cum sola fictione v.g. ieiunij non obseruati, vel alterius praecepti; ergo & idem erit in rationis priuatione.

9 Quòd si obijciatur cum Caietano 2.2. *quaest. 150. art. 2.* quem refert, & sequitur Azorius *instit. moral. part. 1. lib. 7. cap. 33. quaest. 5. in fine*, non licere se ebrium facere ad fugiendam Tyranni, vel hostis saeuitiam, quia non sunt facienda mala, vt eueniant bona; vndè quamuis ad euitandum morbum sit licitum vti ebrietate, quia haec per se ordinatur ad illum repellendum, tamen non licebit ea vti ad euitandum malum, ad quod per se illa non est ordinata, vt est malum temporale in iactura bonorum. Respondeo cum Diana *loco citato*, non esse admittendam hanc Caietani distinctionem, nam etiam in alijs casibus non sunt per se ordinata ad vitam tuendam aliqua, vt fractio ieiunii; omissio auditionis missae; sacrificium facere sinè sacris vestibus, & alia huiusmodi, quae nihilominus licitè fiunt ad vitam tuendam, vel ad facultates saluandas, cùm in vitae, & facultatum custodia habeatur ius; quapropter dicerem esse per se ordinata etiam ista ad vitam, vel facultates conseruandas, quatenus hic, &

nunc

nunc talem sumunt, & habent ordinationem. Igitur licitè Scurra sumeret potionem iuxta prædicta: imò si cogeretur lances multiplicare etiam postquam ebrietatem fingit, & hoc vel quia eius fictio cognoscitur, vel quia maior ebrietas in illo desideratur, tum ad mortem comminatam fugiendam, seu ad euitandum notabile damnum poterit licitè potum multiplicare, etiamsi verè ad ebrietatem perueniret; & in hoc casu puto loquutum fuisse Dianam *vbi supra*. Ratio est, nam in isto casu sola simulatio ebrietatis non est sufficiens ad tuendam vitam, vel ad damnum arcendum.

10 Si adhuc objiciatur, quòd licitum sit eidem Scurræ calices multiplicare ad nutum Principis, si bibat non causa voluptatis, quia hæc exigitur ad rationem ebrietatis: respondeo non esse licitum bibere cùm interceptione rationis, etiamsi non ad voluptatem poculorum fiat multiplicatio. Imò maius peccatum esset sic sibi adimere rationem sinè causa, & omninò irrationabiliter, quàm quando ex voluptate inebriatur, & ad ebrietatem propriè talē inducitur, quæ fit in potione. Dixi *esse maius peccatum*, sed hoc intelligo quantùm est ex parte irrationabilitatis in bibendo, nam ex parte delectationis captæ in haustibus, ebrietas maiorem continet malitiam.

11 Principes autem incitantes Scurras suos ad ebrietatem, numquam possunt excusari à graui peccato, siuè illa sequatur, siuè non. Ratio est, quia si inebriatio est in se peccatum, est etiam peccatum inducere alios ad illam sinè iusta causa; & hoc quod dico de Principibus, verificatur etiam de quolibet alio, & ita docet Syluest. *verbo Ebrietas*, *num*. 3. Fagundez *vbi supra*, *num*. 12. Azorius *loco citato*, & alij.

12 Nec valet dicere: possunt Medici ebrietatem consulere in bonum illius, qui debet inebriari; ergo poterunt etiam alij ob vtilitatem ipsius inebriantis inducere istum ad ebrietatem: cùm ergo sit valde vtile v.g. scurræ, quòd non expellatur à Principe, iste poterit scurræ suo ebrietatem imponere, ne ab ipsius seruitio, & gratia excludatur. Respondeo enim, & euidenter constat non subsistere paritatem; nam Medici consulunt ebrietatem ad repellendum malum, quod alio modo iudicant non posse repelli; & tale malum non est in Medicorum arbitrio auferre ab ægro sinè ipsa ebrietate, ac propterea benè consulunt ebrietatem, & sinè culpa ad illam inducunt. Cæteri verò ebrietatem consulentes alicui, si malum comminatum vult consultus effugere, sunt causa talis mali, & in eorum arbitrio stat illud impedire sinè ebrietatis impositione, & sic ex eorum malitia, & culpa prætenditur illicitè ebrietas aliena, quam alter ob propriam necessitatem potest ex suppositione mali imminentis inculpabiliter sibi inferre modis tamen in superioribus numeris cum distinctione allatis.

13 Notandum nihilominus est, quòd ordinariè loquendo Pietas Principum non exigit veram ebrietatem, etiamsi ebrietatis vocabulo vtantur cum suis Scurris, sed tantùm volunt eos lætos fieri ex abundantia vini, & in hoc non est peccatum mortale. Ratio est, quia quoadusque quis ex poculorum multiplicatione non perdit rationem, itaut non cesset à cognitione secernendi malum à bono, iste ex hoc capite

14 grauiter non peccauit, quamuis videatur ipsi, quòd domus in gyrum moueatur; & quamuis tremulis cruribus sentiat se stare, aliaque similia patiatur citrà rationis ademptionem. Sic tenent hanc intemperantiam esse solummodò venialem, Caietan. Valent. Syluest. Fagund. & alii locis præallegatis. Caueatur tamen ne ad huiusmodi intemperantiæ gradum velit quis se extendere, vel alterum extendi, nam valdè periculosa est, & à graui culpa vix distare videtur, licèt verè distet, nec sit nisi venialis, nisi vel periculum contemnatur, nec illud adesse quis curet; vel nisi de facto ad excessum assignatum pertingatur, quia tunc erit lethalis culpa vel solus amor periculi, vel transitus ad excessum grauem iuxta prædicta.

15 Ex nimietate potus, si aliquis incideret in ebrietatem non præuisam, sed bona fide bibebat putans se nullum inde subiturum nocumen-

16 tum, non erit de lethali damnandus. Nullo tamen pacto excusari possunt, illi qui in Aquilonaribus plagis præ cæteris populis aliarum nationum ebrietati studēt tum propriæ; tum in alijs, censentes id licere vel quia consuetum est ipsis inebriari; vel quia sciunt se nullum commissuros malum in illo statu priuationis rationis, quam sibi ad tempus per potum adimere autumnat non esse peccatum eo prorsus modo, quo & somnum ex voluntate assumere. Id inquam nullatenus veritati consentit, nec sinè graui culpa admittitur, cùm consuetudo non destruat essentias vitiorum virtutibus oppositorum, quorum vnum est ebrietas opposita temperantiæ, ac sobrietati. Somnus autem ex se constat esse quid naturale, ebrietas autem est violenta, vndè diuersimodè sequitur carentia rationis ab ebrietate, ac à somno, & proindè in somno non est culpa, in ebrietate verò sem-

semper interuenit, si sit intenta, vel præuisa. Videatur Fagundez *in præcept. Eccles. præcept. 4. lib. 1. cap. 1. num. 10.*

17 Igitur ex dictis ebrietas est peccatum inter Aquilonares, sicut est inter Orientales, Occidentales, necnon & Meridionales, ideò doctrinam prædictam tradidi vniuersaliter, & ex ea casus particulares resoluere de facili quisquè poterit. Sic & casus Petri, de quo in præsenti Historia examen fit, an ob damnum vitandum licitè potuerit inebriari, ad quem respondendum est dupliciter, quia de duplici genere dãni agitur in facto ipsius Petri. Vnum damnum est illud, quod ei comminatur à domino suo; & quantùm est ex hoc capite, idem omninò dicendum est, quòd dixi de Scurra Principis; nam proportionabiliter se habet seruus ad dominum, ac Scurra ad Principem, Scurra namquè est & ipse seruus.

18 Aliud damnum, quod imminet Petro, est illud perdendi sponsionem, quam liberè fecit, & simul non obtinendi pingue lucrum si non vincat socios in multiplicatione poculorum. Et ad istud damnum vitandum, vel lucrum reportandum, dico nullo modo licere sibi ebrietatem inferre. Ratio est, quia propriæ voluptatis electioni, & consequenter sibi soli imputare debet damnum suum ipse Petrus, si perdere debet, ne se inebriet: ergo non excusatur à peccato, si cum hac intentione bibendi vsque ad ebrietatem inclusiuè ne perdat, sed vincat, sponsionem fecerat. Probatur hoc, nam nemo potest sibi præfigere, damnum velle euitare per fas, & nefas; at sic decernit facere ille, qui vel cum ebrietate, vel sinè vult dãnum euitare, ad quod propria spontè se exposuit: ergo non est sinè culpa intenta ebrietas

19 isto modo à Petro. Item, quia si quis sponsionem faciat cum alio, quòd loquetur cum Principe dum iste sedet ad cænandum, & intenderet id facere quamuis deberet cum ipso cænare, & frangere ieiunium, talis spondens certè peccaret ex eò quòd sit paratus ieiunium frangere, vt sponsionem vincat: ergo & idem est de volente se inebriare, ne perdat sponsionem. Et hæc adeò vera sunt, vt peccatum iam commiserint tum paratus non ieiunare, tum paratus se inebriare; etiamsi de facto & ille ieiunet, & iste ab ebrietate se conseruet immunem.

20 Quòd si Petrus bona fide sponsionem fecit citra intentionem se inebriandi, verùm in facto videt se fore victorem si bibat sumens adhuc aliquem calicem, ex quo ebrietas sequetur; dico ei licere in isto casu bibere cum ebrietate, vt damnum notabile euitet. Ducor, nam præcepta naturalia, & humana, quæ intrinsecè mala non sunt, non obligant nec in casu mortis, nec in casu minoris mali; vndè necessitas, vel vtilitas excusant à ieiunio, ab auditione Missæ,

21 & ab huiusmodi præceptis, ità tamen vt maior vtilitas, ac necessitas requiratur, vbi dignius est præceptum, & maior obligatio, vt tradit Sanchez *in summa, tom. 1. lib. 1. cap. 18. num. 16.* ergo necessitas euitandi graue damnum excusat à culpa, si quis bibat ad ebrietatem, quæ licitè adhibetur etiam in casu necessitatis tuendi sanitatem iuxta supradicta.

22 Confirmatur, nam si quis ex conuersatione cum concubina in die ieiunij contrahat necessitatem cænandi non obstante prandio iam sumpto, iste licitè cænabit, si sinè fraude ieiunii factus est impotens ad illud seruandum, prout docet Medina *1. 2. quæst. 77. art. 7.* & *lib. 1. summæ, cap. 14. §. 10.* ergo si sinè fraude temperantiæ, atquè sobrietatis incidat quis in necessitatem bibendi ad ebrietatem, licitè bibet, & inebriabitur, quapropter cùm talis necessitas superuenerit Petro, de quo in casu, sine culpa factus erit ebrius.

23 Dices: ideò licet bibere ad ebrietatem pro sanitate tuenda, quia tunc potus non est immoderatus isti indigenti tanta quãtitate; at bibens pro damno euitando in facultatibus, si bibat ad ebrietatem, potus in isto est immoderatus. Respondeo, quòd sicuti ratio euitãdi damnum corporis facit non esse immoderatum inebriantem potum, sic & ratio euitandi damnum notabile in facultatibus, facit non esse immoderatum, bibere ad ebrietatem. Suadetur hoc à paritate in aliis præceptis, vt v. g. in ieiunio, in quo necessitas corporalis facit, quòd non manducet ad excessum ille, qui non seruat ieiunium; & similiter necessitas damni vitandi in facultatibus, facit, quòd ad excessum non manducet ille, qui ob talem necessitatem ieiunium transgreditur: ergo necessitas vera, licèt non corporalis, facit non bibere immoderatè illum, qui ob dictam necessitatem se ine-

24 briat. Vlteriùs id confirmatur, nam quæcumque vera necessitas consistens in facultatibus, reputatur necessitas corporalis, & sic bona temporalia dicuntur sanguis, & vita hominum, & ideò in notabili quantitate possunt tueri nonminùs ac vita ipsa etiam cum amissione vitæ alterius, qui bona illa vellet à nobis iniustè eripere: Sic in mea Decisione 92. *num.* 20. notaui cum Glossa *in l. Aduocati, C. de aduocat. diuer. iud.* ergo quemadmodũ ebrietas licita est pro cor-

corporali damno euitando; erit similiter licita pro euitando damno notabili in bonis fortunæ, ob identitatem rationis adductæ.

Hinc in allata historia est culpabilis dominus Petri, dum ad ebrietatem illum animauit ob metum ei iniustè illatum de ipsius expulsione ab eius seruitio, cum damno notabili eiusdem Petri. Qui Petrus non potuit sponsionem facere cum animo parato ad se inebriandum, licèt in facti contingentia videns propriam necessitatem grauem potuerit ad ebrietatem pocula multiplicare a seipso, etiamsi dominus nullum ei metum inferret, & consequenter à fortiori stante graui metu, supposito semper notabili damno.

Fateor me non vidisse Doctores agentes an liceat se inebriare ad euitandum graue damnum iudicio prudentium, sed quod docent pro vitanda morte, potest extendi ad dictum damnum iuxta dicenda *num.* 41.

## §. II.

***An liceat comedere, & bibere ad satietatem propter voluptatem, & ad lucrandam sponsionem.***

25 Facto examine in antecedenti Paragrapho an licitum sit se, aut alium inebriare ex data causa lucri, sanitatis, &c. vel sinè causa; restat vt videamus an ob lucrandam sponsionem, ac propter voluptatem licuerit spondentibus in præsentis Decisionis casu bibere, & comedere vsque ad satietatem sinè fame, & sinè siti, sed propter voluptatem. Dubium istud non est contemnendum, cùm, prout videbimus, non careat culpa taliter comedere, & bibere. Nihilominus vt certa ab incertis separemus, & quid de hoc dubio sit resoluendum siue contra siue in fauorem, necesse omninò est pro veræ resolutionis fundamento scire doctrinam de hac materia damnatam ab Innocentio Papa Vndecimo per damnationem propositionis octauæ inter cæteras, quas ipse damnauit, quæ propositio est ista: *Comedere, & bibere vsque ad satietatem ob solam voluptatem, non est peccatum, modò non obsit valetudini, quia licitè potest*
26 *appetitus naturalis suis actibus frui*. Pro cuius propositionis intelligentia, atque vt quàm meritò fuerit damnata appareat, notandum est, quòd in voluptate gustus concurrunt quatuor. Primum est, sapor, seu dulcedo cibi, ac potus. Secundum est, facultas gustandi, qua cibi, & potus dulcedo percipitur. Tertium est amor, illius dulcedinis, seu propensio affectus in illam. Quartum est oblectatio, quæ oritur ex sensu, seu perceptione dulcedinis, & eius affectu. Ita Lessius *de summo Bono, lib. 2. cap. 15.*
27 *num.* 125. Ad constituendam verò voluptatem, seu delectationem concurrunt quinquè. Primum est, subiectum, nimirum vis concupiscibilis; Secundum est, obiectum potentiæ consentaneum. Tertium est, coniunctio eiusdem obiecti cum potentia. Quartum est, cognitio obiecti adepti congruentis naturæ. Quintum est, immutatio appetitus, quæ oritur ex cognitione obiecti adepti, & in hoc formaliter stat ipsa delectatio, seu voluptas. Hæc ab Aristot. 2. *Rethoric. cap.* 10. definitur his verbis:
28 *Delectatio est quidam motus animæ, & constitutio simul tota, & sensibilis in naturam existentem.* Sed clariùs alij eam sic definiunt: *Voluptas est iucundus motus cum sensu.* In quibus definitionibus nulla ponitur differentia, cùm ista sit innominata, quia de varijs obiectis ab appetitu variarum potentiarum, seu variorum sensuum potest voluptas denominari.

29 Vlteriùs diuiditur voluptas, seu delectatio in duplex membrum; nam vna delectatio est sola quies potentiæ cum suo obiecto coniunctæ, vt cùm intellectus coniungitur cum vero, & hæc non est operatio ab intellectu distincta, & est idem de alijs potentijs, quæ perficiuntur sua operatione, qua & delectantur. Alia delectatio est actus appetitiuæ potentiæ, quia delectamur de quocumque obiecto adepto per quamcumque operationem, & ista delectatio adhuc est duplex, vna *naturalis*, quæ sequitur apprehensionem sensitiuam, vt est in brutis: alia *rationalis*, quæ consequitur apprehensionem rationalem, & hæc propriè vocatur *Gaudium*; illa dicitur *sensitiua*; & hæc *intellectiua*, quæ diuisio est formalis, idest generis in veras species. Cæteræ diuisiones sunt materiales, vt diuisio iuxta varios sensus, quibus delectamur; similiter aliquæ dicuntur secundùm naturam, aliæ secundum prauam dispositionem, seu habitum corporis, veluti si quis delectetur esu carbonum, terræ, calcis, &c.

30 Ex data diuisione voluptatis, quæ moraliter loquẽdo exprimitur vocabulo *Gaudij, Lætitiæ, & Fruitionis, &c.* vt in Beatis, aduertendum venit, quòd in prædicta propositione damnata, ideò dicitur non esse peccatum mortale comedere, & bibere vsque ad satietatem ob solam voluptatem citra valetudinis nocumentum, *quia licitum est appetitui naturali suis actibus frui*, vndè docet eadem propositio licere generatim cuicumquè appetitui naturali

suis

suis actibus frui; seu voluptatem sibi naturaliter correspondentem accipere, & sic etiam Gulæ id licitum est: hunc sensum habet dicta propositio, ex qua infertur dubium, an nomine *appetitus naturalis* veniat *appetitus sensitiuus*, necnon & *rationalis*, idest voluntas, quæ est potentia naturalis, ac etiam intellectus, qui naturaliter appetit scire iuxta illud: *Omnis homo naturaliter appetit scire*. Et vt ad hoc dubium respondeam, præmitto in quo sensu illa propositio sit damnata. Est ergo damnata vt iacet, ac in sua ampla significatione, secundùm quam duo dicit: Primum est, quòd nullum sit peccatum comedere, & bibere vsque ad satietatem, modò non obsit valetudini. Secundum est, quòd appetitus naturalis licitè potest suis actibus frui. Sed primum tam amplè traditum, scandalosè dicitur, nam non distinguit de satietatate solius famis, & sitis, & de satietate, quæ propè est ad nauseam, & vomitum ratione cuius satietatis iam nihil ampliùs potest comedi, ac bibi. Si loquamur de satietate famis, & sitis, etiam cum voluptate concomitante cibum, & potum iuxta necessitatem naturæ, illa nec nocebit valetudini, nec erit aliquo modo peccaminosa, & in ista significatione adducta propositio est vera quoad primam partem. Cæterùm comedere, & bibere ob solam voluptatem, non ob necessitatem sustentationis vitæ, ac vsque ad satietatem proximã nauseæ, seu excedentem naturalem indigentiam naturæ propter quam factus est cibus, & potus, numquam erit sinè peccato saltem veniali, licèt non obsit valetudini, ideoque falsum dicit, & scandalosa est prima pars dictæ propositionis, dum de quacumquè satietate per cibum, & potum etiam citra valetudinis nocumentum affirmat semper esse sinè peccato, idest nec mortali, nec veniali. Quòd autem id sit falsum, & scandalosè dictum, probabo infra à *num.* 33. Secundum dictum generale in secunda parte eiusdem propositionis, similiter affirmat sinè distinctione, quòd licitè possit appetitus naturalis suis actibus frui; nam vt iacet tale dictum importat duplicem sensum, quorum vnus est, quòd quicumque appetitus naturalis possit frui actibus suis, at in hoc datur peruersio rationis, quia actus sunt ad vtendum rebus, non verò ad fruendum iisdem actibus, & sic datur culpa dum *fruimur vtendis*, *& vtimur fruendis*: Alius sensus est, quòd quilibet naturalis appetitus possit licitè frui, idest delectari in suis naturalibus actibus, sicque videtur scandalosè concedere, licitum esse gulæ, tactui, visui, &c. delectationem naturalem capere videndo, tangendo, deglutiendo, &c. ad placitum voluntatis; verùm quantùm id sit falsum, & cum animarum pernicie edoctum, probabitur *num.* 40. *& seqq.* Igitur, quia allata propositio prout iacet, tam amplam importat significationem, dignissima fuit, vt Pontificia authoritate damnaretur; quare quid in hac materia licebit, necne, intelligetur ex mox adducendis impugnationibus contra eiusdem propositionis doctrinam, & inde resoluemus præsentis Paragraphi quæsitum.

32 Nunc circa dubium in fine numeri 30. suprapositum, an nomine appetitus naturalis veniat intellectus *naturaliter appetens scire*, & an generatim possit de suis operationibus voluptatem capere; respondetur, in solo intellectu numquam esse peccatum, cum tantummodò *Verum* sit obiectum intellectus secũdùm Scholasticos. Si ergo intellectus occupatur in cognitione sui obiecti, scilicet *Veri*, de cuius cognitione ipse intelligens sentit delectationem, seu voluptatem, hæc non est actus intellectus, sed potentiæ appetitiuæ; imò in hoc diuersificatur delectatio à cognitione, quòd cognitio, seu cogitatio est actus intellectus; delectatio est actus potentiæ appetitiuæ. Hinc, vt notat Syluester *verb. delectatio, num.* 1. quia peccatum est priùs in appetitu, idest in voluntate, propterea in cognitione non potest esse peccatum, nisi consentiente voluntate, quod dupliciter contingit secundum D. Thomam *in* 2. *dist.* 39. *qu.* 2. *art.* 1. *ad* 1. Vno modo, inquantum cogitatio est, & sic est peccatum vanitatis, si intellectus deberet vtilioribus cogitationibus occupari: Alio modo, inquantùm cogitationes propter delectationem rei cogitatæ quæruntur, & sic potiùs est peccatum in delectatione rei cogitatæ, quàm in ipsa cogitatione. Intellectus ergo non venit appellatione *appetitus naturalis*, seu appetitiuæ potentiæ, tam quòd dicatur, *Omnis homo naturaliter appetit scire*, intelligitur de voluntatis appetitu, licèt scire competat intellectui.

33 Vt autem probemus esse falsum, & scandalosè dictum, quòd *comedere, & bibere vsque ad satietatem ob solam voluptatem, non sit peccatum, quamuis non obsit valetudini*, scire oportet, quòd virtus Temperantiæ habet quatuor partes, quæ vocantur subiectiuæ, & distinguuntur secundùm diuersitatem materiæ, vel obiecti. Nos tamen hìc omittemus, quæ ad nostrum non faciunt intentum, & ideò tantùm obseruo spectare ad temperantiam frænare tactus delecta-

ctationes, quæ sunt in duplici genere, nam quædam ordinantur ad vim generatiuam, de quibus aliqua erunt dicenda *nu.46.* occasione impugnandi propositionem quadragesimam ex damnatis ab Alexandro Septimo. Aliud genus delectationum tactus, est earum, quæ ordinantur ad nutrimentum, & huiusmodi delectationes sunt in duplici differentia, nam aliquæ sunt quantùm ad cibum, quæ si à Temperantia moderentur, id habebit præstare per partem subiectiuam, quæ vocatur *Abstinentia*; Si verò sit moderatio circa delectationem potus, id fiet à *Sobrietate*, quæ similiter est pars subiectiua Temperantiæ.

34 Sed quamuis *Abstinentia*, & *Sobrietas* sint duæ partes subiectiuæ Temperantiæ, habentes diuersas materias, & distincta obiecta, tamen communiter sumuntur velut vna Virtus, itaut moderatio tum in cibo, tum in potu vocetur indiscriminatim vel *Abstinentia*, vel *Sobrietas*. Hæc *Abstinentia*, seu *Sobrietas*, licèt interdum absolutè significet ciborum subtractionem, seu carentiam, & vt sic non sit Virtus, nec actus virtutis, sed quid indifferens; tamen prout significat voluntariam moderationem in cibo, & potu regulatam à ratione, est Virtus specialis versans in moderatione appetitus, & voluptatis edendi, vel etiam bibendi, quatenus potus præcisè est pars quædam secundaria integræ refectionis necessariæ ad vitæ humanæ sustentationem. Ità D.Tho. 2.2. *quæst.* 150. *art.* 2. *ad* 2.

35 Dictis Virtutibus opponitur vitium Gulæ, quod si versetur circa cibum, contrariatur *Abstinentiæ*; si verò versetur circa potum, opponitur *Sobrietati*; & ideo Gulæ vitium definitur, *Appetitus sensitiuus inordinatus cibi, & potus*. Dicitur *inordinatus*, quando non ob naturalem necessitatem, sed ob solam voluptatem appetit cibum, ac potum. Hinc est, quòd fames, & sitis non spectant ad appetitum sensitiuum, & animalem, sed ad naturalem: Sic docet Syluest. *verb. Gula*, *num.* 1.

36 His prænotatis, constat ex se improbabilitas doctrinæ, quæ dicit non esse peccatum, scilicet nec graue, nec leue, comedere, & bibere ob solam voluptatem, citra corporis nocumentum; nam est improbabile, quòd nullum sit peccatum actus contrarius, vel oppositus naturæ, aut alicui virtuti; Sed ex prænotatis comedere, & bibere ob solam voluptatem, etiam si non obsit valetudini, est contra ipsam naturam, quatenus propter vitæ sustentationem, non propter solam voluptatem cibum, & potum instituit, & exigit, ac per consequens sic bibere, & comedere opponitur Virtuti Abstinentiæ, vel Sobrietatis: ergo est improbabile, falsum, & scandalosum, quòd non sit peccatum comedere, & bibere prout dicitur in allegata propositione. Minor, in qua sola potest esse difficultas, manifestè constat, si naturæ institutio attendatur circa cibi, & potus vsum, nec non si ponderetur quantùm Virtuti Abstinentiæ, & Sobrietatis opponatur comedere, & bibere vltra famis, & sitis indigentiam, tantùm ob voluptatem vsquè ad manducandi, & bibendi satietatem: ergo meritò fuit damnata illa propositio negans esse aliquod peccatum, cùm verè peccatum saltem veniale admittatur in tali deordinatione comedendi, & bibendi.

37 Confirmatur cum doctrina D. Thomæ 2.2. *quæst.* 148. *art.* 2. vbi agens de vitio Gulæ inquantùm quòd in eo est quædam inordinatio concupiscentiæ, docet esse tantùm veniale, si dicta inordinatio sit *tantùm circa ea, quæ sunt ad finem, vtpote quia nimis concupiscit delectationes ciborum*: ergo comedere, & bibere ob solam voluptatem cùm sit quædam inordinatio circa finem, ad minùs erit culpa venialis, ac proinde scandalosè dicit allata propositio, nullum esse peccatum comedere, & bibere vsquè ad satietatem ob solam voluptatem, licèt valetudo non lædatur.

38 Confirmatur, nam certum est inter Catholicos dari vitium Gulæ, quod est vnum ex septem peccatis capitalibus; ergo tale vitium est semper peccatum; quare cùm comedere, & bibere vsquè ad satietatem ob solam voluptatem propriè sit effectus dicti vitij, consequenter scandalosè docetur non esse peccatum eo modo comedere, & bibere. Sic in Ezech. *cap.* 6. legitur: *Ecce hæc fuit iniquitas Sodomæ sororis tuæ, superbia, saturitas panis, &c.* Ità docetur à DD. communiter, quia Gulæ vitium consistit in eo, quòd immoderato vsu cibi, & potus superflua delectatio quæratur. Lessi. *de iust. & iur. lib.* 4. *cap.* 3. *dub.* 1. *num.* 8.

39 Probatur etiam authoritate D. Gregorij, qui *lib.* 30. *moral. cap.* 27. referens quinquè species vitij Gulæ secundùm quinquè conditiones ab omnibus admissas, nempe *præproperè, lautè, nimis, ardenter, studiosè*, ait: *Quinquè modis nos gulæ vitium tentat: aliquando namquè indigentiæ tempora præuenit; aliquando lautiores cibos quærit; aliquando quæ sumenda sunt præparari accuratiùs appetit; aliquando in ipsa quantitate sumendi mensuram refectionis excedit; aliquando ipso æstu immensi desiderij aliquis peccat*. Nota Magni Pontificis verba illa,

illa: *aliquando in ipsa quantitate sumendi mensuram refectiuis excedit*; quod aliud non est, nisi quod dicitur in dicta propositione, quæ consequenter immeritò tollit omnem rationem peccati, si quis comedat, & bibat vsquè ad satietatem ob solam voluptatem, & hoc est excedere in sumenda quantitate mensuræ sufficientis pro refectione iuxta naturæ indigentiam. Hinc D. Augustinus *lib.* 10. *Confession. cap.* 31. aduertens ad numerum eorum, qui saltem venialiter delinquunt in comedendo, & bibendo vltra indigentiam naturæ pro conseruatione vitæ, exclamat: *Quis est Domine, qui aliquantulùm extra metas necessitatis cibum non sumit!* Idem consequenter dicit de potu. En qualiter dicta propositio sit contra SS. Patres, contra rationem, & contra S. Scripturam, atquè perniciosa animarum saluti, dum nullum peccatum dicit esse, vbi saltem peccatum veniale omninò debet recognosci, agitur enim de vitio Gulæ, quod ideo capitale vocatur, quia ab eo multa oriuntur peccata, quamuis ex genere suo sit tantùm veniale, vt docent omnes DD. communiter, inter quos Summistæ, & nominatim, Syluest. *verbo Gula*, *num.* 2. Poterit tamen esse mortale ex alio capite, vt si grauiter obsit valetudini; si finis malus grauiter habeatur in comedendo, & bibendo, &c.

40 Argumentum, seu fundamentum adductum in eadem propositione ad probandum intentum hactenus à nobis impugnatum, & à Pontifice damnatum iuxta prædicta, erat, quia *potest appetitus naturalis suis actibus frui*. Verùm & quoad istam partem secundùm eius generalem significationem est scandalosa eiusdem propositionis doctrina, prout supra *num.* 31. dicebamus, sicut & idem probabimus in sequenti paragrapho necessariò excitando pro præsentis decisionis integra solutione.

41 Ex hactenus dictis constat quid sit respondendum ad secundum motiuum comedendi, & bibendi vsquè ad satietatem, scilicet propter lucrandam sponsionem; si enim comedere, & bibere tunc solum non est peccatum, quando sumitur potus, & cibus ad mensuram volitam à natura, nimirum iuxta indigentiam sustentationis vitæ, licèt voluptas concomitans habeatur, quæ mensura, quique finis nisi seruentur, sed excedantur, prout contingit quando quis comedit, & bibit vsquè ad satietatem gulæ, vel etiam famis, & sitis, sed ob solam voluptatem, tunc semper est peccatum vel leue, vel graue iuxta grauitatem, vel leuitatem excessus prout latè probauimus, imò & damnatum vidimus fuisse ab Innocentio Papa XI. affirmare nullum esse peccatum in talis cibi, & potus sumptione, sequitur dicendum non licere talem sumptionem excedentem, vt sponsionis merces lucretur, peccatum enim ex nullo lucro cohonestari potest, neque licitum reddi: ergo & in casu nostro hoc idem concluditur pro se inuicem prouocantibus ad poculorum multiplicationem.

Nec dicta in hoc numero contrariantur prædictis, in quibus concessum fuit, licitam esse ebrietatem ad vitandam mortem naturalem, vel violentam, necnon & ad arcendum notabile damnum in facultatibus indicio pij, ac prudentis viri. Cur autem concesserimus ebrietatem pro dicto damno vitando, non pro vitando illo ex sponsione, est quia cùm numquam sit peccatum comedere, & bibere iuxta institutionem naturæ, nempè vt vita sustentetur, & mors repellatur, sic non est bibere immoderatè, si quis bibat vsquè ad ebrietatem pro arcenda morte, quæ arcetur etiam defendendo proprias facultates in dicta notabili quantitate, quia vt toties diximus cum Doctoribus communiter tum Theologis, tum Iurisperitis, facultates dicuntur vita, & sanguis hominis. At vbi agitur de lucrandis alienis facultatibus istæ non sunt vita, & sanguis illius, cuius non sunt, vndè si pro illis obtinendis quis se inebriet, bibet immoderatè, & contra naturæ institutionem, adeoque peccaret, nam sinè alienis regulariter quisquè viuere potest, non autem sinè proprijs, sicque diuersa est ratio de vno, ac de alio casu. Circa proprias facultates amittendas in sponsione, nisi se inebriet, censeo esse resoluendum, quòd licèt spondens peccauerit, nihilominus facta sponsione, ne notabile damnum sentiat, licitè se inebriabit, sicuti qui sua culpa incurreret periculum mortis, ad quam arcendam opus esset ebrietate vti. Secus dicatur, si damnum erit leue, vel graue non notabiliter. Notetur tamen, quòd ad essentiam ebrietatis requiritur excessus in potando causa voluptatis, vt tradunt DD. communiter, & videre est apud Lessium *de iusti. lib.* 4. *cap.* 3. *dub.* 3. *num.* 13. Sic status priuationis vsus rationis causatæ ex odore lupuli salictarij, vel suffitu tabaci, vel opio, vel alio quouis narcotico, non est vera ebrietas. Item, quando non ex voluptate, sed per modum medicinæ datur, vel sumitur potio ad priuandum vsu rationis, non est ebrietas. Ita Lessi. *loc. cit.* Caiet. *summ. verb. Ebrietas*. Syluest. *verb. Ieiunium, quæst.* 3. Nauarr. *cap.* 23. *nu.* 129. Idem di-

dicatur, si non ex voluptatis motiuo, sed alia de causa, veluti ad lucrandam sponsionem quis multiplicet pocula vsquè ad priuationem vsus rationis. Nihilominus sub nomine *ebrietatis* moraliter loquendo venit omnis priuatio vsus rationis, excepta tali priuatione per somnum, & in hoc sensu est intelligenda propositio damnata, quam referam *num.* 50. Vide etiam *num.* 53. Hinc patet aliud esse comedere, & bibere ob solam voluptatem vsquè ad satietatem; & aliud ex iusta causa quærere priuationem vsus rationis non per somnum, nec per potationem excessiuam causa voluptatis. Quoties ergo edere, & bibere fiet immoderatè, vt si sumantur ob solam voluptatem, vel sinè fine sustentandi vitam, semper erit peccatum saltem veniale, contra doctrinam dictæ propositionis.

42 Et esse peccatũ saltem veniale colligitur ex damnatione propositionis nonæ in ordine aliarum ab Innocentio XI. damnatarum, quæ dicit: *Opus coniugij ob solam voluptatem exercitum, omni penitus caret culpa, ac defectu veniali.* Quòd scandalosa sit ista propositio, apertè constat dum nullum dicit esse peccatum in abusione matrimonialis copulæ à natura institutæ pro prole gignenda, quamuis concomitanter habeatur voluptas, ob quam solam natura opus coniugij non instituit, & tamen solam ipsam aliquis intendit. Sanè in ista finium volitione, & exclusione, ordo naturæ inuertitur contra rationem, sed quia talis inuersio est leuis, propterea erit venialis, & hoc negare est falsissimum, ac scandalosum, & proinde damnatum. Imò non carebit culpa mortali, si alia concurrat circumstantia, vt si illa voluptas haberetur pro solo fine vltimo, &c.

43 Sed indè aliqua oriuntur dubia. Primum est, an pro opere coniugij intelligantur etiam oscula, tactus, aspectus, amplexus, & verba amatoria, cùm ista solis coniugatis sint concessa, quia illis non interdicitur copula, & sic videntur opus coniugij, quamuis fiant sinè intentione copulæ, sed ob solam voluptatem. Respondeo, quòd opus coniugij est sola copula, quare, si quis affirmaret carere omni prorsus culpa etiam veniali oscula, tactus, aspectus, amplexus, & verba amatoria inter coniugatos exercita ob solam voluptatem, non faceret contra damnationem præsentis propositionis nonę. Ratio est, quia media, qualia sunt prædicta oscula, &c. distinguuntur à fine, qui est ipsa copula. Quòd illa sint media ad opus coniugij, docetur communiter à Doctoribus, qui ideo dicunt ea licere coniugatis, quia sunt media ad licitam copulam. Ità Azor. *instit. moral. part.* 3. *lib.* 3. *cap.* 25. cum Caietano, & cæteris Summistis, ac Theologis. Quòd ipsa copula sit intelligenda pro opere coniugij, suadetur ex eõ, quòd habeat rationem finis, & operis perfectio consistit in fine, vt colligitur *ex l. contractus*, *C. de fide instrum.* & *ex l. si voluntate*, *C. de rescind. vend.* vbi Baldus idem asserit, & simile docet Surd. *cons.* 282. *n.* 17. Quare in iure dicitur, quòd media ab extremis declarantur. *l. qui filiabus*, & *l. si seruus plurium*, §. *fin. ff. de legat.* 1. & *l.* 1. *C. de liber. præter.* Rota *decis.* 111. *num.* 42. & 43. *recent.* Subdit Afflict. *decis.* 595. *num.* 5. quòd media non sunt attendenda, sed potius extrema. Videantur tamen dicenda infra, *num.* 46.

44 Hinc infertur, nõ esse opus coniugij si fiat copula sinè seminatione, sed illa se habet ad instar tactuum partium verendarum, qui tactus sinè pollutionis periculo sunt permissi coniugatis, vt ait Sanch. *de matrim. lib.* 9. *disp.* 19. *num.* 3. Esset tamen opus coniugij, quamuis vnus tantùm ex coniugibus seminaret, & sic contra damnationem esset, si affirmaretur carere omni culpa veniali; secus vbi nulla sequuta est seminatio.

45 Si verò dicatur fuisse matrimonium institutum in remedium concupiscentiæ in statu naturæ lapsæ, vt colligitur ex D. Paulo 1. *ad Corinth. cap.* 7. dicente: *Propter fornicationem tamen vnusquisquè suam vxorem habeat:* Respondetur esse finem secundarium, & sic saltem venialiter excludit primarium, & secundarium, qui ob solam voluptatem vult opus coniugij. Igitur exerceatur opus coniugij ad prolem procreandam, vel in remedium concupiscentiæ, & concomitanter quæratur voluptas, & nullum erit peccatum.

46 Circa prædicta *num.* 43. sunt notanda, quæ sequuntur, stante damnatione propositionis 40. inter damnatas ab Alexandro VII. quæ dicit: *Est probabilis opinio, quæ dicit esse tantùm veniale osculum habitum ob delectationem carnalem, & sensibilem, quæ ex osculo oritur, secluso periculo consensus vlterioris, & pollutionis.* Certè si hæc propositio non fuisset damnata, fuisset causa maximi scandali, cùm enim penè innumeri non curent peccare venialiter, didicissent à tali propositione, licere tota voluptatis inclinatione quærere delectationem carnalem ex ipso osculo præcisè consurgentem. Et quod dicitur de osculo potest etiam affirmari de tactu, ac de amplexibus. Verùm solo lumine naturæ, aut naturalis honestatis in nostro sta-

statu lapsæ naturæ constat esse prorsus improbandum, quòd vir laicus, vel Religiosus osculetur, ac tangat in eà parte, ex qua maiorem trahet delectationem, fœminam siuè sæcularem, siuè Monialem, siuè consanguineam, &c. Igitur grande inhonestati aperiebat ostium dicta propositio, per quam luxuriosis conceditur delectari tota libertate de gustu ex præciso osculo, necnon & ex tactu proueniente.

47 Et vt scandalum dictæ propositionis magis innotescat, noto quòd ex duplici capite potest propositionis Author velle esse solùm veniale: Vnum est, quia sit materia parua in genere luxuriæ tale osculum: Aliud est, quia quamuis nullum sit peccatum delectari de qualitatibus obiecti naturaliter correspondentibus sensui, vel potentiæ, tamen vana est delectatio capta ex osculo vt præfertur, licèt nihil libidinosum in eo interueniat. Nihilominus ex vtroquè capite est plus quàm veniale, & propterea propositio fuit damnata. Et quidem ex primo capite non est solùm veniale, nam quòd verificatur de vno osculo, verificatur de centum millibus, sicque sub ea formalitate delectationis ortæ ex solo osculo, tactu, amplexu, & visu posset quis per integrum mane osculari, tangere, videre, & amplecti fœminam, & postea credere se tantùm venialiter peccasse, & tamen Doctores communiter eiusmodi metaphysicam præcisionem repudiantes, volunt in praxi aliud non esse talia oscula, tales tactus, &c. nisi volitionem mediorum ad copulam practicè virtualiter volitam, speculatiuè recusatam, natura enim ità instituit talia oscula, tales tactus, ac aspectus etiam in non pudendis, vt sint copulæ inchoatio vnà cum eorum naturali delectatione, vndè inter non nuptos non possunt excusari à mortali. Sed quia verba propositionis prædictæ, *ob delectationem carnalem, & sensibilem, quæ ex osculo oritur*, sunt ambigua, significant enim commotionem spirituum generationi deseruientium ortam ex illo osculo; simulque significant delectationem insurgentem limitatè ex consonantia qualitatum obiecti osculati cum ore osculante; propterea si primo modo sumatur delectatio, constat eam esse mortaliter peccaminosam, vtpote libidinosam: si verò sumatur secundo modo, quamuis possit esse venialis tantùm osculando mollem carnem pueruli, quia id non oritur ex venerea delectatione, sed ex tenero amore erga infantulos; numquam tamen osculando fœminam, seu personam, in qua ex naturæ institutione illud osculum cum delectatione sibi correspondente habet rationem inchoationis copulæ, quidquid sit de intentione osculantis, necnon & osculū patientis; & per hæc patet esse falsū, quod dicebatur in initio huius numeri, dum assignabatur secundum caput, propter quod poterat prætendi esse tantummodò veniale prædictum osculum, secluso etiam periculo vlterioris consensus, & pollutionis. Igitur ex nullo capite fas est tenere, esse sinè culpa mortali velle fœminam osculari ad habendam delectationem carnalem, & sensibilem ex ipso osculo ortam, & oppositum affirmare est omninò damnatum etiam de vno osculo tantùm, quamuis enim concederemus materiam paruam, seu peccatum veniale in genere luxuriæ; tamen non licet affirmare, quòd sit materia parua vnicum osculum factum eo delectationis motiuo. Hinc quemadmodum Alexander VII. sanciuit esse mortale prædictum osculum, ob eam delectationem, quia à natura ordinatur ad finem copulæ non nuptis illicitæ; sic Innocentius XI. damnauit affirmare non esse neque veniale opus coniugij exercitum ob solam voluptatem, quia natura vult illud ordinari ad finem prolis.

Adde semper præsumi adesse periculum vlterioris consensus expressi in ea delectatione ex osculo quæsita.

48 Et licèt suprà nominauerim solos solutos se osculantes motiuo delectationis prædictæ; nihilominus & pro coniugatis potest inquiri an teneat damnatio, itaut non liceat sub pœna excommunicationis tueri, eos tantùm venialiter peccare, dum inter se oscula habent ob delectationem carnalem, & sensibilem, quæ ex osculo oritur, secluso periculo pollutionis, & idem est de ijsdem osculis inter sponsos de futuro, necnon inter coniugatos, quibus ob aliquod impedimentum, v. g. affinitatis contractæ interdicitur copula.

Ad primum quæsitum in hoc numero, censeo liberum esse Doctoribus de illo quæstionem instituere, nam oscula, tactus, &c. inter coniugatos cohonestari possunt à matrimonio, quare si interdum ob solam delectationem ex illis consurgentem exerceantur inter ipsos matrimonio coniunctos sinè periculo pollutionis, erit solùm quædam leuis inordinatio finis intenti, cùm tamen suapte natura talia oscula ordinentur ad copulam, quæ nō est illicita coniugatis, vndè apparet non esse eodem modo discurrendum de solutis, ac de nuptis. Non est ergo damnata doctrina affirmans esse solùm peccatum veniale, si sinè copulæ intentione

sponsi

sponsi de præsenti oscula, amplexus, tactus, ac aspectus inter se habeant ob solam delectationem ex ijsdem consurgentem. Ità Rosella *verb. debitum, num.* 12. Angel. *eod. verb. num.* 26. Armill. *ibi, num.* 8. & *verb. impudicitia*, *num.* 3. Abulens. *in cap.* 5. *Matth. quæst.* 197. Caietan. 2. 2. *quæst.* 154. *art.* 4. §. *in responsione ad* 2. & *in summa, verb. impudicitia*, & *verb. matrimonium, cap. vlt.* §. *vltimo*. Victor. *summa, de matrim. nu.* 274. Sotus 4. *dist.* 31. *quæst. vnic. art.* 4. *in fin.* Graff. 1. *part. decis. lib.* 2. *cap.* 82. *nu.* 21. Barthol. Ledesm. *de matrim. dub.* 28. *in fine*. Viuald. *Candelabr. Sacramentor.* 1. *par. de matrim. num.* 260. & alij, quos refert, & sequitur Sanch. *de matrim. lib.* 9. *disp.* 44. *num.* 11. Sed probabilitate sua non caret opinio volens esse mortale taliter oscula exercere, tangere, &c. & illam tenent D. Antonin. 3. *part. tit.* 1. *cap.* 20. §. 6. Syluest. *verb. debitum, quæst.* 9. *num.* 7. Margarita Confessarior. 6. *præcepto, fol.* 88. *casu* 7. Humada *l.* 2. *tit.* 1. *par.* 1. *Gloss.* 2. *num.* 18. Ducuntur, quia omnis actus venereus non relatus ad copulam est mortalis, venerei autem sunt illi actus osculandi, tangendi, &c. ob delectationem ex illis ortam, quæ à natura est ad copulam ordinata.

Circa secundum quæsitum in hoc numero censeo similiter esse liberum Doctoribus disputare, an inter sponsos de futuro oscula, tactus, &c. si non sint impudica, vt in pudendis, & secluso copulæ periculo, vel pollutionis, habita ob delectationem sensitiuam, quæ ex ipsis oritur, sint mortale, vel veniale peccatum; & ideò censeo posse de hoc à Doctoribus disputari, & tenere absolutè esse mortalia cum multis relatis à Sanch. *loc. cit. disp.* 46. *quæst.* 4. *nu.* 48. vel tenere esse tantùm venialia, prout expresè vult idem Sanchez *nu.* 49. quia sponsalia, quæ sunt initium matrimonij, excusant à mortali hanc delectationem, quæ est inchoatio copulæ, & sic est valde diuersa ratio de osculo, tactu, &c. exercito inter solutos ob dictam delectationem etiam seclusis periculis dictis, quare de solis solutis est intelligenda propositio damnata.

Ad tertium quæsitum dico, quòd cùm impediti copulam facere sint inter se vero matrimonio copulati, de istis non fit mentio in damnata propositione, sicque relinquitur Doctorum examini, num coniugati habentes impedimentum ne copulam exerceant, peccent mortaliter si tactus, ac oscula habeant ob delectationem ex illis ortam, quam quæstionem latè instituit Sanch. *d. lib.* 9. *disp.* 44. *à num.* 19. *vsquè ad* 26.

49 De solis solutis est ergo accipiendus sensus adductæ propositionis, atquè ideò prohibitum, & condemnatum est tueri, affirmare, docere, necnon disputationem instituere, nisi fortè impugnando doctrinam scandalosam eiusdem propositionis. Igitur est omninò tenendum esse mortale peccatum, si vir fœminam, vel è contra, aut si vir virum, & fœmina fœminam, tangeret, oscularetur, &c. ob delectationem, quæ ex ipso tactu, vel osculo oritur. Antequam Alexander VII. dictam propositionem damnaret, docuerunt esse mortale ferè omnes DD. quorum copiosum numerum nominatim refert, & sequitur Sanch. *de matrim. lib.* 9 *disp.* 46. *num.* 7. vbi authoritatibus, & rationibus id probat, quarum potissimam posui suprà, *num.* 47. Cæteræ videantur in eodem Sanchez, nobis enim satis est illa breuiter adduxisse, quæ ad nostræ decisionis historiam sufficiunt. Concludendum est ergo esse scandalosè edoctum, quòd sensus, seu appetitus naturalis sinè aliqua restrictione possit suis actibus frui, seu ex suis actibus delectationem, vel voluptatem capere, & vt id probaremus esse scandalosum, debuimus afferre Pontificum zelum, à quo ducti condemnauerunt meritò præcitatas propositiones spectantes ad materiam, ex qua voluptas, seu delectatio sequitur, vt est in actu comedendi, bibendi, opus coniugij exercendi, ac demum osculandi, & consequenter amplectendi, tangendi, atquè aspiciendi propter identitatem rationis, quoad forum animæ, licèt pro solis osculis teneat damnatio, etiam quoad forum externum pro incidendo in excommunicationem, si tueantur esse tantùm peccata venialia dum exercentur ob eam delectationem ex ipsis ortum ducentem, iuxta hactenus dicta.

## §. III.

*Fit examen de gaudio parricidij facti in ebrietate, prout narratur in præsenti historia.*

50 Circa parricidium, quod *num.* 1. dictum est Petrum perpetrasse, dum ebrietate opprimebatur, à qua postquam conualuit, nouit se hæreditatem fuisse consequutum ob mortem parentis, & ideo gaudium de omnibus sumpsit, prout mihi proponitur, censui infrascripta esse prorsus tenenda pro resolutione, & determinatione veritatis in vtroquè foro.

Sciendum est Innocentium Papam XI. damnasse propositionem, quæ sub numero decimo quin-

quinto in ordine aliarum legitur sic: *Licitum est filio gaudere de parricidio parentis à se in ebrietate perpetrato, propter ingentes diuitias, indè ex hæreditate consecutas*. Certum est hanc propositionem fuisse damnatam vt iacet, seu in sua ampla significatione, ratione cuius non distinguit de ebrietate præuisa, in qua Petrus occidisset patrem; ac de ebrietate, & parricidio nullatenus præuisis. Quare si filius præuiderat se inebriaturum, & in ebrietate parricidium perpetraturum, in omnium sententia tale parricidium fuit mortaliter peccaminosum, ideoque ex nullo motiuo licebit de eo gaudere, & oppositum affirmare est falsum, ac scandalosum, quod quia affirmatur in dicta propositione ex vi suæ generalis, & amplæ significationis, propterea fuit meritò damnata. Si verò ebrietas, & parricidium non fuerunt præuisa, tunc Doctorum disputationi relinquitur resoluere, an licitum sit filio gaudere de parricidio parentis à se in ebrietate perpetrato propter ingentes diuitias, inde ex hæreditate consecutas.

51 Notanda sunt tamen nonnulla circa dictam propositionem, nam dubitari potest de quo filio; de quo parente, & de qua ebrietate sit intelligenda. Et quidem nomine *filij*, veniunt in præsenti filius, & filia, quia vox *filius*, habet sic ex se significare, *l. si quis ita*, 16. *ff. de testamen. tutel.* & *l. si ita scriptum*, *ff. de legat.* 1. Glossa *in l. 1. ff. de verb. significat.* Riminald. *iun. cons.* 737. *num.* 4 *lib.* 7. Anguiss. *cons.* 64. *num.* 2. *lib.* 6. Bero. *cons.* 113. *num.* 1. *lib.* 2. & alij Iurisperiti communiter. Item veniunt naturales. Barbos. *de appellat. verb. iur. signific. appellat.* 99. præcipuè *num.* 19. *& seqq.* Pro Spurio non tenet dicta propositio, quia licèt sit filius, tamen est legibus incognitus, nec filij nomine dignus, ac incapax hæreditatis. *Authent. in complexu, C. de incest nupt. & Authen. quibus modis natur. effic. sui*, §. *vlt. collat.* 7. propositio autem loquitur de filio gaudente propter hæreditatem, & ideò non venit Spurius; & idem est de filio arrogato, spirituali, ac adoptiuo. Barbos. *supra*, *num* 75. Est tamen aduertendum, me loqui pro foro externo, vnde pœnam excommunicationis non incurreret, qui de istis filijs affirmaret licere gaudere de parricidio facto ab ipsis in ebrietate propter hæreditatem ingentium diuitiarum, quæ eis aliqua via fortasse obueniret. In foro autem animæ, certè non licebit gaudere nec filio, nec alteri, vt ex se patet ex paritate rationis, si præcessit facti præuisio; Si verò non præcessit, videbimus infra quid sit dicendum.

52 Nomine *parentis* propriè venit pater, & mater, licèt à Iurisperitis extendatur ad vtriusque sexus ascendentes vsque ad tritauos, & tritauias, vt notat Ambros. Cal. *verb. parens*; quapropter quia sumus in odiosis, quæ debent restringi, propterea in foro externo esset puniendus excommunicatione tantùm ille, qui de filio respectu patris, & matris affirmaret damnatam doctrinam, quæ etiam pro foro interno est scandalosa, si idem diceretur de filio respectu cæterorum ascendentium, nam militat eadem ratio pro isto foro, non pro exteriori.

53 Nomine *ebrietatis*, an hìc veniat quæcumque priuatio vsus rationis, patet ex dictis *num.* 41. *in fine*, quibus addo priuationem vsus rationis per somnum quoad forum animæ, quia currit eadem paritas, est enim mortale, si quis gaudeat de homicidio facto à se in statu priuationis vsus rationis ex qualibet causa proueniat talis priuatio, si de tali homicidio habuit præuisionem, & nihilominus voluit priuare se vsu rationis.

54 Sed quid dicendum est, si non fuit præuisum tale parricidium, vel aliud homicidium? Respondeo breuiter pro nunc, prænotando dari aliqua, quæ licèt exuantur malitia formali, tamen retinent malitiam obiectiuam, vt v.g. licèt non sit formaliter peccaminosa fornicatio amentis, ipsa tamen fornicatio retinet malitiam obiectiuam. Similiter Iacob accedens ad Liam, quamuis copulam admiserit non peccaminosam formaliter, quia putabat esse suam, nihilominus illa copula in esse obiecti retinet prædicata essentialia malitiæ incestus, stupri, ac fornicationis; quare si quis liberè delectaretur de similibus obiectis retinētibus propriam malitiam in se, etsi formalem malitiam ex data iusta causa exuerint, certè gauderet, & delectaretur de obiecto malo, vnde peccaret mortaliter, vel leuiter iuxta obiecti malitiam. Id docetur per illam regulam generalem traditam à Palud. Sot. Azor. & alijs. *Quoties causa excusans factum exterius, nempè defectus consensus, non currit in delectatione, licèt factum à culpa liberum sit, non erit libera delectatio*. Hinc liquet responsio danda ad dubium, scilicet non esse nisi mortale, gaudere de parricidio facto in statu priuationis vsus rationis, quamuis non præuiso, quia parricidium retinet propriam malitiam obiectiuam, exuta solùm formali. Ergo Petrus, qui in præsenti Decisionis casu parricidium fecit in ebrietate, discat quid

in

in vtroque foro pugnet contra ipsum, supposito eius gaudio de parricidio.

# DECISIO XCIX.

*An Doctores, Iudices, & Superiores si in suis officijs errent, teneantur se retractare.*

## Casus, seu Historia XCIX.

### SVMMARIVM.

1 *Casus proponitur.*

2. 3. 4. 5 *Docens errorem leuem, aut nulli damnificum, an teneatur se retractare.*

6 *vsque ad* 12 *Docens errorem, an ex Iustitia, vel ex Charitate teneatur se retractare.*

13 *Quid dicendum sit de imprimente errorem.*

14 *vsque ad* 19 *Agitur de promouendis ad varios gradus.*

20 *vsque ad* 31 *De testibus, ac de Iudice, quoad obligationem se retractandi.*

32. 33. 34. 35 *De obligatione Superiorum se retractandi.*

1 QVia errori omnis homo subiacet, ideò longè ab omni admiratione intellexi errores, in quos prolapsi sunt tres docti in tribus casibus mihi propositis, vt de ipsis iudicium ferrem, an congruentia tantùm, vel potiùs obligatio stricta detur in errantibus, per quam errorem teneantur retractare, licèt citra culpam commissum.

Primus casus est, num ille qui librum typis mandauit, in quo error continetur propter falsam intelligentiam opinionis cuiusdam Doctoris, quem citat, teneatur aliquo modo se retractare, quamuis crassam inaduertentiam suam debeat propalare, addito periculo ingerendi suspicionem vniuersalem, an similiter cæteræ opiniones, vel doctrinæ eiusdem libri, quæ aliorum Authorum sententijs innituntur, veritate careant, quinimò contineant falsitatem, seu culpabiliter, seu inculpabiliter ipsa fuerit conscripta.

Secundus casus est, an post scriptam, & prolatam sententiam à Iudice competenti, qui rectum iudicium facere putabat, sed non rectum iudicium fecisse detexit, obligationem habeat priorem sententiam annullandi, & aliam nouam publicandi.

Tertius casus est, vtrum Superior, à quo per errorem lex, vel præceptum fuit impositum; imò & subditus officio aliquo fuit priuatus, teneatur legem sancitam tollere, subditoque officium suum restituere, licèt priorem errorem ex consequenti deberet publicare.

2 Ad casum primum respondeo: Vel error ille per prælum traditus, est talis vt graue dãnum possit causare, veluti si esset contra bonos mores, contra Fidei veritates, vel huiusmodi: vel error ille non est alicuius momenti. Si sit error nullius momenti, non censeo teneri scribentem illum emendare, seu retractare, quamuis laudabiliter ipsum corrigeret, & retractionem aliquam adhiberet. Ratio est, quia error nullius momenti nemini nocet, & sic se habet, ac si neque scriptus esset.

3 Item, quia leuiter damnificans proximum, non est grauiter obligatus ad damni restitutionem, vt docent communiter Doctores: ergo à fortiori nullam habebit obligationem resarciendi pro impresso errore ipsius Author, si dictus error nec leuiter damnificare potest.

4 Cæterùm de congruo esset facienda retractatio præfati erroris nemini damnifici. Id suadetur, nam nullum absurdum est, sed prudentis actio, quandò malè acti fit retractatio, vt constat ex *c. magna* 10.22.*q.*4. vndè scripsit D. Augustinus *magnæ sapientiæ est, reuocare hominem, quod malè locutus est*: ergo congruenter est facienda retractatio de malè dicto, vel scripto, si ex ipso nullum damnum sequuturum sit.

5 Et confirmatur per *cap. de offic. ordin.* vbi Pontifex ait: *nosmetipsi corrigere debemus, quæ malè fecimus*, & Imperator ibidem allegatus à *Glossa*, *v. per te ipsum, ex Authent. de nupt.* ità loquitur: *Non enim erubescimus corrigere, quæ priùs diximus, nec ab alijs corrigi expectare volumus*. Quibus verbis insinuatur retractari oportere, quidquid per errorem fuit actum dictum, vel scriptum, quamuis nemini talis error sit nocumentum aliquod allaturus; & hoc verificatur etiam in Potentatibus, ac in personis supremæ dignitatis, vt sunt Papa, & Imperator: ergo multò magis præstandum est idem à personis priuatis.

6 Si autem error dictus, scriptus, vel impressus talis erit, vt damnum notabile causare possit, tunc respondeo cum sequentibus conclusionibus.

Sit prima conclusio: Si ille, qui errorem inculpabiliter docuit, iam finiuit officium docendi, vt esset si iam cessauit à medendo, vel iam absoluit sacramentaliter, quando veritatem

tem, vel errorem detexit, non tenetur ex iustitia, sed solùm ex charitate docere veritatem, & pristinum errorem emendare, quapropter si non emendet, nec doceat, non tenetur restituere. Probatur, nam iste nihil alienum accepit, cùm nihil alienum sit apud ipsum, nec cum aliena re factus sit ditior, & consilium datum sinè culpa non obligat ad aliquam restitutionem, supposito quòd sit datum vt verum, quia tale putabatur, vndè actio positiua talis consilij, tantùm materialiter est causa damni: quòd verò post cognitum errorem taceat ille, qui officio suo iam functus est, peccat contra charitatem, qùia loqui ex iustitia non ampliùs est obligatus: ergo nec restituere tenetur. Sic sentit Sanchez *opusc. moral. part. 1. lib. 1. cap. 3. dub. 5. num. 2.* Aliqui tamen, vt Aragon. 2.2. *quaest. 62. art. 2. ad 3.* & Salon *eod. art. 2.*
7 *contr. 1.* docent teneri errantem retractare, & verum cognitum dicere ex sola charitate respectu primi erroris; ex iustitia verò respectu damni futuri. Nihilominus opinionem Sanchez iudicio meo esse tenendam vt veriorem semper apparuit.

8 Sit secunda conclusio: si quis data opera docuit falsum, tenetur docere verum, vel aperire falsitatem lege iustitiæ: ita Caietanus *verb. restitutio, cap. 7. fine.* Ratio est, quia talis est directè causa damni in proximo suo. Hoc tamen intelligi debet vbi damnum data opera illatum per falsam doctrinam erit notabile, vel alicuius momenti; secus si erit nullius momenti, vt supra dicebam *num. 2. & seq.* limitetur tamen iuxta dicenda *num. 12.*

9 Hinc sequitur, quòd si quis ex lata culpa, & mortali docet aliquem non teneri ad aliquid, ad quod reuera tenebatur ex lege iustitiæ, non excusatur à restitutione ipse docens: si verò non tenebatur ex lege iustitiæ ipse edoctus, nec ex iustitia restituere tenebitur ille, qui
10 docuit. Exemplo me explico. Accedit pænitens ad Confessarium, & quærit in decursu confessionis an teneatur restituere decem aureos, quos titulo donationis accepit ab amico, qui eos furatus est cuidam inimico dicti Confessarij, & iste Confessarius data opera respondet non teneri: in isto casu tenebitur ipse Confessarius restituere, quia docuit falsum in materia, ad quam edoctus tenebatur ex iustitia.

11 Si autem pænitens interroget Confessarium an teneatur, vel saltem an benè faciet erogando eleemosynam certo pauperi, & Confessarius respondeat negatiuè, tunc Confessarius non tenetur restituere eidem pauperi, licèt falsum docuerit, est enim semper bonum facere eleemosynam pauperibus, & ideò non tenetur, quia nec pænitens tenebatur ex lege iustitiæ dare illam eleemosynam, supposito quòd pauper ille non sit extremè indigens, & ab alijs possit succurri. Videatur Nauarra *lib. 2. de restitut. cap. 2. num. 3.*

12 Limitanda est tamen prædicta secunda conclusio posita *sub num. 8.* nam si quis ex negligentia, & culpa lata, ac mortali docuit falsitatem, sed ex officio non tenebatur docere veritatem, iste ex sola lege Charitatis tenebitur verum detegere. E contra tamen fit, quoties ex officio quis tenetur, vt Confessarius, nam iste tenetur ex iustitia.

13 Nunc ad casum propositum respondeo, quòd Doctor, à quo liber typis mandatur gerit officium edocendi nedum præsentes, sed & posteros, & propterea tenetur ex iustitia veritatem scribere, & errorem suum corrigere, quia semper durat in officio docendi, quoadusquè copia aliqua datur libri à se impressi. Quòd si dicti libri omnes pro certo comburerentur, tunc cessabit ob officio Doctoris, & sic si veritatem malitiosè non docuerat, & falsum dixit in materia iustitiæ, tenetur ex iustitia & ipse iuxta dicta *num. 10.* Si verò errorem docuit sinè culpa, tenetur ex sola Charitate, vt dixi *num. 6.* Idem dicendum est, si errorem docuit in materia ad iustitiam non spectante.

14 Et quòd error sit retractandus ratione damni, quod habet causare, conuincitur ex paritate obligationis non promouendi insufficientem ad gradum aliquem, ob quem gradum alij credentes, & fidentes promoto, damnum inde valeant reportare. Sic si notabiliter insufficiens consentiat in Sacra Theologia ad Doctoratum euehi, peccat mortaliter vnà cum illum promouentibus, quia per talem gradum cõstituitur animarum Medicus, ac Magister, ad quem confugientes erudiendi in occurrẽtibus casibus, poterunt decipi, atquè solos errores ab ignorante Doctore edoceri. Ità tradit D. Antoninus *2. part. tit. 3. cap. 5. §. 6.* Syluester *verbo Doctor, quaest. 4.* Palacios *in verbo Doctoratus.* Nauarrus *cap. 25. num. 55.* Caietan. *in summa, verbo Doctoratus.* Armilla *verb. Doctor,*
15 *num. 1.* Et ob eamdem rationem dicendum est idem de promoto ad Doctoratum in Medicina, nam si talis promotus sit notabiliter insufficiens, id erit in graue corporis damnum illorum, qui propter gradum habebunt fidem ipsi.

16 Nec diuersimodè est philosophandum de doctoratu in Iure tum Cæsareo, tum Pontificio prop-

propter graue damnum clientum: & ità do-
17 cent Armilla, Alcozer, & alij. Et quia gradus Licentiati dat facultatem, vt possit ad doctoratum promoueri sinè nouo examine quando voluerit ipse licentiatus, propterea eodem modo erit lethale, si promoueatur ad dictum gradum aliquis notabiliter insufficiens.

18 Deniquè quoties quis promoueatur ad gradum, ob quem alij fidant ipsi, quem ignorant esse notabiliter insufficientem, & inde damnum graue deriuare potest, peccant grauiter
19 promouentes, & promotus. Secus dicendum est, si ex gradu non immineat graue damnum, veluti si esset baccalaureatus, vel gradus in artibus. Ita contra aliquos tenet Sanchez *consilior. moral. part. 1. lib. 2. cap. 1. dub. 57. num. 5. & 6.* Si ergo in dictis admittitur grauis culpa ratione errorum, quos insufficientes promoti habebunt edocere cum aliorum damno, concluditur errorem esse retractandum, vt sic alienum damnum reparetur, prout quisquè id facere tenetur vel ex iustitia, vel ex charitate iuxta prædicta.

20 Ad casum secundum respondeo posse Iudicis sententiam per errorem continere iniustitiam dupliciter. Primò, quando eidem sententiæ deficit aliquid substantiale, & intrinsecum, sed in foro exteriori tenet, imò & in foro interiori obligat saltem quoad aliqua, donec in iudicio non reuocatur. Secundò, quando sententia est sinè aliquo substantiali requisito adeò manifeste, vt rationabiliter non obliget in vtroquè foro.

21 His positis dico esse à Iudice reuocandam vtramque sententiam postquam errorem detexit, & multò magis si ex malitia, & data opera talem sententiam iniustam protulit. Ratio est, quia damnum illatum proximo siuè in facultatibus, siuè in fama est resarciendum, quamuis per errorem, ac bona fide rem alienam quis possideat, vel alteri detrahat: ergo Iudex tenetur sententiam reuocare, licèt per errorem eam scripserit, cùm per sententiam inferatur damnum proximo tum in honore, tum in bonis temporalibus; & hæc consequentia benè sequitur ex antecedenti, quod docetur ab omnibus communiter.

22 Nec obstat si dicatur, quòd aliquando sententia iniusta obligat in foro exteriori, & etiam interiori, vt est quando eiusdem sententiæ iniustitia quodammodo latet, & eius defectus, vel error toleratur, vtpote non notus, nec apertus, vnde præsumptio stat pro ipsa sententia, & ei est parendum in foro exteriori, sicut & in foro animæ propter scandalum, & eamdem sententiam Iudex inferior ordinarius, cui committitur à delegato, & pariter minister cui committitur à iudice, tenentur illam exequi, vt constat ex *cap. cùm inter, de sentent. & re iudic.* & ex *cap. 1. 11. quæst. 3.* & ex *l. res iudicata, ff. de regul. iur.* ergo Iudex non tenetur reuocare huiusmodi sententiam cum errore prolatam. Respondeo concedendo antecedens, sed negando consequentiam, nam aliud est, quòd Iudex obligationem habeat retractandi suum errorem; & aliud est, quòd sententia sit exequenda, quoadusquè error manifestetur, maximè ne scandalum detur, si non obediatur sententiæ, cuius iniustitia latet. Igitur verum est, esse dictam sententiam adimplendam, tamen Iudex, à quo cum errore fuit prolata, tenetur eam retractare, atque errorem emendare.

23 Casu autem quo manifestè constet de iniustitia, ac errore sententiæ, tunc in neutro foro valet, nec opus est ab ea appellare, nec vt ordinè iudiciario reuocetur, sed satis erit vt ad scandalum tollendum in illis, qui illam norunt, constet de illius nullitate. Sic tenet D. Thom. *2. 2. quæst. 64 art. 6.* dum dicit esse obediendum sententiæ iniustæ, nisi contineat apertam iniustitiam, ac intolerabilem errorem, quam iniustam sententiam non obligare in foro animę nisi ob scandalum, docet contra multos Sot. *de sigillo, memb. 3. quæst. 1.* & colligitur ex *cap.*
24 *inter cæteras, de sentent. & re iudic.* & ex *cap. per tuas, de sentent. excomm.* Quænam autem sententia contineat iniustitiã, ostenditur cum allegatione nonnullorum casuum à Glossa in *cap. inter cæteras, de sentent. & re iudic.* & in *d. cap. per tuas, de sentent. excommunic.* & in *cap. statuimus, eod. tit. in 6.* à D. Antonin. *3. part. tit. 9. cap. 12. & cap. 1. §. 1.* Nauar. *cap. 27. num. 4.* Syluest. *verb. iudicium, §. 5.* & *verbo excommunicatio 2. §. 2. & 4. dub. 8. & verbo Sententia, §. 5.* & eodem verbo alij Summistæ.

25 Igitur Iudex, imò & testis, si scienter falsum dixerint, vel ex notabili negligentia, tenentur famam, & totum damnum inde sequutum restituere offenso, nam per iniustitiã damnum ab eis fuit illatum. Ita Syluest. *verbo testis, quæst. 10.* Angel. *eod. verbo, num. 30.* Sotus *de iustit. lib. 5. quæst. 7. art. 4.* Caietan. *2. 2. quæst. 70. art. 4.* D. Anton. *2. part. tit. 1. cap. 19. §. 7.* Nauar. *in sum. cap. 25. num. 40.* & alij.

26 Quòd si ignoranter, vel ex culpa tantùm leui Iudex, vel Testis falsum proferant, tunc ad solam culpæ proportionem erit damnum læso sequutum, resarciendum; sed si cum diligenti

Ffff 27 cau-

27 cautela se gesserint, & præter intentionem errauerint, ad nihil restituendum tenebuntur propter damna inde sequuta, nam nihil alienum acceperunt, sicuti neque facti sunt ditiores, vt suppono, nec aliquid iniustum commiserunt. Sic tenent D. Anton. Caiet. Sotus, & Nauar. *vbi supra*. Corduba *membr. 2. de secr. quæst. 7.*

28 Cæterùm quoad retractationem sui dicti, vel erroris, tenetur testis eam facere, sicut & Iudex, & quidem de lege iustitiæ ad id sunt obligati, si cum iniustitia se gesserunt: si verò sinè iniustitia, tunc tantummodò ex lege Charitatis debent retractare errorem postquam illum norunt, si ab officio Iudicis, vel Testis cessauerunt, etenim si non finiuerunt officium tenentur ex iustitia errorem emendare, & proprium munus iuxta cognitam veritatem adim-

29 plere. Et notat Corduba *loco citato* non teneri Testem suum dictum retractare cum proprio notabili damno, quando ex sola lege Charitatis obligatur.

30 Tandem suadetur debere Iudicem retractare errorem suum ex eò, quòd possit aperire ianuas carceris, vt à morte eripiat dando ansam reo, vt fugiat, si illum pro certo sciat esse innocentem, quamuis nocens sit probatus per allegata, & probata, vt docent Sotus *de iust. lib. 5. quæst. 4. art. 2. vers. secunda conclusio*. Cordub. *lib. 1. quæst. 37.* Alens. *3. part. quæst. 34. membr. 1. art. 4. ad 1.* De hac materia tradidi plu-

31 ra *in decisione 86. à num. 2. & seqq.* Cauere tamen debet Iudex in tali casu, ne scandalum præbeat alijs, qui videant, vel sciant se aperire carcerem, vt reus fugiat, sed causam iustam ignorant. Si ergo Iudex non obstantibus allegatis, & probatis contra innocentem, potest istum liberare citra scandalum, quantò magis tenebitur proprium errorem corrigere?

32 Ad casum tertium dico certissimum esse, quòd etiam Superiores per errorem aliquid statuentes, vel iubentes, ac officio subditum priuantes tenentur se corrigere aliquando ex iustitia, aliquando ex Charitate iuxta prædicta de Doctoribus, & de Iudice. Ratio est, quia Superiores quicumque siuè Regulares, siuè Ecclesiastici, siuè Sæculares non tenent plenum dominium super subditos, sed tantùm sunt rectores ipsorum, itaut eos regere teneantur cum iusto exercitio potestatis, qua funguntur: ergo tenentur non lædere subditos, & si per errorem eos lædant, tenentur errorem emendare.

33 Confirmatur per tradita in *cap. Sententiam 6. 35. quæst. 9.* vbi etiam dicitur licitū esse mutare in melius sententiam Sedis Apostolicæ: ergo erit similiter emendanda sententia per errorem à Superiore data cum læsione Iustitiæ, vel

34 Charitatis. Tamen si Superior erret in dispositione, quam ad sui libitum posset sinè subditi iniuria, ac sinè scandalo facere, tunc nec ex Iustitia, nec ex Charitate tenetur errorem

35 emendare. Idem est dicendum quoties per errorem Superior amouet aliquem ab officio, vel à Conuentu, à quo ad nutum dicti Superioris potest subditus amoueri.

# DECISIO C.

*An sit negotiatio Ecclesiasticis interdicta, si Regularis mandet imprimi libros, quos cum lucro vendere intendit.*

## Casus, seu Historia C.

### SVMMARIVM.

1 *Casus proponitur.*
2 *Negotiatio quid sit.*
3. 4. 5 *Ob necessitatem, vel sinè potest exerceri, si non sit turpis, nec adsit scandalum.*
6 *Casus resoluitur cum verbis Pasqualigi.*

1 Quidam Religiosus verè Pius, simulque doctus, postquam plura composuit cum intentione per prælum illa publicandi, ab effectu cessabat ex motiuo, quod nulli se velle notificare affirmabat. Vrgebam ipsum non rarò, vt publici Iuris scripta sua faceret, quæ de Iustitia, & Iure tractabant, sed contra Ius, & Iustitiam in abscondito detineri ipsi suadebam. Anno elapso causam mihi aperuit Religiosus ille, ob quam ab impressione desistebat. Causa erat scrupulus, seu timor peccandi negotiationem exercendo, vel occasionem præbendo eam exercendi Religiosis sui Conuentus, à quibus libri impressi cum lucro venderentur, sicuti passim fieri à pluribus Ecclesiasticis non sinè sui admiratione sæpè obseruauerat. Pro fundamento scrupuli, seu opinionis suæ adducebat, quòd emere chartam, necnon & impressionem in ipsa factam, erat emere rem, quæ immutata vendebatur cum lucro volito in emptione, & in hoc consistit ratio negotiationis Clericis, & Monachis interdictæ. Hæc per litteras à prædicto Religioso accepi, cui sequentia per epistolam respondi.

2 Notissimum est apud Doctores, & habetur etiam

etiam ex D. Chrysostomi verbis *hom.* 38. *in opere imperfecto in Matthæum*, quæ verba latè citantur in *cap. eijciens Dominus*, *dist.* 88. negotiationem Clericis, & Monachis prohibitam consistere in hoc, quòd *quis rem aliquam emat eo animo, vt eam integram, & non mutatam vendendo lucretur*. Hinc Gherardus Bosellus *in decis. Mutinens. lib.* 1. *quæst.* 28. in ea est opinione, quòd sit vera negotiatio, si Ecclesiasticus emat chartam, quam imprimi facit, vt eam impressam cariùs vendat, quia sic res immutata venditur cum lucro; & Bosello fauent Moli. *de contract. disp.* 342. *num.* 6. Larea *in allegationib. fiscalib. tom.* 2. *allegat.* 42. *num.* 42. & Diana *part.* 11. *tract.* 6. *resol.* 41.

3 Sed data veritate opinionis Boselli, deficeret tamen ratione necessitatis, cui aliter occurri non potest, quia lex negotiationem prohibens est Ecclesiastica, quæ non obligat quando adest vrgens, & proportionata necessitas: tum quia sic colligitur ex *cap. dilecti*, *de decim. cap. peruenit*, *dist.* 86. & ex Concil. Eliber. *cap.* 19. & ità tenent Nauar. Sà, Zerola, & Salas, quos refert pro se de Lugo *disp.* 26. *sect.* 3. *num.* 37. Trullench. *lib.* 7. *in decal. cap.* 20. *dub.* 19. *num.* 7. Reginald. *prax. fori pœnit. tom.* 2. *lib.* 25. *cap.* 21. *num.* 325. vbi limitat, dummodò negotia-
4 tio non sit infamis, vel turpis, vt sunt negotiationes relatæ *in cap.* 1. *Extra*, *ne Clerici*, *vel Monachi*.

5 Nihilominus exclusa necessitate, seù absolutè licere Clerico Sacris initiato, vel Religioso negotiari per se, vel per alium, si absit scandalum, & negotiatio non sit turpis, docent Caiet. *in sum. verb. Clericus*. Rodriq. *tom.* 2. *sum. cap.* 1. *num.* 2. Michael de Palatio *de contract. lib.* 2. *cap.* 10. *fol.* mihi 168. Cùm igitur absit scandalum, & turpitudo si Clericus, vel Monachus vendat cariùs libros impressos, quàm ipse soluerit pro charta, & impressione; imò laus, & gloria Authori, Religioni, totique Clero teste quotidiana experientia inde resultet, consequenter licitum erit libros imprimi facere cum intentione lucri iuxta historiam in præsenti examinatam.

6 Deniquè quid de talibus libris sentiat Pasqual. *quæst. moral. canonic. centur.* 1. *quæst.* 73. *num.* 1. *& seq.* hic transcribam: *Hos libros esse reponendos inter bona Religiosorum, omninò euidens est, cùm sint sub ipsorum dominio, non solùm quia opus ab ipsis compositum est, sed etiam quia empto papyro, & soluta debita mercede, nomine ipsorum impressi sunt. Vnde reducuntur ad fructus industriales, de quibus in l. Fructus, ff. de Vsuris. & l. si nauis, ff. de rei vend. Sunt enim fructus non solùm ingenij, sed etiam industriæ, quatenus per industriam reducunt ingenij partus ad esse vendibile, vt quid vtile alteri. Nequè hos libros imprimere, & vendere est negotiatio propriè dicta, quæ sit prohibita Clericis, & Religiosis, sicut nec etiam negotiatio colere conductis operarijs proprios agros & fructus perceptos vendere.* Hactenus Pasqualigus, & eius ratio est, quia illa tantùm est negotiatio propriè dicta, qua res emitur, vt eadem immutata in eadem specie cariùs vendatur, itaut lucrum intendatur ex emptione priùs facta, vt docent DD. communiter; quæ ratio destruit fundamentum Boselli, & scrupulum Religiosi, qui in casu præsentis historiæ centesimæ pro vtroque foro examinatus cum sententia definitiua innocens iudicabitur, si librum imprimere faciat, & cum lucro vendat.

# FINIS.

# INDEX SECVNDVS.

## Qui est Propositionum damnatarum.

## PROPOSITIONES DAMNATÆ AB INNOCENTIO XI.

INDEX

# INDEX TERTIVS,

## QVI EST RERVM, ET VERBORVM.

*Littera d. Decisionem; n. numerum marginalem eiusdem decisionis significat.*

## A

non

# E

*Ebrietas.*



mor-

po-

Si

non

Vi-

lai-

Ser.

Ei-

Ver-

## Finis Indicis Rerum, & Verborum.

# PRÆMONITIO AVTHORIS AD LECTOREM

## Pro ſequenti Inſtructione.

*Scito Lector, ſequentem Inſtructionem ab Eminentiſs. & Reuerendiſs. D. D. Cardinali Maiori Pœnitentiario fuiſſe promulgatam. Illam igitur non à me recipias, qua muquam in hoc Opere meo eam tibi exhibeam.*

---

*Inſtructio Parochorum, & aliorum Confeßariorum pro caſibus, quorum Abſolutio, vel Diſpenſatio ſpectat ad Sacram Pœnitentiariam, ſeu ad Sedem Apoſtolicam.*

CVM ſciam multos inter Chriſti Fideles vtriuſque ſexus vbique locorum exiſtentes, Cenſuris, Irregularitatibus, Impedimentis Votorum, & Matrimonij, aliiſque huiuſmodi caſibus ad Sacram Pœnitentiariam, ſeù Sedem Apoſtolicam ſpectantibus reſpectiuè irretitos diù permanere, imò interdum miſere perire, tanti mali cauſam, ex his fontibus prouenire comperi.

Primò, quia Parochi, vel alij Confeſſarij in quorum manibus huiuſmodi Pœnitentes veniunt, ij præſertim, qui ruri & in pagis extra Ciuitates habitant, ſæpiſſimè neſciunt ad quem in Vrbe pro remedio confugiant qui vel abſolutionis, vel diſpenſationis Literas à Sacra Pœnitentiaria obtinere ijs procuret. Vnde fit vt hac cura depoſita Pęnitentes, vel ad Epiſcopos, vel ad alios mittant, ad quos iſti præ rubore, ac verecundia, (Fęminæ præſertim) accedere verentur.

Secundò. Alij verò, qui ſuos habent Romæ Procuratores tantam pecuniæ vim pro expenſis exigunt, vt hi præ inopia tantis ſumptibus impares omninò recedant, & fortè ſibi perſuadeant (quod longè peius eſſet) Sacrum Tribunal Pœnitentiariæ pro dictis Literis aliquid lucri reportare.

Tertiò. Facit etiam nonnullorum Confeſſariorum incogitantia, vt gratiæ obtentæ irritæ ſint, quia caſus, & caſuum circumſtantias neceſſariò explicandas malè interdum exponunt: quo fit vt literarum Exequutores præmiſſo Pęnitentium examine rem aliter ſe habere, quàm expoſita fuerit, comperiant, ac proinde dictas literas exequi non poſſint. Vnde Pęnitentes quaſi deſperati pro nouæ gratię impetratione remedio priuati manent.

Quartò. Accidit etiam non rarò vt Pęnitentes obtentis literis non poſſint in ſuis Pagis facilè reperire Doctorem Theologiæ, vel Sacrorum Canonum (His enim vt plurimum literæ Sacræ Pęnitentiariæ inſcribuntur) aut ſaltem ille ſuſpectus ſit, nec etiam in Vicinia ad eos, quippe, qui procul abſunt, difficilè adire poſſent: Vnde literæ ſuo carent effectu, at miſeri Pęnitentes in ſuis ſordibus perſeuerare coguntur.

His præmiſſis cum certum ſit Sacræ Penitentiariæ Tribunal ſalutem dumtaxat animarum intendere, & omnia gratis concedere; Exiſtimaui Parochis, & Confeſſarijs aliquot capita à me proponi pro remedio indicatorum incommodorum.

Primò. Vbi accedit aliquis ad illos caſu quopiam ad dictum Tribunal pertinente laborans examinent diligenter Pœnitentem, vt rem totam ſincerè aperiat: obſeruent genus Cenſuræ: Scrutentur etiam facti circumſtantias. Item inquirant de Pœnitente an ſit vir, aut Fœmina; An Laicus, aut Clericus; an Regularis, aut Secularis, an Sacerdos, vel in ordine Sacro, aut ſimplex Clericus, aut Monialis, &c. Item appellent genus cenſuræ incurſæ, & caſum, ex quo incurſa eſt, an publicus, vel occultus. Et circa Irregularitatem videant an ex delicto, & ex quali delicto, cum ſuis circumſtantijs: an ex defectu, & ex quali defectu: an ex Homicidio, aut mutilatione; an ex violatione cenſuræ. In Matrimonijs inquirant quale ſit impedimentum; an reuera occul-

tum, an de contracto Matrimonio, vel de contrahendo agatur; Item quid causæ allegetur pro dispensatione obtinenda: (idem fiat pro votis, scilicet quid causæ pro Commutatione, & ad quem effectum.) Sed præsertim de Clerici percussore inquirant an ad Vrbem pro Absolutione accedere non valeat.

Secundò. Habita vera totius causæ notitia scribant casum in carta quocumque charactere, dummodo legi possit, idque siue latina, siue qualibet alia, cuiuslibet Regionis natiua lingua, omissis inutilibus, reticito etiam nomine, & cognomine pœnitentis (quamuis nullum sit periculum rem, & personam prodendi) nisi fortè ageretur de Censuris inflictis contra publicos Clericorum Percussores, & Duellantes in publicum, Tunc enim nomen, cognomen, & Diœcesim exprimant; In occultis verò per simplex N. N. proceditur, & casum sic inscriptum directè mittant per postam, seu communem Tabellarium publicum Romam Maiori Pœnitentiario in hunc modum.

*Eminentissimo, & Reuerendissimo D. Cardinali Maiori Pœnitentiario.*

Qui certe pro sua humanitate, & charitate libenter omnes Audiet, Iubebit literas expediri, & rescribendo mitti curabit.

Tertiò. In Literis tamen Romam ad eum missis significent quomodo, & qua via responsum mittendum sit per Postam, seu communem publicum Tabellarium, terminando literas Eminentiss. inscriptas in hunc ferè modum.

Dignetur Eminentia vestra rescribere N. N. in in Ciuitate N. pro Tali Oppido N.

Sic autem casum proponent.

*Eminentissime, & Reuerendissime Domine*

N. Sacerdos contraxit Irregularitatem ex Homicidio occulto ab eo ob talem, vel talem causam clàm tali modo patrato, vel procurato in persona hominis laici. Ab eo Tempore non abstinuit ab exercitio ordinum, vitandi scandali causa, vel ne se proderet; siue abstinuit, sed cum diu absque scandalo abstinere non possit, humilime supplicat pro remedio.

N. N. Contraxit matrimonium cum muliere, cuius matrem antea carnaliter cognouerat, conscius, vel nescius impedimenti (quod occultum est) quare cum absque scandalo separari non possint humilimè supplicat pro remedio.

N. N. Mulier emisit Votum Castitatis perpetuæ, sed cum adsit, vel futurum esse præuideat periculum incontinentiæ. Humilime supplicat pro dispensatione ad effectum nubendi.

Sed cum innumeri sint casus, in quibus supplicari debet Eminentiss. Cardinali M. Pœnitentiario, innumera quoque sunt supplicationum Exemplaria pro quorum notitia hæc indicasse sufficiat.

Denique si in illo Oppido, seu Ciuitate, in qua Eminentiss. Pœnitentiario, vt præfertur, scribitur non fuerint Confessores, Doctores in Iure Canonico, vel Magistri in Sacra Theologia, vel si adsint Pœnitens non possit de facili induci eis aperire suam Conscientiam, cum iam aperuerit alicui confessario non graduato, hoc ipsum in literis missis ipsi M. Pœnitentiario significetur, quod idem significandum est si Confessarius Gotticum Characterem legere nesciat, quia (vti spero) de opportuno remedio prouidebitur.

Quòd si fortè aliquando tardauerit responsum Eminentiss. M. Pœnitentiarij, tunc poterunt Confessarij, seu Pœnitentes, iterum scribere, vt si fortè fuit deperdita prima epistola, altera ad manus Eminentiss. M. Pęnitentiarij perueniat & ex his adiuuante Deo præmissis omnibus incommodis prouidebitur, & animas fratrum nostrorum Deo nostro lucrabimur. Hortantur Parochi, & Confessarij ad quos præsentes literæ peruenerint suis Confessionarijs illas affigere, & alijs quantum poterunt rescribendo, siue typis mandando communicare pro animarum salute.